



BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
8
3 M
17

BENEDICTI MANDINAE

EX CLERICIS REGVLARIBVS

Qui Theatini nuncupantur.

IN EVANGELIA QVADRAGESIMAE COMMENTARII.



IN MEDIO THRONI

ET QUATUOR ANIMALIUM

AGNUS STATE TAMQUAM OCCISUM HABENTE CORNUA VII ET OCULOS VII QUI SUNT

SEPTĒ SPIRITUS DEI MISSI IN OMNĒ TERRA

BENEDICTI MANDINAE MELPHIEN:

CLERICI REGULARIS Theologi, sancti Officii Consultoris

IN EVANGELIA QUADRAGESIMAE CŌMENTARIORUM

TOMUS PRIMUS.

Exc.mo et R.mo Principi et Dnō.

D. FRANCISCO PERETTO ABBATI CLAREVALLENSI

P. Card. de Aretio. B. Ioannes. B. Andreas. B. Caietanus Cl. Reg. Fund. Paulus 4. Pont. Max. Fundator. Bonifacius a Colle. Paulus Cōsiliari.



Neapoli apud Octauiū Beltranū 1632. Superiorū licentia





EXCELLENTISS. ET REVERENDISS.
PRINCIPI, ET DOMINO
D. FRANCISCO PERETTO
ABBATI CLAREVALLENSI, &c.

Benedictus Mandina Cleric. Regul. Fælicitatem.



TVA sunt, ac esse debent, Princeps Excellentissime, omnium meæ Religionis ingeniorum obsequia, vel munera; ea namque, magna sint, vel exigua, æquè proprio tuo iure, quàm hæreditario vindicas. Quinimmo hic qualis qualis meus in Euangelia Commentarius, ad te, Deo Auctore, pertinere, eiusque patrocinium videbatur. Tu enim ipse es, de quo, dum diuinum numen in sacrarum litterarum oraculis
consulerem, sublimis vatis ore mihi respondit, ἐνίκησεν ὁ λέων, ὁ ὢν ἐκ τῆς
φυλῆς ἰούδα, ἡ ῥίζα δαβὶδ, ἀνοῖξαι τὸ βιβλίον. Tu, inquam, ille genero-
sus è Sixti stirpe Leo, sacris initiatus, vitijs infestus, animo eximius,
& virtutibus. Tu ille Magni Alexandri Mont' Alti Nepos, qui degenerum
Leonum ingenium auersatus, de quibus legimus, *Quasi Leo vastator gene-*
ratio vestra; vastata, & collapsa, Religiosa pietate, restituere numquã destitit.
Et cuius Christiana munificentia ænigmaticum illud salutum Orbis agnouit;
De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo. Quippe qui, Ecclesiasticos redditus, ita habuit: vt in cibum, & alimentum egentium, piosque vsus heroicà largitate profusissimè erogauerit. Vos geminos Leones, si meo huic labori pro tutelà adsciuissem; perinde me facturum ducebam, ac si hunc
Salomonis (hoc est sapientiæ) thronum, duobus altrinsecùs Leonibus muniuissem. Neque me deterruit truci adspectu Leo vester, quin potius pellexit limbus, & fascia (Regiæ comitatis symbolum) quà est præcinctus. Religio verò mea multis nominibus Magnanimæ Familiæ tuæ deuota, beneficiorum memoriam, hàc saltem quantulacumq. professione renouat; vt quæ compensare non potest; recolere non ignoretur. Hæc meritis Alexandri tui obnoxiam se Euangelicis verbis mihi persuasit, quibus ad huius libri
oblationem libentem hortata est. *Dignus est, vt hoc illi præstes, dilexit enim*
gentem nostram, & in beneficæ liberalitatis experimentum, τὴν συναγωγὴν
αὐτὸς ᾠκοδόμησεν ἡμῖν; magnificentissimum, inquam, illud in Vrbe Templum,
cuius sumptuosam structuram, magnificentius cumulaturus, Cor suum, in eo ab obitu nobis asseruandum reliquit. Inhient alij inuidendis opum gazis, nobis sane, iuxta Saluatoris dictum; *Thesaurus est Cor hominis*, Huic proprij spiritùs vsuram rependimus, huius largitori temporariam præconijs,
& æternam vitam precibus conciliare satagimus. Non litauit Cæsar, cum sacrificanti Cor in extis defuit. Nobis contra fausta omnia Alexandri amor præsagit, quos Sixto V. Summo Pontifici, eximio suo benefactori, & Fami-

Apoc. c. 5. ℣. 5.

Vicit Leo de Tribu Iudà, radix Dauid, aperire librum.

Ierem. 2. ℣. 30.

1. Reg. 10. ℣. 19.

Luc. 7. ℣. 5.

Vertit Syrus. *& ipse domum congregationis ædificauit nobis.*

Luc. 6. ℣. 25.

liæ splendori prætulit: maluitq. auunculo magno, vel excors corpus reddere, vt nobiliori sui parte requiem, quam nequicquam in alijs quæsierat, inter Clericos, qui Dominicæ hæreditatis pars dicuntur, inueniret. Cuius etiam laudabile exemplum, germana pietate nuper æmulatus Excellentissimus Princeps, & Heros dignissimus Michael Perettus Pater tuus, quasi hæreditario nos Familiæ vestræ patrocinio honestans, geminato corde mactauit. His vota nũcupamus, quæ rata fore speramus, quãdo ex Adamãtio discimus;

Tract. 25. in Matth. *Altare quod vota sanctificat Cor hominis esse, quod principale habetur in homine. Vota autem, & dona, quæ ponuntur super altare, omne quod superponitur cordi.* Ad has ego maiorũ tuorum aras suspendo, & voti reus dico hoc qualecumq. laborum meorum munus, quod religionis meæ nomine libens meritò tibi sacro; & nomini tuo inscribo. Neque enim videbar, (vt mei etiam priuati consilij rationem attingam) Euangelicas has lucubrationes alibi congruentius, quam vestris montibus debere inserere; quo benignitatis tuæ fulcro subleuatæ, supra calumniarum turbines, vindicentur à periculis, & asserantur securitati. Vel, quia nullus Euangelico enarratori aptior locus, celsitudine Montium, vnde caduca infra se posita despiciat, liber à vilitate affectuum, & propius cęlo admotus. Cui etiam ore diuino dicitur,

Isai. 40. ℣. 9. *Ascende in Montem qui Euangelizas*; vbi nullæ nubes cœlum mentis asperant, nulli cupidinum æstus adurunt. Ad hos Montes Deus ministros suos ablegauit;

Ierem. 16. ℣. 16. *Mittam venatores meos, & capient eos supra omnem Montem*. Quod de euangelizantibus interpretatus Origenes asseruit, non licere his venatoribus

Isai. 42. ℣. 12. aliunde homines, nihi de his Montibus quærere. In his clamare iubemur; & speciosi pedes euangelizantium, in montibus stare debent; à quibus scilicet breuis est traiectus ad sydera; quæ in tuo stemmate bene mihi etiam ominantur. Vitalitatem enim, & prosperos successus fœtibus præsagiunt benigna in horoscopo sydera. Et quid ni bene augurer huic meo fœtui; si illi

Eccl. 43. ℣. 10. beneuolum humanitatis, & patrocinij tui sydus illuxerit? *Species cœli gloria stellarum*. Enituerunt hæc vestra sydera in Ecclesiæ cælo, in quo Summi Pontifices, Eminentissimi Cardinales, virtutum splendoribus coruscarunt; quorum tu decorem æmulatus, decora consequeris; quæ si huic meo operi impartiri dignatus fueris; audebit sub tuo patrocinio lucem sustinere. Poma verò tua mirum in modum studium meum auxerunt; si enim auctore Bernar-

Ber. serm. 2. in fest. SS. Apost. do, *Fructus vitæ sunt verba Dei*; mea interesse credidi, nec tibi ingratum fore: si è sacrarum litterarum pometo *noua & vetera* legens, ea venustissimis, & perennibus pomis tuis adiungerem. Breuis enim ætas, & decidua pulchritudo est pomis, nisi conditis: vt propterea consulto meis hisce à tuo patrocinio condimentum parans, æuum prorogauerim. Sic enim futurum spero, vt quæ Moses Iosepho precatus est consequatur hic liber,

Exod. 4. ℣. 15. *De Pomis fructuum Solis, & Lunæ, & de vertice antiquorum Montium, & de pomis collium æternorum; Benedictio illius, qui apparuit in Rubo veniat super caput Ioseph.* Nihil magis optat hic liber (qui Ioseph, idest augumentum Domini, & Dominicæ gloriæ dici potest) quam benedictionem illius, qui apparuit in rubo, & fuit in ore Moysis. Hanc sperat, vtpote in cuius capite conspicui, & antiqui Montes tui fulgeant, & poma collium. Annue votis meis, Princeps Excell. & tuis auspicijs meis ceptis faue, & felix Diù viue; pro quo Deum enixè oro.

Neapoli IX. Kal. April. MDCXXXII.

BENEVOLO MEO LECTORI.



Romiseram, tibi initio operis, quod in primum Ieremiæ Prophetæ caput annis superioribus emisi, daturū me etiam aliud eiusdem Prophetæ caput Commentarijs auctum. Nunc verò cur illà te pollicitatione fallam, & pro Ieremia Commentarios in Euangelia Quadragesimæ repræsentem causam, in primis mihi docendus es. Vt enim tunc etiam te monui, liber ille auditorum meorum, (quibus eo tempore in Theologiæ, & sacrarum Scripturarum interpretatione præibam) diligentià prodijt. Collatis enim in vnum singulorum qui Scholasticis illis exercitationibus, quas institueram, intererant symbolis; & ab eo, cui hoc demandatum fuerat in vnum redactis, opus illud coaluit; cui extremam manum ego addidi.

Eidem succidaneum aliud caput addidissem, nisi ab eo professionis munere destitissem; sed ea curà interpretandi Superiorum meorum iussu solutus, & ab eà cogitatione auocatus (quamuis varijs alijs negocijs impeditus) cepi tamen in Euangelia Quadragesimæ aliquid meditari, religiosorum maxime hominum hortationibus, quibus liber ille, & modus interpretandi, non omnino improbabatur permotus. Horum ego verbis stimulatus, primum hoc Volumen, tuo vsui concinnatum emitto; quod si tibi gratum fore intellexero, non grauabor tuo studio laborem præterea impendere, & in reliqua Quadragesimæ Euangelia eodem ordine Commentarios dare.

Nunc verò non damnabis, vt puto, hanc operum seriem, vt cum post floridam Ieremiæ virgam, Quadragesimales tibi cineres exhibeam, in hoc etiam ordine humanæ vitæ fluxam lubricitatem ad tuum compendium possis traducere; à floribus enim illis, quos in vigilante Ieremiæ virga contemplatus es, duco te ad cineres, & sanè conueniens erat, vt sicut flores sunt mortalis nostræ caducitatis symbolum; ita hunc mortalitatis cinerem flores illi, vel in typum præcederent, vel præsagium. Vita enim nostra sicut iucundo floret, ita citò deflorescit in cinerem; Estque vt florum, ita æui mortalis, diaria gratia; vt nihil proinde priscis solemnius fuerit, quam vrnas, tumulos, & sepulchra floribus ornare. Memini me in sepulchrali inscriptione legisse; Epigr: Vrb. lib. 3.

Cineres quoq; flore tegantur.

Iure igitur cineres, & sepulchrales istas speculationes, quas in huius libri initio congessi, primo illi in Ieremiam volumini potui subtexere, vtpotè quibus ex amygdalinis floribus sertum illud parauissem. Hæc verò mortis memoria, quæ per cineres ingeritur, adeo mihi efficacia ad Christianam vitam instituendam habere remedia visa est, vt in ea tractatione ob similitudinem Medicos imitari voluerim; Qui perfectam Medecinæ cognitionem partim ex theoriæ notitia, partim ex praxis vsu resultare existimantes, in duas has partes Theoricam, & Practicam artem suam secuerunt. Ego pariter, non solum theoriam huius spiritualis medecinæ, cuius ex mortis meditatione præcepta colliguntur exhibui; sed etiam praxim addidi; per experientiam illorum, quæ cogitationi mortis intentus Dauid consecutus est, vsum præceptorum confirmans, & theorias; quod in ea paraphrasi præstare conatus sum, quà psalmum XXXVIII. explanaui. Cinerum, & mortis considerationem mox alia iuxta Quadragesimalium Euangeliorum ordinem disposita consequuntur; de quibus, nihil est quod hic te moneam.

Potius conducere existimaui, paucis eorum, quæ in hoc opere præstiti ordinem & rationem exponere. Scias itaq. perspicuitatis causa, cuiuslibet Euangelici textus

litteralem

litteralem sensum à me præmissum; tum quia non omnes ad mystica, & spiritualia eniti volunt: tum etiam maximè, vt moralium discursuum mox inædificandorum quædam veluti fundamenta præstruerem. Sensum litteræ, quem vnico capite complector, excipit sensus moralis, pluribus vel paucioribus capitibus, prout res ipsa exigere, vel sacer textus commodè recipere videbatur, digestus. In quorum capitum thematibus explicandis, conatus sum Euangelicam doctrinam, ad morum emendationem, & ornamenta virtutum traducere; & partim sacrarum Scripturarum auctoritates exponens, vel expendens; partim SS. Patrum dictis illustrans à vitijs reuocare fideles, & ad probitatem, & Euangelicæ perfectionis normam informare; quod boni interpretis Euangelici munus esse existimo. Postremo, quoniam Apostolorum exemplo didiceram, & Saluatoris monitis; etiam decidentium ex hac opipara Euangeliorum mensa micarum minutias, vel saginandis auditorum animis satis esse posse; ideo quoddam veluti spicilegium institui, quo reliquias quasdam, vel per incuriam, vel consultò omissas, in vnum veluti manipulum redegi. Nam pleraq. notatũ digna circa sacrum Textum, etiam si integro capiti digerendo non sufficerent, non tamen fuerunt negligenda. Horum igitur Fragmentorum *(sic enim appello) analectes esse volui, ne de diuina mensa quicquam perire sinerem eorum, quæ de meà penù promere possem ad tuam vtilitatem, & vsum. Non tamen hac omnia Patrum dictis firmare, aut cumulatis verbis producere volui; sed veluti in transcursu pleraq; tibi tantum significare curaui, quæ studiosis commentandi occasionem præbere poterunt; vt deinde commode possint, de suo ijs multa addere, & rudem materiam, repolire, atq; in proprios vsus conuertere. Erunt deniq. tibi hæc fragmenta pro nudà tabulà, in quà superinductis colorum tuorum lineamentis vniuersa deinde pictura tibi cedat, ex dispositione* §. si quis. instit. de rer. diuis.

Ex mea penu hos Commentarios depromptos dixi, quæ quamuis exilis his tamen tibi apparandis, Domino cooperante, satis fuit. In quibus si quid fortasse tibi occurret, quod aliunde exceptum videatur, & nuper ab aliquo recentiorum tibi appositum, tamquam repetita crambe offendat; nolim existimes hoc à me consulto factũ; qui, describendis aliorum libris, ad paginas implendas, (nisi cum eorum dicta comprobandæ meæ opinioni inseruire possunt) vacare non possũ. Sed vel meũ gratuleris, cui eadem quæ grauibus doctisq. illis aute me viris, in sacrarum litterarum studio occurrerunt: vel tibi ipsi gaudeas, cuius commodis Deus plures veritatis ministros, benignà dispensatione, voluit deseruire. Vnum enim illud in hac re testari & possum, & volo; præter Sanctos Patres, & antiquos expositores, recentiorum libros mihi non esse ad manus; & præterquam cum eos citare destinaui intactos esse. Quod Religionis meæ Patres, & quicumq. me familiarius vtuntur optimè norunt.

Superest postremo, vt me tibi purgem; & errorum, qui librariorum incuriâ, vel culpà in hoc opus irrepserunt veniã deprecer. Nosti quã indulgenter cum ijs agatur, quos aliena errata reos faciunt: nec ignoras, quam obnoxia lapsui sit ars typographica; cuius difficultates cum priuatim mihi negocium fecerunt; tum etiam perincommode accidit, vt vnà cum publicis calamitatibus sese mihi obiecerint. Nam & chartarum penuria per has contagiosæ luis suspiciones Neapoli laborauimus, & multa inciderunt, propter quæ, cursus imprimendi vel retardaretur, vel intepesceret; redderenturq; typographici operarij non minus feriati à labore; quam segnes, & obliuiosi in emendandis erroribus. Hæc si expertus es, mihi ignosces, sin expers; velim experto credas, & errata benigne excuses; atque ita mihi ad reliqua huius operis maturanda animum addes. Vale.

Admodum Reuerendo Patri

D. STEPHANO MEDICES

PRÆPOSITO GENERALI CLER. REGVL.



Benedictus Mandina Cler. Regul. S.



OBtinueram superioribus annis ab Adm.R.P.Præposito Generali nostro, prædecessore tuo, facultatem, hasce meas in Euangelia lucubrationes euulgandi; quod quoniã varijs occupationibus impeditus hactenùs distuli; nunc cum singularia virtutum merita,& doctrinæ præstantia, hoc tibi Præpositi munus iure detulerint, Adm.R.Pater; mihi conducere iudicaui,si hoc tibi ẽt significarem; qui omnigena eruditione instructus, & acri iudicio, potes optimi censoris partes implere. In te enim ea egregie videmus conspirare, propter quæ delatum honorem principatùs recusauit nescio quis apud Prophetam, imparem se tanto oneri caussatus, dicens: *Non sum Medicus, & in domo mea non est panis: nolite me constituere Principem populi.* Tu verò vtroq; nomine dignissimus es Imperio; Non solum quà Medicus (vtpotè ex nobili Mediolanensium MEDICEA Familia oriundus,)expertus nunc indulgentiæ malagmate venienti morbo occurrere;nunc benignæ admonitionis collyrio saucia salubriter illinire,& si necessitas exigeret, punitionis ferro noxia tempestiuè resecare. Sed etiam,quia illi domui, ac Religioni præes; quæ quamuis ob studium paupertatis, panem corporalẽ non congreget, abundat nihilominus eo, cuius largitor Deus, pauperes eius saturat panibus; eo inquam, pane, quem pro insigni Religio nostra præfert, (de quo scriptum est, *Mittamus lignum in panem eius:*) quæ Crucis angustias vltro amplexa, Crucifixi Saluatoris sequelam magno animo profitetur: vt hinc sustentata dicere possit; *Mihi viuere Christus est*. Huius spiritualis alimenti desiderium omniũ fideliũ animis inserere laboraui in his Commentarijs, in quibus vnicum mihi studium fuit, fugam vitiorum, & virtutum amorem hominibus suadere. An votis meis facta respondeant: tuum, & Lectorum iudicium erit P. Adm. Reu., quem Religionis nostræ bono diutissimè incolumem superesse, vt impensè opto, ita enixe voueo. Vale ex domo nostra D. Pauli die 21. mensis Martij 1632.

Isai.3.℣.
Ierem.11 ℣.19.
Philipp.1 ℣.21.

Librum hunc *Commentariorum in Euangelia Quadragesimæ*, Auctore Adm. R. P. D. Benedicto Mandina Cleric. Reg. diligenter perlegi, & in eo non solum nihil Catholicæ Fidei, bonisq; moribus dissonum, sed inhærentem Sacræ Scripturæ sensum, Sanctorumq; Patrum sententijs refertum inueni, quapropter dignum, qui typis mandetur, existimo.

Fr. Dominicus Grauina Ord. Præd. Sac. Theol. Mag. Cur. Arch. Theol.

Imprimatur. Felix Tamburellus Vic. Gen. Neap.

Ex commissione A.R.P.D. Philippi Mariæ Guadagni, nostræ Congregationis Cler. Reg. Præpositi Gen. *Cōmentaria in Euangelia Quadragesimæ*, à R.P.D. Benedicto Mandina eiusdem nostræ Congreg. Sacerdote, & S.Th. Prof. studio, & oratione elaborata perlegi; & quidquid in hoc opere, plane mirabili, animaduerti, veræ pietati, orthodoxis Patrū sententijs, & Catholicæ Religioni est valdè consonum, & quod mirum sanè est, nullum ferè Scriptorum genus in hisce Commentarijs videtur præteritum. Meritò dignissima existimo, quæ typis mandentur. Neapoli die 27. Mensis Maij 1629.

D. Gregorius Carrafa Clericus Reg. Sac. Theol. professor.

Ex commissione A. R. P. D. Philippi Mariæ Guadagni Præpositi Gen. nostræ Congreg. Cler. Reg. vidi librum cui titulus est *Tomus Primus Commentariorū in Euangelia Quadragesimæ*, Auctore R.P.D. Benedicto Mandina S.Theol. Profess. nihilq; in eo reperi, quod vel moribus dissonum, vel Fidei orthodoxæ sit contrarium. Quinimo in eo omnia sunt tam erudite confirmata, tam distinctè disposita, tam facile explicata, vt omnes S. Scripturæ studiosos iuuare possint, & supra modum conducere Verbi Diuini Prædicatoribus. Dat. in Cœnobio S.Pauli Maioris Neap. die 26. Maij 1629.

D. Iacobus Dentice Clericus Reg. Sac. Theol. Professor.

D. PHILIPPVS MARIA GVADAGNIVS

Congreg. Cleric. Regular. Præpositus Generalis.

Hoc Opus inscriptum *Commentaria in Euangelia Quadragesimæ* à P. D. Benedicto Mandina compositum, & iuxta præfixam assertionem Doctorum Patrum nostrorum, quibus id commisimus approbatum, vt typis mandetur, quoad nos spectat, facultatem concedimus. In quorum fidem has nostras manu propria subscriptas, & nostro Sigillo munitas damus. Romæ in AEdibus nostris S. Siluestri in Monte Quirinali die 9. Iunij 1629.

D. Philippus Maria qui supra.


Loc. ✠ Sig.

D. Bernardus Castagninus Sec.

Imprimatur. Tapia Reg. Lopez Reg. Rouitus Reg.

Prouisum per suam Excellentiam Neap. die 16. Decembris 1631.

Taglíauia.





IN EVANGELIA QVADRAGESIMAE COMMENTARII.

Memento Homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris.

1 

CVM Sancta Mater Ecclesia, toto quadragesimę tempore, id solū intendat, vt enumerando varia & dicta, & gesta Saluatoris, hominem formet christianum, eumq; perfectum; id quoque mihi est in animo, vt sacra Euangelia percurrendo, postquam ipsa iuxta literam breuiter explicauero, ex ipsismet morales, spiritualesq; eruam sensus: quod idem erit, ac scintillas facesq; excutere, quibus corda vel frigidorum accendantur, vel tepidorum incalescant, vel feruidorum magis, ac magis inflammentur, vt nemo sit, qui se abscondat à calore verbi Dei.

2 Aggredior autem à meditatione mortis, tum vt morem geram ritui sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ ante omnia aspergendo cineres, verba hæc inconat: *Memento homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris:* tum etiam quia quisquis facilè ad omnia consilia, & præcepta seruanda; facilè ad cælestia consideranda adhibebit animum, si corporis sui caducitatem, & exiguum in puluerem resolutionem meditabitur. Apponitur ergo mortis meditatio, veluti compendiaria via ad omnia, quæ vel consulit, vel præcipit Deus in hodiernæ Epistolæ, & Euangelij lectione: imò ad omnem acquirendā spiritualis vitæ perfectionem, quæ his præcipuè diebus intenditur. Nam solet Deus, quæ magna in magnis condidit, eadem maxima in minimis efformare, vt ostendat & omnipotentiam in creando, & sapientiam in disponendo. *Mortis memoria compendiaria via ad consilia, & præcepta.*

3 Hinc si vt naturæ auctor mundum hunc creauit, vt rerum inuisibilium nobis esset speculum, & enigma, vtque rerum varietate gloriam suam tam præclarè manifestaret, vt dixit Propheta Psal. 18. ℣. 3. *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum nō audiantur voces eorum.* *Psalm.* idest (vt explicat Eusebius) *οὕτω κεκράγασιν αὐτοῖς ἔργοις αἱ ἡμερῶν καὶ νυκτῶν φωναὶ τοῖς ἐπαΐειν αὐτῶν δυναμένοις ὡς μηδὲ μίαν ἀκοὴν λανθάνειν τὴν διδασκαλίαν αὐτῶν. Adeò ipsis operibus vociferātur illæ dierum, ac noctium voces ijs, qui eas possunt audire, vt eorum doctrina nullas aures lateat.* *Euseb.* Eundem mundum cōpendiosè posuit in corde hominis, & eius cor tanquam microcosmon fabricauit; id quod dixit Ecclesiast. 3. ℣. 10. *Mundum tradidit disputationi eorū:* vbi *Ecclef.*

Cor homi nis mundi compendium.

pro *mundo, essentiam mundi*, habet lectio Syriaca, & pro *disputatione*; in textu græco, & hebræo habetur; *Cor*; ex quo potest hic sensus colligi, quod quę Deus dispergendo contulit rebus vniuersis, ea coadunando posuit in corde humano, vnde mirabilius colligi possit gloria ipsius, quod forsan innuit Dauid Psal. 138. ℣. 5. *Mirabilis facta est sciētia tua ex me.* *Psalm.*

4 Si vt auctor grãæ à principio sæculi naturæ Angelicæ tradidit grãm, diuisitq; singulis Angelis officia, & virtutes ad Ecclesiam gubernandam; si protoplastos iustitia donauit originali; si Ecclesiæ suæ diuisit fluenta gratiæ, & quosdã Apostolos, quosdam Prophetas, quosdam Doctores constituit: eadem multis disposita, ac diuisa, in Beata Virgine humillima recollegit, vt meritò dixerit Arnoldus Carnotensis; *Maria creaturis omnibus constat; quicquid iustus distributor omnibus contulit, Matri adoranda congessit.* Si vt legislator multas leges sãxit, multasq; cæremonias instituit, ita vt dicat Propheta psal. 118. ℣. 96. *Latum mandatum tuum nimis.* quod aliqui apud patrem nostrũ Agellium exponunt; *Lex tua, & mandatum, quamuis finitum sit, tamen scientia cōprehendi non potest, neque enim pertingere quisquam valet ad ea omnia comprehendenda quæ lege conteguntur.* omnia tamen in vnico præcepto charitatis, veluti recapitulauit in lege gratiæ, vt dicit Apostolus Galat. 5. ℣. 14. *Omnis enim lex in vnico sermone impletur; diliges proximum tuum sicut teipsum.*

B. V. Maria Gratiæ compendium.

Arnold. Carnot.

Psalm.

Charitas legis cōpendium.

Ad Gal.

5 Sancta igitur Mater Ecclesia sponsũ suum imitata, quæ continuò nos parturit, & generat in Christo, cùm designat in his diebus salutis, per varios virtutũ gradus, fideles suos cò perducere, vt resuscitati in Christo, iam non sapiant terrena, sed cælestia, cũq; præcipuè in hac prima die quadragesimæ, multa tum in Euangelio proponat apprimè vtilia ad virtutis iter vel aggrediendum, vel prosequendum, dum ante omnia celebri illo ritu aspergendi cineres, mortis memoriam suscitat in nobis consopitam; indicat apertè, quòd ipsius meditatio sit veluti initium, & summa totius operis Christiani, eò quòd thesaurũ eloquiorum, & mandatorum Dei tunc habeamus in vase fictili, cùm nos morituros cogitamus. Quod forsan innuit Dominus Ezechieli, cùm dixit illi 4. ℣. 1. *Tu fili hominis sume tibi laterem, & pones eum contra te, & describes in eo Ciuitatem Ierusalem.* vbi non vacaret à dubio, quomodo Ierusalem, quæ ciuitas erat Regis magni, & metropolis Iudeæ, ac proinde in ea conuentus erat omnium Populorum illuc occurrentiũ, siue ob forenses causas, siue ob alia negotia, quæ princeps erat Prouinciarum; quo conueniebant ad tributa persoluẽda; quæ templum habebat, vbi solum sacrificia offerebantur; vnde ad eam cōfluebant vniuersi ad Dominum adorandum; de cuius denique magnitudine hæc habet Hæcateus Abderita apud Iosephum lib. 4. de bello Iudaico: *Sunt enim Iudæorum multæ munitiones; sed vna est Vrbs valida, patens in circuitu quinquaginta maxima stadia.* Hæc in quam, Ciuitas, non video, quomodo posset in paruo latere describi. Verùm si ad mysterium recurramus, *Ierusalem, visionem pacis* sonat, & *aggregationem multarum virtutum* significat, vt docet S. Gregorius lib. 26. moralium cap. 5. S. Hieronymus in comment. & alij. Nec non etiam militantis Ecclesiæ figura est secundum Apostolum ad Galat. 4. Hæc ergo Ierusalem in paruo *latere*, seu in *laterculo* (vt vertit Symmachus) describitur, quia omnis virtutum multitudo in mortis meditatione cōtinetur: & quicquid in sancta Ecclesia multis præceptis, consilijsq. inhibetur, totum mortis meditatione cōprehenditur: *later* enim cùm ex terra fiat, & quolibet accidenti facilè dissoluatur, nostram caducitatem designat; vnde S. Gregorius homilia 12. *Sume tibi laterem, &c.* quasi dicat, *Cognosce quid sis, & si super te eleuatus, diuina secreta cōspicis.* & Nyssenus apud Anton. *quemadmodum lateres ex luto*, pri-

Mortis memoria summa totius operis Christiani.

Ezech.

Hecateus Abderit.

S. Grego. S. Hier.

Ad Gal.

Virtutes omnes ex mortis memoria.

S. Greg. PP.

Nyssen.

Primam originē ducunt, sic ex gleba terræ homines. Sic itaq; in paruo hoc puluere, qui fidelium capitibus hodie superponitur, quasi *in laterculo* omnis virtutū series, consiliorū, ac præceptorum diuinorum multitudo, & perfectionis Christianæ altitudo compendiosè sita est; præcipuè verò, quæ in Epistola, & Euangelio huius diei continentur, eo, inquam modo, quo scriptor quidam, vt tradit Plinius lib. 7. cap. 21 totam Homeri Illiadem in nucis coclea restrinxit & Brissallensis (vt auctor est Cardanus lib. de elem.) in quàm parua annuli circumferentia, horologium efformauit, & (vt refert Galenus de vsu partiū lib. 10) lapidarius quidam in exigua gemma, totam Phetontis quadrigam distinctè conclusit: Ideo inde exordiendum *Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris* antequam ad Euangeliorum explanationem deueniamus.

Plin.

Cardan.

Galenus.

CAPVT I.

Mortis memoria ad pœnitentiam excitat peccatorum.

1 
Oncionatorum voces, licet semper, hoc præsertim quadragesimæ tempore, ad peccatorum conuersionem dirigendas, satis colligitur ex Ioelis Prophetæ verbis in hodiernę Missæ lectione Ioelis 2. ℣. 12. *Conuertimini ad me in toto corde vestro &c.* vt sic Dei iram, & flagella valeant effugere; satis autem congruè fit, dum mortis memoriam, sacros cineres capitibus fidelium imponendo, sancta adhibet Ecclesia. Quapropter Euangelicum Cōcionatorem, & Ecclesiæ Ministrum aptè comparari posse existimo animali cuidam, quod Fulica; seu Erodius dicitur; de quo scribit Plinius lib. 18. cap. 35. quod etsi in aquis frequenter degat; futuram tamen procellam, tempestatemq; non aduertit, nisi in terra positum; tunc verò clamore maximo, ac stridore illam imminentem Nautis prænuntiat; qui sic præmoniti, velas colligunt, portumq; petunt, in quo ab aeris, marisq; iniurijs se defendant. Hac prorsus similitudine id, quod intendimus, expressit Regius Vates inquiēs Ps. 103. ℣. 18. *Erodij domus dux est eorum*, videlicet, Hominum dux, institutor, & rector *est Erodius*. An non Erodij more sancta, piaq; mater Ecclesia diuinam indignationem veluti procellosum mare fidelibus denuntiat; vt debitam peccatis effugiant vltionem? Audi S. Hieronymum in commentarijs in Ioelem, super hodiernæ lectionis verba: *Canite tuba in Sion &c. Prædicatores*, inquit, *& Prophetas hortatur sermo diuinus, vt prædicent pœnitentiā, antequam veniat hostilis gladius*. Verùm non in aquis voluptatum, & delitiarum, sed in terra, hoc est in mortis meditatione positus diuinam aduertit, & prænuntiat Dei minister imminentem indignationem, vt salutis portum quæramus per pœnitentiam, ideo: *Memento homo, quia puluis es &c.*

Ioel.

Concionator Erodio similis.

Plinius.

Psalm.

Mortis memoria Dei aduertit, & diuertit indignationem.

2 Concinnè nimis propterea hæc duo hodie nectuntur, *conuertimini ad me &c.* & *memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris*. Consilium enim est D. Chrysost. hom. de fide, & Spiritu sancto: *Vt emendationi adsit locus, & ne in vltimum locum reseruetur correctio, quàm primum nobis præponendus est finis, qui initium solet esse pœnitentiæ, & virtutis*. Et D. August. in serm. 16. de Verb. Domini ait: *qui vicinam sibi, & instantem contemplātur mortem, pœnitētiam minimè differunt*. Et Idiota vir sanctus lib. 5. de cōtempl. mortis. *O misericordissime Domine Iesu*, inquit, *scio, quòd mortem naturalem nō possum euadere, cuius memoriā, & si quandoq; habeam in mente, & me moriturum veraciter credam; quia tamen eam tanquam fatuus, imò tanquam demens, quasi procul considero: vitam meam miseram emendare negligo, & conuersionem meā differo, ac in voluptatibus, & delectationibus corporalibus, peccatisq; varijs, &*

S. Chryst. Ex mortis memoria initiū pœnitētiæ.

S. Augu.

Idiota.

Dilatat cōuersionem, qui mortem non recogitat.

diuersis tempus meum miserabiliter expendo, & consumo; vix de anima mea, ac tuo beneplacito aliquãtulum cogitãdo, Mortis ergo adhibenda est memoria; hæc enim potens est, Dei adiuuante gratia, homines à peccato retrahere, & ad Deum conuertere: iure propterea cum pœnitentiæ prædicatione mortis memoriam nectit Ecclesia, *Conuertimini ad me in toto corde vestro* &c. & *Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Vnde benè in hodierna sacrorũ cinerum benedictione, his vtitur verbis sancta Ecclesia. *Capitibus seruorum tuorum, horum cinerum aspersione attactis, effunde propitius gratiam tuæ benedictionis, vt eos spiritu compũctionis repleas &c.*

3 Hinc mira profectò quadraginta dierum quadragesimalis pœnitentiæ cum mortis memoria coniunctio: neque enim ea vacant mysterio: per quadraginta nãq; dies defunctorum memoria antiquitus celebrabatur, vt habetur Genes. 50. ℣. 2.3. *Præcepitq; Ioseph seruis suis medicis, vt aromatibus condirent Patrem: quibus iussa explentibus, transierunt quadraginta dies; iste quippe mos erat cadauerum conditorum.* Quem locum exponens S. August. ait. *Quadraginta dies sepulturæ quos memorat Scriptura, fortè pęnitentiam significant qua sepeliuntur peccata,* idest remittuntur *non enim frustrà quadraginta dies ieiuniorum sunt constituti.* Et iure quidem pœnitentiæ tempora per sepulturę dies præsignantur, vt inde maximam illorum inter se coniunctionem agnoscas, ita ut sepulturæ, mortisq; considerationi arctissimo nexu pęnitentia copuletur: nullum enim ad culparum pœnitentiam assumendam opportunius excogitari potest remedium, quàm frequens mortis meditatio, ideo rite nectuntur: *memento homo* &c. & *conuertimini ad me &c.*

Mortuorũ memoria 40. diebus celebrabatur.

Genes.

S. Aug.

Pœnitentiæ tẽpora p dies sepulturæ figurata.

4 Docetur hoc expresse psal. 89. ℣. 3. orat Dauid Dominum: *ne auertas hominem in humilitatem,* idest, vt exponit Vgo Card. *auerti non permittas à te hominem in vilificationem peccati*; seu ne homo peccet, iuxta illud Ierem. 2. ℣. 36. *quàm vilis facta es nimis iterans vias tuas:* idest peccata tua. Namque peccatum vilem reddit peccatorem. *Et dixisti,* idest, inquit Vgo, *respondisti tu Deus, conuertimini filij hominum.* Exaudierat Dominus orationem Dauid, ne peccatis peccata adderent homines, imò ad pœnitentiam de admissis hortatur: *dixisti conuertimini &c.* Videns autem ipse Dominus, quã difficilè sit humanæ fragilitati à peccati cœno exurgere, præstat, & apponit continuò medicinam, mortis scilicet memoriam: ideo subdit: *quoniam mille anni ante oculos tuos, tãquam dies externa, quæ præterijt*; veluti caulalem (fragilitati nostræ se aptans) pro remedio ad pœnitentiã, ponit breuitatem vitæ, quam varijs similitudinibus explicat; vt faciliùs capiatur, quod difficile captu est, & si certissimum sit: Adducit autem similitudines, dicens: *Et custodia in nocte:* Vgo: *tamquam custodia, idest tugurium, q citò deficit, scilicet vmbraculũ custodũ* Is. 1. ℣. 8 *derelinquetur sicut vmbraculũ in vinea, et sicut tuguriũ in cucumerario.* Rursus aliã addit similitudinem. *mane sicut herba transeat, mane floreat, & transeat, vespere decidat induret, & arescat &c.* quę omnia eò tendunt, inquit Vgo, vt ex breuitate vitæ ante oculos appositæ excitetur peccator ad pœnitentiam.

Psal.

Vgo Car.

Ierem.

Isai.

5 Adducam hoc loco, quod tradit Manut. lib. 5. Apophteg. ex Plut. *proditum est,* inquit, *priscorum fabulis, Palladem ad sepulchrũ tibia canentem, offensam vultus deformitate, proiectam comminuisse tibiam.* fabulosum est, quod dicitur, verissimum tamen est, quod intẽdimus, nimirum sepulchro proximos, idest mortem meditantes, seq; breui in puluerẽ resoluendos, facile intueri peccati enormitatem, animæq; deformitatem, aspectumq; turpissimum; quò fit vt omnia, quæ delectant, procul proijciantur. Ier. 2. ℣. 22. *si laueris te nitro, & multiplicaueris herbã Borith, maculata es in iniquitate tua coram me,* sermo est Dei ad peccatorem sua scelera nõ agno-

Manu. ex Plutar.

Mortis memoria deformitatẽ ostendit peccati.

Ierem.

scentem

ſcentem, hinc dicit: *maculata es in iniquitate tua coram me*, non coram te: vnde ſubdit: *quomodo dicis non ſum polluta? poſt Baalim non ambulaui?* mundum, & abſque peccati macula exiſtimabat ſe peccator: quam cæcitatem vt dimitteret, & vt ait S. Hieronym. *clauſos oculos aperiat denegantis, ut cernat quod erubeſcit aſpicere.* ſubdit; *vide vias tuas in conualle, ſcito quid feceris.* Septuag. vertunt: *vide vias tuas in ſepulchro, ſcito quid feceris.* & eſt ſenſus: cùm te mundam adeo exiſtimes, vt impolluta, & immaculata tibi videaris; oculis tamẽ meis adeo fœda ſis, vt nec nitro, nec herba Borith purgari ſordes, & turpitudines tuæ valeant: quæſo: vide, & condera teipſam in ſepulchro, te moriturã, & in ſepulchro breui collocandam cõſidera, tunc qualis ſis apparebis: *ſcito quid feceris:* quod ideo dicit Deus, ait S. Chryſoſt. homil. 14. in epiſt. ad Rom. *non vt illam in deſperationem agat, ſed vt ad pœnitentiam excitet.* & Theodor. *ſuadet ſinceram pœnitentiam, & auerſionem à nequitia.*

S. Hier. S. Chryſt Theodor.

6 Diuina propterea diſpẽſatione prouiſum puto, vt ſtatim poſt lapsũ, ad mortis memoriã recurrat peccator, eo modo quo Solinus de Elephante ait, quod venenoſam herbam ſe comediſſe aduertens, naturali inſtictu pro remedio herbam quamdam perquirit, quæ *Cinara* dicitur; eò quòd cinericium habet colorem, vel quia cinere ſtercorata mirabiliter creſcit, & graſſatur, vimq; maximam habet ad obſiſtendũ veneno. quiſnam ambigit peccatum venenum eſſe? Prouer. 23. ℣. 32. *Sicut regulus venena diffundet.* Deuter. 32. ℣. 32. *venenum aſpidum inſanabile.* & pſal. 13. ℣. 3. *venenum aſpidum ſub labijs eorum.* quid ergo remanet niſi, vt non ad *cinaram* herbam, ſed ad cinerem ipſum, & mortis memoriã recurrat peccator, vt mortiferum curet venenum? *memento homo, quia cinis es &c* quod præſtitit Dauit, qui homicidij, adulterij, & ſuperbiæ peccati admiſſi memor, cinerem comedendum aſſumpſit, pſal. 101. ℣. 9. *cinerẽ tamquam panem manducabam.* Nonne primis parentibus noſtris cibum vetitũ, mortiferum quidem à ſerpente porrectum, per quem, vt ait Apoſtolus Rom. 5. ℣. 12. *in omnes homines mors pertrãſijt*, deguſtantibus; ſtatim in remedium hæc mortis memoria à Deo adhibita eſt: tunc enim primum dicta, & audita fuerunt verba hæc Gen. 3. 20. *puluis es, & in puluerem reuerteris.* Nihilominus ſubdit ſtatim tex. *& vocauit Adam nomen Vxoris ſuæ, Heua, eò quòd mater eſſet cunctorum viuentium*, fortaſſis non dum plenè, & benè nouerat Adam humanæ vitæ finem futurum, vel quia ſibi ſoli dictum putaret, *puluis es, & in puluerem reuerteris.* & non Heuæ, quæ nõ de terra ſumpta fuerat, ſed de coſta Adæ, cui dictum fuerat; *donec reuertaris in terrã, de qua ſumptus es.* tũc Deus ſtatim aliud adinuenit, & adhibuit remedium. cũ enim poſt peccatũ agnoſcentes ſe nudos eſſe, ex folijs ficus ſibi aptaſſent integumentum, abſtulit illud Deus, *fecitque*, vt ait Scriptura, *Adæ, & vxori eius*, non *Adæ* tantũ, *ſed & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos:* idque vt docent Gloſſa, Interlinearis, & Lyranus, vt mortales ſe eſſe agnoſcerẽt. (vnde apud veteres mortis hieroglyphicum fuiſſe pellem, teſtis eſt Pierius lib. 34. tit. de pelle) ſicq; ſuam agnoſcentes mortalitatem, de commiſſo dolerẽt peccato, & ad pœnitentiam conuerterentur: peccantes enim tunc viridantibus induuntur folijs, cùm diuturniorem ſibi vitam pollicentur: mortis vero memoria efficit, vt ad Deum ſtatim redeãt per pœnitentiam: vnde magnus Greg. lib. 24 moral. cap. 27. *in peccato*, inquit, *quis poſitus, mortalitatis ſuæ obliuiſcitur, & terram ſe eſſe non meminit: poſt conuerſionis ſuæ gratiam humilitatis ſpiritu tangitur, & ſe puluerem eſſe recordatur.* Ideoq; Iob ſuæ breuitatem vitæ reminiſcens, pœnitentiæ, fletusq; tempus ſibi à Domino concedi deprecabatur, dicens: *Nunquid non paucitas dierum meorum finietur breui?* ecce vitæ finem conſiderat, ſed quid inde deducat, at-

Solin. Elephans cinara herba purgat venenum. *Prouerb. Deuter. Pſalm.* *Mortis memoria cõtra peccati venenum.* *Pſalm.* *Ad Rom.* *Geneſ.* *Gloſ. Interl. Lyr* *Pierius Pellis mortis hieroglyphicum* *Greg. Papa.* *Iob.*

tende, *Dimitte me ergo, vt plangam paululum dolorem meum*: consequens ergo est, illatiua vi, ac veluti necessaria, vt meorum peccatorum per pęnitentiam, veniam exposcam: postquam dierum meorum paucitatem aduerti.

Plutarc. 7 Si Plutarcho credendum est, verum est, quod Athenis euenisse commemorat; nimirum omnes simul Virgines illius ciuitatis ad stultitiam, & amentiā deuenisse: rei nouitate, & portento permoti Ciues, de remedio erat consultatio, quod omnibus haud facile videbatur. Philosophus quidam, quo spiritu ductus nescio, dixisse fertur, omnes amentes virgines illas faciliter curandas, si ad eum locum ducerentur, vbi mortuorum corpora sepeliebantur; & ita prorsus, vt sapiens dixerat, experimento probatum est. peccator quilibet stultus est, Deut. 32. ℣. 6. *Popule stulte & insipiens.* Iob. 5 ℣. 3. *Vidi stultum firma radice &c.* Ierem. 10. ℣. 14. *stultus factus est omnis homo &c.* hic si ad sepulchra ducetur mortuorū, idest si mortem meditabitur, sapientissimus euadet. historiam habemus Matt. 25. decem ibi enumerantur virgines; quinque prudētes, idest iustæ, & quinque fatuæ, idest peccatrices; subdit: *media nocte clamor factus est. ecce sponsus venit &c.* quibus verbis omnibus virginibus, prudentibus scilicet, & fatuis propinquam mortem annuntiat; vt notant S. Greg. Papa, Orig. & alij, quo facto virgines, quæ fatuæ vsque tùm extiterāt, prudentes statim audito mortis nuntio euaserunt: nam & oleum à sapientibus expetiuerunt, & non accepto perrexerunt emere, licet regredientes clausam ianuam inuenerint. Ita Chrysost. & Orig. ideo volens Deus peccatorem stultum ad peccata cognoscenda, atque adeo ad pœnitentiam reuerti, ad sepulchra ducit hodie: *memento homo, quia cinis es &c. conuertimini ad me &c.*

[De]uter. Iob. [Ie]rem.

Mortis [m]emoria [st]ultitiam [sa]nat. [M]atth.

[G]re. PP. [O]rigen.

[Ch]rysost. [Or]igen.

8 Efficax adeo est mortis memoria ad excitandam pęnitentiam, & ad præseruandam animam, eamq; immaculatā conseruandam à peccati macula, vt dixerit S. August. in lib. exhor. *Nihil sic reuocat à peccato, quàm frequens mortis meditatio.* Et in eadem est sententia S. Hieron. qui exponens verba illa Isa. 58. ℣. 7. *& carnem tuam ne dispexeris*, ad rem nostram sic exponit: *proximum in necessitate qualibet recognosce similem tibi: considerans te mortalem, & passibilem:* vnde Iob 5. *visitans speciem tuam non peccabis.* Hæc Hieronymus. ex qua sētētia obiter colligitur mortis memoriā, charitatē in nobis excitare, ad subueniendum proximis in eorum necessitatibus, ideo ait: *proximum in necessitate qualibet &c.* quomodo autē id opere adimpleri possit, subdit: *considerans te mortalem, & passibilem &c.* quænā autem bona ad animæ salutem, ex eo quòd *te mortalem consideras*, euentura sint, subdit ea statim Isai. ℣. 8. *tunc erumpet quasi mane lumen tuum*, idest, vt cōmentatur idem Hieron. *sicut matutina lux soluit tenebras, ita lumen veritatis fugat errores.* est autem *veritatis lumen* mortis certitudo, *errores* autem, quos fugat, peccata sunt; vnde Lyranus: *oriente tibi sole iustitiæ per gratiam.* quod ex sequentibus confirmat Propheta: *& sanitas tua citius orietur*; idest, vt inquit Interlinear. *remissio omnium peccatorum.* & Lyra. *ab infirmitate culpæ.* Gloriæ æternitatem pollicetur. *& anteibit faciem tuam iustitia tua*; idest, vt ait S. Hieron. *Iustitia Christus, qui omnes iustificat, anteibit ad gloriam: vnde, vado parare vobis locum Ioa. 14.* Et ideo ad hunc sensum subdit Proph. *& gloria Domini colliget te.* idest, inquit S. Hierony. *suscipiet ad se, qui dixit: vbi ego sum, illic & minister meus erit Ioa. 12.* Tandem concludit Proph. *tunc inuocabis & Dominus exaudiet. tunc*, inquam, quando *te mortalem consideras.* inquit Lyran. *Hic concluditur remedium uerū quantum ad orationem: clamabis & dicet. ecce adsum*, idest, *per exauditionis effectum*, exponit Lyran. valde enim, vt alibi diximus procliuis est Dominus ad exaudiendas eorū orationes, qui mortem meditantur.

S. Augu.

S. Hier. Isai.

Iob.

Mortem cōsiderās, fit misericors erga proximos

Lyranus.

Mortis memoria remittit peccata. Interlin. Dat Gloriæ æternitatem.

Mortem meditans, à Deo exauditur.

Quid sit speciem visitare.

9 Sed non absque ponderatione relinquendus est S. Hierony. exponens locum adductum Iob. ***visitans speciem tuam nõ peccabis***. qui per *speciem* (vt iā diximus) carnem nostram mortalem intelligit. Et S. August. confirmat dùm legit: ***tu verò scito temetipsum***. Nomine *Visitationis*, S.Greg. PP. humanitatis, & vrbanitatis morem eū intelligit, qui apud amicos est, & propinquos seipsos in domibus visitādi, & ad eos freq̄uēter diuertendi, sicque erit sensus, ***debere nos Carnem nostram non despicere***, idest, ***mortalitatem nostram visitare***, idest cogitare, mente tractare, & nō tamquam alienam, & à familiaritate seiunctam, incognitamq; relinquere: imò potius sæpissimè illam visitare, & cum ea domestica habere colloquia; nimirū de ijs, quæ ad statum attinent, de vitæ breuitate, de origine eius ex puluere, & resolutione per mortem in illam; de infirmitatibus, & de ijs, quæ quotidiè mortem annuntiant, & his similibus; quæ si ritè agantur, & ***speciem hanc tuam visitaueris***, vtiq; ***non peccabis***. Porrò ***visitandi*** verbum, quandoq; ***videre*** importat, seù ***considerare***, quod qui circa suā mortalem carnem fecerit, frequenter se moriturum considerans, ***non peccabit***. Vocat autem carnem nostrā, & corpus, ex quo constamus, ***speciem***, quasi speciositatem, & pulchritudinem, quia omnis hominis, & feminarum, ad corporis speciositatem excolendam, est cura.

S. Augu. — *S. Greg. PP.*

Cant. cāt. — *Flores, mortis omen.* — *Pierius.* — *Psalm.* — *Iob.*

10 Hoc est quod non obscurè Cāt. 2. ℣. 12. innuit sponsus: ***flores***, inquit, ***apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit***. Nulli dubium, ***flores***, imbecillitatis humanæ, vitæq; citò transeuntis, esse hieroglyphicum, teste Pierio lib. 55. vnde est illud *Psalmi* 89. ℣. 6. ***Mane sicut herba transeat: mane floreat, & transeat; vespere decidat, induret, & arescat***. Iob etiam hominis vitam statim floris instar marcescere dixit 14. ℣. 1. ***Homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miserijs, qui quasi flos egreditur, & conteritur &c.*** Iam vero per ***tempus putationis***, tempus mortis designari, vel ex eo patet, quòd vita nostra, q̄ vitis est, iuxta Oseæ vaticiniū 1. ℣. 1. ***Vitis frondosa Israel***; in mortis articulo veluti putationi subiacet, dum corpus ab anima separatur: & sicut palmites, qui è vite præciduntur, vegetatiua priuantur vita, & intereunt; ipsa vite viua permanente; sic dum corpus ab anima separatur, corpus ipsum præcisum deficit, vitaq; orbatur, anima ipsa immortali, sempiternaq; vita superuiuente; sponsus ergo ad sponsā inquiens: ***Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit***, ei nō longe abesse mortis tempus prædicit: ideoque ***surge***, ait, scilicet à cœno peccatorum, ***propera*** ad pœnitentiam, ***tempus .n. putationis aduenit***, mortis nāq; hora prope est: ***& veni*** ad me scilicet, vt pœnitentiæ fructus, æterna gaudia recipias. His dictis statim sequitur spōsus: ***Vox turturis audita est in terra nostra, ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem suum***: quid enim reliquum erat mortis imminentis accepto nuntio, nisi vt ***vox***, erumperet ***turturis***, vox, inquam, fletus, & planctus, ***& ficus proferret grossos suos?*** Idest vt S. Amb. os. ser. 6. in psal. 118. ℣. 3. & Epiphan. lib. 2. cont. hæres. cap. 59. exposuere, fructus pœnitentiæ, bonorumq; operum, non sicut sterilis illa, atque infructuosa ficulnea, quam meritò maledixit Dominus, eò quòd nullum in ea reperit fructum. Idem confirmāt sequentia verba, ***vineæ florentes dederūt odorem suum***: vbi per ***vineam*** animam intelligi voluerunt plurimi Expositores: iuxta illud Isai. 5. ℣. 7. ***Vinea Domini exercituum domus Israel est***: sensus ergo verborum spōsi est, quòd ad mortis memoriam anima non solum fructus dignos pœnitentiæ protulit: verùm etiā cæteris ipso bonorum operum odore, exemplo extitit, iuxta illud Pauli 2. Corinth. 2. ℣. 15. ***Christi bonus odor sumus Deo in omni loco***.

Tempus putationis, est tempus mortis. — *Oseæ.* — *S. Amb. S. Epiph.* — *Ad Cor.*

11 Porrò mortis memoria hominem ad pœnitentiam disponi, ac peccata fugari, eleganti sanè figura exprimi-

tur 4.Reg.23.℣.14.vbi Rex Iosias postquam Idolorum statuas euertit, eorũq; altaria destruxit, ne iterum ea ædificandi populo præberetur occasio. *Repleuit loca eorum ossibus mortuorum*. Idem præstare hodie videtur Ecclesia: Idolorum namque altare esse cor peccatoris non immeritò dici potest, in quo tot eriguntur Idola, quot sunt prauæ affectiones, quibus agitur, vanaq; huius sæculi obiecta, per quæ vagatur, quibusq; à Deo recedens, adhæret: vnde S.Hieronym. inquit: *quod vnusquisque cupit, ac veneratur, hoc illi Deus est*, Altare, ergo cordis, *mortuorum ossibus replet* Ecclesia, dum ad mortis meditationem hortatur, & cinerem capiti nostro imponit, vt cordis altari sic cinere expleto, nullus Idolis, hoc est peccatis remaneat locus: imò hac cogitatione purgatum cor, dignum sancti Spiritus Altare reputabitur.

Mortis memoria Idola a corde pellit.

S.Hier.

12 Impœnitentium corda lapidibus, saxisq; durissimis cõparat S. Greg. PP. inquiens: *Infidelium Iudæorum corda Deum esse minimè cognoscunt; & duriora saxis scindi ad pœnitentiam nolunt*: & apud Ezech. 14.℣.19. legitur, *Auferã cor lapideum de carne eorũ &c.* eademq; similitudo passim frequens, & vsitata est in S.Scriptura, vt notissimum est. Atqui quo pacto fieri potest, vt per pœnitentiam scindatur, illudque adimpleatur, quod hodie per Prophetam præcipitur: *scindite corda vestra*? Scimus quidem humana arte, atque industria modum adinuentum fuisse, quo saxa, quamuis durissima, etsi multo labore, scindantur tamen, idq; fit ferri ministerio, aqua, & terra. Sanè Dei eloquia, vocesq; Concionatorum acutissimi, validissimiq; ferri vices gerunt; ad Hebr. 4.℣.12. *Viuus namque est sermo Dei, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionẽ animæ, & spiritus*: Ideo dicitur hodie in Epistola: *canite tuba in Syon, cõuocate cœtum &c.* idest, prædicate, quod est ferrum ad scindendum accomodare. Et si lacrymarum aquam addamus: *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, fletu, & planctu*. Et ad hæc terram, hoc est mortis adijcias memoriam, quæ nobis hodie præsto est Ecclesiæ ministerio: *memento homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris*; absque dubio cor nostrum scindetur ad pœnitentiam.

S. Grego. PP.

Ezech.

Ad Heb.

Prædicatione mortis memoria, & lacrymis cor scinditur.

13 Hoc obseruare est in Pharaone, cor vel saxis ipsis durius habente, de quo pluries in Exodo dicitur: *Induratum est cor Pharaonis*: cùm enim tot, tantaq; per manus Moysis, & Aarõ formidanda nimis vidisset prodigia, atq; portenta, nũquã tamen cor eius potuit emolliri, & inclinari ad Dei populum dimittendum; ita vt durissimum, ac penè inexcauabile saxum videretur? At quod tribulationum gladius non potuit facere, puluis, hoc est, mortis memoria effecit: cùm enim Deus per Angelos, omnes primogenitos Aegyptiorum interfecisset, mortis consideratio protinus emolluit cor eius, & populum dimisit ad sacrificandum. *Factum est autem*, inquit Scriptura Exod. 12.℣.26. *noctis medio percussit Dominus*, scilicet morte, *omne primogenitum in terra Aegypti à primogenito Pharaonis, qui in solio eius sedebat &c.* hora eadem surrexit Pharao, Moysen aduocauit, populumque dimisit ad sacrificandum: *surrexitq; Pharao, & omnes serui eius &c. vocatisq; Pharao Moyse, & Aaron nocte, ait, surgite, & egredimini à populo meo vos, & filij Israel, ite, immolate Domino, sicut dicitis*: sicq; factum est, vt induratum lapideũ cor Pharaonis, quod tot portenta non emollierant, mortui filij confregit præsentia; vnde aiebat Campensis, *Qui videt mortuum alium, non potest non aliquo modo eius animus commoueri*: quo enim pacto fieri potest, vt quis mortuum videns, eumq; audiens mutis, vt sic dicam, Ecclesiastici vocibus, cap. 38.℣.23. eloquentem, *Memor esto iudicij mei; sic enim erit & tuum, mihi heri, & tibi hodie*; statim in se reuersus, non festinet suorum criminum sordes, pœnitentia expiare?

Exod.

Exod.

Cãpensis.

Eccl.

Peccatores cur in pace dies ducant. Psal.

14 Hinc iure optimo miratur Dauid Psal. 72. ℣. 3. dicens: *Zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns*; idest, vt multi exponunt; obstupui videns impios in pace, lætosq. suos dies agere, de emendatione vitæ non cogitantes. Sed quæso, quænam extitit huius rei causa? *Quia* (subdit) *non est respectus morti eorum*: seù vt alij vertunt, *Quia non turbantur propter diem mortis*: ratio cur peccatores *pacem* habent, idest vitam tranquillā ducunt, ac in Dei seruitio, & animæ custodia non laborant, sed potiùs ad omnia huius mundi gaudia possidenda parati sunt, ea est, *Quia non cogitant de morte*, ideò neque *propter diē mortis turbantur*.

Peccatoribus mortis memoria, frænū

15 Quod intelligens versipellis inimicus hanc tamquam validissimum frænum ab ore cordis auferre molitur, vt ad vitia omnia prolabamur, quod in nostris protoplastis clarissimè patet. Dominus etenim posuit eos in medio Paradisi, quem plantauerat ab initio, omnibus delitijs refertum, deditque eis potestatem, vt ex omni ligno Paradisi comederent, vno excepto. At vt horum præceptorum veri essent obseruatores, mortem pro pœna illis minatus est: Gen. 2. ℣. 17. *ex omni ligno Paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas, In quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris*. Cur? est ne Deus indigens pœnarum, quas infligat? est ne eius sapientia coarctata, vt nequeat frænum aliud inuestigare, quo seruare debeant hoc præceptum protoplasti? minimè quidem, sed Deus sapiētia sua infinita optimè nouit, quòd si illi hanc memoriam mortis custodissent, custodissent quoque præcepta omnia, & è contra, si non seruassent, etiam legem vniuersam paruipendissēt. Euentus id probauit; nam Gen. 3. vbi Diabolus hāc memoriam ab Eua remouit, omnem legem quoque obliterauit: ℣. 1. *Sed & serpens erat calidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus, qui dixit ad mulierem, cur præcepit vobis* Deus, *vt non comederetis de omni ligno Paradisi? cui respōdit mulier. De fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso vescimur, de fructu verò ligni, quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur*. vbi duo sunt obseruāda (præter ea, quæ hoc loco obseruarunt alij) vnum ex parte mulieris, aliud ex parte serpentis: Ex parte mulieris est obseruandum, quòd cùm posset multa obijcere diabolo, quibus eius ignita iacula persuasionum posset extinguere, nempè iussionem Dei, periculum ammittendi, & sibi, & posteris omnibus iustitiā originalem, nec nō fructus cęteros, quibus posset optimè vesci, aliud tn̄ nō obiecit, nisi memoriam mortis, vt facilè indicaret nobis, quòd hæc esset mediū quo omnia mandata facile retineri possint, ne à memoria fluant. Deinde diabolus potuisset multa dicere Euæ, vt ad mandatorum Domini induceret prçuaricationem, quæ enim ars poterat, vel esse illi ignota, qui callidus est inimicus? vel non parata, qui multas artes habet nocendi? tamen nil aliud dixit, nisi: *Nequaquam moriemini*, vt insinuaret, quòd vbi memoriam mortis ab eius mente ablegasset, facilè vniuersa lex penitus abijceretur: quod benè considerauit. D. Basil. Seleuc. oratione 3. dicens: *Furtim demit mortis terrorem, vt legis nutrimenta depradetur*. Viderat enim diabolus, quòd incassum irent eius fraudes, & quòd non poterat ab illa legem auferre, quæ eam custodiebat mortis meditatione, & ideò *Furtim demit* eam, vt posset omnia bona deprædari. Sed absque ponderatione minimè transeat, quod à S. Basilio dicitur. *Vt legis nutrimenta depradetur*. Quibus verbis ostendit mortis memoriam esse *legis* diuinæ *nutrimentum*, seù alimentum, vel nutritionem; ex qua sicut vita cuiusque viuentis simpliciter pendet, ita ex mortis meditatione, legis diuinæ obseruatio, & permanentia; quæ si aboleatur, tota lex pereat necesse est, idcirco satis aptè, mortis memoria, legis apellatur *nutrimentum*.

Genes. *Gen.* *S. Basil. Seleu.* *Mortis memoria legis diuinæ nutrimentum*

Psal. 16 Quod disertis verbis Regius Vates Psal. 118. ℣. 109. docuit, inquiẽs: *Anima mea in manibus meis semper, & legem tuam non sum oblitus*. Arnobius putat locum istum: ita fore intelligendum, vt idem sit habere *Animam in manibus*, ac animæ exitum è corpore, seù mortem meditari, secundum illud Eccl. 7. ℣. 40. *Si recorderis nouissima tua, in æternum non peccabis; ita esse*, inquit Arnobius, *Animam suam dùm in manibus suis habet, semper eam exituram considerans, legem Dei non obliuiscitur, etiamsi peccatores, vt mox subditur, laqueos ei ponant*. Sicut etiam est illud Senecæ epist. 51. vbi loquens de fortuna, quæ mundi oblectamenta, aperta manu sibi porrigebat, *ego*, inquit, *illam feram?* nõ suppetit animus ad sufferentiam, & ad habendum cum fortuna negotium: quare? *cùm in manu*, inquit, *mors sit*; est igitur sẽsus Dauid, quia *Anima mea in manibus meis est*, ac domo corporis exeuntem illam velut in ostio contemplor; ideò *non sum oblitus legem tuam*; imò toto conatu prosequor, & amplector. Necnon *peccatores posuerunt laqueum mihi*. Diabolus ad capiendam animam posuit laqueum diuitiarum, vt ait Vgo Card. 1. ad Tim. 6. *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli*, laqueum voluptatũ: Eccl. 3. *inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueum venatorum est, & sagena cor eius*. Laqueum superbiæ, & ambitionis psal. 139. *Absconderunt superbi laqueum mihi (Saul, Semei, & Absalon ad necẽ intestinis odijs me persecuti sũt, & cùm potuissem, à cede eorũ abstinui,)* vt inquit Apollin. quod totum inde mihi adfuisse cognosco, quia *Anima mea in manibus meis semper*, quia, inquam, tua gratia sic donante, iugis adest mihi mortis memoria. *His cogitationibus intentum*, subdit Seneca, *Loca seria, sanctaq. eligere oportet:* Mundo eisque omnibus, quæ sunt in mundo cedat, & ad Deum pergat, opus omninò est. Neque pauci sunt quos mortis memoria, Religionibus, desertis, sanctitatique parit, æquè ac mundo producit vita. Sicut de multis legimus, ac videmus, qui mortis meditatione detenti, detineri minimè à mundo potuerunt, sed cinerem se esse recordati, vale mundo dixerunt. Hinc S. Bonauent. ser. de Animabus. *Recordemur*, inquit, *in contemptum mundi, transitum miserabilem*.

[Margin: Arnob. — Eccl. — Legẽ Dei non obliuiscitur, qui mortis retinet memoria. Seneca. — Vgo Car. Laquea Diaboli à nus non capit memoria mortis. Eccl. — Psal. — Apollin. — S. Bonau.]

17 Vnde præmonet Ecclesiastes 7 ℣. 3. dicens: *Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat, quid futurum sit*, Quem locum sic transtulit Chaldęus Interpres: *Qui iuerit ad domum luctus vir iustus, sedebit, & ponet in corde suo loquelas mortis: & si est in eo quidquã mali deponet illud, & conuertet ad pœnitentiam*. Clariùs profectò dici non poterat id, quod intendimus. Sed circa hæc verba illud animaduersione dignum est, quod in domo luctus, in qua finis cunctorum admonetur hominum; non solum peccator, qui saltem pœnarum metu, diem mortis timet, ad pœnitentiam conuertitur; sed & *Vir iustus*, in cuius ore vix dolus inuentus est. *Sedebit, & ponet in corde suo loquelas mortis*; Hoc est, tàm diuturna, attentaque meditatione, loquelas mortis recolet, vt non quasi obiter, & transeunter, vt dicitur, vel stans meditetur, sed *sedebit*, firmiter. Et verba, quæ audierit, non vbicunque, sed vt rem pretiosissimam, & quæ tuto in loco seruari debeat, *in corde ponet*, quod *si quidquã mali*, quantũuis minimum, in suo corde repererit, non otio torpebit, non diù emendationem differet, sed *statim deponet illud, et conuertet se ad pœnitentiam*.

[Margin: Eccl. — Chald. — Iustus ex mortis memoria quid nam emolumẽtum percipiat.]

18 Idem etiam comprobatur verbis illis Psalmi 21. ℣. 30. *In conspectu eius cadent omnes, qui descendunt in terram, & anima mea illi viuet*; vbi iuxta Symmachi interpretationem, legitur: *In conspectu eius genuflectent omnes descendentes in cinerem:* qui enim ad mortis terram, & cinerem cogitatione descendunt, statim *genuflectunt*, Deum orant supplices, suorum peccatorum pœnitẽ-

[Margin: Psal. — Symmac. Mortis memoria orare docet.]

tiam

tiam agentes, eorumque remissionem toto corde exposcentes. Quod autem Propheta subdit: *Et anima mea illi viuet*; manifestè indicat ex mortis meditatione, animam, quæ iam in peccatis, & per peccata mortua erat, ad pœnitentiã adduci, ac viuificari, ita vt viuat vita gratiæ in hoc mundo, & vita gloriæ in cælo. Et huc fortasse respexit S. Greg. PP. lib. 12. moral. cum dixit: *Perfecta vita est mortis meditatio quam dùm iusti sollicitè peragunt, culparum laqueos euadunt*. Et sanè rationi consentaneum erat, vt quemadmodum. *Per peccatum mors intrauit in mundum*; Ità, vt inquit, S. August. de peccato, quod est mors animæ, mortis meditatio triumpharet, & mortis memoria peccatum eliminaret. Sicque mors peccato rependeret vices.

S. Greg. PP.

19 Optimus etiam pro hac re locus est in Psal. 89. ℣. 12. *Quis nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Et sensus est, vt notat P. Agell. noster, & alij. Quis exprimere, aut excogitare poterit, quæ & qualis sit ira in sumendo vindictam de peccatoribus, vt sic tandem resipiscãt? Et statim optimum ad id assequendum adducens medium, subdit; *Dexteram tuam sic notam fac, & eruditos corde in sapientia*. Quo in loco. Hieronymi versio habet, *Vt numerentur dies nostri, sic ostēde*, Sed Alij apud Agell. magis ad rem; *Vt numeremus dies nostros, sic scire fac nos*. Quorum verborum hic est sensus, vt ex hebræo colligitur: Rectè, ac benè (hoc. n. importat ly, *sic*) doce nos numerum dierum nostrorum, ne fortè fallamur, & diuturniores, quã sunt putemus; tu enim solus es Doctor, ac Magister, qui hoc præstare vales, non mundus, neque homines, qui longiores putant, quam sunt; sic enim facientes, *& eruditos corde in sapientia*. Idest, inducemus in cor nostrum sapientiam, (atq; *erimus eruditi corde in sapientia*, Qui antea maxima detinebamur ignauia,) sapientiam, inquam, quæ est timor Domini, incipiemusque, vt dicitur prouer. 1. ℣. 7. *Timor Domini principium sapientiæ, sapientiam, atque doctrinam stulti despiciunt*. Incipiemus cor nostrũ emundare; sicque mores, & vitam nostrã componemus, vt iram tuam effugiamus.

Psal.

Agell.

S. Hier.

Mortis memoria [illegible] sapientiam, & eruditionem.

20 Atque hoc est, quod sponsam alloquens sponsus, dicebat Cant. 1. ℣. 7 *Pasce hædos tuos iuxta tabernacula Pastorum*. Quæ scriptura, vt intelligatur, nota, quod hoc loco per, *hædos*, corporis sensus, & effrænati carnis appetitus significantur, iuxta, S. Bernardum, serm. 38 in Cant. Per *Tabernacula*, autem, *mortem*, in sacris litteris designari, satis indicant verba illa B. Petri Apostoli 2. epist. cap. 1. ℣ 34. *Velox est depositio Tabernaculi mei*, idest *corporis*, quasi dicat: imminet finis vitæ meæ; & meritò sanè: sicut enim *Tabernaculum*, habitationis est locus de facili mobilis; sic & *hominem*, ait Seneca epist. 120. *in hoc natum, vt vita defungatur, nec domum esse hoc corpus, sed hospitium, & quidem breue, quod relinquendum est*. Ex his sensus verborum sponsi, hic esse potest: Quoties, ò sponsa, carnis, sensuumque tumulis ageris, ac concupiscentiæ flãmis exureris: *Tabernacula* adeas; mortem meditare, te corporis sarcinam, quam primum depositura᷉n cogita: *puluis enim es, & in puluerem reuerteris*, sic carnis illecebras superabis, sic concupiscentiæ, peccatorumque flammas extingues. Disertis verbis hoc docuit S. Basilius in exam. cong. 11. inquiens, *Si cogitaueris, quod dissoluendus sis in terram, cessabit insana concupiscentia, terra es, & in terram abibis recordare, quod in breui salientia illa, & inflammata membra, aut ipsa, quæ tunc est carnis concupiscentia, non erit in membris dissolutis, aut in terram redactis: memor esto, quæ sis natura, & irritabitur omnis ad malum impetus: ista recordatio nobis ad quoduis peccatum cautio sit & custodia*.

Cant.

S. Bern.

B. Petri epistola.

Senec. [illegible] tabernaculum, & hospitium.

S. Basil.

21 Imò nedum mortis meditatione peccatum; sed peccati regnum, & regẽ, destrui atque extingui docuit Apost. ad Rom. 6. ℣. 11. *existimate*, inquit, *vos quidem mortuos esse peccato*. Seù mort;

Ad Rom.

Genes. fuisse damnatos ob peccata, iuxta illud Genes. 2 ℣. 17. *De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas; in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Sed quid ex hac consideratione, & existimatione? *Non ergo regnet peccatũ in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius:* per rectam consequentiam infert Apostolus *Ergo,* idest, quia vos veluti mortuos existimatis, & vestram mortem meditamini propter originale peccatum, per quod mors intrauit in mundum. *Ergo non regnet peccatum in vestro mortali corpore:* suo dominio, & imperio priuetur peccatũ, atque ab animæ sede propellatur. Hunc sensum latè prosequitur Origenes in epist. ad Rom. lib. 5. cap. 6. ex quo, vt breuitati consulam, pauca transcribam. *Non sine causa* inquit, *hoc dixit, existimate vos mortuos esse peccato: quod melius quidem in Græco habet: cogitate vos mortuos esse peccato: res enim, de qua sermo est, in ratione magis, ac cogitatione subsistit: quia huiusmodi mors non in effectu, sed in cogitatione habenda est: qui enim cogitat apud semetipsum esse se moriturum, non peccat.* Id ipsum signanter adnotauit ibidem Apostolus, dùm dixit; *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Nõ in vestro,* inquit, *corpore,* sed addidit, *mortali corpore,* ideò *mortali* addidit, vt mortis memoria, & mortalitatis consideratione ob oculos posita, facilis esset expulsio peccati. Audi eundem Origenem in hæc verba: *Requiro,* inquit, *cur addiderit in corpore vestro mortali, cum vtique sufficeisset dicere: Non ergo regnet peccatum in corpore vestro: cur igitur additur mortali? quasi dubitaret aliquis, corpus esse mortale? Sed mihi videtur, quòd nõ sine causa etiam hoc addiderit: admonuit enim per hoc, quòd possit in corpore non regnare peccatum, secundum quod alibi ipse dixerat. Corpus quidem mortuum propter peccatum: si ergo sciamus, quia corpus nostrum mori potest, fieri potest, vt non regnet in eo peccatum.*

Mortis meditatio regnum peccati destruit. Origen.

22 Sed ad pleniorem verborum Apostoli intelligentiam, illud hoc loco obiter adnotandum duxi, quòd nõ dixit Apostolus *non sit,* sed *non regnet peccatum in vestro mortali corpore;* quia vt notauit S. Gregorius 14. moral. cap. 9 nemo absque peccato esse potest: cauendum tamen est, ne *regnet,* sedemque sui ibi figat imperij, & diù dominetur: *non dixit* (verba sunt D. Gregorij) *non sit sed non regnet, quia non esse non potest; regnare autem in cordibus bonorum non potest.* Regnat ergo, & imperio nimis tyrannico, in peccatorem, & in ipsius corpus dominatur peccatum; quomodo autem regnet in corpore, exposuit Paulus, cùm subiunxit. *Vt obediatis concupiscentijs eius.* Docens per hæc, vt loco nuper citato dixit Origenes, *Sedem quandam regnum peccati habere in corpore,* scilicet per obedientiam, & consẽsum. Et iterum, quid sit peccatum regnare in corpore explicauit Apostolus, subdens: *Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato sed exhibete vos Deo tamquam ex mortuis viuentes & membra vestra arma iustitiæ Deo:* In quæ verba Origenes. *Bene,* inquit, *metaphoram superius propositam custodiuit, vt quia regnare dixerat peccatum, arma peccati membra nominaret; & rursum Deo Regi arma iustitiæ fierent membra vestra.* Sunt enim membra nostra arma, quia illis, vel sub iustitiæ, vel sub peccati vexillis militamus: quare qui membris suis ad peccatum abutitur, subditum se peccati cõfitetur: si quidem arma sumit pro sui Principis, hoc est peccati, cui seruit, defensione: nam vt dicitur Ioan. 8. ℣. 34 *qui facit peccatum seruus est peccati.* Quod si vlteriùs quæras, cur peccatoris membra arma iniquitatis appellet Apostolus. Respondet Origenes. *Sicut manus sanctæ dicuntur, quæ operibus sanctis ministrauerint, vt Apostolus 1. Timot. 2. ℣. 8. dicit, leuantes puras manus sine ira & disceptatione; vt rursum manus dicitur plenæ sanguine quæ ad effundendum ministrauerint: ita etiam in præsenti loco membra, quæ peccato deseruiunt, &*

S.Greg. pp.

Quid sit peccatum regnare in corpore.

Orig.

Ioan.

iniquitati, arma iniquitatis appellantur. Milites autem huiusmodi arma tractātes, concupiscentiæ carnis sunt; ideò ijs non parendum dixit Apostolus, ne peccato subijciamur, suumque regnū in nobis figat peccatum. *Non regnet ergo peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius.* Porrò omnes carnis concupiscentias enumerat Apostolus ad Galatas scribens cap. 5. ℣ 19. *Manifesta,* inquit, *sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, Idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ contētiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, secta, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia.* Has verò veluti ordinatam aciem, & instructum militum cuneum membra nostra, iniquitatis arma, tractare, vt nos peccati regno subijciant, & præclarè loco citato docuit Origenes: vbi postquam prædicta opera carnis ab Apostolo enumerata recensuit; post pauca subiunxit. *Omnia namque illa, quæ superius opera esse carnis enumerauimus, veluti exercitus quidam damnatus est, sub hoc Rege peccati militans, & legi eius parens, quæ in membris carnis inscripta est.* Idem docuit Petrus Apostolus dicens epist. 1. cap. 2. *Obsecro vos tamquam aduenas, & peregrinos abstinere a carnalibus desiderijs quæ militant aduersus animam.*

Peccati milites enumerātur.

Atqui hunc peccati, & diaboli exercitum, regnumque assidua mortis meditatione destrui (vt tandem eò, vnde discessimus, reuertamur) & patet ex dictis, & eiusdem Origenis auctoritate roboratur, inquientis. *Si in ipsam mortē intentis oculis mentis aspiciatur nulla concupiscentia nulla libido, nullus furor, nulla superare posset inuidia, sed continuò ad eius presentiam, totus ille, quem supra enumerauimus peccati, & carnis fugatur exercitus.* Id ipsum non obscurè indicant citata D. Petri verba. *Obsecro vos tanquam aduenas, & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desiderijs quæ militant aduersus animam.* Sēsus enim esse potest: si velitis à carnis concupiscentijs abstinere, earumque instructum exercitum dimicantem aduersus animam expugnare; recogitate vos non esse ciues in hoc mundo, *Sed vt aduenas, & peregrinos,* breui inde per mortem egressuros, vt festinetis ad patriam ingredi: mortis namque meditatio regnum peccati destruit. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius.*

Mortis meditatione peccati, & diaboli destruitur exercitus. Origen.

23 Hinc mirum non est, si mortis meditationem summopere timeat diabolus, illamque ab humanis mentibus omni studio conetur expellere, vt probatur Habacuc. 3. ℣. 5. iis verbis: *Ante faciem eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius.* Loquitur Propheta de Arca Dei, vt teste Patre nostro Agellio, interpretantur Hebræi; ante cuius faciem mors ire dicitur, quia vbicunque Arca Dei morabatur, nimia fiebat interfectio populorum; vt videre est, primo Reg. 5. & 6. Sed ad quid *Egredietur diabolus āte pedes eius,* scilicet Arcæ? Aliqui existimant ad deprædandas animas eorum, qui moriebantur, vnde alij, vt notat idem Agellius pro *diabolus* transtulerunt *orneon*, idest *Vultur*; animal cadaueribus accurrens ad prædandum, ac deuorandum, quod nomen aptissimè diabolo tribui potest, qui sēper morientibus præstò est, vt illorum animas deprædetur, ac deuoret. Origenes in Num. ca. 23. homilia 16. per hæc verba: *Egredietur diabolus ante pedes eius,* denotari voluit diabolum traxisse Arcā, quando imposita fuit super duas illas Vaccas, vt dicitur primo Reg. 6. ℣. 7. *Quis ergo in his,* inquit ipse, *si diligenter inspiciens, præsentiam hanc; quæ de boū directione prædicta est, vel fortuitam dicat, vel aliqua arte compositam, & non operatione quadam dæmonum ministratam?* Sed cur hoc fecit dœmon? fortè quia ad Arcæ præsentiam dœmonum cultus destruebatur, eorum simulacris corruentibus; ideòque dœmon ipse Arcam cum Bobus traxit, vt citiùs ex ijs finibus egrederetur? Ita placuit Origeni; cuius verba hæc sunt. *Quia cultus ipse dæmonum destruebatur, vt pote si-*

Habacuc.

Agell.

Diabolus vt vultur ad prædā animarū.

Origen.

mulacris eorum, templisq; ad ingressum Arcæ Domini *corruentibus*. Sed aliam ego inuenio rationem, cur nimirũ diabolus Arcam à finibus illis diuerterit. *fiebat*, inquit Scriptura 1. Reg. 5. ℣. 12. *pauor mortis in singulis vrbibus, & ascendebat vlulatus vniuscuiusq; Ciuitatis in cælum*. Ex timore quippe imminentis mortis perterriti omnes; (quam plurimi enim ad præsentiam Arcæ Domini moriebantur) scelerum pertesi, vota, atque orationes ad cęlum porrigebant, *& ascendebat vlulatus vniuscuiusque* Ciuitatis *in cælum*; corde quidem compũcti, & ad Deum conuersi supplices orabant, ideò *diabolus ante pedes eius*, (idest Arcæ) *egreditur*, ne vltra progrederetur ad mortis timorem incutiendum, quo populi conuertebantur.

1. Reg.

24 Et sanè mirum videri non debet, si mortis consideratio tantæ sit virtutis ad culpas extirpandas, nosque ad pœnitentiam reuocãdum; quandoquidem ad nosipsos, nostraq; peccata cognoscendum oculos aperit: hæc autem *cognitio peccati*, inquit Seneca epistola 20. *initium est salutis*, vt de Magdal. dicitur Luc. 21. *vt cognouit, &c.* Salomon quoque Prouerb. 19. ℣. 2. dixit, *vbi non est scientia animæ, non est bonum*; quid enim boni in eo esse poterit, cui proprij status deest cognitio? D. Ambros. lib. de Isaac, & Anima, cap. 4. à suijpsius cognitione incipere docuit pœnitentiam: S. Anselm. super epist. ad Rom. *cognitio infelicitatis*, ait, *est summus ad felicitatẽ accessus*, & S. Greg. PP. inquit, *quantò quis minus se videt, tanto minus sibi displicet: & quantò maioris gratiæ lumen percipit, tantò amplius reprehensibilem se esse cognoscit*. Quoniam verò *difficile est*, iuxta Demetrij Phalerei sententiam, *in voluptatibus seipsum agnoscere*, propterea mortis recogitationem, ad hanc etiam in nobis excitandam cognitionẽ, quæ præcipuum est conuersionis nostrę fundamentum, hoc primo pœnitentiæ die proponit Ecclesia. Enim verò sicut præcepit Deus Moysi, vt in ostio templi faceret labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum Exod. 38. ℣. 8. *fecit, & labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi*. ad hoc, vt templum ingredientes seipsos inspicerent, & quales essent, agnoscerent, haud dissimili profectò intentione, dum cœtus hominum, & fideles hodie vocantur ad Ecclesiam Ioel. 2. ℣. 15. *Vocate cœtum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate paruulos, &c.* In primò ingressu, mortis meditationem statim obijciunt ipsius Ecclesiæ ministri, in qua, veluti in lucido, mundoque speculo, se ex vili plasmatos luto, inspicientes, humanæq; naturæ cognoscentes imbecillitatem, ad pœnitentiam conuertantur.

Senec.

Prouer.

S. Ambr.

S. Anscl.

Mortis memoria speculum animæ.

Exod.

Ioel.

25 Et hac quidem ratione, Dominus per Prophetam, peccatores in suorum criminum cognitionem inducere conatur, Ierem. 2. ℣. 23. ijs verbis. *Quomodo dicis non sum polluta, post Baalim non ambulaui? vide vias tuas in cõualle, & scito, quid feceris*. Hebræorum populum hic Dominus sub vineæ metaphora alloquitur qui licet Idolatriæ, aliorumque peccatorum sordibus conspurcatus; ab illis tamen se penitus immunem dijudicans, aiebat, *Non sum polluta post Baalim non ambulaui*. Vt autem aliquod eis præberet remedium ad seipsos, suaque peccata dignoscendum dixit; *vide vias tuas in conualle, scito quid feceris*. vbi Septuaginta ἴδε τὰς ὁδοὺς σου ἐν τῷ πολυανδρίῳ, hoc est, *vide vias tuas in sepulchro multitudinis* seu in loco, vbi multorum mortuorum cadauera sepeliuntur (hoc namque significare πολυανδρίῳ supra diximus cũ Chrysostomo) *& scito quid feceris*. Et sensus est: licet multorum peccatorum maculis sordescas, tamen videris tibi mundus esse, idcòque dicis. *Non sum polluta, post Baalim non ambulaui*. Vt ergo, *scias quid feceris*, quæ comiseris peccata, *vide vias tuas in sepulchro*, sicq. omnia per hoc speculum palam fient.

Ierem.

Mortis memoria peccata facit dignoscere.

26 Hac fortasse sui ipsius cognitione aliquando caruit Sponsa illa, de

qua

Cant. qua sermo habetur in libro Cant. cap. primo ℣. 3. ad quam cognitionem volens illam Sponsus excitare, non alio vtitur medio, nisi mortis meditatione, inquiens: *Si ignoras te ò pulcherrima mulierum, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum:* quo in loco per *vestigia*, iuxtà Septuaginta translationem, *vestigium*, & *calcaneum* significatur; vnde & alij vertunt *Egredere tu in calcaneis gregum*. Per *calcaneum* autem tempus mortis significari, conueniunt Expositores communiter, in illud Psal. 55. ℣. 7. *Ipsi calcaneũ meũ obseruabunt*. sicut enim calcaneus extrema est hominis pars; ità & mors est vltimus vitæ terminus: *Egredi*, ergo, *in calcaneis eorum*, qui nos præcedunt, est contemplari vltimum finem aliorum, qui nos præcesserunt. Ad Sponsam igitur Sponsus ait; *si ignoras te*, idest, si tu in ignoratione detineris, teque cupis agnoscere, *egredere in calcaneis gregũ*, vltimum aliorum, qui te præcesserunt, finem contemplare, sic namque, & te ipsam agnosces, teque in sepulchro videbis, & scies quantum profeceris, vel quantum à profectu distes. Hoc ipsum significant sequentia verba. *Et pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum*. Eniumerò per *Tabernaculum*, etiam mortem significari, supra diximus ex D. Petri sententia, *velox est depositio tabernaculi mei*, idest, *corporis* huius, & vitæ instat finis. Docetur ergo Sponsa, dum seipsam ignorat, si velit sui cognitionem attingere, vt adeat tabernacula pastorũ, idest mortem meditetur aliorum, qui Pastores, Reges, ac Primates in hoc mundo extitere.

Sept.

Psal.

Mortem meditãs, animæ statum cognoscit.

27 Atque ex his omnibus, quæ hactenus diximus, difficile non erit causam inuestigare, cur adeò multi inueniantur ità in peccatis obstinati, vt penè desperata eorum pænitentia videatur. Si enim tantæ virtutis est mortis meditatio ad pænitentiam excitandam, concludendum absque vlla hæsitatione est, inde multorum obstinationem prouenire, quia non cogitant de morte, ideòque ad noua semper vitia dilabuntur. De peccatore sub nomine insipiẽtis, ac stulti, hæc habet Salomon, Ecc. 10 ℣. 12. *labia insipientis præcipitabunt eũ; initium verborum eius stultitia, & nouissima oris illius error pessimus, stultus verba multiplicat*. Ex quibus peruersa colligitur peccatoris conditio, quæ in ore ipso, & lingua cernitur, eo modo, quo Medici malignitatem febris ex linguæ nigredine, & ariditate cognoscunt: tales sunt, qui proximi denigrant famam, ardent inuidia, & veluti aridi ad quælibet bona de Deo, & proximo eloquẽda præpediti sunt: qui verò huiusmodi sunt, vtique sic effecti sunt, quia de morte non cogitant: subdit enim Ecclesiastes: *Ignorat homo quid ante se fuerit, & quid post se futurum sit*. Seù clarius, iuxta translationem Campens. *Dùm non cognoscit homo, quid futurum sit, vt fiat in diebus suis, & quid futurũ sit in fine eius:* dùm hæc homo non recogitat, quid sit in diebus suis, & quid futurũ sit: *quia cinis est, & in cinerem reuertetur:* ad scelera omnia promptus efficitur, & pęnitentiam negligit, illam ad finem vitæ differens: sed profectò fallitur, subdit enim, *& nouissima eius error pessimus*; nam iustissimo Dei iudicio: *dignus non est*, inquit S. Augustinus serm. 36. *in morte accipere solatia, qui se non cogitat moriturum*. De ijs loquitur hic August. qui pęnitentiam ad vitæ finem differunt; aitque eos, quia viuentes de morte non cogitarũt, neque in morte, permittente Deo, pęnitentiam acturos: nec solatia illa, quibus agonizãtes consueuit Deus reficere, internas scilicet visitationes, in mortis doloribus, cõsolationes, ac refrigeria in illis angustijs habituros, quæ oĩa prodiga manu mortem meditãtibus impertitur misericors Dominus.

Eccle.

Obstinatus pec tor ex quia d morte cogitat.

Campen.

S. Aug.

Solat. denegatur in morte m mortem non med tanti.

28 Iugi ergo mortis meditatione peccata diluuntur, vnde S. Iob. 2. ℣. 8. *Testa saniem radebat*. In quæ verba D. Greg. lib. 3 moral. cap. 3. *Vnde testa,*

Iob.
S. Greg.

nisi

nisi ex luto conficitur? quid verò est sanies corporis, nisi lutum? Saniem ergo radere testa perhibetur, ac si apertè diceretur lutum tergebat luto: pensabat quippe vir sanctus, vnde sumptum fuerat quod gestabat, & fragmento vasis fictilis, confractum vas fictile radebat. Et post pauca: *Testa ergo radebat saniem, vt semetipsum in fragmento considerans, vt de extersione vulneris sumeret curam mentis*. Sed quid exulceratus Iob, nisi peccatorem designat? de quo dicitur Psal. 37. ℣. 6. *putruerunt, & corruptæ sũt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ?* testam ergo sumat, & vt Gregorius dicit, *semetipsum in fragmento consideret*, sicque *sumet curam mentis*. Consideret quidem homo in fragmento testæ semetipsum, quia se testeum, ac luteum vas considerans, vilis, atque abiectæ humanæ naturæ conditionem agnoscet, quod fusè supra probatum est, ex mortis scilicet meditatione, sui psius cognitionem oriri.

29 Hinc omnium mortalium lapsus ad culpam, & pœnitentiæ dilatio, quòd se homines mortales, & in puluerem redigendos non recogitant, oculos ad vitam, quam longissimam sibi ad futuram arbitrantur, non ad instantem mortem conuersos habent. Vide Euam in statu Innocentiæ donis à Deo quamplurimis naturalibus, & supernaturalibus cumulatam, in Paradiso deliciarum, delicijs affluentem, vbi perpetua erat vita, vitam inibi perdidisse, & gratiam. Cũ diabolo sub Serpentis effigie habet consuetudinẽ Genes. 3. ℣. 1. *sed & Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus, qui dixit ad mulierem, &c.* Adã quoq; Deũ ibi audit iratum, minantem vlciscentem ℣. 16. *vocem tuam audiui in paradiso, & timui*. Tandem de Paradiso eiecti sunt Genes. 2. ℣. 9. *& emisit eum Dominus de Paradiso:* Intuere è conuerso Mariam Magdalenam, non in statu innocentiæ, sed vt dicitur Lucæ 7. ℣. 37. *quæ fuerat in Ciuitate peccatrix*, non in Paradiso, sed in horto, vbi Christus Dominus fuerat consepultus, non quidem credentem sed de fide resurrectionis Christi dubiã, ibique vitam, fidem recepisse, & gratiã, Angelos, non diabolum, vt Eua intuetur & alloquitur Matth. 28. ℣. 5. *Respondẽs autem Angelus dixit mulieribus, nolite timere vos &c.* Deum videt, audit, & alloquitur, non iratum, nec minantem, non vindicem, vt Adam ℣. 9. *Et ecce Iesus occurrit illis, dicens, Auete, nolite timere*, cur hoc inquam? quia Adam, & Eua ibi erant, vbi perpetuam adfuturã sibi putabant vitam, Genes. 2. ℣. 9. *nequaquàm moriemini, lignum enim vitæ erat in medio Paradisi*, de quo vtique accepissent, vt viuerent, si inde eiecti nõ fuissent: *ne fortè sumat de ligno vitæ, & viuat in æternum*; igitur mortem non timebant, nec de morte cogitabant. Maria verò ibi erat, vbi mortem non vitam meditabatur, mortuumque exquirebat. Audi, quàm lepidè, vt assolet, hoc dixerit S. Chrysolog. serm. 74. in illa verba Matth. 26. *venit Maria Magdalene, & altera Maria videre Sepulchrum*, vt inquit, *quam deceperat arboris visus, visus repararet Sepulchri, & quam prostrauerat illecebrosus aspectus, aspectus salutaris attolleret*. Sicque, vt diximus, fidem, & æternam vitam, quam in vitæ loco, vbi nullum mortis apparebat vestigium, mulier prima amiserat: vbi solius mortis extabant insignia, altera mulier inueniret. Vnde addit ibidem Chrysolog. *quæ de Paradiso perfidiam sumpserat, festinat fidem sumere de Sepulchro, contendit rapere de morte vitam, quæ de vita rapuerat mortem*, & benè ait Chrysolog. *contendit rapere de morte vitam*, idest vitam gratiæ, & gloriæ, quam amiserat in vitæ loco, ex ipso mortis loco, & Sepulchro, mortem recolens, sumpsit, *quæ de vita rapuerat mortem*. credens enim se non moriturum, imò perpetuò vixurum, & corporis, & animæ mortẽ incurrit. Recedit Maria de horto, vbi Christi erat Sepulchrum, non ad pœnã, & contumeliam, sicut Adam, & Eua de Paradiso eiecti, sed ad gloriam videlicet constitutæ, quasi Apostolę Apostolorum

Margin notes (left): ...rtis ...eria ...ẽ pec... ...rum ...it. — ...al. 37. — ...iuendi ...itatio ... spes, ...æ mala ...riat. — ...nes. — ...c.

Margin notes (right): Matth. — Genes. — Chrysol.

Matth. rum, Matt. 28. ℣. 11. *& citò euntes dicite discipulis eius q. a resurrexit, &c. et exierunt citò de monumento, currentes nuntiare discipulis eius.*

30 Hinc factum, vt si quem viderit Deus veluti effrænatum equum, atque indomitum in peccandi cursu properãtem, si misericorditer iuxta diuinã pietatem cum illo agere velit, mortis obijcit memoriã, vt à via deuiet peccatorũ. Oseg. Sic dilucidè traditur Oseę. 5. ℣. 11. *Calumniam patiens est Ephraim, fractus iudicio:* loquitur de vltione, quã populus à Rege Salmanasar, iusto Dei iudicio, sustinebat, redditque iustæ vindictæ diuinæ, causam: *quoniam cœpit abire post sordes,* idest post peccata, quæ perpetrãdo, se maculauerat: volens autem Deus populo mederi, & à peccati cæno illum retrahere, inquit: *Et ego quasi tinea Ephraim & quasi putredo domui Iuda,* Theoph. quæ verba expendens Theophylact. Genes. 9. *quando,* inquit, *peccantes fortunati erimus, dicentes pax, atque securitas: Deus secundiorem in iniquitate cursum turbat,* idest vt vulgo dicimus: *il peccare và à seconda:* sumpta similitudine ab aquarum cursu, quæ nullo obsistente in præceps ruunt. Addit Theoph. *vel cogitationes discutit,* idest refellit, & deijcit etiam peccandi desideria, & cogitationes, seù apprehensiones peccatorum; quomodo autem, & quo medio Deus hoc faciat, subdit Theophyl. *inijciens stimulum memoriæ mortis, suppliciorumque post mortem consequentium,* Ergo *per tineam, et putredinem,* quem se immissurum prædicit Deus, *mortis memoriam* intelligit Theophyl. & quidem rationabiliter per tineam & putredinem mortis memoriam intelligit, vnde Iob. 13. ℣. 28. *qui quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimẽtum, quod comeditur à tinea.*

Mortis memoria cursum peccati retardat.

Iob.

31 Non dissimiliter loquitur S. Chrysost. qui ponderans verba illa Genes. 5. ℣. 24. *Et facti sunt omnes dies Enoch trecenti sexaginta quinque anni, ambulauitque cum Deo, & non apparuit: quia tulit eum Deus:* auream, ore aureo dignã profert sententiam, hom. 21. in Genes. *vides,* inquit *sapientiam Domini? viuentẽ transtulit, non immortalitatem largitus est.* Ad tempus enim mortem distulit, moriturus tamen aliquando cùm Deo placuerit, distulit enim non abstulit mortẽ: vt enim ait Seneca de remedijs fortuitorum ad Galionem, loquens de morte: *istud non effugit, etiã qui distulit,* & li. 6. c. 32 naturaliũ quæstionum; *Non de re,* inquit, *sed de tempore est quæstio.* Sed quid magnũ Diuinæ omnipotentiæ fuisset, viro qui adeò ei placuit, immortalitatem elargiri? facile quidem hoc omnipotẽti Deo fuisset. Obstitit tamen diuina sapiẽtia, prouidentia, & misericordia in humanũ genus, ait S. Chrysost. *ne peccandi metum eneruaret: Sed mortis in humanum genus ius reliquit.* Si enim quemquam vidisset homines à Deo, priuilegio hoc insignitum, vt mortis legi non subiaceret, vana spes concepta ab hominibus fuisset, vt & ipsi priuilegio cõsimili donarentur, sicque ad peccandi licentiam facilius declinassent. Imò etsi priuilegium istud non quidem ablationis, sed dilationis mortis Enoch concessit, veluti furtiuè, & in abscõdito fecit, ne mortalibus innotesceret, ideò ait Sacer tex. *& non apparuit, quia tulit illum Deus:* clarè non explicans prærogatiuam supra mortem, Enoch tributam: quam subtilitatem benè aduertit S. Chrysost. subdit namque ibidem. *Propter hoc iterum obscurè (vt ità dicam) & latenter reuocare vult sententiam, quam cõtra Adam protulit, sed manifestum hoc non facit, vt timor illius, v3. mortis, emendationi seruiat.* Minimè enim admissa emendarẽ homines scelera, imò maiora, & peiora committerent, si vel spes perennis, vel diuturnæ esset vitæ.

Chrysost. Genes.

Spes temporalis ... [illegible] ad licentiam.

Mortis timor emendationi seruit.

CAPVT II.

Mortis memoria adiuuat ad peccatorum veniam à Deo impetrandam.

1 
Ortis memoriã efficacissimum esse medium, vt peccatoribus indulgentiam, remissionẽq; tribuat Deus peccatorum, ex eo vel maximè probatum relinquitur, quòd ad pœnitentiam homines inducit, vt diximus capite præcedenti: pœnitentibus verò ex toto corde benignè Deum veniam pręstare, certum, & de fide est. Optimè ergo Sancta Ecclesia postquàm mortis memoriam cum pœnitentia copulauit: *Memento homo quia puluis es &c. & conuertimini ad me in toto corde vestro &c.* Statim Diuinã exhibet benignitatem, ac misericordiam in epistola Ioel. 2. *quia benignus, & misericors est, & multæ misericordiæ, & pręstabilis super malitia*, ideòque peccatorum veniam consequuturos nos promittit, subdens: *Quis scit si cõuertatur et ignoscat Deus, & relinquat post se benedictionem?* quę verba non dubitatiuè, sed affirmatiuè, & certè sumi possunt, sicut certum est, infallibilem habere connexionem, verã pœnitentiam, cum Dei indulgentia; Quòd si dubitatiuè verba hæc enuntientur, non dubium faciunt sensum, sed, vt ait S. Ambrosius lib. 2. de pœnitentia cap. 5. hoc ex Sacræ Scripturæ more factum est, vt oratio maiorem habeat emphasim: potius enim dubitari potest, an exhibitam Dei misericordiam respuat peccator, quam diuina indulgentia eis sit defuturã, qui ad pęnitentiam conuertuntur; namque, vt dicitur in epistola ex Ioele: *multum misericors est, dimittere peccata nostra Deus noster*. Hunc reor ob finem præcipuè (inter cæteros) in ipsa solemni Sacrorum cinerũ benedictione, illis S. Ecclesia vtitur verbis: *vt quicumque eos super se asperserint, pro redemptione peccatorum suorum, corporis sanitatem, & animæ tutelam percipiant* & iterum *Et hos cineres, quos causa preferẽdæ humilitatis, atque promerendæ veniæ, capitibus nostris imponi decernimus, benedicere pro tua pietate dignare, vt qui nos cinerem esse, & ob prauitatis nostræ meritum, in puluerem reuersuros cognoscimus: peccatorum omnium veniam, & præmia pœnitentibus repromissa, misericorditer consequi mereantur &c.*

Ambr.

Sacri cineres, ad veniam impetrandam, fidelium capitibus imponuntur.

2 Hæc Sanctæ Ecclesiæ cæremonia, quæ fideles non aliter, quàm terra, ac cinere cõspersos vult Deo præsentari ad veniam peccatorum consequendam, non omninò absimilis videri debet ei, quem vsu quandòque fuisse, tradit Alex. ab Alex genial. dier. lib. 6. cap. 8. & Diuus Augustinus, Varronis authoritate li 7. ait, Deam Opem, sic dictam (eò quòd opem postulantibus, & misericordiam præstaret) si quando deprecabantur veteres, opemq; precibus efflagitabant, manu terram tangebant; sicque se ipsos terrenos, ac in terram reuersuros veluti mortales fatebantur, vt opem consequerentur, ac postulata sortirentur: sic hodie ad Deum deprecandum, vt *conuertatur & ignoscat, & relinquat post se benedictionem, & dimittat peccata*, terram non solum tangimus, imò terra conspergimur. *Memento homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris*; mortales nos ipsos fatemur, cogitamus, atque conspicimus, vt misericordiam à Deo, remissionemque peccatorum consequamur. Hac orandi cęremonia vsus est Dauid 1. Paralip. 29. ℣. 15 *peregrini sumus coram te, & aduenæ, sicut omnes Patres nostri. Dies nostri quasi vmbra super terram, & nulla est mora*. In quæ verba Theodor. inquit: *sic humanæ naturæ confessus imbecillitatem, petijt, & populo, & Regi pietatis possessionem*, non enim aliter se

Alex. Alex. S. Aug. Varro. Dea Opis, ab ope ferenda, sic dicta. Deã Opẽ terrã tangentes deprecãtur.

Mortem meditantes, impetrant.

Paral p.

Theodor.

impe-

impetraturum postulata arbitratus est.

Baruch. 3 Optimè igitur Baruch. 3 ℣. 13. *& nunc Domine, inquit, Omnipotens, Deus Israel anima in angustijs, & spiritus anxius clamat ad te; audi Domine, & miserere, quia Deus es misericors, & miserere nostri, quia peccauimus ante te.* Deum obsecrat, de peccatis misericordiam attendit, sed non sine terræ contrectatione, hoc est mortis commemoratione, hanc se à Deo potu isse obtinere, optimè iudicauit, immediatè idcirco subdit: *quia tu sedes in sempiternum, & nos peribimus in æuum, audi nunc orationem mortuorum*, sed quorū *mortuorum*? vocat *orationem mortuorum* eam, quæ ex illorum corde oritur, qui se mortales, & in hoc mundo veluti mortuos se existimant. Ecce ergo terram tangit, mortalem sese ostendit, vt petitam indulgentiam consequatur. Enim vero *si mortuos, misericordia, benignum numen sequitur*, vt inquit Timocles Philosophus, mirum profectò videri non debet, si eum, qui in cineris mortisq; meditatione veluti mortuus perseuerat, Dei misericordiam consequatur; imò misericordia ipsum sequatur, iuxta psalmistam psal 22. ℣. 6. *misericordia tua subsequetur me*. Ideòque Propheta postquàm conuersionis in cinerem mentionem fecit; *Conuertimini in cinere, & cilicio*: Diuinam illicò misericordiam repromisit: *quoniam benignus, & misericors est, dimittere peccata nostra*.

Misericordia sequitur mortē meditātē. Timocl. Phil.

Psal.

4 Dionysij Philosophi est sententia: *Homini mortuo vnusquisque, licet admodum inimicus antea fuerit, conciliatur* id quod frequentissimo comprobatur experimento: *Barbaricæ*, quippe *seueritatis est*, inquit Plutarcus, *in prostratos sæuire*. Equis enim in eum sæuiat, qui mortis telo ictus, prosternatusque, ad summam, qua maior excogitari nequit, miseriam deuectus est? Plutarc. in Canonic. est dictum, Canes, qui lepores insequuntur, si contigerit, vt fugientes appræhendant, vi maxima necant, discerpunt, & eorum sanguine se inquinare mirificè gaudent; quòd si iacentem leporem, velut mortuum repererint, omninò non attingunt, sed consistunt, motant caudas, pacati animi signum. per leporem peccatorem denotari ait Isid. super Leuit. & Basil. super Psalmum 14. hom. prima; de quo dicitur Prou. 30. ℣. 26. *Lepusculus plebs inualida*. per canem, Deum significari ex eo vel maximè colligitur, quòd Romani Deorum simulacra caninis pellibus induere consueuerunt, vt refert Pierius lib. 5. Fugiunt peccatores, dum à Deo recedunt per peccatum, iuxta illud Ier 2. ℣. 23. *cursor leuis explicans vias suas*, hos insequitur Deus, vt perimat, Deuter. 32. ℣. 62. *inebriabo sagittas meas sanguine, et gladius meus deuorabit carnes. De cruore occisorum, et de captiuitate nudati inimicorum capitis*, quòd si veluti emortuos, mortuorum cineribus aspersos ante se iacentes viderit: *in cinere ante Dominum*, vt canit hodie Sancta Ecclesia, procul dubio *conuertetur, et ignoscet Deus, et relinquet benedictionem*.

Dionysius Mortuo, et si inimico, parcēdum. Plutar.

Plutar.

5 Hoc est, quod apertè docet Dauid Psal. 102. ℣. 10 *non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundùm iniquitates nostras retribuit nobis*, non exegit Deus vindictam à nobis de peccatis nostris, imò longè à se, & à nobis proiecit scelera nostra: nam *quantū distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras:* Insuper, & amorem Patris erga filios nobiscum ostendit: *quomodo miseretur Pater Filiorum; misertus est Dominus timētibus se*, quòd si tantæ commiserationis, indulgentiæ, ac misericordiæ Dei in peccatores quæras aliquomodo rationem, subdit eam statim Propheta: *quoniam ipse cognouit figmentum nostrum, recordatus est, quoniam puluis sumus: homo sicut fœnum*, aliud non est *figmentum nostrum*, nisi, quod, vt inquit Agell. *de puluere formati, in puluerem sumus reuersuri*: quod clarius exprimitur illis verbis: *recordatus est, quoniam puluis sumus &c.* quæ verba ad nostrum sensum sic commē-

tatur idem Agellius; *hæc omnia sunt, quæ Deum à iusta, seueraque vltione emolliunt, & ad misericordiam respectu nostræ infirmitatis, & humilitatis flectũt: Nam etsi iustitiæ ratio exposcit vltionẽ, tamen imbecillitatis, & miseriæ humanæ æstimatio; misericordiam flagitat.* Congruè ergo Ioel Propheta, post *pœnitentiam in cinere & cilicio*, statim diuinam subinducit clementiam: *quia benignus, & misericors est, dimittere peccata nostra, Deus noster.*

6 Adest rei huius pulcherrimum testimoniũ 2. Reg. 21. ℣. 14. pluribus, ab indignato Deo, immissis ærumnis vexabatur tunc Populus: postmodum placatus factus est Dominus, Populoq; illi misertus est: *& repropitiatus est Deus terræ post hæc.* Theodor. sic exponit, *sumpto, inquit, de eis supplicio, placatus fuit Dominus, & effecit, vt nubes parturientes parerent, & iussit terræ, vt more solito produceret fructus:* sterilitas enim maxima propter siccitatem, vrgebat populum. Cur autem Deus misericordia motus sit ad parcendum Populo, satis obscurè innuit textus, tantũ namque dicit: *repropitiatus est Deus terræ post hæc*; Sed quænam hæc facta repropitiatum reddiderũt Dominum? *Hæc* inquam existimo: Eo tempore, quo fame torquebatur Populus, ob terræ siccitatem, mulier quædam mortuorum quorundam ossa tulit, se cilicio induit, vt iratum Dominum ad veniam excitaret, pluuiamque sic de Cœlo cõsequeretur. *Tollẽs autem*, ait Scriptura, *Respha filia Aia cilicium, substrauit sibi supra petram*, quo loco mortuorum ossa iacebant, *donec stillaret aqua super eos de Cœlo, & non dimisit aues lacerare eos*, scilicet defunctos, *per diem, neq; bestias per noctem*, meam hanc expositionem firmat Bachiarius epist. ad Ianuar. de recipiendis lapsis: *melior*, inquit, *fuit concubina Saulis Respha, quæ corpora defunctorum, quos Dauid pro Gabaonitarum vltione percusserat, eò usque accincta sacco, hoc est cilicio, custodiuit, donec irroraret aqua de Cœlo, idest donec pro venia eorum, misericordia cælestis stilla deflueret.* Et addit Rabban. *pia sollicitudo Sanctorum, talibus modis, adinuentionibus, vt dixi, succurrens, donec misericordiam Dei impetraret de Cœlo.*

7 De Dionysio Siciliæ Tyranno memoriæ proditum est apud Historicos, præcipuè apud Polien. lib. 5. quòd cùm à mercenarijs occidendus impeteretur, miserabili prodijt ipse regumento indutus, comam puluere aspergens, sicque militum potestati suam tradidit vitam. Salutare profectò inuentum: illius enim miseria, quam veste, vultuq. præferebat, statim permoti mercenarij, incolumem ipsum dimiserunt. Eodem nobis vtendum est consilio per Prophetam edoctis. Per peccatum namque Dei hostes facti sumus, vnde Isaias 59. ℣. 2 *Peccata vestra diuiserunt inter vos, & Deum vestrum*: Imò per peccatum, vltionis gladium, Dei manibus tradimus, dicente Scriptura Ezech. 21. ℣. 5. *Eduxi de vagina mea gladium irreuocabilem.* Vt ergo Dei iram, æternamque mortem effugiamus, enitendũ summopere nobis est, vt in eius conspectu nos ipsos offeramus, *immutati habitu in cinere, & cilicio*; pœnitentia videlicet, ac mortis meditatione compositos; sicque haud dubium, quin Dei misericordia nobis ad ignoscendum præstò erit, *immutemur habitu*, inquit, *in cinere, & cilicio ante Dominum: quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus &c.* Et iterum, *quia benignus, & misericors est, & præstabilis super malitia.*

8 Facit ad hoc probandum quàm maximè, quod præcipitur, & in cæremonijs traditur in veteri testamento, in typum, & figuram eorum, quæ in nouo apud nos fideles gerenda forent: dicitur itaque Numer. 19. ℣. 9. *Qui congregat cinerem, lauabit vestimenta sua.* Quo in loco illud statim dubitationem non leuem facere videtur, cur hic Deus vestes tantùm lauari iusserit ei, cuius munus est cineres congregare, disponere, attractare: cæteris verò templi ministris

Rabban. Polien. Isa. Ezech. Ignoscit Deus cinere conspersis. Num.

nistris maius est, quod præcipitur: nam ibidem in alijs cæremonijs, non vestiũ tantummodò, sed corporis etiam mũdatio indicitur. Sic Sacerdoti post victimæ immolationem, eisque, qui illam combusserint, & vestium, & corporis mundatio præcipitur. *Tunc demum*, inquit Scriptura ℣. 7. & 8. *lotis vestibus, & corpore suo ingredietur castra &c. Sed & ille, qui combusserit eam, lauabit vestimenta sua, & corpus &c.* Verùm in promptu est responsio; quia nimirum cineribus, idest mortis memoria, iam facta erat mundatio corporis, & animæ, ideò cinerum ministro, vestium tantum adhibenda est mundatio: qui enim de morte cogitat, hic cineres pertractat, de cineribus curã habet, & ideò corporis, & animæ maculas abluit, non secus ac cinere materiali vestium sordes, ac maculæ purgantur. Non mea, sed Augustini est interpretatio. *Hunc tamen*, inquit, *vestimenta sua lauare dixit, non etiam corpus, credo quòd illius cineris aggregatione, & repositione in loco mundo (si hæc spiritualiter intelligantur) tã intrinsecus vult intelligi, fuisse mundatum.*

Numer.

Cineres mittentis, ani animæ maculas abluit.

August.

9 Mortis meditatio, veluti peculiũ quoddam est, quod Deo in ipsius gratiæ, ac misericordiæ pretium soluimus. Confert ad hoc explicandum, id quod Abraham Ortelius scribit in Theatr. de quibusdam Populis, qui non alia pecunia, quàm ossibus mortuorum, ea comparabant, quæ ad humanæ vitæ substentationem sunt necessaria; qui titus nobis videtur innuere Dei misericordiam, quæ cibus est ad spiritualem animę vitam substẽtandam necessarius, iuxta Bernardi sententiam ser. 55. in Cãt. *Gratia Dei cibus animæ*: hac pecunia, mortuorum scilicet ossibus, hoc est mortis memoria, comparandam, *Cõuertimini*, inquit Propheta, *in cinere, & cilicio*: ecce pecuniæ numerationem pro Dei misericordia, ac remissione peccatorum consequenda: Nunquid ergo hæc soluenti denegabitur? A pretio soluto, numerataque pecunia prò re aliqua teneri venditorem ad illius traditionem, & naturæ, & gentium iura clamant. *conuertimini*, ergo *in cinere* pecuniam exhibete, quæ mortis est memoria; sicque Dei vobis gratia tradetur. *Quoniam benignus, ac misericors est, dimittere peccata nostra Deus noster.*

Abraham. Ortel.

Mortis memoria pretium pro gratia dã misericordiæ.

Bern.

10 Hunc discursum probat Rup. Abbas cap. 68. exponens verba illa Ierem. Thren. 3. ℣. 29. *ponet in puluere os suum, si forte sit spes*, ait enim, *non in cælo, sed in puluere ponet os suum, hoc faciendo humiliter, si forte sit spes: dicet enim, quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus, & relinquat post se benedictionem.* ergo, si de Dei benignitate timemus, & optamus, vt ad nos sua misericordia cõuertatur, & ignoscat peccata, & sua benedictione nos repleat bonis; iuxta Ruperti sententiã, *in puluere os ponendum*, mors est meditanda, vt ad remissionem exaudiamur. Confirmat, quod dicimus, Rabban. sic præfatum locum exponens. *Ille in puluere ponit os suum, qui humiliter sentiens, fragilem se cognoscit, & de puluere se factum, iterum in puluerem reuersurum fatetur, dicens cum Patriarcha Abraham: loquar ad* Dominũ meũ, *cùm sim puluis, & cinis*; quid verò hic, qui suum exitum, & introitum ad vitã in puluere, & per puluerem meditatur tandem assequetur? subdit: *spem remissionis, & futuræ gloriæ per Domini misericordiam habere debebit*; quando igitur, ait Propheta: *si fortè sit spes*, subaudiendum est, *remissionis, & indulgentiæ.* Est ergo iuncta cũ mortis memoria peccatorum remissio, & futuræ gloriæ, ac prædestinationis effectus.

Rupert.

Ier.

Ignoscit Deus meditantibus.

Rab.

Mortis frequens memoria prædestinationis effectus.

11 Deus, qui secundum Psalmistã Psal. 144. ℣. 14. *fidelis, ac verax est in omnibus verbis suis*: imò ipsamet veritas, nihilominus ad firmandam certam peccatorum remissionẽ, mortem meditantibus iure iurando peccatorum veniam est pollicitus. Probè id nouerat Regius Psaltes, ideòque mirum non est, si nimis fortasse audacter spiritualem animæ vitam, quam per peccatum amiserat, sibi à Deo restitui expostulet Psal.

Promittit Deus remissionem peccatorum mortem meditantibus.

Psal.

Psal. Psalm. 118. ℣. 25. *Viuifica me* (inquit) *secundū verbum tuum*. Vnde enim (quæso) tanta audacia, vt Rex alioquì mitissimus, ac humillimus, qui aliàs ad Deū preces effundens, suam in primis commemorat mansuetudinem, dicens: Psal. Psal. 131. ℣. 1. *Memento Domine Dauid, & omnes mansuetudinis eius*: & alibi adeò humilem de se conceperat existimationem, vt ne hominem quidem, sed vilissimum terræ vermem, populiq; se dixerit opprobrium, indignumquè existimarit, vt hominis vocabulo nuncuparetur, Psal. Psal. 21. ℣. 6. *Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis*: Nunc verò suæ oblitus conditionis, vel cum Deo ipso videatur velle contendere, arrogan ter satis ab eo requirens sibi promissa seruari: *Viuifica me secūdū verbum tuū*, quasi dicat: *osseruami la parola*. Vnde, inquam, tanta audacia, nisi quia sub verbo regio, imò diuino veluti se obstrinxerat Deus, mortem meditanti veniam exhibiturum? *Adhæsit pauimento anima mea*: vbi ex Hebreo *Adhæsit pulueri anima mea. Viuifica me &c.* Quē locum cùm Isidorus ad literam exponat de pœnitentia cum humilitate, seù mortalis conditionis consideratione, sēsus psalmistę esse potest: Licet anima mea peccatis mortua fuerit, tamen quia de ipsis pœnitentiam gessit, pœnitentiæquè mortis addidi meditationem: *Adhæsit pulueri anima mea*, ideo: *viuifica me secundùm verbum tuum*: à promissis enim deficere, diuinam dedecet maiestatem.

In reiterando, Deus mortem meditanti, veniā promittit.

Hebr.

Isidorus.

12 Huc etiam fortè respexit idem met Propheta, cùm dixit, Psal. 43. ℣. 25. *Quoniam humiliata est in puluere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster &c.* in quæ verba sic scribit Agellius: *In puluerem, ac sepulchrum descendit anima nostra, & tamquam mortui, subterraneis locis, ac carceribus detinemur*. Sed quid inde? *Exurge Domine adiuua nos, & redime nos propter nomen tuum*: reliquum est, vt nobis in adiutoriū præsto sis, nosq; à peccatis redimas; sic locū hunc Psalmi intelligit Orig. exponens illud Ier. Thren. 3. ℣. 30. *Dabit percutienti se maxillam*, in hæc verba: *humiliabit se dicens: ego sum terra, & cinis, si verè est vir, & spei non confundentis plenus*, cui & illud affine est: *conglutinata est pauimento anima mea*: ex quo etiam habes non muliebre, ac puerile esse mortem meditari iugiter: sed virilis animi, ideo, *si vere est vir*, sed hoc obiter.

Psalm.

Agellius.

Adiuuat Deus mortem meditantes.

Origen.

Virilis est animi mortē recolere.

13 Hinc est, quòd Deus vix audito pulueris nomine, statim ira ac furore deposito, ad misericordiam flectitur. Hoc in Dauid probatum reperimus, qui cum se propter peccata à Deo derelictum, humiliatum, ac flagellatum videret; aiebat Psalm. 29. ℣. 8. *Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus*; ad Deum suam conuertere decreuit orationem: *Ad te Domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor*: Quæ autem in sua oratione exposuerit, audiamus. *Quæ vtilitas*, inquit, *in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? nunquid confitebitur tibi puluis, aut annunciabit veritatem tuam?* Ac si aperte dicat: Quamuis me interficias, meumq; effundas sanguinem; quæ tibi exinde proueniet vtilitas? Nunquid ex hoc tua gentibus innotescet potentia, ac magnitudo? At *puluis* sum ex puluere plasmatus, in puluerem resoluendus. Quæ autem tibi summo, atq; omnipotenti laus, & gloria, cum ex modico puluere victoriam reportaueris? nulla ergo tibi *vtilitas in sanguine meo*: neque enim *puluis* à te dispersus *tuam confitebitur veritatem*: ac magnitudinem. Sed illud hoc loco ad nostrum institutum notatu dignum est, quòd vix Propheta se puluerem commemorauit, & statim in eius adiutorium occurrit Dei misericordia, ipsiusq; luctum, ac planctum in gaudium, lætitiamq; conuertit. *Numquid confitebitur tibi puluis? Audiuit Dominus* verba hæc, humanam indicantia caducitatem, & mortē; *& misertus est mei Dominus: factus*

Vix audito pulueris nomine miseretur Deus.

Psalmus.

est adiutor meus. Conuertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum & circumdedisti me lætitia, vt cantet tibi gloria mea, & non compungar.

14 Mirum ergo non est, si idemmet Dauid, alibi diuinam volens effugere indignationem, priori doctus experimento non nisi pulueris, mortisq; meditationem adhibuit, vt ipse testatur, inquiens Psal. 101. ℣. 10. *Cinerem tamquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam:* sed ad quid cinerum vsus, & esus? Audi quod sequitur: *à facie iræ indignationis tuæ:* quasi dicat: Videns te nimium iratum, vt meis redderem peccatis placabilem, *cinerem* adhibui ori meo, sic tuā sperans auertere indignationem, ac flectere misericordiam, vti Græcus quidā Auctor, apud Agellium expressit, rationem reddens, cur *cinerem* tamquam panem manducauerit: *Vt Populus*, inquit, *apud Deum miserationes inueniret*. Hæc etiam spectant, quæ habet Agellius in sequētia eiusdē Psalmi verba: *Et terræ eius miserebuntur*, inquit enim, *& pulueris aspectus commiserationem olim felicissimæ Vrbis iniiciet:* pulueris namque aspectus indignationē mitigat: ideo, *terræ eius miserebuntur*. Sic de Dionysio supra diximus, eum puluere aspersum, irrūpentium in se hostium furorem mitigasse.

Psalmus.

Mortis memoria Dei indignationē mitigat.

Græcus Auctor, apud Agell.

15 Genes. 32. dicitur, quòd Iacob cum Angelo per totam noctem luctabatur, neque Angelus potuit Sanctum illum Patriarcham superare ℣. 24. *& ecce vir luctabatur cum eo vsq; mane*, victoriam Iacob obtinuit: *si contra Deum fortis fuisti*, (dixit illi Angelus) *quanto magis contra homines præualebis?* benedictionem quoq; obtinuit, donisq; cumulatus fuit; *& benedixit ei in eodem loco*, sed vnde (quæso) tāta fortitudo in infimo homine, vt cum Angelo pugās fortior euadat, innumera dona, & gratiam obtineat, seq; victum Angelus cōfiteatur? Hebræa translatio innuit causam; vbi namque nos legimus: *& ecce vir luctabatur cum eo*, legit: *puluerizabat se cum Angelo:* ideo fortis, ideo victoriam, benedictionem, & indulgentiam obtinet Iacob, quia puluere conspersus contendit se puluerem esse, dum se puluerem recogitat vnde Interlinear. *in contemplatione*, inquit, *quasi in luctamine:* idem docet Greg. Papa homil. 14. in Euang. Igitur dum se mortalem quis recogitat, & puluerē meditatur, procul dubio victoriam de Deo obtinet, remissionem, & indulgentiam consequitur.

Genes.

Mortis meditatione præualet Iacob ad Angelum.

Interlin.

S. Greg.

16 In confirmationem adduco, quod tradit Plinius lib. 19. cap. 13., nimirum palmas frequenter, iuxta radices cinere conspersas, vltra modum post paucos dies crescere, & ante tempus fructificare; Palma notissimum victoriæ est Hieroglyphicum, vt omni plebeculæ notum est, teste Pier. lib. 50. Hæc eadem palma iustorum est typus, iuxta Cassiod. Bedæ, & S. Anselmi sententiam, in illa verba Cant. 7. ℣. 7. *statura tua assimilata est palmæ &c.* Vis igitur victoriā de Deo obtinere, & in vita spirituali vberrimè fructificare? mortem recogita, puluere mentem cōsperge: hinc Iacob, vt diximus, *puluerizabat se cum Angelo*. ecce quomodo puluere conspersus erat: sed ideo *fortis contra Deum fuit:* victoriam, & benedictionem consequutus est. Hinc benè sancta Ecclesia cinerem circa capita peccatorū hodie ponit, quæ sunt corporum radices, vt & excrescant Christiano profectu, folia in spatularum figuram germinent, veluti pugnaturi cū hostibus animæ, & corporis, ad quod per tubam excitantur: *canite tuba in Sion &c.* & pœnitentiæ fructum dulcissimum producant, & Deum ipsum ad ignoscendum flectant.

Plinius.

Palma cinere cōspersa crescit, et fructificat

Cant.

Mortem meditantes proficiunt in vita spirituali

17 Et hæc fortasis ratio est, cur Ezechias Dominum orans, vt vitam temporalem, & peccatorum veniam obtineret, aiebat: *Sicut pullus hirundinis, sic clamabo*; cur enim non dixit: *sicut hirundo, sic clamabo*, & orabo Dominum, pro vita, & misericordia? cla-

mor namque hirundinum maior, ac potentior, quàm pullorum est. Sed his verbis, id procul dubio nobis videtur indicare, quod sicuti pulli è nidulo paleis, lutoque contexto clamant, sic & nobis in paleis, lutoque, hoc est, in mortis meditatione iacentibus, est clamandum, vt facilius exaudiamur. Obtinuit Ezechias, quod petiuit, superaditam, scilicet quindecim annorum vitam, Deique gratiam, & misericordiam suscepit. Sic etiam è luto, paleisque clamabat Iob, dũ aiebat cap. 10. ℣. 9. *Sic repente præcipitas me? memento quæso, quòd sicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me*; Et iterum cap. 13. ℣. 25. *stipulam siccã persequeris, & consumare me vis peccatis adolescentiæ meæ*. Et sanè clamor eius exauditus fuit, ipso post hæc affirmante; *vitam & misericordiam tribuisti mihi*.

Iob.

18 Quantę sit efficaciæ mortis cõtemplatio ad veniam impetrandam, ex eo deduco, quòd si quando velit Deus ob patrata scelera aliquem punire, non sinit, vt in eius animum mortis incidat cogitatio, ne fortè illi pœnam cogatur relaxare; Id quod ex Ezechielis verbis, non obscurè colligitur, cap. 24. ℣. 7. *sãguis eius in medio eius est*, inquit Deus, *super limpidissimam petram effudit illũ, non effudit illum super terram, vt possit operiri puluere: vt superinducerem indignationem meam, & vindicta vlciscerer, dedi sanguinem eius super petrã limpidissimam, ne operiretur*. Quo in loco Glossa, Interl. & Lyranus per *sanguinem* peccatum, intelligunt, iuxtà illud Psalm. 50. ℣. 16. *libera me de sanguinibus*, idest *de peccatis*, vt ibi communiter expositores. Displicet autem peccatum hoc esse *super petram* collocatum, & non *super terram, vt puluere operiri potuisset*; idq; adeò molestè fert Deus, vt maximam propterea sumpturũ se de hoc peccato vindictam, minetur; sed nunquid puluere opertum peccatum, Dei oculos latère potuisset, qui etiã *intuetur abyssos*? Porrò si moralem sequi velimus expositionem, (nam de literali alibi) hic esse poterit horũ verborum sensus, quòd quando Deus vult peccatorem acriter punire, nõ permittit, vt mortis vnquam in ipsum cadat memoria, ideò dicit, *vt superinducerem indignationem meam, & vindicta vlciscerer, dedi sanguinem*, idest *peccatum eius super petram limpidissimam, ne operiretur puluere*: alioquin *si super terram effudisset, vt posset operiri puluere*, hoc est mortis memoria, coopertum fuisset peccatum, vtique vindictam non sumpsisset.

Psalmus.

Peccatũ mortis memoria coopertũ, non punit Deus.

19 In confirmationẽ adduco Isaiã cap. 64. ℣. 6. 7. 8. *Et facti sumus*, inquit, *vt immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ, & iniquitates nostræ, quasi vẽtus abstulerunt nos: non est, qui inuocet nomen tuum, neque qui consurgat, & teneat te* (ne scilicet debitam peccatis infligas pœnam) *Abscondisti faciem tuam à nobis, tamquam iratus, & allisisti nos in manu iniquitatis nostræ*, idest dissoluisti, & confregisti nos propter peccata nostra. Voces hæ sunt peccatorum, iusto Dei iudicio punitorum, qui pręsentibus malis, & flagellis remedium non inuenientes, ad mortalitatis propriæ recognitionem cõfugiunt, vt diuinam indignationem effugiant. Vnde subdunt: *Et nunc Domine Pater noster es tu; nos verò lutum, & fictor noster tu*. Quid inde, ò Peccatores, quia nimirum vos terram, lutum, & cinerem recognoscitis? Misericordiam, inquiunt, ac veniam consequemur; statim namque subdunt: *Nè irascaris Domine satis*, Dei iram minuendam clamant, & peccatorum remissionem: *Et ne vltra memineris iniquitatis nostræ*; Sicque mortis memoria à Deo memoriam reuocat peccatorum: Iratum Deum, & à se oculos auertentem viderant, vnde conquærebantur dicentes: *Abscondisti faciem tuam à nobis*, ad respiciendum compellunt: *Ecce respice: populus tuus omnes nos*, Tandẽ concludunt: *Nunquid super his continebis te Domine, & affliges nos vehementer*? Ac si dicant; nunquid adhuc affligere poteris nos, qui nostrã recolimus

Isaias.

Mortis memoria delet à Deo memoriam peccatorũ

mor-

mortalitatem? à Diuina quippè natura alienum existimabant in eos sæuire, qui iugi mortis meditatione detinebantur.

Zac ar. 20 Legimus apud Zachariam, quòd iratus erat Dominus contra Ierusalem, & Vrbes Iuda, maxima iracundia, & ecce vidit Zacharias virum quendam ascendentem super equum rufum, & hic erat Angelus Domini, qui ad Deum conuersus, misericordiam ab illo impetrare conabatur, vt misereretur, & non faceret illis secundum suam iustitiam, taliaq; protulit, cap. 1. ℣. 12. *Domine exercituum vsquequò tu non misereberis Ierusalem & vrbium Iuda, quibus iratus es?* Quibus prolatis, statim exaudita est ipsius oratio, & misertus est illis; sicq, respondit Dominus: *reuertar ad Ierusalem in misericordijs: & Domus mea ædificabitur in ea*; sed inquiro, quare Dominus tàm citò illius Angeli orationem exaudiuit? Iustitiam in misericordiam conuertit? Ipsemet Zacharias rei huius rationem subiungit. *stabat enim*, inquit, *ipse inter myrteta*, & myrtus mortis expressissimum est hieroglyphicum, vt inquit Pier. lib. 50. hinc est vt idem refert, quòd Thebis, qui ad Iolca venerant, myrto coronabantur, & hoc quia signum funebre erat & mortem designabat: nam in illo loco, Iolai tumulus residebat; hæc ergò est ratio, quare prolatis Angeli vocibus, misericordiam inquirentibus, respondit Dominus; *reuertar ad Ierusalem in misericordijs*, quia, inquam, de myrto clamauit; qui enim de myrto, hoc est, qui de morte clamat, seù se mortuum cogitat, statim misericordiam impetrat, & placatum reddit Dominum.

De mortis loco clamantibus, misericordia, exhibetur

Pier.

S. Aug. 21 Ingeniosè notat S. Augusti. de Concordant. Euangel. volens Christus Dominus paralyticum sanare, ait Lucæ 5 ℣. 20. *Homo, remittuntur tibi peccata tua*; cur contentus non fuit dicere: *remittuntur tibi peccata &c.* sed addidit, *Homo* hoc nomine appellans eum, cui culpæ erant condonandæ, & reddit S. Augustin. rationem, *quòd autem dicit, Homo, ad hoc insinuandum valet, quia homini dimittebantur peccata, qui eo ipso quòd homo erat, non posset dicere, non peccaui.* Et vt dicebat Zenophons. Cyro ped. lib. 5. *quòd homines errent vt homines, nihil puto mirandum esse.* procliuis est enim valdè humana natura ad lapsum. Optimum S. August. commentum; sed ad rem nostram: *Homo* præmittitur, & vocatur, cui peccata remittenda erant: nam, *Homo*, ab humo dicitur, vt inquit Varro, & Sulpit. ad Ciceronem Epistol. famil. lib. 4. *erat ei moriendum, quoniam homo natus fuerat*; ex terra erat efformatus, & consequenter in terram resoluēdus, & S. Gregor. Papa 11. moral. *homo de humo sumptus est, &c.* igitur hominem interpellat, & cogitat ante indulgentiam, vt ex mortalitatis consideratione, faciliùs Diuina bonitas, & clementia, ad remissionem concedendam peccatorum, se inclinaret.

Luch.

Hominis propensio ad peccandum.

CAPVT III.

Mortis memoria aptat aures ad audiendum Dei verbum.

1 NITIO Quadragesimæ, statim sancta Ecclesia in epistola Ioelis Prophetæ intonat voces, Ioel. 2. ℣. 15. *Canite tuba in Syon, conuocate cætum, coadunate senes, &c.* idest (vt exponit Interlin.) *Publicè prædicate in Ecclesia.* Et S. Hieronymus, *Prædicatores*, inquit, *hortatur sermo diuinus, vt prædicent pœnitentiam*: Iure autem optimo hoc tempore, quo diuturnæ ad populi habentur in Ecclesijs conciones, mortis memoria, fidelium mētibus obijcitur, & cum verbi Dei prædicatione *Canite tuba in Syon, conuocate cætū, &c.* mortis memoria coniungitur. *Memento homo, quia puluis es, & in puluere re-*

uerteris, hæc enim mortis memoria est, quæ hominum animos, ad Dei verbum ritè, libenterq; audiendum disponit. Hinc Luc.8.℣.5. Diuini verbi prædicationem, semini (ad rem nostram, valdè appositè) Christus Dominus comparauit: *Exijt*, inquit, *qui seminat, seminare semen suum; semen autem*, vt infra subditur, *est verbum Dei*. Et Plutar.lib.de offic. auditoris, circa finem, vniuersaliter dixit: *sermo auditus, seminis vice nobis erit, vt in procliui sit fœtum concipere, qui breui coalescat, & prodeat in lucem.* Vt ergò maximum ex Dei verbo, fructum percipiant auditores, terram huic *semini, quod verbum Dei est*, initio Quadragesimæ, præparat Ecclesia, terrā fidelium capitibus apponit, mortis videlicet memoriam obijcit, qua se terrenos, & in modicam terram reducendos recogitent mortales, ad hoc vt semen verbi Dei aptè recipiant, ideoq; in ipsa Cinerum aspersione, dicitur: *Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.*

Luc. — Verbum Dei quarè semini cōparatū. — Plutar.

2 Hac etiam similitudine vsus est Regius Vates, dum auris, & auditus efformationem, comparat plantationi, quæ vtiq, in terra fit, inquiens Psal.93. ℣.9. *Qui plantauit aurem non audiet?* Quod si sato frumento, vt germinet, & fructum afferrat, cæli irrigatio requiritur, alioquin eueniet, quod in parabola seminis dicitur, apud Lucam loco citato, *Natum aruit, quia non habebat humorē*, en lachrymarum aquas, prædicationis initio, Ecclesia cùm Propheta, præcipit effundendas, *Conuertimini ad ad me*, inquit, *in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu & planctu:* & iterum. *inter vestibulum, & altare plorabunt sacerdotes:* absq; hac quippe lachrymarum irrigatione, breui arescunt pœnitentiæ fructus, iuxta S. August. sententiam, lib. de vera, & falsa pœnitentia, *Pœnitentia vera vix sine lachrymis esse potest.*

Psalm. — Luc. — Lachrimæ irrigant semē verbi Dei — August.

3 Et sanè, qui mortalem se non recogitat, Dei verbis, aures haud facilè accomodat, eorumq; fructu de facili frustratur. Hac de causa crediderim, Ecclesiasten (quod nomen à voce *Kohe leth Concionatrix*, interpretatur, vt ad mundi huius contemptum, omnes incitaret, mortis considerationem, veluti firmissimum suorum sermonum fundamentum, Dei spiritu ductu, in ipso libri vestibulo, statim constituere: ait enim Eccl.1.℣.1. *Verba Ecclesiastes filij Dauid Regis Ierusalem, &c. Generatio præterit, & generatio aduenit, &c. Oritur Sol, & occidit, &c.* rerum omnium principium, finemq; contemplatur, & prædicat; nullum quippe fructum ex suis sermonibus percepturos homines credebat, nisi prius, vitæ huius transitūm, finemq; mortales recogitarent, atq; solis instar, vix exortos, statim occumbere. Sic quoq; S. Iob, sermonem habiturus, tale habuit exordium, cap. 13. ℣.12. *memoria vestra comparabitur cineri, & redigentur in lutum ceruices vestræ.* Deinde sermonem prosequitur, attentionem audientium postulans. ℣.13. *tacete paulisper, vt loquar quodcunq; mihi mens suggerit;* Sicque exorsus, multa prædicat, vt videre est ℣.14. & infra.

Verbum Dei absq; mortis memoria nō fructificat. — Eccles. — Iob.

4 Id quod etiam gentiles ipsos agnouisse comperio: Simonides enim, vt scribit Elian.lib 9.de var.hist. à Pausania rogatus, vt aliquid è sapientiæ arcanis in medium adduceret, primum omnium dixisse fertur; *Memento te, hominem mortalem esse.* probè namq; nouerat, satis aptū esse orationis initium, caducitatis humanæ meditationem, & licèt tunc Pausanias Philosophi dictum parum curarit, vtpotè in summa felicitate constitutus, eius tamen vim, quam tunc minimè agnouit, optimè percepit, cùm morti proximus, mortem propinquam intuitus, exclamauit: *O Philosophe magnum quiddam in sermone tuo inerat; ego verò inaniter adductus, vt nullius momenti putaui.*

Elian. — Prædicatio a mortis memoria, debet incipere.

5 De Creso etiam, scribit Herodotus lib. 1. quòd coram Cyro orationem habiturus, his verbis proloqui cæpit: *si tibi videris esse immortalis, & eiusmodi praeesse, nihil opus est, vt meam*

Herodot. — Verbum Dei nihil proficit ei qui non se mortalem putat

tibi

tibi sententiam: sin verò te quoq; agnoscis hominem esse, & alijs mortalibus praeesse, illud in primis discito, humanarum rerum circulum esse, qui rotatus, semper eosdem fortunatos esse non sinit: ecce quomodo ad eum solum, qui mortalem se cogitat, verba dirigit, omnis enim prædicatio ferè inutilis, vanaq; futura est ei, qui mortalis oblitus conditionis, extremum diem sæpius animo non reuoluit.

6 Atq; hoc est quod sponsam alloquens, dicebat Sponsus Cantic. 1. ℣. 11. *murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento*: quo in loco *per murenulas* prædicationem designari, eruo ex S.Bernardo, sic eum locum exponente; *damus*, inquit, *in præsentiarum ornamenta auribus: Quod erit tibi interior consolatio, & præparatio ad hoc ipsum quod postulas: quia fides per quam ambulamus in hac vita ex auditu, & ex illa visus purgatio est; meritò illi ornandis auribus intendebant, tamen vermiculatas* esse oportet, hoc est, instar vermium effabræfactas, vt scilicet dum eloquia Dei auribus suscipis, te vermē, ac vermium cibū, proindeq, mortalem esse recogites: sic enim Dei verba erunt tibi proficua. Porrò concionatorem verbi Dei, aurifici comparari, docet Rabban. 1. paralip. 2. vbi dicitur, quòd ex *Mezaab*, nata est *Matred*, & ex hac orta est *Meetabel*; prima significat idē ac *Aurifex, secunda dispēsatrix; tertia benignitas Dñi.* Ideo inquit Rabba. *duæ matres hic numerantur, ad glorificandum mysterium, vt aurifex genuisset dispēsatricem, & dispensatrix, Domini Benignitatem quia ex facunditate sensus, nascitur facunda locutio, quæ fidem mundam, gratiam Dei, promeretur gignere in cordibus auditorum.*

7 Hinc etiam Dauid Psalm. 48. ℣. 23. se ad omnem populum sermonem habiturum statuit: *os meum loquetur sapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam*, eos exoptat sui sermonis auditores, qui occidentem, hoc est, suæ vitæ occasum, assidua cogitatione inhabitant, seque terreos, terræque filios agnoscunt, dicens; *Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis orbem*, seù *Occidentem* (vt vertit D. Hieronymus) *quique terrigenæ, & filij hominum, &c.* idest *ex terra effecti, & efformati* vt aliqui exponunt, apud Theodor.

8 Ieremias quoq; *Terram*, hoc est eos, qui se terram esse, in terramque resoluendos recogitant, ad Dei verbum audiendum inuitat, dicēs cap. 22. ℣. 29. *Terra, terra, terra audi sermonem* Domini. Petrus Blesensis epist. 113. *Terra*, inquit, *est homo, quia de terra sumitur, in terra conuersatur, in terram reuertitur, terram sapit, terram lingit, terram sitit; conglutinatus est in terra venter eius, descendit in inferiora terræ, & cœlestium oblitus pro terra litigat; pro terra pugnat: nec cessabit à talibus, donec in terram, qui de terra est, reuertatur, tunc ei septē, vel octo pedes terræ sufficient, cui modo non sufficit camporum latitudo, & vastitas regionum*. Redditq; rationem S.Bonau. cur homo ter, *terra* nuncupetur, in illud Ioan. 3. ℣ 31. *Qui de terra est, de terra loquitur. Est*, inquit *homo terra originaliter, & realiter à parte corporis, & finaliter, scilicèt resolutione. Ideò terra, terra, terra, audi verbum Domini.*

9 Huc spectat, quod Hebræi aliqui, præsertim Rabbi Salomon, & Rabbi Dauid, in illa verba Ezech. 1. ℣. 3. *Factum est verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi sacerdotem in terra Chaldeorum, secus flumen Chobar; &c. Iuxta terram sanctam*, inquiunt, *Prophetis, hoc est in sui ipsius cognitionem, mentem, & considerationem habentibus, Deum loqui sæpius solitum*. Sic etiam Daniel cap. 19. ℣. 9. *Audiui*, inquit, *vocem sermonum eius: & audiens iacebam consternatus super faciem meā, & vultus meus hærebat terræ:* ecce terræ conglutinatus, & affixus, verba Dei audiuit Propheta, Deiq; mira videbat, & contemplabatur, quæ Danielis verba exponens Interlinearis, *vultus*, ait, *hærebat*

Cantic. 1.
S.Bernar.
Rabban.
Prædicator aurifici similis.
Psalm.
Concionator sæpè mortē auditor ibi debet obiicere.
D.Hieronym.
Ier.
Pietr. Blesens.
Homo tripliciter terra.
S.Bonau.
Ioan.
Rabbi Salom.
Rabbi Dauid.
Ezec.
Cognitionē sui habētes Deus loquitur
Mortem meditans videt, & audit arcana Dei
Daniel.
Interlin

terræ, sciens quia cinis es, & in cinerem reuerteris.

Rupert. Abb.

10 Rupertus Abbas eleganter sanè, hoc ipsum expressit in illud Thren. 3. ℣.29. *ponet in puluere os suum. Non in* Cœlo, inquit, *sed in puluere ponit os suum, audiens dicentem sibi, magistrũ bonum,* quia nimirum vt docentem audiamus dominum, in mortis puluere oportet immoremur. Ideò Saulus Act. 9. ℣.4. non aliter, nisi *cadens in terram, audiuit vocem dicentem sibi &c.* ex equo in terram corruens, vt congruentiùs, & reuerentiùs audiret sermonem Domini dicentis. *Saule Saule quid me persequeris,* sicq; conuerteretur, vnde S. Ambros. lib. de benedict. Patriar. cap. 12. *territus ad terram refugit, vel quasi adorans in faciem cadit;* igitur recursus ad terram, territis pro peccatis, est refugium; orantibus ad obtinendum, medium; Et ad capiendum Dei verbum remedium.

Dei vocẽ non audit qui se nõ moriturũ cogitat.

Actor.

Ambr.

Mortis memoria peccatoribus, orantibus, & audientibus remedium.

Ier.

11 Ideò Ieremias cap. 18. ℣. 1. vt audiret verba Domini, menteq; posset retinere, ad domum figuli ire compellitur: *Verbum quod factum est ad Ieremiã à Domino, dicens; surge, & descende in domũ figuli, & ibi audies verba mea:* Ecquid enim est in domo figuli Dei verbum audire, quàm ad illud rite audiendum mortis meditatione disponi? Porrò euidenter id palam fiet, si quod ibi Propheta viderit attendamus, *& descendi,* inquit, *in domum figuli, & ecce ipse faciebat opus suum supra rotam, & dissipatũ est vas quod ipse faciebat è luto in manibus suis.* Vas figuli humanæ fragilitatis, mortalitatisq; symbolum esse, quam plura probant Sacræ Scripturæ testimonia. Sic Psal. 2. ℣. 9. *Tamquam vas figuli confringes eos;* sic Ierem. 19. ℣.11. *Conterã ciuitatem istam, & populum istum, sicut conteritur vas figuli, quod non põt vltrà instaurari:* sic Thren. 4. ℣. 2. *filij Syon incliti, & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli?* & clarius in hoc ipso Ierem. cap. 18. post iam relata verba, immediatè dicitur: *Et factum est verbum Domini ad me, dicens: nunquid sicut figulus iste non potero vobis facere domus Israel, ait Dominus? Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos domus Israel in manu mea, repentè loquar aduersus gentem, & aduersus Regnum, vt eradicem, & destruam, & disperdam illud.* Vas igitur figuli recenter efformatum, statimq; confractum videns Propheta, humanam illicò recordatur conditionem, morti corruptioniq; obnoxiam; Quid ergo mirum, si ibi audiat verba Dei, vbi vehementi mortis meditatione, eius animus detinebatur? ideò dicitur, *descende in domum figuli, & ibi audies verba mea.*

Mortis memoria disponit ad Dei verbũ audiendum.

Psalm.

Ierem.

Thren.

Ierem.

12 Iterum ad prædicandum mittitur Ieremias cap. 19. ℣. 12. *Hæc dicit Dominus vade, & accipe langunculam figuli testeam à senioribus populi, & à senioribus sacerdotum, & egredere ad vallem filij Ennon, quæ est iuxta introitum portæ fictilis, & prædicabis ibi verba, quæ ego loquor ad te.* Quem locum sic vertunt Septuaginta: *vade & posside dolium fictum testeum, & educes de senioribus populi, & de sacerdotibus, & exibis in* Polyandrion *filiorum eorum, quod est super vestibula portæ Carsith, & lege ibi omnia verba, quæcunq; locutus fuero ad te.* vbi nota, quòd non aliter, nisi vas figuli testeum in manu tenens, dignus existimatur Propheta, vt Dei & audiat, & annuntiet eloquia *in valle filiorum Ennon,* seu in *Polyandriõ,* in hoc quippe loco multorum humata iacebant cadauera defunctorum; sicut dicit S.Chrysostomus, his verbis: *Polyãdrion, mortuorum vocat locum, vbi peremptus est Aßyrius, & ex Iudeis quàm plurimi.* Hic ergo Propheta prædicat, quò mortis contemplatione dispositi auditores, firmius animo retinerẽt verba prædicationis.

Ierem.

Septuag.

Prædicare vbi mortui sepulti sunt opportunum.

S.Chrys.

13 Ezechiel quoq; cap. 37. in *campum plenum ossibus mortuorum* ad prædicandum mittitur. Mirum ergo videri non debet, si sancta mater Ecclesia, Diuino edocta spiritu, in ipso concionum initio, homines ad Dei verbum cum animarum profectu audiendum, mor-

Ezech.

tis

Prædicatione cum mortis memoria peccator reuiuiscit.

tis, meditatione præparat, ac disponit, illisq; qui cinerem capitibus gestantes, veluti mortuorum sunt campus, Concionatores mittit, sperans fore, vt illorum vocibus, *insufflante vento*, hoc est Spiritus sancti gratia, *peccatis iam mortui*, in Domino reuiuiscant, & cum Psalmista dicere valeant, Ps. 118. ℣. 50. *Eloquium tuum viuificauit me.*

Psalm.

Ezech.

14 Eidem Prophetæ Ezechieli dicit Dominus cap. 4. ℣. 1. *Et tu fili hominis sume tibi laterem, & pones eum coram te, & describes in eo ciuitatem Ierusalem:* quem locum in nostrum sensum sic exponit S. Greg. lib. 26. moral. c. 5. *Ezechiel magistrorum speciem tenet, Doctores quippè Sancti, laterem sumunt, quando terrenum cor auditorum, vt doceant, apprehendunt, in quo ciuitatem Ierusalem iubentur scribere, quia prædicando curant, terrenis cordibus, quanta sit supernæ pacis visio, demonstrare.* Et Interlin. *Sume tibi laterem, idest terrenum auditorem.*

S. Greg.

Concionatoris præcipua cura

Interlin.

Eccle.

15 Meritò igitur apud Ecclesiasten cap. 7. ℣. 3. admonemur, quòd *melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij*, non alia profectò ratione, nisi quia *in illa finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurum sit.* Porrò, *Domum luctus*, ad quam nos ire hortatur Sapiens, Ecclesiam intellige, quæ hac præsertim die verè *domus luctus* dici potest: in ea enim *& plorare sacerdotes*, & Christi fidelibus, *in fletu, & planctu* ad Dominum conuerti præcip tur, propriæ mortis memoriam recolentibus: omnibus enim dicitur: *Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris:* Et sanè non est *domus conuiuij*, quia esus prohibetur, ieiuniumq; indicitur in Euangelio, *Cum ieiunatis &c. Tu autem cum ieiunas &c.* Præterea in *ea finis cunctorum admonetur hominum*, dum mortalem se esse vnusquisque arguitur: *Memento homo quia puluis es &c.* Tandem in ea *viuens cogitat quid futurum sit*; seù vt vertit Chaldæus Interpres, *Qui iuerit ad domum luctus vir iustus, sedebit, &*

Ieiunij um mortis memoria coniunctio.

ponet in corde suo loquelas mortis: in hac enim domo, dum finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurum sit, Diuina eloquia animo firmius hærent. Neque in quocunque vulgari, communiq; loco *loquelas mortis* recondit *vir iustus*, mortem recolens, sed *in corde*, vbi peccatorum morbus esse solet, & passiones germinant: nam vt dicitur Matth. 15. ℣. 18 *de corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ.* Tāquam pharmacum veneno appositum ad medelam; *in corde*, in quo exardescit charitas, feruet amor, succēditur cinere mortis, veluti igne, spiritus; Neq; quasi in transitu, & per iocum mortem meditabitur, sed *sedebit* firmo proposito, stabilique voluntate, & attentè id faciet.

Dei verba cordi inhæret ei, qui mortē contemplatur.

Matth.

16 Est tamen obseruandum obiter, sed neque extra nostrum institutum, in Chaldæo paraphraste; *qui iuerit ad domum luctus &c. ponet in corde suo loquelas mortis*; quid *per loquelas mortis* intelligatur; & cur *loquelas* in plurali morti tribuat; Varias quidem, ac plures habet mors *loquelas*. Quia nulla est natio, nulla gens, aut linguarum diuersitas, quo mortis voces non perueniant, audiaturq; quasi in propria cuiusq; lingua loqueretur, eo modo, quo Psal. 18 V. 3. de cœlis dicitur: *Non sunt loquelæ, neq; sermones, quorum non audiantur voces eorum*, idest sicut cœlorum structura, pulchritudo, ac motus omnibus diuersarum nationum, ac linguarum summi opificis Dei scientiam, & omnipotentiam ostendit, ita nemo exterus, & quamuis ignotæ linguæ sit, qui mortē nesciat, seq; moriturum non intelligat; voxq; hæc mortis, nota non sit: *Memento homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* neq; obscuræ, sed apertissimæ, claræ, perspicuæ, ac dilucidissimæ illius sunt *loquelæ*, & vbiq; resonant voces. Vel *loquelas* varias mors habet, quia omnibus, secundùm proprium statum mortem prædicat, diuitibus, ac pauperibus, iuuenibus, ac senibus, Dominis, ac

Paraph. Chald.

Mortis loquelæ variæ.

Psalm.

Mortis voces omnibus notæ.

seruis

Vnicuiq; in proprio idiomate mors loquitur.

seruis, iustis, ac peccatoribus, ne quis diues paupertati mortem ascribat, pauper, lussus nimietati; Iuuenis, senis ætati, senes, iuuentutis dissolutioni; omnes enim æquè pulsat, & respectiuè absumit.

17 Exciderant à fide, Christi Domini discipuli, & mulieres, dum illum crucifixum, & mortuum viderant. Mittit Angelos Deus, vt resurrexisse Christum mulieribus prius annuntient, Matth. 28. ℣. 2. *& ecce Angelus Domini descendit de Cœlo*, prædicat mulieribus, suadere contendit Domini resurrectionem: *qui dixit mulieribus, surrexit non est hic; surrexit sicut locutus est*. idque duo Angeli præstiterunt, & prædicauerunt. Angelus scilicet qui foris stabat super lapidem: *reuoluit lapidem, & sedebat super eum*. & Angelus, quem intrantes viderant; *introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem sedentem in dextris coopertum stola candida, qui dixit &c.* vnde Beda homil. 1. inter æstiuales, de tempore: *mulieres duos Angelos viderunt, & à duobus singulatim eadem audierunt*, in quam sententiam, venit etiam S. August. de consensu Euang. lib. 3. cap. 24. *aut intelligamus*, inquit, *Matth. tacuisse de illo Angelo quem intrantes viderunt: Marcum verò de illo quem foris super lapidem sedentem viderunt, vt duos viderint, & à duobus sigillatim audierint, quæ dixerint Angeli de Iesu*: sed adhuc his, & à talibus prædicatoribus auditis; de fide resurrectionis erant dubiæ, ideò ad efficaciorem adducit concionatorem: nimirum ad sepulchrum: *venite, & videte locum vbi positus erat Dominus*. Interlinear. *& si verbis non creditis, venite, & videte locum &c.* S. Chrysolog. ser. 77. *mulieres*, inquit, *vocat Angelus ad videndum, vt sacri corporis locus, mundaret oculos, quos diabolo claudente, vetitæ arboris maculat aspectus*; sufficisse debebat mulieribus Angelica locutio, & attestatio Dominicæ resurrectionis, verum quolibet concionatore disertissimo, efficacior est sepultura oculis apposita, mortis scilicet memoria, hinc factum, vt quòd Angeli non præstiterant eloquio, doceret silentio sepulchrum, & vis resurgentis in fœminis fidei, e mortui corporis tribueretur exceptori, & loco pharmaci, fieret oculis corporis sepultura, sicut mentis obrutibus erat mortis memoria, ideò benè Sanct. Chrysolog. oculorum purgationē sepulchro tribuit, quos vitæ arbor maculauerat aspectu, spes enim vitæ maculat, quos mortis memoria mundat, & purgat.

Matth. *Beda.* *S. Aug.* *Mortis memoria præcior Angelis [illegible] mundum.* *Interlin.* *Chrysolog.* *Oculos mundat mortis memoria.*

CAPVT IV.

Mortis memoria ad Ieiunium disponit.

1 VRE quidem, dum Ieiunij Quadragesimalis præceptum, hoc die inducit Ecclesia: Matth. 6. ℣. 16. *cum ieiunatis, &c. Tu autem cum ieiunas &c.* mortis memoriam fidelibus obijcit, *memēto homo, quia puluis es, &c.* hęc enim, etiam ij qui crapulæ, epulisq; student, & quorum Deus venter est, facillimè salutaris abstinentiæ, est magistra, quod ipsi etiā Gentiles norunt: quapropter, (vt notissimum est) inter Aegyptiorum conuiuia, argenteæ quædam cadauerum imagines deferebantur (vt Auctor est Herodotus lib. 2. & Alexander ab Alexandro lib. 5. cap. 27.) monente, atque inculcante Ministro. *Cum ederis, biberis, atque oblectatus fueris, in hanc figuram respice; similis enim illi eris:* Quo salutari monito edocti conuiuantes, epulis, cæterisque modum ponebant oblectationibus.

Mortis imago in conuiuijs. *Herodot. Alex. ab Alex.*

Deo

Leuit.

2 Deo propterea præcipiente, fuit Ritus in lib. Leuitici cap. 1. quid agendũ esset in holocausto de Turturibus, aut pullis Columbæ, quidq; in eorum oblatione, facere deberet Sacerdos; pluribus autem enarratis, subdit ℣.16. *Vesiculam verò gutturis proijciet propè altare in loco, in quo cineres effundi solent:* Lyran. per *vesiculam*, eam partem intelligit, vbi cibus congregatur; quid ergò est *vesiculam in loco cinerum* ponere, nisi gulæ vitium, cum mortis memoria coniungere? vt Deo sit Sacrificium nostrum acceptabile, & non plusquàm opus est, gulæ, & ventri vacemus, imò potius in cinere, & mortis memoria, *vesicula*, & gula consepeliatur, & extinguatur. Vnde Seneca apud Manut. *qui intelligunt*, inquit, *domicilium corporis, ad breue tempus à natura commendatum esse, viuunt temperantiùs, & libentiùs moriuntur*. Consonat, quod ibidem addit sacer text. *vesiculam gutturis, & plumas proijciet propè altare, ad orientalem plagam, &c.* quo loco obseruandum, aptissimè *ad orientalem plagam*, idest, orientem versus, *cineres, altare, & vesiculam gutturis* collocandam, nimirum vt eò aspectum haberent, vbi terrestris erat Paradisus, & vetitum cibum comedendo primi Parentes, peccati reatum incurrerant, vt sic ob hanc memoriam, ministri Sacrificiorum, temperantiùs viuerent; quem sensum Glossa Doctorum Duacensiũ ex Theodoret. proicict, inquiens, *ad orientalem plagam, &c. primæ conditionis nostræ reminisci debemus. Primus enim Pater ad orientalem plagam in felicitate Paradysi factus est: sed exigente peccato* (per commestionem scilicet pomi vetiti) *in miserias huius vitæ deuolutus, factus est vermis & cinis: dum hoc cogitamus, & nos esse tales perpendimus, quasi vesiculam, & plumas in loco cinerum proijcimus*, videlicet gulam per *vesiculam* denotatam, & fastum ac superbiam, cuius *plumæ* sunt typus, vt dicemus capite sequenti.

Gulã arcet cinerũ memoria.

Lyr.

Seneca.

Intemperantia ex mortis obliuione.

Glos. DD. Duac.

3 Se se offert Eliæ exemplum, cui vt dicitur 3. Reg. 17. ℣. 6. iuxta torrentem Charith commoranti, *Corui deferebant panem, & carnes mane; similiter panem, & carnes vespere*; Profectò aliquantulum gulæ tunc temporis indulgebat Elias: dum panem, & carnes manè, & vesperè comedebat. Post paucos dies à Sarepthana muliere, hospitio exceptus, esuriuit, dixitque mulieri ℣. 11. 12. *Affer mihi obsecro bucellam panis*; qua respondente, nihil sibi reliquum esse in tanta rerum penuria, præter pugillum farinæ, qua paruulum conficiens panem, vix ipsa, & filius eius, vnica vice vescerentur, proximum deinde, ob ciborum inopiam, interitum expectantes. Rursus institit Elias, inquiens: *de ipsa farinula fac subcinericium panem paruulum, & affer ad me.* Paruit mulier, & *fecit iuxta verbum Eliæ, & comedit ipse, & illa, & Domus eius.* Quo in loco illud silẽtio nõ est prætereundũ, quod Elias, cuius famẽ panis, & carnes mane, & vesperè vix poterant explere; nunc modico pane, & ipse, & omnis familia saturati sunt: Cuius rei (si moralem sensum sequamur) ea assignari potest ratio, quia nimirum panis ille, subcinericius erat; *fac*, inquit, *subcinericium panem paruulum, & affer ad me*: quando enim cum cibo cinerem, id est mortis meditationem componimus, paucis contenti erimus, nulamque experiemur in ieiunando difficultatem: facillimũ quippè est, eum, qui de morte cogitat, modico cibo satiare, quamuis esuriat, quamuis crapulæ indulgere cõsueuerit.

3. Reg.

Cibo modico satiatur, q. mortem meditatur.

Ieiunium facile temperantiæ.

4 Sic de Leone scribit Aristoteles, quòd licet inter cætera animantia voracissimus sit, carnibusque insatiabilis; naturali tamen instinctu, dum fame cruciatur, & quo illam expleat, careat, famem explet, terram comedens, ac ità omnem expellit famẽ. Idem prestãdum nobis est ad famem, videlicet compescendam, carniumque vsum, & esum excludendum, terram debemus comedere, hoc est nos, terram esse, semper

Arist.

Leo, terra famem explet.

animo

Psal. animo reuoluere. Hoc etiam docuit Dauid, Psalm. 106. ℣. 3. inquiens; *Satiauit animam inanem, & animam esurientem satiauit bonis*: idest cibo optimo, & gratissimo, esurientium expulit famē, *satiauit*. Neque verò id præstare difficile fuit; iugi namque mortis meditatione detinebantur; vnde subdit Psalmista ad literam: *Sedentes in tenebris, & vmbra mortis, vinctos in mendicitate, & ferro* & est sensus. Qui mortem scilicet, veluti in vmbra vident, & contemplantur, & *vincti iacent in mendicitate, & ferro*; tamquam ad mortem damnati, iustitia perimendi, quilibet cibus, etsi mediocris, & insipidus sit, satis est.

Cibus mortem meditanti, quilibet satis, & sufficiens

5 Ierem. Thren. 3. ℣. 16 *fregit*, inquit, *ad numerum dentes meos cibauit me cinere*; vbi Raban. vertit, *abstulit mihi vsū edendi*, inhabilis veluti factus ad manducandum, ex quo cinerem meę mortalitatis contemplatus sum, & meum cinerem, mentis stomaco excepi, & rumino; hisque similis redditus sum, qui dentibus euulsis, quo cibum frangant, ac deglutiant, non habent: hoc enim modo (spiritualiter scilicèt) hæc sunt intelligenda. cum nusquam legamus, Ieremiæ Prophetę euulsos vnquam fuisse dentes materiales, neque materialem comedisse cinerem.

...erem. *Raban. Ad comedendum, qui mortem meditatur inhabilis quasi redditur.*

6 Eo tempore, quo Rex Dauid à facie Absalom filij sui, qui Regnum Patris sui, inuadere parabat, fugiens insidias declinabat; Vir quidam *Berzellai* nomine, vt dicitur 2. Reg. 19. ℣. 32. *ipse præbuit alimenta Regi, cùm moraretur in castris* Defuncto iam Absalom, dùm ad Regnum possidendum, Dauid reuerteretur, grati animi causa, voluit rependere vices Berzellai, ℣. 33. *Dixit itaque Rex ad Berzellai: veni mecum, vt requiescas securus mecum in Ierusalem; & ait Berzellai ad Regem, quot sunt dies annorum vitæ meæ, vt ascendā cum Rege in Ierusalem? Octogenarius sum hodiè: nunquid vigent sensus mei ad discernendum suaue, aut amarum? aut delectare potest seruum tuum cibus, & potus? vel audire possum vltra, vocem cantorum, atque cantatricum? non indigeo hac vicissitudine, sed obsecro, vt reuertar seruus tuus, & moriar in Ciuitate mea, & sepeliar iuxta Sepulchrum patris mei, & matris meæ*. Lyran. hoc loco ait, de sua morte cogitasse Berzellai his verbis: *tempus est, quòd ego cogitem de morte*; Et quia in iugi erat mortis suæ consideratione, ideò sensum non habebat ad gustum ciborum mensæ Regiæ, neque ad vocum, & instrumentorum cantilenas, quia de morte cogitabat, vt inquit Lyranus, non quia Senex; videmus .n. annosos magis, quàm iuuenes, gulæ, & ventri deditos, lautiores, suauioresque cibos sibi parare, illisque delectari quàmplurimum, quòd multorum experimento didicimus, & in multorum gestis scriptum reperimus

Reg. *Regales delitias contemnit, qui se moriturū cōsiderat.* *Lyran.*

7 At verò vice versa, qui mortalē se non recogitat, parū curat ieiunia; imò gulæ, ventrisq; cupiditatibus facilè indulget. Ad quod probandum; Protoparentum nostrorum, omnibus cognitum habemus exemplum. Volens nāq; Deus eos à pomi vetiti vsu abstinere in terrestri Paradyso, mortis memoriam illis obiecit, mortem videlicet comminatus, his verbis Genes. 2. ℣. 17. *In quocūq; enim die comederis ex eo, morte morieris*. Et sanè, dum hæc in eis viguit memoria, nequaquam ausi sunt de vetito cibo comedere. Id quod ægrè ferens versipellis inferni serpens, vt illos ad huius præcepti præuaricationem, & ad comedendum induceret, omni conatu huiusmodi mortis memoriam, ab eorum animo studuit expellere; dixitq; illis: *nequaquàm moriemini*, omnem à vobis timorem excutite, omnem auferte mortis cogitationem; *nequaquam moriemini*. Et verò sua spe minimè frustratus est Dæmon: *Tunc enim*, ait Scriptura, *accepit mulier, & dedit viro suo, & comedit*. Quando comedit? *Tunc* profectò cùm audiens: *Nequaquam moriemini*, suæ oblita mortalitatis, *accepit, & dedit viro suo &c.*

Ieiunium parum curat, qui nō cogitat de morte. *Genes.*

8 Id ipsum habes, Lucæ 12. ℣. 19. *Anima mea habes multa bona reposita* Luc.

Cōgregat quę comedat, qui mortē nō recogitat.

in ānos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Hoc dicebat, & meditabatur diues iste, ventris ingluuiem cogitabat; sola de Epulis, & saturitate erat cura: sed quare? quia longissimam sibi affuturam putabat vitam: *habes*, dicebat, *multa bona, reposita in annos plurimos.* dicit: *in annos plurimos*, per terminum indefinitum, & non per annos definitos, ne annorū suorum, etsi multorum, terminum aliquo modo cogitaret; indefinitum enim, quasi infinito comparatur, vnde S. Thom. in Cat. ex Cyrill.

S. Thom. ex Cyrill.

Diues, inquit, *nō parat permanentia horrea sed caduca & quod stultius est, vitæ longitudinem sibi taxat; sed ò Diues, fructus quidem habes in horreis, sed annos plurimos vnde poteris obtinere?* Porrò ex hac cogitatione de vitæ longitudine, ad crapulam, cæterasque mundi voluptates defluxisse diuitem istum, idē S. Thos. eodem loco docet ex S. Athanas. *si quis autem*, inquit, *sic viuat, quasi quotidiè moriturus, eò quod incerta est naturaliter vita nostra, non peccabit; sed è contrario; diues longæuitatem sibi repromittens, ad voluptates aspirat.*

S. Th. ex S. Ath. Nō peccat, qui mortem meditatur.

9 Confirmat hoc ipsum Dominus eodem cap. 12. Lucæ ℣. 45. *quòd, si dixerit seruus ille in corde suo, moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere seruos, & ancillas, & edere et bibere, & inebriari: & veniet Dominus serui illius in die qua non sperat, & hora, qua nescit, & diuidet eum, partemq; cum infidelibus ponet &c.* ad litteram sermo de eo est, qui de morte non cogitat, ideò ait: *moram facit Dominus meus venire*, idest tardè ad mortem inferendam venit Dominus; idcircò subdit: *& veniet Dominus serui illius, in die qua non sperat, & hora qua nescit.* Idest quando de morte non cogitat, & longiorem sibi vitam repromittit, qui in tali statu est, commessationibus, & ebrietatibus vacat, vndè dicitur: *& cœperit edere, & bibere, & inebriari.* Insuper immitis, immisericors, & crudelis efficitur: *& cœperit percutere seruos, & ancillas &c.* (de qua re plura infra cap. 8.) quæ omnia compendio in sua Catena hoc loco tradit S. Thom. ex Theod. *ex eo autem*, inquiens, *quòd non consideratur hora finis, multa peccata eueniunt; nam, si cogitaremus Dominum venire, & præstò esse terminum vitæ nostræ, minus vtique peccaremus; vnde sequitur. & cœpit percutere seruos, & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari.*

Luc.

Ebrietatibus vacat, qui diù viuere credit.

Crudelis in proximos, qui de morte non cogitat.

S Tho. ex Theod.

10 Vulgatus est locus Eccli. 41. ℣. 1. sed ad rem, de qua agimus, minimè ponderatus. *O mors, quàm amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantijs suis, viro quieto, & cuius viæ directæ sūt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum.* Sermo hic est de mortis temporalis memoria, inquit Lyran. *Qua quis cogitat, se moriturum corporaliter. hæc memoria amara est homini*, nō cuilibet, *sed iniusto*, inquit Glossa & Lyran. *Homini scilicet iniusto, propter quod in aliquibus libris, in textu ponitur:* non enim iustus est, qui mortis memoriam, vt amaram respuit, nec ruminat, & vt amarum cibum de mentis, & cordis palato proijcit. Addit: *pacem habenti in substantijs suis*. Lyran. exponit, *quæ ab alijs non diripiuntur. Viro quieto*, idest, vt inquit Lyran: *qui non molestatur litigijs*: hic enim pacem habet in substantijs suis, & quietus est: nam, qui lites, & contentiones apud Iudices habent, pacem non habent in substantijs; propterea quod multi ex ministris diuitias auferunt, substantiam diripiunt, & inquietam, molestijsque plenam vitā ducunt. Vel ideò dicitur *pacem habenti in substantijs suis*, quia lites, & contentiones, & consequenter prælia, aduersus *substantias*, idest bona, & diuitias instituuntur, vt illas diripiant, & veluti satellites, & exercitus militum ordinantur Iudices, aduocati, scribę, cęterique ministri Dicitur *suis*, quia etiam aduersus ea bona, quæ certè propria sunt, & iusto, certoque titulo possidentur, lites insurgunt. *Cuius viæ directæ sunt in omnibus*, prosperè sibi omnibus succedentibus. Subdit tandem, quod ad rem, de qua agimus, optime consonat: *Et adhuc*

Eccli.

Lyran.

Iniustus est, qui mortē nō meditatur.

Lyran.

Litigātes in omnibus inquieti.

Curiales quasi milites.

valenti accipere cibum; igitur *amara est mortis memoria valenti*, seu *volenti*, vt legunt alij, *accipere cibum*, idest, vt ait Lyran. *ei, qui sano est corpore, & potenti comedere, & bibere lautè, amara est mortis memoria*, quia mortis recordatio, qñ quis epulis, & conuiuijs se donat, fastidit comedentem, dulces escas amaras reddit, palatum inficit, saporem obtundit, gustum lædit, & gulosum ventri deditum, ieiunare cogit.

Lyran.

Mortis memoria amaras reddit escas.

11 Hominem ventri, & gulæ deditum legimus Eccli. 11. ℣. 19. *inueni*, inquit, *requiem mihi, & nunc manducabo de bonis meis solus*, vel *assiduè* (iuxta græcam lectionem.) Summam sibi statuerat felicitatem, animique quietem, dum omnia sua bona ad sui tantùm ventris parauerat quotidianam ingluuiem, de qua tantummodo cogitabat: sed vnde hoc, nisi quia de morte non cogitabat? subdit propterea statim sacer textus: *& nescit, quòd tempus prætereat, & mors appropinquet, & relinquet omnia alijs, & morietur*. inde crapula, quia *nescit*, hoc est, non cogitat se moriturum (omnes enim fore morituros non est qui ambigat, cùm de fide, & experimento sit certum.) Sumitur ergo *nescit*, pro *non cogitat*: ideò ait: *manducabo de bonis meis solus*, vel *assiduè*, vt alij legunt.

Eccli.

Mortem non recolens, crapulatur.

CAPVT V.

Mortis memoria, honores, & inanem gloriam docet abijcere.

1 

Nanem gloriã, sublimium rerum ambitum, honorum, ac dignitatũ culmina contemnere, nos docet in Euangelio Christus Dominus; propterea hypocritarum prohibet versutias, Matth. 6. *qui omnia faciunt, vt videantur ab hominibus*, sicq; inanes honores, simulata sanctitate aucupantur, Matth. 6. ℣. 16. *Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes, exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes.* Vt autem Dominicum hoc præceptum facilè possimus obseruare, mortis memoriam Sancta Mater Ecclesia fidelibus obijcit, & caput, ac ceruicem nostram, quam superbientes, coronis, & diademate ornari efflagitamus, cinere cõspergit, eo loco apponens remedium, vbi morbus, & superbiæ stimulus; vt sic omnem humanam contemnamus auram, & gloriam, ac dignitatum appetentiam. Hoc prorsus pharmacum, ad elationem mentis abijciendam adhibuit Sapiens, mortis, videlicet, memoriam obijciens; Eccl. 10. ℣. 9. *Quid superbis terra, & cinis?* Idest, vnde tibi supercilium, arrogantia, sublimium appetentia, cùm *terra* sis, & *cinis*? in quæ verba ad rem nostram, inquit Origenes homil. in Ezech. *Quid superbit terra, & cinis, vt homo arrogantia subleuetur, oblitus quid erit, & quàm fragili vasculo contineatur?* Ideò Sancta Mater Ecclesia in ipsa cinerum solemni hodie benedictione, inter cætera, Deum sic orat: *Fragilitatem conditionis humanę, benignissimè respice: & hos cineres, quos causa proferendæ humilitatis &c. capitibus nostris imponi decernimus &c.*

Matth.

Mortis memoria aduersus superbiã remediũ.

Eccli.

Origenes.

2 Philippus Macedonum Rex, semper Regnorum auidissimus, quodam die de equo in terram in palestra prolapsus, sui corporis impressionem in puluere aspiciens, exclamasse fertur; *ò Philippe, cuius cordi exiguus est vniuersus Orbis, vide quàm breuis pulnis satis est; minimam terræ partem natura sortiti, Orbem appetimus vniuersum*, quo factum est, vt Philippus omnis ambitus inanem appetentiam è mente sustulerit; vt enim ait Innocent. de vilit. cõdit. humanæ: *dignitas, & potestas in puluere; honor, & gloria, malè sedent in cinere*: hæc enim sibi non cohærent, imò adinuicem pugnant.

Ex sui in puluere figura, Rex Macedonum ambitum cõtemnit.

Innocen.

3 Inter cætera gratissimi Regis Da

uid monimenta vnum, idq; præcipuum, recensetur 2.Reg. 19.erat in Hierusalem vir quidã, nomine Berzellai Galaadites: hic, dum fugeret Dauid à facie Absalon filij sui, qui moliebatur Regnũ patri auferre, alimenta præstitit Regi cùm moraretur in castris, vt dicitur 2.Reg. 19. ℣. 32 aliaq; multa beneuolẽtiæ, & obsequentissimi animi circa Regem præstitit signa, vt eo loco dicitur: quorum non immemor Dauid ad Regnum restitutus, post mortem Absalon. ℣. 33. *dixit ad Berzellai: veni mecum vt requiescas securus mecũ in Hierusalem,* Gloss. *vt requiescas magnus*, id est honoribus auctus, velut apud Hispaniarum Regem, *magnus* dicitur: *Grande di Spagna*. Lyran. inquit: *ostenditur gratitudo Dauid erga Berzellai, qui sibi necessaria pro parte ministrauerat, & eum vsq; ad Iordanem conduxerat, cui Dauid obtulit præmia, & honores: si vellet ire in Hierusalem secum:* contempsit, respuitq; oblatos honores Berzellai, pro quibus vsq; ad mortẽ cum honorũ, animæq; iactura, ãbitiosus alius decertasset. subdit sacer tex: *Et ait Berzellai ad Regem: quot sunt dies annorum vitæ meæ, vt ascẽdam cum Rege in Hierusalem? non indigeo hac vicissitudine, sed obsecro, vt reuertar seruus tuus, & moriar in Ciuitate mea, & sepeliar iuxta sepulchrũ patris mei, & matris meæ:* sup quæ verba Lyran. inquit: *quasi dicat: tempus est, quòd ego cogitem de morte, non de honoribus, aut diuitijs.* quid mirum, si ambitum omnem contemnit, humilisq; iacere eligit qui se breui consumendum cogitat? Ne dicas respuisse oblatos honores Berzellai: quia octogesimum agebat ætatis suæ annum, dicens Regi. ℣. 35. *octogenarius sum hodie.* Nam scimus seniores esse ambitiosiores, vnde Flau. Vopis. in Aurel. *Imperij,* inquit, *adeò cupidi sunt mortales, vt id vel vltima senectus auidè petat.* Et vt refert Brus. lib. 5. cap. 5. Apollonius Philosophus, cùm vidisset in Domitiani Imperatoris ædibus quendam, senio confectũ, magistratum inhianter affectare, atq; Imperatori, ceu seruum, se submittere: *Huic,* inquit, ô *Damis nõ persuasit Sophocles, vt agrestem Dominum, furiosumq; aufugeret.* Et Lyran. loquens de adducto facto, Berzellai, inquit, *hoc est contra senes, se ingerentes curijs magnatorum.* Facit enim ambitio senes iuuenescere: vnde S. Nilus Abbas, orat. 8. *inanis gloria*, inquit, *neruos addit animo, Deũ relinquenti; infirmos corroborat, & senes, quouis adolescẽte fortiores efficit.* Hinc senescentes homines, viribus confractos, humanæ tamẽ gloriæ cupidos, diù, noctuq; fame effractos, stantes, Principum aulas frequentare, currus in comitatu sequi videmus, quibus laboribus, alioquì vigor, & robur iuuenile impar esset. Ergo propter solam mortis memoriam honores respuit Berzellai.

Id, quod dicimus, satis apertè colligitur ex 1.Regum 10. vbi Saul, in Regem Israel electus, vngitur, ac ordinatur à Propheta, nec contradicit, imò annuit, & de tradita sibi potestate, ac dignitate gaudet. Sed post pauca cùm Saul solemnem Regni possessionem a Propheta accepturus esset: *Quæsierunt eum*, inquit scriptura, *& non inuentus est: quia absconditus est domi,* nolens in Regem haberi. Mirabilis sanè mutatio: Paulò antè, quando vnctus fuerat, non contradixit, imò annuit, dum se vngi permisit; nunc verò se abscondit, supremam Regni effugiens potestatem. Sed admirandæ huiusmodi mutationis eam ego existimo rationẽ extitisse, quòd postquam vnctus fuerat in Regem, misit eum Propheta, vbi sepulta iacebat Rachel. ℣. 2. *cùm abieris hodie, inuenies duos viros iuxtà sepulchrum Rachel &c.* perijt Saul sepulchrum Rachelis, inuenitq; illud, & ait scriptura ibi ℣. 9. *Itaq; cùm auertisset humerum suũ, vt abiret à Samuele,* idest, postquã à Samuele discessit, illucq; iuit, quò Propheta direxerat, subdit ℣. 9. &c. *immutauit ei Deus cor aliud:* cõsentaneũ enim erat, vt Saul *cõmutaretur* ad maiorẽ perfectionem, dũ Rachelis sepulchrum fuit ei obuiam, in quo illius transactam contemplatus pulchritudinem, æstimationem, hominum obsequia, comitatus, diuitias, honores, nũc verò in puluerem

Marginalia: 2.Reg. — *Grati animi signũ, & exemplar.* — *Lyran.* — *Respuit summos honores, se moriturum cogitans.* — *Diuitiarũ cõtẽptus ex mortis memoria.* — *Senes ambitiosiores iuuenibus.* — *Flau. Vopis.* — *Brus.* — *Ambitio facit senes iuuenescere.* — *S. Nilus Abbas.* — 1.Reg. — 1.Reg. — *Saul mortem contemplatus Regnum despicit.*

iam resolutam, in deserto, nullo comitatu, imo obliuioni traditam, in se reuersus, dicebat in corde suo: Quid mihi, Regno, & coronis, cùm hæc omnia mors deuoret? *Immutauit* igitur ei *Deus cor*, regimen, & regnum cœpit contemnere. prophetiæ spiritu imbuitur. ℣. 10. *Insiluit super eum spiritus Domini, & prophetauit in medio eorum.* hæc, & his plura per cordis immutationem, vna mortis memoria elargita est. Totum hunc discursum vide à S. Prospero hiantem sententia. *De delitijs, inquit, & maiorum nobilitate gloriaris? De patria, & pulchritudine corporis, & honoribus qui tibi ab hominibus deferuntur, te exaltas? Respice te ipsum, quia mortalis es, & quia terra es, & in terram ibis; circumspice eos, qui ante te sidereis fulsere splendoribus. Vbi sunt qui ambiebant Ciuium potentatus? Vbi exercituum Duces? nonne omnia puluis? in paucis versibus eorum vita memoria est. Respice sepulchra, & vide, quis seruus, quis Dominus. Discerne, si potes, victum à Rege, fortem à debili, pulchrum à deformi. Memor itaq; tui esto, ne aliquando extollaris.* Hæc omnia ad Rachelis sepulchrum, vbi etiam aliorum insignium virorum humata erant cadauera; contemplatus est Saul. Quid ergò mirum, si & dignitates, & Regna contẽnit, & pro nihilo habet, quæ verè nihil esse cognoscit, & in ipsum nihilum post mortem resoluenda sunt?

6 Porrò hac sola consideratione, vel Regna ipsa, & Imperia contemnimus. Id quod Ioannis testimonio non obscurè comprobatur, qui Apoc. 4. ℣. 5. ait, quòd ante thronum stabant viginti quatuor seniores, qui absq; dubio Reges erant: habebant enim coronas (Regum insigne) in capitibus suis, *& super thronos viginti quatuor seniores sedẽtes, circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ:* sed quod mirum est, coronas è capitibus tollebant, easque fortè paruipẽdentes, proijciebant. ℣. 10. *Procidebant viginti quatuor seniores, & mittebant coronas suas ante thronum*; quomodo enim tam facile proijciunt, quod labore, ac sudore nimio, & sanguinis effusione, atque ingentium thesaurorum exaustu acquiritur? sed attende quid viderint, statim hujus rei causam inuenies in eo, quod subdit cap. 5. ℣. 6. *Et vidi, inquit, & ecce in medio Throni, & in medio seniorum Agnum stantem, tanquam occisum:* mortuum ante oculos habent, mortem intuentur, & contemplantur quid mirum si Regna contemnunt? si coronas Regiũ decus proijciunt? Verissima, quippe, est S. Hieronymi sententia ad Cyprian. dicentis: *Qui se quotidiè recordatur esse moriturum contemnit præsentia, & ad futura festinat.*

7 Idipsũ probant verba illa Habacuc 3. ℣. 4. Cornua *in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius*; vbi S. Hieronymus *per cornua*, Regnum intelligit, iuxta illud Annæ in suo cantico 1. Reg. 2. ℣. 10. *Et sublimabit Cornu*, idest, *Regnum Christi sui.* Et Daniel 7. ℣. 24. *decem cornua, decem Regna sunt:* & Psal. 111. ℣. 9. *Cornua eius exaltabitur in gloria*, idest gloriosũ, ac celebre erit Regnum illius. Ex quibus præmissorum verborum sensus, hic esse potest: *Cornua in manibus eius*, idest *Regna*, sceptra, & Imperium *in manibus eius.* Quòd autem subdit: *ibi abscondita est fortitudo eius*, id nequaquàm otiosè, & ab re positum fuisse scias, sed illud videtur innuere quòd, licèt Reges, ac Principes nonnulli fortes, ac strenui vocentur: non tamen ipsi fortes, nec in eorum viribus, ac proprij corporis vigore, & robore sita est fortitudo, sed *ibi*, idest, in *cornibus*, ac *Regnis* posita est, à quibus milites, militumq; stipendia colliguntur; Dicitur autem *abscondita*; quia, licèt ipsorum potentia, ac fortitudo proclametur, non tamen ipsorum, sed subditorum est virtus; quasi aliud sit, quod oculis hominũ apparet; & aliud, quod re vera est in facto. Verùm, vt ad nostrum institutum reuertamur; quid est, quòd *Regna* hæc *in manibus* Regis esse, ait Propheta? Quid enim, quæso, Regi, suo Regno carius? Quid pretiosius, quo solo est, id

Cor immutatum.
Prophetiæ spiritu repletur.
Prosp.
Apoc.
Coronas contemnunt in morte intuentur.
Apoc.
Hierony. ad Cypr.
Habacuc.
S. Hieron. Cornu, Regni typus
1. Reg. Daniel. Psalm.
Regnum, Regis fortitudo.

quod

S. Cypr. quod est? Vnde S. Cyprianus lib. 2. testimoniorum ad Quirinû, pro eo, quod nos legimus: *Ibi abscondita est fortitudo eius, vertit: constabilita est virtus gloriæ eius: cui etiam consonat editio Romana, quæ habet, Ibi confirmata est virtus gloriæ eius.* Si ergo ex Regno tanta Regi aduenit fortitudo, tanta virtus, tãta gloria, cur *in manibus*, & non potius in corde, vel in oculis gestat Regnum suum? sicut se gestare, dixit Deus Regnum suum, & seruos suos, Zacchar. 2. ℣. 8. *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei:* illam videlicet pupillã, in qua suos seruat, qui eius sunt Regnum, & hæreditas, iuxta illud Psalm. 2. ℣. 8. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ, & Reges eos &c.* Augetur difficultas, quia iuxta consuetum sacræ scripturæ loquendi morem, idem est, rem *in manibus* habere, ac iacturę de facili expositam tenere. Sic quia Dauid, qui aduersus Goliath, ad singulare cõgrediens certamen, vt ex ipsius manibus Israel erueret, manifesto mortis discrimini se exposuit, inquit, Ionatas ad Saul 1. Reg. 19. ℣. 5. *Posuit animam suã in manu sua, & percussit Philistæum.* Sic etiã c. 28. ℣. 21. Mulier illa ad Saul dixit, *Posui animam meam in manu mea* idest vitæ discrimini me obieci, pro nihilo vitam ducens. Vt quid ergo adeò paruipendit Rex iste sua Regna, & ita in prõptu exposita gestat, vt de facili abijcere paratus sit? sanè non aliam huius rei ratonẽ inuenio, nisi eã, quam verbis immediatè sequẽtibus reddit Propheta, inquiens: *ante faciem eius ibit mors;* id est, iugiter ante oculos mentis, mortem gestabit; suæ vitæ finem solicitus considerabit: mirum ergo nõ est, si Regna, & sceptra cõtemnat; *Nihil enim,* teste S. Hieronymo, *æquè proficiet ad temperantiam omnium rerum, quàm frequẽs cogitatio breuis æui, & huius incerti:* Deus autem, quia suos seruat, & non proijciendos tenet, in oculis, aut in corde habere dicitur.

Deus in corde, & in oculis Regnum seruat. Zach.

Psalm.

Quid sit habere rẽ in manib.

1. Reg.

1. Reg.

Regnum proijciendũ tenet qui mortem contemplatur

S. Hieron

Deus, suos non repellit.

8 Facit ad hoc, quod de Alexãdro Seuero refert Dionysius Nicæus: hic enim, senio confectus, cùm vrnam sibi præparasset, vt in ea mortuus sepeliretur, ante quàm è vita decederet, eam ad se adduci iussit, manibusq; contrectans: *Tu,* inquit, *capies virum, quem totus orbis terrarum capere nunquam potuit? Atque hoc recogitans, fastidire cœpit Imperium.* De magno etiam Alexandro Macedone, inquit scriptura, quòd, vbi mortalem se recogitauit, Regno *adhuc viuens,* libenti animo se abdicauit 1. Machab. ℣. 6. *Vt cognouit,* inquit *qui moreretur, diuisit Regnum suum pueris suis adhuc viuens.* Mirum profectò, quòd Alexander ille, cuius excelso, elatoq; animo angustum Regnũ, vniuersus terrarũ orbis videbatur, ideoque de naturæ Auctore sæpissimè cõqui consueuerat, eo quòd plures non condidisset mũdos, quos ipse sua vi, ac robore suæ subijceret dominationi, ille, inquã, *adhuc viuẽs,* Regno se abdicet, sed quare hoc, nisi quia *cognouit, quòd moreretur.*

Dionys. Nicæ.

Fastidit Imperiũ qui se cogitat moriturum.

Exẽplum Alexãd. Maced.

1. Macab

9 Regi Sennacherib dicitur, Isaiæ 37. ℣. 29. *Superbia tua ascendit in aures meas: ponã ergo circulũ in naribus tuis, & frænum in labijs tuis, & reducam te in via per quam venisti:* Elatum Regem, ac superbum Bubalo comparat, qui circulo agitur &c. Etiã equo indomito, qui fræno sistitur, & domitur &c. per ly *superbia tua,* desiderium regnandi intelligitur: venit enim in Iudæam Sennacherib, vt Regnum obtineret; ideo Interlin. *superbia tua, quãdo dixisti, in cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, &c.* Verùm, vt circulum Bubalo huic, & equo frænum imponeret, vt superbiam, ambitionemq; compesceret, & imperandi libidinem, sitimq; extingueret; mortis memoriã mẽti obiecit, dum mortuorum cadauera, cineresq; conspiciendas dedit. Colligitur ex his, quę subdit. ℣ 36. *egressus est aũt Angelus Dñi, & percussit in Castris Assyriorum centum octuaginta quinque millia, & surrexerunt mane, & ecce omnia cadauera mortuorum, & egressus est, & abijt, & reuersus est Sennacherib, Rex Assyriorũ, & habitauit in Niniue.* iuitq; ad templum, vt adoraret: *& factum est, cùm adoraret in templo, &c.* Interlin. pro eo quòd legitur, *Percussit in Castris*

Isa.

Superbus Bubalis similis, & equo.

Mortis memoria est homini quasi circulus Bubalo, & frænũ equo.

Mortuorũ cinerẽ cernens, ad adorãdũ pergit Interlin.

Assyriorum, vertit, *in cinerem redegit*: sensus verò est, Rex Sennacherib, postquam omnem terram conspersam puluere mortuorum vidit, non amplius cogitauit de occupanda terra, Populo, & Regno conquirendo; sed statim reuersus est in templum ad adorandū Deum suum (& ò vtinam verum) non enim sic miserrimè occubuisset.

10 Est pro hac re optimum exēplum 2.Reg.20.℣.11. vbi Amasam interfecit Ioab, cuius cadauer, sanguine conspersum, dum secus viam iaceret, pertranseuntes omnes, ad illius intuitum consistebant, exclamantes. *Ecce qui voluit esse pro Ioab comes David, &c.* id quod ægrè ferens quidam, eò quod ad iacentis exanimi cadaueris aspectum milites, ab incepto itinere desistentes, de victoria, quam penè obtinuerant, non mediocriter periclitabantur, illum propterea, è media via sublatum, pallioq; coopertum, abscondit, *Amasa autem*, inquit sacer textus, *conspersus sanguine iacebat in media via. Vidit hoc quidā vir, quòd subsisteret omnis populus ad videndum eū & amouit Amasam de via in agrum, operuitq; eum vestimento, ne subsisterent transeuntes propter eum.* Ecce quomodo ad cadaueris aspectum exercitus vniuersus honores, opesq; quas ex victoria cōsequi poterat, parum curat, omnisq; furor militum aduersus hostes, quos persequebantur, extinguitur: tunc enim omnes probè nouerunt, quisnam sit honorum ac opū huius sęculi finis, ideoq; exclamabat ille: *Ecce qui voluit esse pro Ioab comes David*; ac si diceret, ad quid primatum? ad quid gloriam, sanguinis effusione pugnando, comparare? Ecce qui honores ambijt, *ideoq; voluit esse comes David*; quomodo nunc iacet extinctus, prostratus, proiectus. Et sanè in omnibus tantùm, hæc inualuit meditatio, vt oportuerit, ex eorum aspectu cadauer auferre; alioquin non poterant inceptum iter ad hostes profligandos prosequi; dicente Scriptura; *Amoto ergo illo à via, transibat omnis vir, sequens Ioab ad persequēdum Seba, filium Bochri.*

2.Reg.

Mortis aspectus, opum, superbiæ & iracundiæ stimulū, compescit

11 Et ideo factum puto, vt præceperit Deus Moysi, vt turturum, & columbarum plumæ, in sacrificium oblatarum, eò inferrentur, vbi cineres reponebantur, Leuit. 1. ℣. 16. *plumas proijcies propè altare ad orientalem plagam in loco, in quo cineres effundi solent*. per *plumas*, *superbiam*, & inflationem intelligit Interlin. in loco cinerum ea est collocanda, vt Deo acceptabile sit sacrificium, inanemq; gloriam fugiamus. Audi Theod. quæst. 1. in Leuit. *primus Pater*, inquit, *ad orientalem plagam in fœlicitate Paradysi factus est; sed exigēte peccato* (ambitionis scilicet ac superbiæ, Genes. 3.℣. 5. *eritis sicut Dij, &c.*) *in miserias huius vitæ deuolutus, factus est vermis, & cinis, dum hoc cogitamus, & nos esse tales perpendimus. quasi plumam in loco cinerum proijcimus*. propterea etiam nō absq; mysterio, additur: *ad orientalem plagam*, idest, ad orientem versus, ibi enim decet effundi, & permanere cineres, vbi primi parentes superbiēdo peccarunt: tùm vt inde mortis, & cinerum nostrarum ortum, & originem cognoscamus; tùm etiam quia, vt ait Interlin. *inquisitio sublimium, ad orientem videtur esse.* benè ergo, & oportunè eo loco ponuntur cineres, subdit Interlinea, *vt cognoscat quia hæc digna sunt cinere, & in terra manere, non in cœlum ascendere.* Idipsum astruit alia cæremonia, quæ eodem capite præcipitur: *de Turturibus, & pullis Columbæ*, inquit, *offeret eam sacerdos ad altare, & retorto ad collum capite*, tunc enim caput ad collum retorquemus, cùm nostræ vitæ initiū cùm fine, ad quem properamus, coniungimus & mentem nostram ad postrema, seu nouissima conuertimus, quod si fiat, vt à Deo præcipitur, redditur sacrificiū nostrum optimum, & acceptabile.


Leuit.

Interlin. Superbia per plumas denotata. Theod.

Superbiā minuit, qui cinerem cogitat.

Interl.

Vitæ finē contemplatur qui se Deo sacrificat.



CAP.

CAPVT VI.

Mortis memoria opes contemnere docet.

1 D diuitiarum contẽptum, illis verbis in hodierno Euãgelio, nos excitat Christ° Dñs: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi erugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiũt, & furãtur.* Quoniã verò affectus huiusmodi diuitiarum humano generi adeò à natura insitus est, vt difficillimum sit illum compescere, ideo sancta mater Ecclesia, Dei spiritu ducta, efficacissimum, ad id assequendum, proponit motiuum, mortis, videlicet, recogitationem: *memento homo, quia puluis es, &c.* Cuius quidem motiui vis atq; efficacia, vt melius percipiatur, dixit: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi erugo, & tinea demolitur, & fures effodiunt, & furantur:* friuola sanè, & nullius ferè ponderis primo intuitu videtur hæc ratio, diuitias, scilicet, contemnendas esse, quia illas *erugo, & tinea demolitur, & fures furantur;* cùm & erugini, & tineæ, & furibus haud difficile sit, vel modica occurrere solicitudine. Adde, quòd alijs, & quidem longè efficacioribus rationibus poterat id Dominus persuadere, petitis vel ex incerta, & fallaci illarum assequutione; aut ex probabili animæ iactura, quam secum ferunt opes, iuxta non pauca Christi Domini testimonia; vel etiam ex laboribus, penè innumeris, quos subire oportet eos, qui diuitijs coaceruandis student. His tamen minimè enumeratis, eam reddit rationem: *Nolite thesaurizare, &c. vbi erugo, & tinea demolitur, &c.* quasi dicat: ne de diuitijs solicici sitis; namq; finem habere possunt, atq; perire ab erugine, à tinea, aut à furibus. Et sanè optima Christi Domini ratio; auaro enim homini, pecunias semper anhelanti, valde efficax est medium ad illas contemnendas, earundem incertus euentus, easq; amittendi non leue periculum, imò certus finis. Et quis immodico id amore prosequetur, de cuius diuturna possessione rationabiliter dubitat, cum ipsa morte corporis fieri certum est? Vnde S. Ambrosius *Pro magno*, inquit, *diligi non debet, quod fine concluditur.* Iam verò inordinatum pecuniarum affectũ huiusmodi, mortis consideratione compesci docuit Seneca Epist. 18. his verbis: *Nemo alius est Deo dignus, quàm qui opes cõtempsit; quarum possessionem tibi non interdico, sed efficere volo, vt illas intrepidè possideas; quod vno consequeris modo, si illas, tamquam exituras, semper aspexeris.* Nota, ly *vno cõsequeris modo*, quasi hæc tantummodo sit via, eaq; effi ax, ac cõpendiaria ad diuitiarum contemptum, mortis, videlicet, contemplatio. Meritò ergo dum opum indicitur abdicatio: *Nolite thesaurizare;* mortis memoria proponitur, *memento homo, quia puluis es, &c.*

2 Hæc si mente repetat auarus, vix fieri potest, vt diuitias non modò contemnat, sed omnem erga illas deponat effectum. Audi S. Greg. Pap. 18. moral. cap. 33. qui adducens verba illa Abrahæ Genes. 18. *Loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis, & cinis*, inquit: *Diues Abraham fuerat, qui Lazarum in sinu tenebat (eleemosynas, scilicet, elargiendo) ait tamen: loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis, & cinis; quid diuitias æstimabat, qui seipsum pulúerem, cineremq; putabat?* Seneca licet Ethnicus idipsum docuit, Epist. 62. inquiens: *Meditari mortem, qui dixit, liberalitatem iubet.* Et Brigittanus: *Qui finem*, inquit, *suum rectè secum cogitarit, non tanto studio, quæ huius vitæ sunt amplexabitur.* Huc etiam pertinet S. Gregor. Neocæsariensis Episcopi sententia, qui verba illa Ecclesiastici pluries à nobis in Supe-

Matth.

Nõ amãtur quæ deperdi possunt.

S. Ambr.

Seneca.

Non timet diuitiarum iacturã, qui de morte cogitat.

S. Greg. Pap. Genes.

De morte cogitans, diuitias contẽnit.

Senec. Ex mortis memoria, eleemosynarũ elargitio, & liberalitas.

S. Greg. Neocæs. Episc.

ioribus ponderata; *Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conui- ij: ibi enim cunctorum finis admonetur ominum, & viuens cogitat, quid futu- um sit*; sic vertit, vel glossat; *si quis hu manæ vitæ finem nactus fuerit, de his, quæ circa se sunt, nec timore, nec solicitu dine afficitur.*

3 Præclarissimum ad rem præsen- tem est Dauidis exemplum, qui pecca torum prosperitatem considerans, eam ægreferebat, ideoq; & ipse diuitias ap- petere cœpit, inquiens, Psal.72. ℣. 13. *Ecce ipsi peccatores, & abbundantes in sæculo, obtinuerunt diuitias; & dixi er- go sine causa iustificaui cor meum?* Pec- catoribus Propheta inuidebat, eò quòd nequaquam ipse, sicut & illi diuitiis af- flueret, vt enim inquiebat Socrates, *ni- hil bonis viris molestius, quàm malorum prosperitas.* Sed quandiu hoc ditescen- di desiderium in corde Prophetæ per- durauit, nisi quoadusq; de morte cogi- tare cœpit? Vnde subdit: *Donec intrem in Sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimis eorum*; idest (vt exponit Pater Agellius noster) *Donec intraui in Ec- clesiam, Deum oraturus, & eorum nouis sima intellexi*, hocest, mortem eorum consideraui: cùm enim ibi cœpit hoc meditari, terrena omnia fastidiens, ex clamauit, & dixit (vt in eodem Psalm. habetur ℣.25. *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Defecit ca o mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum?* quasi di- ceret; ex quo Ecclesiam, Deum oratu- us, ingressus sum, & nouissima homi- um, quorum mors est, perpendi, ac pe étraui, nihil in cœlo; neq; in terra vo ui *à te* idest *præter te*, qui es omne bo um, atq; immarcessibile: mundana, ve- ò omnia, sine continentur, ac conclu- untur. Ideò ad te raptus, & quasi ex- asi ductus, deliquio præssus, corpus & nima simul defecerũt. *Deus cordis mei.* cordis mei Dominus solus; non di- itiæ, neq; creatura alia illius vnquam btinebit dominium; Nec aliam in hoc mundo peto portionem, aut partem præter te: *& pars mea, Deus in æternũ.*

4 Huc pertinet, quod de Semiramide refert Plutarchus, quòd, scilicet, constructo sibi monumento, foris hæc verba iussit inscribi. *Quicumq; Rex pecunijs indiguerit, apertum sepulchrum, quantum opus est capiat.* Huius dicti nõ surdus auditor fuit Darius, thesaurorum cupidus; sed cùm illud aperiri iussisset, nequaquã pecunias, sed hæc scripta reperit verba: *Nisi vir malus esses, & pecuniarum inexplebili desiderio flagrares haud sanè loculos mortuorum commouisses: te quoque moriturum cogita, & pecuniarum non eris studiosus.* Quam sententiam, sic confirmauit Origenes in Epist. ad Rom. lib. 5. cap. 6. *Qui cogitat, vel existimat apud semetipsum, esse se mortuum, non peccat: v.g. Si me concupiscentia mulieris, trahit, si argenti, si auri, si prædij cupiditas pulset, & ponam in corde meo, quod moriturus sim cum Christo, & de morte cogitem, extinguitur continuo concupiscentia, & effugatur peccatum.*

Plutarc.

Semiramidis dictum in sepulchro

Origen.

Mortis memoria omnẽ extinguit cõ cupiscentiam.

5 Atq; hac de causa, reor ego, antiquiores homines, super terrena sepulchra, vbi mortuorum iacebant humata cadauera, seminabant, vt testis est Cicer. lib. 2. de legib. propter mortuorum, inquàm, recordationem, vt sic de messe, & frugibus copiosis, ac fructib. superfluis, minus essent soliciti; imò victui tantummodò necessaria exigerent. Hoc etiam medio vsus est Apostolus, vt homines præter victum, & vestitum, amplius nil appeterent, quòd, scilicet, vna omnes expectat dies, in qua sicut nudi de vtero matris egressi, sic etiam nudos è mundo oportebit proficisci. 1. ad Timot. 6. ℣. 8. *Nihil, inquit, intulimus in hunc mũdum, haud dubium, quòd nec auferre quid possumus*: sequitur, & concludit, quid ex hac mortis memoria retinendum sit: *habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* quasi dicat, superfluarum rerum, & diuitiarum cura, omninò abijcienda est morituris.

Olim sup sepulchra seminabatur. Cicer.

1. ad Timot.

De vita fine qui cogitat, paucis fit contentus

5 Satis aptum, ad rem, de qua agimus, probandam, existimo locum Can-

Cantic. cant.

ticorum

ticorum 7. ℣. 13. *Mandragora dederunt odorem suum in portis nostris*: ita ferè cõmuniter legunt, & distinguunt Latini Patres, licèt alij verba illa; *in portis nostris*, nectant cum sequentibus, hoc modo *: in portis nostris, omnia poma noua, & vetera &c.* Secuti itaq; Patres Latinos, quid sibi velit Spiritus sanctus, & quare *in portis, Mandragora* sint appositæ, erit explicandum. quod vt intelligatur, supponendum est ex Procopio, cui consentit Cassiodor. herbam hanc, quæ *Mandragora* nuncupatur, & de qua scribit Plin. lib. 25. cap. 3. in radice, quæ non admittit corpulentiam; formam præsefer-re, & effigiem humani cadaueris, destructis carnibus, ossibus solummodo consistentis; ea de causa Religiosissimus Rex Matthæus Cantacuzenus, in sua expositione in Canticum Canticorum, nuper à Patre nostro Vincentio Riccardo, viro eruditissimo ex Græco in Latinum translata, notisq; illustrata, per *mandrogoras*, defunctos intelligit: ait, namq; *mandragora dederunt odorem suum: illorum etiã, qui ad Inferos descenderant, facit hic mẽtionem: per hanc herbam, quæ in radice humanam refert formam, quæue radices in terra defossas habet.* Pia ergo anima, & Dei sponsa, asserit, se *in portis mandragoras* asseruatas tenere, veluti exemplar cadaueris humani, iam destructis carnibus, & in ossa tantùm deducti. Quod intuens, nonnisi supprema mortis memoria detẽtã fuisse sponsã, nõ est qui ambigat.

Procop. Cassiod.

Plin.

Mandragora, cadaueris humani effigies.

Matthæus Cantacuzenus.

7 Quo posito, sunt qui asserunt verba illa *: in portis nostris*, idem esse, ac *in ædibus nostris*, per Synecdochem, sumendo partẽ pro toto, vt notat noster Ghisler. hoc loco, quod ab aliquibus refertur ad ædes vrbanas, ab alijs ad agrestes, seu domos Villarum: quocumq, tamen modo sit, semper verum est, piam animam, & Dei sponsam, siue in Ciuitate inter humana negotia, & mundi curas constitutam; siue in villis ab omni hominum consortio semotam, vel ad animi relaxationem in locis delitiarum demorantem; semper tamen, & vbique *mandragoras* secum deportasse, vt figuram, formamq; humani cadaueris aspiceret, mortemq; contemplaretur. Quantum verò ex hac mortis memoria profecerit, ostendit, cùm statim subdit, cap. 8 ℣. 1. *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te, &c.* Quibus verbis, & sequentibus, solitudinis desiderium ostendit, & maximi amoris, zelotypiæ, & affectus ad nuptias properantis dat signa, vt legenti patebit. Accedit quòd ex peculiari proprietate, amoris conciliatrix sit *mandragora*, vt ex Theophrasto lib. 9. histor. plant. cap. 10. & ex S. Epiphanio in physiologo cap. 4. colligit noster Ghisler. Quod indicatur etiam per verba, quæ sequuntur: *omnia poma noua, & vetera, dilecte mi, seruaui tibi*: quo loco versio Hebraica habet *: amorem meum seruaui tibi*: nam per poma amorem denotari, tum ex sacris, cùm etiam ex profanis habemus.

In domibus mortis effigies retinenda Ghisler.

Inter mũdi curas, inter delitias, & in solitudo mortis habenda memoria.

Mortis memoria, solitudinẽ charitatẽ, & cum Deo despõsari petit anima. Cant. cant.

Mandragora amorẽ cõciliat Theophra. S. Epipha.

8 Est & alia interpretatio, quam idem Ghisler. loco citato refert, vt idem sit: *in portis nostris*, ac *in manibus nostris*, seu *ad manus nostras*, vel *in promptu* iuxta consuetam Hebræi sermonis phrasim. Qua propter hic poterit esse sensus verborum sponsæ: non solùm in domibus, & in ædibus nostris hãc nost æ mortalitatis effigiem teneo, imò adeò promptam expeditam, & in promptu habeo, vt quasi in manu, & veluti in anulo effictam, & efformatam gestare videar, & in conspectu feram, ita vt quotiescunque mundi huius cupiditate aliqua allicior, & excitor ad concupiscentiam, mortis hanc effigiem in promptu habeo, ne à rectitudine aberrem. Quem loquendi morem Sacræ scripturæ conformem, vsurpauit etiam Seneca, qui loquens de fortuna, varios sibi promittente honores, & bona vitæ huius, inquit, Epist. 51. *Ego illam feram, cùm in manu mors sit?* quasi graue aliquod onus existimãs, quæ à fortuna consequi potuisset, cui impares suas iudicabat vires ad sustinendum, ideò ait: *ego illam feram?* redditq; rationem: *cùm in manu mors sit?* idest, quia quotidie, assiduè, & in promptu, veluti

Ghisler. In portis, idem ac in manibus.

Mortis memoria in manu, in prõptu habenda, ad peccata vitanda.

Seneca. Mundi bona, onus extimat, qui mortẽ recolit.

sculptam, gesto mortem, quicquid optimi fortuna pollicetur, non solum non exopto, nec annuo; sed potius, veluti rem onerosam, & fastidientem, ferre non valeo. Eadem dicendi metaphora vsus est Spiritus sanctus in lib. Deuteronomij; quo loco, postquam legem Moysi tribuit, ait cap. 6. ℣. 5. 6. *Eruntq; verba hæc, quæ ego precipio tibi hodie, in corde tuo: & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atq; consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntq; & mouebuntur inter oculos tuos, scribesq; ea in limine & ostijs domus tuæ.* Vide ergo quomodo, ne populus Dei legem obliuisceretur, imò in ea die, noctuq; meditaretur, cordiq; inhæreret; *in manu* præcepit Deus, vt ligatam haberent, & *in limine, & in ostijs domus* scriberetur. Simili itaq; modo ad habendam iugem mortis memoriam *mandragoras,* quæ vt diximus cadaueris humani, carnibus exuti, forma sunt, & exemplar, pia anima *in portis, in domibus, & in manibus* habet, idest semper, & vbiq; habet, ac meditatur, vti exposuimus.

Deuteron.

Habere legem in manibus, est, semper & vbique habere.

9 Sed ad sensum nostrum, quem in hoc capite intendimus, præfata sponsæ verba explicat Ludouicus Soto maior, & alij, nimirum: *in portis nostris,* idem importare, ac *in locis iudicij, & tribunalibus;* quæ loquendi phrasis frequentissima est in scripturis. Psalm. 126. ℣. 6 *non confundetur, cùm loquetur inimicis suis in porta,* idest vt exponit Pater Agell. noster: *coram senioribus, atq; Concilio, alacriter, ac fortiter; aut pro sua causa disceptabunt, &c.* Quā ab causam verò in iudicij foribus, *mandragoras,* quæ mortis effigiem præseferunt, constitui mandarit Spiritus sanctus; ratio est expendenda. Eam ego existimo, quam ex Iudicum prauis moribus colligo: sunt nanq; pecuniarum auidissimi, & idcirco peruertunt iudiciū, & iustitiam, & magis student auaritiæ, quàm legibus, quas ignorant. vnde dicebat Isai. 1. ℣. 23. *Principes tui,* idest, *Iudices, infideles, socij furum: omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non iudicant: & causa viduæ non ingreditur ad illos.* Et 1. Reg. 8. ℣. 1. *factum est autem, cùm senuisset Samuel, posuit filios suos Iudices Israel: fuitq; nomen filij eius primogeniti Ioel: & nomen secundi Abia, Iudicum in Bersabeæ. Et nō ambulauerūt filij illius in vijs; sed declinauerunt post auaritiam, acceperuntq; munera, & peruerterunt iudicium.* Vt autem tantæ ministrorum, & Iudicum cupiditati mederetur Spiritus sanctus, in loco, in quo Iudices iudicaturi consedebant, *mandragoras,* quæ humani cadaueris, consumptis carnibus, est exemplar, & forma constitui, & collocari mandauit, vt in illas intuentes, seq; similiter morituros, considerantes, omnem pecuniarum affectum dimitterent, sicq; iustè iudicarēt, & suum cuiq; tribuerent. Hūc sensum firmat perpulchrè Procopius: *& ne auaritia,* inquit, *effrenis erumperet, rectè Spiritus sanctus in loco iudicij mandragoras collocauit.* Benè, *auaritia effrenis,* dicitur, veluti æquus, qui frænum ore depulit: *cauallo effrenato,* qui coerceri, & edomari non potest, cui tamen mortis memoria fræni loco est; de qua re dicemus cap. 9. in paraphrasi Psalm. 38. ℣. 2. Effectum istum contemptus nimirum diuitiarum, & omnium bonorum, in pia anima, Dei sponsa, ematum ex mortis memoria; seu *mandragorarum* aspectu, colligo ex loco citato Canticorum, cùm enim dixisset: *mandragoræ dederunt odorem suum in portis nostris,* subdit immediatè: *omnia poma noua, & vetera, dilecte mi, seruaui tibi:* idest quicquid habeo, & possideo, siue per hæreditatem, à maioribus mihi relicta, quæ sunt *poma vetera,* siue à me industria, & laboribus acquisita, *seruaui tibi,* non mihi, nec meis, sed *tibi,* nulla re mihi retenta. Scio aliquos, inter quos S. Ambros. ser. 22. in Psalm. 118. ℣ 8. per *poma noua, & vetera,* præcepta, & leges noui, & veteris testamenti exponere. Si lectori hæc placuerit explicatio, dicat, ideò *in portis, in domibus, in manibus, & in loco iudicij* appositas mandragoras, quæ mortui figuram præferrent, ne Dei leges violarentur, ad qua-

Soto maior.

In portis idem est, ac in loco iudicij.
Psalm.
Agell.

Iudices pecuniarum auidissimi

Isai.

1. Reg.

Mortis memoria pecuniarū cupiditatē tollit.

Procop.
Frænum auaritiæ est mortis memoria.

Nil sibi reseruat, qui mortē meditatur

S. Ambr.
Beda.
Poma præceptorum Dei, figur

Dei leges seruat, qui mortem recolit.

rum

rum custodiam mortis iuuaret memoria. Ideo Deo deuota anima, postquam dixerat; *mandragoræ dederunt odorem suum in portis nostris*, subdit: *omnia poma noua, & vetera, dilecte mi, seruaui tibi.* seu leges, & præcepta tua quæcunque tradidisti seruanda, seruaui, opereque compleui.

10 Quòd si thesaurorum sit quis studiosissimus, mortis memoriã apud se habeat, sic enim cœlestibus ditabitur, & affluet diuitijs. Optimus ad id probandũ est locus Psalm. 67. ℣. 14. *Si dormiatis inter medios cleros, penna Columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri.* Pro cuius loci intelligentia inter nonnullas, quæ adduci solent, expositiones, illud hic ex Pierio Valeriano lib. 22. tit. de Columba, operæpretium est annotare, futuræ felicitatis, ac diuitiarum hieroglyphicum fuisse apud veteres Columbam, cuius dorsum auri specie micaret; vnde Suetonius in Domitianum cap. 15. Cùm aureum gibum sibi accessisse Domitianus Imperator per quietem vidisset, maximam felicitatem, ac diuitias affuturas, aruspices existimarunt. Hoc prænotato, verborum Psalmi hic potest esse sensus (vt etiam placet nostro patri Agellio) *Si cubetis, taceatisq; in medio duorum agrorum, terramq; excolatis, eritis sicut Columba, cuius pennæ deargentatæ, cuius dorsum auri colore coruscat*, idest, si moralem sequi velimus interpretationem, qui excolit terram sui corporis; qui sedet in puluere, hoc est in mortis consideratione persistit. hic terrenis thesauris abdicatis, diuitijs, thesaurisq; ditabitur cœlestibus, ideò dicitur *nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, &c. thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo*, veluti thesauros pennatos, & columbarum, quæ cœlum petunt, & aspiciunt. Cuius rei satis expressam in sancto Iob cap. 42. ℣. 10. figuram habemus, cui in cinere sedenti, *reddidit Dominus duplicia*, vt propterea non immeritò dixerit S. Chrysostomus homil. 49. in Matth. *Serui Dei libenter de morte sua cogitant, vbi enim thesaurus eorum, ibi & cor est:* immensus quippè thesaurus est mors, & mortis meditatio. Benè igitur hæc duo nectuntur: *memento homo quia puluis es, &c.* & *thesaurizate vobis, &c.*

Psalm. *Pier. Valer.* *Columba dorso deaurata, felicitatis omen.* *Suet. in Domitia.* *Agellius* *Mors, mortisq; meditatio thesaurus* *Iob.* *Chrysost.*

CAPVT VII.

Mortis memoria, Amorem in Deum, & Proximum accendit.

1 Vàm anxiè, auideq; amorem erga se nostrũ exoptet Deus, ex repetitis ex postulationib' per Ioelem in Epistola, & per Matthæum in Euangelio præcipuè colligitur; ait namq; Ioel 2. ℣. 12. *Conuertimini ad me in toto corde vestro*; & iterum ℣. 13. *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra:* quod, vt faciliùs assequamur, feruentissimum suum erga nos amorem, & zelum ostendit ℣. 18. *Zelatus est Dominus terram suam, & pepercit populo suo.* Item per Euangelistam cor nostrum in Cœlo collocandum, firmiterq; manendum præcipit: Matth. 6. ℣. 20. 21. *Thesaurizate vobis thesauros in Cœlo; vbi enim thesaurus tuus, ibi est & cor tuum*; Aptissimum autem remedium ad amorem hunc conciliandum, mortis est memoria; ideò, dum charitatem à nobis Deus exigit, mortis obijcit memoriam: *memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Quoniam autem charitatis præceptum ad Deum, & proximum dirigitur; quomodo ex mortis memoria, amor hic oriatur, explicabimus.

2 Cupidinem, quem amoris Deum fabulantur, è terra ortum habuisse, & originem contendit Hesiodus. Item Salamandra, quæ amoris est hieroglyficum, amorisq; nutrimentum denotat, vt ait Pier. lib. 16. titul. de Salamandra; ter-

Deus; amoris nostri cupidus. *Ioel.* *Matth.* *Hesiod. Cupido, ex terra habuit originem Salaman, amoris typus. Pier.*

ram pulueris; putredinem, matrem habere, tradit Plin. lib. 10. cap. 6. Amorem igitur nostrum erga se, & proximum, exoriri curans Deus, puluerem, hoc est, mortis apponit memoriam: *memento homo, quia puluis es &c.* Sanctus Paschasius in eius, quod dicimus, confirmationem, exponens illa verba Threnorum 3. ℣. 29. *Ponet in puluere os suum, si fortè sit spes,* inquit, *principium est nostræ professionis, in puluere os ponere, & momentis singulis quòd cinis, quod puluis sumus, cogitare, ex quo rursus spes nobis germinetur ac dilatetur charitas.* habes ergo ex S. Paschasij sententia, primum omnium ad Deum se conuertenti, de sua morte cogitandum, indeq; exordiēdum, ideo ait: *principium est nostræ professionis in puluere os ponere*; Et non rarò, sed vt ait; *momentis singulis, quòd cinis, quòd puluis sum cogitare,* ex puluere enim hoc, & mortis meditatione docet *germinare* pullulare, nasciq; *ac dilatari charitatem,* imo & *spem*, quæ altera est ex Theologicis virtutibus.

3 Videtur mihi in hac re illud nobiscum agere Deus, quod de Struthione tradunt Naturales, nimirum, non proprio, ac naturali calore sua oua fouere, sed in terra collocare, puluere operire, quo incalescunt, sicq; erūpere ad lucem pullos; vnde Iob 39. ℣. 14. *Quando derelinquet.* scilicet Struthio, *oua sua in terram, tu forsitan in puluere calefacies ea?* peccator Struthioni comparatur. Ier. Thren. 4. ℣. 3. *Filia populi mei quasi Struthio in deserto*; at verò sub puluere sternimur hodie; capitibus nostris puluis imponitur, vt inde accendamur, foueamur, & dicere possimus cum Isaia 26. ℣. 18. *à facie tua Domine concepimus, & quasi parturiuimus spiritum salutis*, qui vtique charitas est. vnde Lyran. *intelligitur*, inquit, *feruens desiderium.*

4 Atq; hoc est, quod aiebat Regius Psaltes Psalm. 118. ℣. 6. *Omnis consumationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis*, & sensus est: *rei consumatæ, seu quæ consumitur, vidi finem*, talia sunt omnia corruptibilia, mortiq; obnoxia, præcipuè homines; & est sensus: omnium rerum, quæ sub Cœlo sunt, finem aspexi, ac meditatus sum. Symmachus vertit: *Omnis apparitionis vidi terminum.* vbi nota, quod rectè dixit: *Apparitionis*, enimuerò omnia, quæ in mundo sunt, *apparentia* quodāmodo dici possunt, vtpotè, quæ vix oculis exposita, & orta, decidunt; vix in mundo apparent, statimq; nostrum effugiunt conspectum: horum ergo terminum inspexi, finem consideraui; seu vt Sanctus Damascenus explicat: *omnium finem consideraui*, & Theodoretus: *Humana omnia finem habent, & finem celerem.* Quid ex hac consideratione ò Propheta? *Latum*, subdit *mandatum tuum nimis.* Quod *mandatum*? Illud sanè de quo Matth. 22. ℣. 36 *hoc est primum, & maximum mandatum in lege; diliges Dominū Deum tuum ex toto corde tuo, secundum autem, simile huic, diliges Proximum tuum, sicut te ipsum.* Mandatum, inquam, amoris, iuxta Sancti Ambrosij, & Sancti Augustini expositionem, quod hic antonomasticè, *Mandatum* dicitur. Et sensus est: Ex quo meditari cœpi, humana omnia fine concludi; Dilectionis *mandatum* non me arctat, non me angit, ac premit; sed *amplum, latum, spatiosumq;* mihi videtur, adeo vt facillimum existimem per illius viam, alioqui arduam, ac difficilem progredi.

Mūdana omnia apparentia sunt.

Damasc.

Theodor.

Matth.

Amoris præceptū facile mortem meditanti.

S. Ambr.

S. Aug.

5 Quod si per *mandatum* vniuersam legem intelligas: iam ex hoc habes perfectam conuersionem, à Domino hodie intentam, ex mortis meditatione oriri, cùm enim hoc in præceptorū obseruatione consistat, quæ ex se ardua est, atque difficilis Matth. 7. ℣. 14. *Arcta est via, quæ ducit ad vitam*; tamen mortem meditantibus, non *arcta*, imò *plana lataq;* redditur: *latum*, inquit, *mandatum tuum nimis*: sed quare quia *omnis consumationis vidi finem*, quia rerū omnium, vitæq; humanæ præcipuè interitum, finemq; meditatus sum.

Lex sanctè facilè impletur mortis meditatione.

Matth.

6 Hæc mortis meditatio in S. Iob maximum amorem in Deum excitauit, ait

ait namque de seipso cap.30.℣.19. *comparatus sum luto, & assimilatus sum fauillæ, & cineri.* ideo certè *fauillæ* ardenti similis factus sum, ignemq; suscepi Diuinum, quia *luto, ac cineri comparatus sum,* dum me mortalem meditatus sum, & cogitaui; inseparabili enim nexu, ac vinculo iunguntur *lutum*, & *fauilla*, *cinis*, & *ignis*; mortis scilicet meditatio, & charitas.

Cineri mortis, diuinus ignis iungitur.

7 Mortis memoria amorem excitari, probatur etiam Psalmo 72. ℣. 6. *Velut somnium surgentium, Domine, in Ciuitate tua, imaginem ipsorum ad nihilum rediges: Inflammatum est cor meum, &c.* Quorum verborum hic est sensus: Ego cogitaui vitam humanam, & omnia terrena, dignitates, diuitias, & si quæ alia sunt, esse velut *somnium*, nec simpliciter *somnium*, sed *somnium surgentium*: magni quippe interest inter sōnium somniantium, & somnium surgentium; nam, qui somniat, dum dormiens, actu somniat (quod est somnium somniantium) se diuitem esse, magnatem, Principem &c. in ipso somnio delectatur, se talem esse, qualem se somniat; cùm verò expergiscitur, è somno surgens, non modò de somnio non gaudet, imò somnium reminiscens, tristatur maximè, considerans, se talem non esse, qualem somnia demonstrarunt: itaque somniantium, & dormiētium somnium, lætitia; surgentium verò, mœror ingens comitatur: ait ergo Dauid: Mecum cogitaui mundana omnia, veluti quoddam *somnium*, esse; *somnium*, inquam, non quidem dormientium, in quo reperire est aliquam delectationem, sed *somnium surgentium*, amaritudinibus repletum, breue, & exiguum, ac penè momentaneum, quicquid in hac vita delectationis speciem habere videtur: sed, & *ipsorum Imaginem*, idest hominum vitam, quam idem Dauid imagini etiam comparauit: Psalmo 38. ℣. 7. *in imagine*, vel, vt alij legunt, *in vmbra pertransit homo.* veluti vmbra, seu adumbrata imago, breui euanescit, ad *nihilum rediges*: hæc omnia Dauid considerans, amore quàm

Psalm.

Somnium somniantium, & surgentiū quid inter se differant.

Mundana omnia sōnium sūt amaritudinibus repletum.

Psalm.

maximo exarsit, ideo subdit statim: *Inflammatum*, inquit, *est cor meum*, nimio erga Deum, & proximum, exarsi amore, ardenti charitate flagraui, cùm humanæ vitæ, meiq; finem cōtemplatus sum. vnde Interlin. *inflammatum est*, inquit, *cor meum zelo, vel amore Dei.* S. August. *cor meum inflammatum est, vel delectatum amore Dei, & tunc renes mei, carnales, scilicet, delectationes commutatæ sunt in spirituales*, perfectissima, videlicet, & diuina transmutatione, ac metamorphosi, ipsa operante mortis memoria. Et Lyran. *inflāmatum est cor meum per Dei puram delectationem.*

Charitas succenditur de morte cogitans.

Interlin. S. Aug.

Lyran.

8 Huius rei figuram habemus 3. Reg. 6. vbi Salomon templi lapides vermine quodam, qui *Samir* dicitur, quadrauit, aptauitq;. Est autem *Samir* (vt hoc obiter notem) teste Lyran. vermis quidam, cuius sanguis excauandi, & incidendi lapides vim habet; *& ita*, inquit Lyranus, *fuerunt scissi lapides in templo Salomonis.* Sanè per vermem mortis meditationem signari, non est incongruum: ea enim homo suæ ignobilitatem naturæ cognoscens, cum psalmographo cogitur exclamare Psalm. 21. ℣. 6. *Ego autem sum vermis, & non homo &c.* & Iob 25. ℣. 6. *homo putredo, & filius hominis vermis.* hac ergo meditatione, hoc vermine cor nostrum inciditur, ad pœnitentiam scinditur, Ioel 2. ℣. 13. *scindite corda vestra, & conuertimini ad Dominum &c.* aptaturq; vt dignum fiat Dei habitaculum, ac dici possit, Roman. 5. ℣. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* nam, vt dicitur 1. Io. 4. ℣. 16. *Deus Charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo:* & iterum 2. Corinth. 6. ℣. 16. *vos enim estis templum Dei viui, sicut dicit Deus: quoniam inhabitabo in illis &c.*

3. Reg.

Vermis Samir lapides excauat.

Lyran.

Psalm.

Iob

Mortis memoria Dei templum efficimur.

Roman. 1. Ioan. Corint.

9 Maximus ostenditur amor animę ad Deum. Ier. 2. ℣. 2. *recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, & charitatem desponsationis tuæ &c.* sermo est de amore sponsi, & sponsæ, sponsationis tempore, qui feruentissimus est, nec alius similis huic; & sub huius simi-

Ierem.

Amor desponsatorum feruentiss.

litudine

litudine explicatur amor animæ ad Deum sponsum: vnde Vatabl. & Pagninus vertunt: *Et charitatem desponsationum tuarum*, seu *Sponsalium tuorum*. Quàm verò ingens fuerit hic amor, colligitur ex lectione Septuaginta, qui pro *charitatem desponsationis*, vertunt: *dilectionem perfectionis tuæ*, idest, dilectionem summam, ac perfectissimam; si autem quæras quo tempore amoris hic æstus, & perfectio tanta charitatis in anima fuerit, *quando*, inquit, *secuta es me in deserto*, non aliàs, nec alibi, nisi quando in deserto morabatur. Sed quid terræ desertæ, & inhabitabili, cum amore feruentissimo erga Deum, præsertim, cùm ibi multa defuerint, quæ amorem conciliare solent? At subdit Ier. ℣. 6. *traduxit nos per desertum, per terram inhabitabilem, & inuiam: per terram sitis, & imaginem mortis*. Erat desertum hoc imago *mortis*, vel ob certum, & imminens mortis periculum, propter terræ sterilitatem, & ariditatem; vel quia, vt ait Lyranus, igniti ibi erãt, ac venenosissimi serpentes, vt dicitur Deuter. 8. ℣. 11. qui morsu, ac veneno interficiebant, si qui illuc accedebant; vel quia decidentes ibi præ siti, & fame homines, in puluerosa illa terra exanimati corporis relinquebant impressam formam, ideoq; erat ibi *imago mortis*, vel *mortui* (vt pluribus explicabimus cap. 8. nu. 15.) quid ergo mirum, si ibi spõsatur Deo anima, amorisq; feruẽtissimi ostenditur æstus, vbi mortis imago non vna, & memoria iugiter perseuerat?

Votabl. Pagnin.

Septuag.

Mortuorum loco Deo anima despõsatur, & feruet charitas.

Lyran.

10 Cùm ergo mortis meditatio tantam habeat vim ad amorem excitandum, mirũ non est, si ea inimicitiæ quoq; ac iurgia inter homines componantur; Sic cùm apum inter se prælia maximè feruent, iactu pulueris res tota componitur. haud aliter inter homines iurgia, ac conuicia puluere, hoc est; mortis meditatione mitescunt. vnde Eccli. 28. ℣. 6. *memorare nouissimorum tuorum, & desines inimicari*.

Iratos animos puluis nostræ mortalitatis conciliat.

Eccli.

11 Sic etiam de sanguisuga scribit Galenus, quòd ab attrahendo sanguine non desistit, donec cinere eius os aspergatur. Hominem iratum, vindictæ cupidum, non immeritò sanguisugę assimilabimus, quia sanguine videtur pasci, & ad proximi sanguinem effundendum celeri gressu festinat. vnde dicit S. Chrysost. *Ira est homicidij mater, & sanguinis bibax*. Et quidam iratus apud Plautum in Epidi. *Horum*, inquit, *exsugam sanguinem*. Igitur cinere, ac mortis memoria aspergatur cor rixantis, & inimici, sicq; omnem aduersus proximum deponet indignationem, ideo cinere aspergimur illis verbis: *memento homo, quia cinis es &c.*

Galen.

Chrysost.

Ira, sanguisugæ comparatur.

Mortis memoria à proximorũ sanguinis effusione abstinemus.

12 Præclarissimum ad rẽ præsentẽ habemus exẽplũ 2. Reg. 14. vbi Absolonẽ, filium suum perduellem, simulq; cũ eo omnes eius comilitones dispergere cogitabat Dauid; At ingressa ad eum mulier illa Thecuitis, iratum Regẽ placare cupiens ℣. 11. *Recordetur*, inquit, *Rex Domini Dei sui, vt non multiplicentur proximi sanguinum ad vlciscendum, & nequaquam interficiãt filium meum*. Vt autem hoc facilè assequeretur, aptius inuenire non potuit medium, quàm communem omnium interitum commemorare ijs verbis: *omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur super terram, quæ non reuertuntur*: quibus auditis, Rex respondit: *Ecce placatus feci verbum tuum. vade ergo, & reuoca puerum Abſalon*. Vide quomodo Regem, nimis arduam vindictam sumere machinantem, sola mortis commemoratio mitem reddidit, ac mãsuetum, & odium vertit in amorem.

2. Reg.

Dauid, se mortiturũ cogitans, à sanguine inimicorum abstinet.

13 Hæc absque dubio est Ierem. sententia Thren. V. 29. *dabit in puluere os suum, si fortè sit spes*: quorum verborũ hic est sensus: cùm se inimicis vallatum aspexerit, vt ab eis nihil non timeat mali, *ponet os suum in puluere*, nihil illis respondendo, & *sic erit spes patientiæ*. Audi S. Ambrosium ser. 10. in psalm. 118. *Dabit*, inquit, in *sepulturæ fossuram os suum, si tunc est spes patientiæ*, idest, ponet os suum, velut mortuum in sepulchro, in quo perpetuum est silentium, & tunc ne vel verbo quidem inimicum

Thren.

S. Ambr.

Patientia ex mortis memoria.

lædet

lædet. Clariùs paucis interiectis idem confirmat S.Ambrosius, *quia*, ait; *dabit in sepulturam os suum, ostendit quidem supramodum taciturnitatem, vt tãquam sepeliat os suum, ne loquatur* (en' os in sepulchro positum, velut mortuum) *Et veluti quodam aggere virtutum obstruat,* (en' lapis positus supra sepulchrum, ad tegendum humatum corpus) *ne vocem doloris emittat, tantum pondus afferens patientiæ, quàm spes foueat, vt vocem ipsam, velut busto quodam, ac tumulo sepeliat, ac includat, quam nulla extorquere, nulla excitare possit iniuria.*

S.Amb. Mortem meditans, nec verbo offendit inimicum.

14 Laban contra Iacob indignatione maxima efferuescebat: Genes. 31. ℣. 23. qui scilicet, Laban, *assumptis fratribus suis, persecutus est eum*, scilicet, Iacob, *diebus septẽ*, & absq; dubio peremisset, nisi Dei peculiari protectione custoditus fuisset: vnde dixit Laban ad Iacob: ℣. 28. *stultè operatus es; & nunc valet manus mea reddere tibi malum, &c.* Iacob quoq; contra Laban vehementer indignatus est, ad quem ait ℣. 36. *tumensq; Iacob* (eò quòd, tamquam contra furem, egisset contra eum, vt dicitur in text: *cum iurgio ait: quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum sic exarsisti post me?* idest, *nimio odio me persecutus es?* vt inquit gloss. sed ne amplius rixarentur, cogitauerunt de fœdere incundo in præsenti, & in futuro: ℣. 44. *veni ergo, & ineamus fœdus*; sed inspice modum: *tulit itaque Iacob lapidem, & erexit illum in titulum, dixitq; fratribus suis; qui congregantes fecerunt tumulum, comederuntq; super eum, & post hoc dictum est: tumulus iste, & lapis sint in testimonium, si aut ego trãsiero illum pergens ad te, aut tu præterieris, malum mihi cogitans.* Assumitur *tumulus*, qui & *sepulchrum* etiam denotat, in testimonium fœderis, & rixantium quietem, & pacem, quia tumulus, mortuorum, videlicet locus, vbi mortuorum adest memoria, inimicitias aufert, turbatos animos componit. Et si aliquando in Laban, aut in Iacob iniuriarum, & discordiarũ reuiuixisset memoria, tumuli memoria, aliam deleret memoriam, agereq; tumulus pacificatoris partes, & rixas, & odia inter Laban, & Iacob componeret.

Genes.

Gloss.

Odij componendi mortuorũ tumulus est mediũ

15 Adest ad hoc optimus locus Eccli. 8. ℣. 8. *Noli de mortuo, inimico tuo gaudere*; idest ne ita exardescas, ira, & odio contra inimicum tuum, vt etiam (quod Barbari horruerunt) in prostratum, & extinctum sæuias. Interlinear. sic exponit: *hoc est dicere, diligite inimicos vestros.* Addit Spiritus sanctus remedium, & medium, vt hoc faciliter, & suauiter fiat: *sciens, quoniam omnes morimur*, Lyran. *Noli de mortuo, inimico tuo, gaudere, & subditur causa: sciens, quoniam omnes morimur, quia nihil morte certius.* & Vgo Card. exponens eandem scripturam psalm. 32, Sic commentatur; *Noli de mortuo, inimico tuo, gaudere, sciens quoniam omnes morimur, quasi dicat: memorare nouissima tua, & in æternũ non peccabis:* præcipuè peccato odij, & vindictæ contra inimicum.

Eccli.

Interlin.

In mitorũ malo, mortẽ meditans, nõ gaudet. Lyran. Vgo Card.

16 Fuit apud Veteres (teste Pier. Valer. lib. 3. ferocitatis hieroglyphicum, Taurus, Ne autem in homines animal hoc, nimis crudeliter, & ad necem sæuiret, fœnum cornibus imponebant, vnde illud Horatij:

Fœnum habet in cornu.

Inimicus, qui aduersarijs insultat, Tauro comparatur: Psalm. 43. ℣. 8. *inimicos nostros ventilabimus cornu*, idest, vt exponit Genebrard. cornibus petemus, offendemus, & insultabimus. Volens autem Sancta Ecclesia ferociam compescere inimicantium, & rixantium hominum, ne inimicos lædant: in ipso capitis vertice fęnum apponit, idest, nostræ carnis mortalitatem, caducitatemq; Isai. 30. ℣. 6. *omnis caro fęnum*; puluerem capiti imponit illis verbis: *memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.*

Pier.

Taurus, ferociæ hieroglyphicum.

Psalm.

Genebrar.

Puluis nostræ mortalitatis, ferociam compescit.

Isai.

17 Aliorum, & suam pręcipuè, quã ab inimicis sustinebat, persecutionẽ pluribus notam facit Rex Dauid Psalm. 43. ℣. 7. *Saluasti enim nos de affligentibus nos, & odientes nos, confudisti* ℣. 10. *auertisti nos retrorsum post inimicos no-*

Psalm.

ſtros,& qui oderunt nos,diripiebant ſibi. Etiam ℣. 13. *poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtris, ſubſannationē, & deriſum his, qui in circuitu noſtro ſunt*. Nec non ℣. 16. *à voce exprobantis,& obloquentis, à facie inimici, & perſequentis*. Et alijs in locis eiuſdem Pſalmi. Se autem, & alios,tot,tantiſq; inimicorum calumnijs, & perſecutionibus petitos,minimè fuiſſe aduerſus hoſtes turbatos,ſed æquo animo, patientiq; tuliſſe, ita vt contra Dei legem ad odia inimicorum minimè declinauerint, fatetur ℣. 17. *Hæc omnia venerunt ſuper nos, nec obliti ſumus te, & iniquè non egimus in teſtamento tuo, & non receſſit retrò cor noſtrum &c.* Virtutis autem huius inſignis quidem, & eminentis cauſam, vt ſe continerent, ne ad odia, rixas, & prælia dilaberentur, aliam non fuiſſe, niſi mortis memoriam teſtatur, dum ſtatim ſubdit ℣. 19. *Quoniam humiliaſti nos in loco afflictionis & cooperuit nos vmbra mortis.* Vbi nota, quod per *vmbram mortis*,aliquid morti ſimile, ſeu adumbratum, & efformatum intelligit, ideſt, locum quendam ſubterraneum, obſcurum, & veluti obſeratum, in quo latentes, dum inimicorum furorem declinabant,veluti corpora emortua, ſepulchris incluſa, detinebantur. Senſum hunc colligo ex noſtro Patre Agell. qui,inquit: *Aptiſſimè autem habet Quinta editio, tamquam operculum, impoſuiſſe nobis vmbram mortis.ſolent enim, quos in foueis, atq; cauernis vinctos tenent, mole ad os ſpeluncæ, aut foueæ impoſita, claudere, vt ne exiguum quidem lucis aſpiciant. eiuſmodi Clauſtrum, ac moles impoſita, nihil aliud eſt, quam vmbra ipſa mortis, qua tamquam mortui, ac ſepulti detinentur*. in hoc ergo loco conſtituti, in quo *vmbra mortis* erat, & veluti ſepulchri humani effigies, forma, & imago, non inimicorum necem, & ſanguinem, ſed amorem, & charitatem meditabantur.

18 Regi Dauid eueniſſe hoc legimus, dum fugeret à facie Saul, eum ad necē quærentis 1.Reg.24. ℣.34. *Aſſumens ergo Saul tria millia electorum virorum ex omni Iſrael, perrexit ad inueſtigandum Dauid, & viros eius &c.* ℣.4. *porrò Dauid, & viri eius, in interiori parte ſpeluncæ latebant:* Erat ſpelunca hæc,in qua ſe abdidit Dauid,*vmbra*, ſeu *imago* mortis, & ſepulchri humani effigies: namq; in ſpeluncis antiquitus cadauera humabantur,vt dicitur Geneſ. 25. ℣. 9. *Et ſepelierunt eum Iſaac, & Iſmael filij ſui in ſpelunca duplici, quæ ſita eſt in agro Ephron &c.* & in ſpecie ſpelunca hæc,in qua Dauid abſconditus eſt, ſepulchri fuiſſe typum,docet Gloſſa Doctorum Duacenſium ex Rabbano, & Eucherio. hoc in loco poſitus in hac *ſpelunca* delitеſcens Dauid, quæ vmbrā mortis figurabat, inimicum perſequentem Saul,potens occidere,abſtinuit, vnde ait Dauid ad Saul, poſtquam oram Clamydis illius ſilenter præcidit: ℣. 11. *Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manu mea in ſpelunca; & cogitaui vt occiderem te, ſed pepercit tibi oculus meus &c.* quaſi diceret: venit quidem in mentem, ſuggeſſit mihi diabolus vindictam,non tamen acquieui, ſed peperci;quomodo enim potuiſſet mortem alteri inferre,qui de ſua morte *in ſpelunca*, quæ *vmbra*,ſeu *imago & effigies* mortis erat, conſtitutus,cogitabat.

In vmbra mortis cōſtitutus, inimicis parcit.

Geneſ.

Gloſſ.DD Duac.

19 Experimento probatū idipſum legimus in Propheta Elia. Excanduerat enim,& indignatione maxima efferbuerat Elias aduerſus Regem Achab, & populum,quapropter 3.Reg.17. ℣. 1. *dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad ad Achab: viuit Dominus Deus Iſrael, in cuius conſpectu ſto, ſi erit annis his ros, & pluuia,niſi iuxta oris mei verba.* propenſus ad clementiam Deus, vt mitem placatumq; redderet Eliam, dixit illi ℣. 8. *ſurge, & vade in Sarephta Sidoniorum & manebis ibi; præcepi enim ibi mulieri viduæ, vt paſcat te.* In quæ verba S. Chryſoſt. homil. 1. de Elia, inquit: *Elias tranſire in alium locum iubetur, vt famelicus ipſe famelicæ viduæ, quæ Ethnica erat, ſupplex eſſet. quod hoc conſilio Dominus fecit. Nam, cùm Iudæis interdi-*

3.Reg.

S.Chryſ.

ctum sit commercium cum gentibus, volens eum ad misericordiam prouocare, prædixit ei futurum, vt à muliere gentili pascatur. quo audito abhorreret, & vel sic Deum pro effundendo imbre implorarct. At verò adeò indignatus erat Elias, vt non propterea à comminatione in populum abstinuerit, imò apud gentilem viduam pasci passus est. vnde subdit, statim Chrysost. *ille autem neq; ad hanc vocem mitior factus, cucurrit ad Ethnicæ viduæ alimoniam.* Eligens magis gentilibus communicare, quàm populo, cui iratus fuerat indulgere. Quia verò misericors Deus, iratum Eliæ animum, populo propitium fieri cogitabat, filium viduæ, apud quam Elias sustentabatur, morti tradidit. vnde dicitur ℣. 20. *Clamauit Elias ad Dominum, & dixit: Domine Deus meus, etiã ne viduam, apud quam ego, vtcumq; sustentor, afflixisti, vt interficeres filium eius?* post hæc subdit sacer textus, cap. 18. ℣. 1. *Factum est verbum Domini ad Eliam: vade, & ostende te Achab, vt dem pluuiam super faciem terræ. Iuit ergo Elias, vt ostenderet se Achab &c.* paruit Elias, ad Achab perrexit. Deo, volenti dare, pluuiam super terram, non contradicit, ita vt meritò dicere possimus, iam pacatum, placatumq; factum Eliã. quod benè adnotauit S. Chrysost. homil. 1. de Elia, qui adducta verba: *vade, & ostende te Achab*, sic commentatur: *proficiscere, inquit, quia factus es misericordior, declara quam misericordes sint sermones tui. Parturio & ego misericordiam, vrgeo vt reconcilientur.* Nõnè iste est Elias, de quo paulò ante dixit Chrysostom. *Neque ad hanc vocem mitior factus &c.* vnde ergò modò adeò mitis effectus est, vt dicatur: *factus es misericordior &c.* quod medium fuit inter Eliam indignatum, iratum; Et inter Eliam mitiorem, & misericordiorem? vtriq; nõ aliud nisi mortuus viduæ filius, quem intuens, imò inter brachia gestãs Propheta, & quod maius est, seipsum illi commensurans, vt dicitur ℣. 21. *& expandit se, atq; mensus est super puerum tribus vicibus &c.* certè seipsum mortalem in mortuo, cui commensurabatur, considerauit, mensuram suæ mortalitatis à mortuo, cui se æquabat, accepit, sicq; se viuum, mortuo metitus, humanæ vitæ celerem cursum, & terminum contemplatus est; quid ergo mirum, si ei dicatur à Domino: *vade, quia factus es misericordior, declara, quàm misericordes sint sermones tui.* maximè enim proprium mortis contemplatæ, est, indignationem, liuorem, & iram, & si maximam, extinguere.

Elias eligit potius Gentili viduæ cõmunicare quam parcere.

S. Chrysost.

Mortui aspectus indignatũ Eliam, mitẽ reddit.

Mors se commensurat indignationem suam deserit.

CAPVT VIII.

Mortis memoria, ad spiritualis vitæ perfectionem consequendam, & ad cælestium contemplationem conducit.

1 I tot, tãtorũq; effectuum, de quibus iã hucusq; diximus, mortis memoria causa est; reliquum quoq; erit, vt spiritualis, perfectæq; vitæ originem, eam dicamus: qui enim enumerata iam dona ex mortis memoria in sua recondenit anima, dubio procul perfectus est vir. Hinc factum, vt Spiritus sanctus pro eodem sumat mortẽ meditãtem, & perfectum Genes. 23. Abrahã locum sepulturæ pro mortua vxore Sara emit à quodam viro, cui nomen *Ephron.* ℣. 7. *Surrexit Abraham, &c. dixitq; ad eos: si placet animæ vestræ, vt sepeliã mortuum meum, audite me, & intercedite apud Ephron, filium Seor, vt det mihi speluncam duplicem, quam habet in extrema parte agri sui; pecunia digna tradat mihi eam coram vobis in possessionem sepulchri:* tradidit Ephron Abrahæ speluncã, quam petierat, constituto, & persoluto

Perfectionis origo ex memoria mort.

Genes.

pretio ℣.16. *Quod cùm audiſſet Abrahã, appendit pecuniam, quam Ephron poſtulauerat &c.* Quibus completis, ſubdit ſtatim Scriptura ℣.17. *Confirmatuſq; eſt ager quondam* Ephronis, *in quo erat ſpelunca duplex,&c. atq; ita ſepeliuit Abraham Saram uxorem ſuam, &c.* Quo loco notandum, quòd *Ephron* interpretatur *puluis*; apud alios autẽ inter quos S. Hieron. de locis Hebraicis: *Ephron* idẽ ſonat, ac *perfectus*, ſeu *confirmatus*: ex quo collige, indiſſolubili vinculo ad inuicem necti puluerem,& perfectionem, ac eum, qui ſe puluerem noſcit, perfectum virum eſſe, & quaſi confirmatum. Idq; re vera ita eſſe ex eo, etiam colligo, quòd *Ephron* hoc nomine dictus eſt, quouſq; apud ipſum poſſeſſio fuit Sepulchri; quod cùm Abrahæ vendidit, & mortis memoriam veluti aboleuit, & quaſi non moriturus, abſq; ſepulchro eſſe voluerit, nõ amplius *Ephron*. quod, vt diximus, *perfectum* ſignificat; ſed *Ephran*, quod imperfectũ ſonat, dictus eſt. Lyran. Hebræos ſequens, & ſi mutationem hanc nominis de *Ephron* in *Ephran* factam fuiſſe exiſtimat, quia carius iuſto pretio vendidit, ait tamen: *remota eſt littera, Vau, de eius nomine ad deſignandum eius imperfectionem, & ſic diminutè ſcribitur deinceps, vt patet 25. cap. ſed non apparet in pronunciatione.* Quomodo enim nomen *Ephron*, quod perfectionem denotat, conuenire ei poteſt, qui carius iuſto pretio vendidit, vt præter peccatum, ad reſtitutionẽ quoq; teneatur? At verò Gloſſ. Doctorum Duacenſium, ex ſancti Hieronymi ſententia. *imperfectum* vult, dictum fuiſſe *Ephron*, mutato nomine in *Ephran*, quia mortis memoriam à ſe abſtulerit: ait ergo: *Sicut poluimus, hic primùm nomen ſcribitur Ephron, ſecundum Ephran: poſtquam enim pretio victus eſt, vt ſepulchrũ venderet, & acciperet argentum, licet, cogente Abraham, Vau, littera, quæ apud illos per, O, legitur, ablata eſt de nomine eius & pro Ephron dictus eſt Ephran in quo ſignificatur, non fuiſſe perfectæ virtutis, qui potuit vendere memoriam mortuorum. Sciant igitur qui ſepulchrorum pretium non à cogentibus; ſed à volentibus acceperint, mutari nomen ſuum, & perire aliquid de merito eorum &c.* Hinc factum exiſtimo, vt translato iam poſſeſſionis dominio ad Abraham, dixerit ſacer tex: *Confirmatuſq; eſt ager quondam Ephronis*, &c. referendo ly *quondam* ad *Ephronem*, qui amplius hoc nomine minimè dictus eſt; quia *quondam*, & olim fuit *Ephron*, ſeu *perfectus*, dum, ſcilicet, apud ſe ſepulchrum erat, & memoriam recolebat mortis: poſtmodum verò, ſepulchro vendito, *Ephran*, ideſt, *imperfectus*, meritò dictus eſt.

Ephron, puluis,& perfectus interpretatur. S.Hieron

Perfectus eſt,& quaſi confirmatus, qui mortem iugiter meditatur.

Ephran, imperfectũ ſonat. Lyran.

Gloſſ. DD. Duacenſium. Imperfectus eſt qui memoriam mortuorum auſert.

2 Refert Plutarchus lib. de Sera Numin. vindic. fuiſſe hominem, omniũ tunc moribus perditiſſimum, cui nomen Soleus, qui cùm ad Templum ſciſcitaturus acceſſit, num melius reliquam victurus eſſet vitam? Accepit Oraculum, *Tum melius eris acturus cùm è vita migraueris; quod & breui contigit: cùm enim ab alto ſuper collum decidiſſet, nullo accepto vulnere; caſu tantùm extinctus eſt: cùmq; iam triduanus ad ſepulturam efferretur, ſubitò commotus, ad ſeſe reuerſus eſt, ad mirandamq; deinceps vitæ mutationem inſtituit. Neq; enim perfectiorem alium in humanis commercijs, ſeu diuinis, iuſtiorem operibus tunc temporis, Cilices eſſe referebant, admodumq; cuperent tam repentinæ mutationis audire cauſas.* Hæc Plutarchus. Mortem Soleus hic expertus fuerat, quid ſit mori, praxi probauerat, exequiarum pompa ad ſepulturam iam ducebatur, tum expergiſcitur, ſe in pheretro mortis captiuum contemplans; quid ergo mirum, ſi ad meliora conuerſus, vitæ prioris dolere cœpit inſtitutum? De ſceleſto homine, cuius vita innumeris erat plena peccatis, inquit Iob 21. V. 31. *Quis arguet coram eo viam eius?* adeo excreuit malitia, vt ne qui eum corrigat, inuenire facile ſit. Numquid omninò deſperata huius peccatoris ſalus? minimè; diuinæ enim pietati haud erit arduum illũ conuertere. Solei apponetur remedium, audiet & ipſe quaſi dicẽtem Dominum:

Plutarch.

Soleus vita functus reuiuiſcẽs perfectior efficitur.

Iob.

Tum

Sepulturã contẽplãs de sua salute sit solicitus.

Tum melius eris acturus, cùm è vita migraueris. Hinc subdit Iob: *Ipse ad sepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit.* Mente, & animo suum contemplabitur funus, & se veluti efferri ad sepulturam meditabitur: ideoq; somnus oculos eius numquam claudet, sed *vigilabit*, attentè finem suum considerans, vt sic à peccatorum somno, & cœno ad meliora erigatur. Hinc admiranda, ac conspicua nimis extitit vita eorũ, quos à Christo Domino de morte ad vitam reuocatos legimus: experti enim fuerãt, quid sit mori; qui enim hoc experitur; aut meditatur, omnem Dei legem obseruat, & iustus sit, necesse est.

Luc.

3 De sacerdote Zacharia, & eius vxore Elisabeth, ait Lucas Euangelista cap. 1. ℣. 6. *Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini, sine querela.* Maxima horum perfectio, his verbis describitur, dùm *Iusti* dicuntur, non solùm in oculis hominum, sed etiam *ante Deum*, qui etiam in Angelis suis reperit prauitatem. Vnde Beda in homil. *Iustis parentibus Ioannes est genitus, vt eò confidentiùs iustitiæ præcepta populis daret: quò hæc ipsa, non quasi nouitia didicisset, sed velut hæreditario iure, à progenitoribus accepta, seruaret.* Neq; quamcumq; perfectionem accepisse, satis illis fuit, nec quasi pigri, & segnes, stabant, & iacebant, sed maius in dies suscipiebant incrementum; ideo additur illa particula, *incedentes.* vnde S. Thom. in Catena ex Theo. *ascensiones in corde ponentes, & vitam suam vt diem, & non vt noctem habentes, quasi in die honestè ambulantes.* Omnem verò legem, & voluntatem Dei adimpleuisse, neq; in vno tantum defecisse, probatur illis verbis: *in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini,* ita vt nec vnus fuerit, qui de illis cõquereretur, propterea additur: *sine querela.* Insuper Mariæ Virginis, Dei matris, & ipsius Domini in matris vtero existentis præsentia, digni facti sunt; ẽt Zacharias Angeli visionem, & alloquutionem habere meruit, vt eo Lucæ loco

Zacharia & Elisabeth. perfectio. Beda.

Incedendum semper in vita spirituali.

S. Thom. in Catena

Præcepta seruanda sunt omnia.

Euãgelica narrat historia. Si autem quæras scire, quænam fuerit tantæ perfectionis, & progressus in vita spirituali origo, & causa? eam affert S. Chrysolog. serm. 89. exponens supra adducta Lucæ verba: *incedentes in omnibus mandatis &c. incedẽtes,* inquit, *incedit, qui peregrinum se hoc sentit in sæculo,* idest, viatorem, & aduenam, qui corruptibilem ducit vitam, & ad patriam per momenta singula se pergere cogitat; *hic*, subdit Chrysolog. *asperas virtutum intrat intrepidus mansiones: qui montes iustificationum, mandatorum colles, indefessus viator ascendit, vt præsentia parentis Dei, patria cœlestis beatitudine perfruatur; incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus. Hi in omnibus, in quibus nemo, vel pauci &c.* hæc omnia consequitur, qui mortalem se esse meminit.

S. Chrysol

Profectus in vita spirituali, ex mortis memoria.

4 Imperfecta erat anima illa, de qua dicitur Cant. 1. ℣. 8. *Si ignoras te, ò pulcherrima mulierum, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum.* Imperfecta quidem adeo, vt nec se ipsam cognosceret, vnde initiũ sumitur emendationis, vt diximus cap. 1. nu. 24. Quapropter, adductis verbis, vt à peccatorũ cœno, ad pœnitentiã conuertatur, euocat eam Spiritus sanctus, sicuti diximus cap. 1. ad hoc autem assequendum, pro motiuo, & medio, mortis ingerit memoriam, dum ait: *abi post vestigia gregum,* seu, vt vertunt Septuag. & alij: *egredere tu in calcaneis gregum.* Verùm per *calcaneum*, tempus mortis denotatur, sicut enim calcaneus postrema pars est hominis, ita mors vltimus vitę terminus: *egredi* ergo *in calcaneis, &c.* est finem vitæ contemplari. Quod confirmant verba, quæ sequuntur: *pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum:* nam per *tabernaculum*, corruptibile corpus, & vitæ finẽ denotari, probat Beati Petri sententia epist. 2. cap. 1. ℣. 34. *Velox est depositio tabernaculi mei,* idest, corporis sicut adnotauimus cap. 1. num. 20. & 26. Quibus positis, mirum est, quod statim subdit Spiritus sanctus ℣. 9. *Equitatui meo*

Cantic. Cant.

Imperfectus, qui se non cognoscit.

Mortis memoria mediũ ad perfectionem. Septuag.

Petr. Epist, 2.

Velox ad Deũ currit, qui se moriturũ cogitat. S. Ambr.

in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea; his enim verbis, celer cursus, & velox, qualis est equitatuũ, & curruum, denotatur, docet enim S. Ambros. serm. 2. in Psalm. 117. ℣ 6. similitudinem hic sumi ex cursu velocium equorum: scimus autem alio ex capite, muliebrem gressum lentum, mollem, tardumq; esse; qui ergo fieri potuit, vt curribus Pharaonis celeritate gressus similis fieret, quæ vix post vestigia gregum gradi poterat? ex mortis, inquam, memoria celeritas tanta addita animæ fuit, diximus enim *per vestigia gregum*, & per *tabernacula pastorum*, mortẽ denotari, quam intuens, & contemplans anima, admirandos effecit progressus in Dei amore, & perfectione, ita vt in hæc eadem Canticorum verba, dixerit Theodoritus: *sponsus cum sponsam, amoris stimulo percitam & ad se currere festinantẽ cerneret, equæ Aeripidi similem, illam pronuntiauit.*

Amoris, & perfectionis stimulo vrgetur, qui de morte cogitat. Theodorit.

Iob

5 Huius rei elegantem habemus figuram Iob 6. ℣ 1. vbi, postquam Angelus Dei Raphael eduxit Tobiam de domo sua, statuit eum iuxta fluuium Tigris: *Profectus est autem Tobias, & mansit prima mansione iuxta fluuium Tigris* Hunc fluuium *mortalitatis decursum significare*, docuit Interlinearis, & in eandem sententiam transit Beda lib. alleg. expos. in Tob. inquiens: *Tigris est fluuius, qui rapidissimo cursu à Tigri, velocissima bestia, sic nominatur, decursum nostræ mortalitatis significat.* Ex quo intellige, quòd statim ac quis sub Angeli tutela ponitur, & per viam Paradisi ducitur, de domo patris, ac patria educitur, *& prima mansione iuxta fluuium Tigris sistitur*; quia mortalitatem suam ante omnia cognoscere oportet, & à mortis memoria, perfectionis iter agredi: propterea prima statim die quadragesimæ, quæ ad peccatorum conuersionem destinatur mortis memoria præponitur: ea namq; etiam Dœmones ab anima fugantur, & mentis cœcitas tollitur: id quod in fluuio hoc, Angelo Duce, medicamina inuenit Tobias, & ad cœcitatem tol-

Tigris fluuius mortalitatẽ signat. Interlin. Beda.

Perfectio à mortis memoria habet originem.

Multa bona ex mortis memoria. Tob.

lendam, & ad Dœmones fugandos. ℣. 5. *Tunc dixit ei Angelus, exentera hunc piscem, & cor eius, & fel, & iecur repone tibi; sunt enim hæc necessaria, ad medicamenta vtiliter.* Et post pauca. ℣. 7. *Tunc interrogauit Tobias Angelum, & dixit ei, obsecro te, Azaria frater, vt dicas mihi, quid remedium habebunt ista, quæ de pisce seruare iussisti?* Et respondens Angelus, dixit ei: *cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus Dæmoniorum siue à viro, siue à muliere, ita vt vltra non accedant ad eos: & fel eius valet ad vngendos oculos, in quibus fuerit albugo, & sanabuntur.* Hæc omnia bona, & perfectionis argumenta à fluuio *Tigris*, qui *mortalitatem* significat, habuerunt originem.

6 Attamen si pro fluentibus, ac decurrentibus hisce aquis, mundi res, & bona intelligere velimus, vt re vera eisdem comparatas reperio, sic de deuitijs dicitur Psal. 61. ℣. 11. *Diuitiæ si affluãt*, idest, aquarum instar fluãt, *nolite cor apponere*, & de omnibus, quæ in mundo possideri possunt, dicebat ille Eccle. 2. ℣. 1. *Vadam, & affluam delitijs, & fruar bonis.* Solida ratio eorum, quæ dicimus, apparebit: cùm enim humani animi appetitus ferè inexplebilis sit. Eccle. 1. ℣ 8. *Non satiatur oculus visu, nec auris auditu impletur.* Sola mortis memoria est, quæ terminum ponit, arcet, & explet cupiditatem, & hunc fluentem sistit aquarum decursum: vnde Dauid Psalm. 77. ℣. 13. *Statuit aquas, quasi in vtre*, Vgo Cardinalis: *aquas delitiarum mundi, quasi in vtre restrinxit eas, aquã male terminabilis est termino proprio, idest concupiscentia, siue delitiæ*: non enim quantum ex se est, quæ mundi sunt, finem appetendi se faciunt; sed quò magis acquiruntur, eò amplius sui desiderium accendunt: vt ergo terminentur, termino indigent alieno, sicut de aquis naturalibus docet Aristotel. terminus iste, mortis vtiq; memoria est: subdit propterea Vgo: *Vter, idest, pellis morticina, scilicet, cogitatio mortis compescit*

Mundana omnia aquarum instar fluunt. Psalm. Eccle.

Eccle.

Cupiditatem arcet rerum tẽporalium mortis memoria. Psalm. Vgo. Card.

Arist.

eam, ne, plusquam decet, & opus est, appetantur, vel potius penitus deserantur: vnde satis apertè, & eleganter dixit Seneca epist. 49. *demens tibi videar, si istis*, scilicet, mundanis *impendero operã, nunc mortifera*, idest, quæ mortem ferũt, & ducunt ad memoriam, *mecum sunt: non vaco ad istas ineptias, ingens negotium in manibus est, quid agam? mors me sequitur, fugit vita.*

Senec.

7 Sed parum est dixisse, mortis meditationem initium esse perfectionis, quinimò perfectum virum efficit, & ad omnem iustitiam quàm citissimè conducit, vt libentissimè de se fatetur sanctus Iob cap. 29. à ℣. 14. vbi plurima sua bona opera enumerat. *Iustitia*, inquit, *indutus sum, & vestiui me, sicut vestimento*, idest, vt ait Lyranus, *omni ex parte studebam iustitiam facere.* Addit: *oculus fui cæco*; ignorantem, scilicet, dirigendo. *pes clando*, impotentem adiuuando. *Pater eram pauperum*, per affectũ cordis; & effectum operis, illis subueniendo, *causã quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam*. ne fortè pietatis prætextu indiscretè in præiudiciũ iustitiæ, in fauorem pauperis verterem iudicium. *Conterebã molas iniqui*, idest, magnatum potentiã, & violentiam reprimebam; *Et de dentibus illius auferebam prædam*, quia illum cogebam, vt ablata restitueret. Hæc, & alia virtutum insigniã in sancto viro elucebant; si autem ab ipso quæras, vnde ei hæc virtutum præcellentia, & abundantia? vtique respondet, ex mortis memoria; statim nãque subdit: *Dicebam, in nidulo meo moriar*, hoc est, in corde meo iugis erat mortis memoria, me etenim moriturum semper cogitabam, & veluti auem, diu per aera, & sublimia honorum, & dignitatum fastigia spatiatam, & euolatam *in nidulo* tandem, seu in paucis paleis, & luto vitæ huius instabit terminus: ex qua consideratione ad virtutum opera exercenda, sanctus vir erigebatur.

Mortis memoria via ad omnem iustitiam.

Iob.

Lyran.

8 Imò ad tam super eminentem, ne dixerim diuinam perfectionem conducit consideratus vitæ finis, vt & omnem iustitiã perfectissimè quisq; studeat adimplere, ac minima quæque mala admittere perhorrescat; Optimum, atque admirabile, vt ita dicam, ad præsens institutum confirmandum ex Ioannis Euangelio cap. 17. deducitur argumentum, vbi Christus Dominus diligẽtissimè, & exactissimè suæ conscientiæ facta perscrutatur, omnia quæcumq; fecerat Patri recenset. Hinc se, tamquam pastorem, creditas sibi oues incredibili custodia seruasse protestatur: *Ego seruabam eos in nomine tuo &c.* Et licèt perditionis filius, proditor Iudas, perierit, id tamen non suæ negligentiæ ascribendum dicit, sed ita necessarium fuisse, vt adimplerentur scripturæ: *Nemo ex eis perijt, nisi filius perditionis, vt scriptura impleatur.* Tamquam Doctorem, ac cõcionatorem adeo exactè suum munus absoluisse, vt verbum, quod de eius ore processerat, vacuum non redierit. *Verba, quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt, & cognouerunt verè quia à te exiui, & crediderunt, quia tu me misisti.* Tamquam filium Patris mandata vsq; ad minimum apicem executioni tradidisse: *Opus consumaui, quod dedisti mihi, vt faciam.* Quid plura? si, tamquam Iudex, potestatem accepit omnis carnis, vt daret eis vitam æternam, & hoc quoq; se asserit perfecisse, dicens. *Dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne, quod dedisti ei, det vitam æternam, & cognoscant te solum verum Deum & quem misisti, Iesum Christum: ego te clarificaui super terram.* Maximam sanè primo intuitu hæc omnia redolent admirationẽ: si enim Christus Dominus Vnigenitus est Dei filius, verus Deus, & verus homo, qui peccatũ non fecit, sed nec potuit facere, vtpotè, natura impeccabilis, ad quid tam diligens, tamque exactum conscientiæ examen? Proximam, imminentemq; tunc mortem meditabatur; vnde ait Euangelista Ioannes, initio citati cap. 17. Hæc locutus est Iesus, & subleuatis oculis ad cęlum, dixit: *Pater venit hora*, mortis scilicet, postmodum prædicta Patri recensuit: quibus completis, ad passionem

Ioan.

Instant morte Christus Patri reddit suorũ actionum rationem.

abijt.

abijt. Ioan. 18. *Et cùm hæc dixisset*; cùm, nimirum, hæc omnia Patri recensuisset, *abijt transtorrentem Cedron, vbi erat hortus &c.* In quo à Iudæis capi, & ad patibulum debebat duci: eius autem est naturæ, mortis meditatio, vt vel sanctos ipsos, licèt nullius culpæ reos, ad sui ipsorum aduocãs cognitionem, distinctam eis faciat, de rebus gestis, cùm propria conscientia, ponere rationem, timorem incutit, amorem excitat, & vt omnis seruetur iustitia perficit, & ne leuis quidem peccati macula, conscientiam quoquomodo inquinet, operatur.

9 Extat quoq; aliud eiusdem rei exemplum in veteri testamento apud Isai. cap. 38. ℣. 14. de Rege Ezechia, qui adeò frequens, & assiduus erat in mortis meditatione, vt manè cogitaret se vsque ad vesperam non victurum: vespere verò solis ortum insequentis diei minimè visurum (Hac iugi exercitatione detinebatur hic sanctus Rex, licèt Regni curis implicatus: vnde vana est illorum excusatio, qui meditationi huiusmodi se vacare non posse, dicunt, ob multitudinem negotiorum) sic de seipso idem Rex testatur: *Sperebam vsque ad mane*, scilicet, me victurum: *De mane vsque ad vesperam finies me*, idest, mane cogitabam, quòd Vespere finem impositurus esses vitæ meæ: à qua expositione non dissentiunt Hebræi, qui sic exponũt: De mane vsque ad noctem mihi vitam putabam traducendam: at, vbi transacta dies est, & me adhuc viuere conspexi, statui spatium vitæ meæ vsq; ad mane. Concordat noster Pater Agellius, qui hæc verba exponens: *Quotidie* inquit, *de vita periclitor, & de die vsque ad noctem, de nocte vsque ad mane, de die rursus vsque ad noctis initium mihi finem adesse puto.* Sed quem nam fructum ex hac iugi mortis meditatione Rex iste percepit? Audi quid ipsemet dicat: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Ecce perfectum conscientiæ examen, quod ei frequens erat ob iugem mortis meditationẽ. *Recogitabo*, inquit, *omnes annos meos*, iterum, ac sæpius annos meos, measq; actiones omnes, & ante actæ vitæ opera ad trutinã reducam. Et ne quid huic examini desit, illi pœnitentiam addit, & dolorem cordis, *in amaritudine animæ meæ*, quasi dicat: non sufficit de mea vita, & actionibus cogitasse, iterũ cogitabo, *Recogitabo*; quod vt perfectius exequar, & Deum, & Iudicem præ oculis ponam, *Recogitabo tibi*; nec diem vnam, vel horam, aut leue, & breue verbum præteribo, quod ad trutinam non reducam, & summo dolore, & lachrymis nõ tergam: *omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*

Vitã totã examinat, & plangit qui de morte cogitat.

10 Hac deniq; mortis memoria, ipsum perfectionis culmen attingitur, quod est mortem non timere pro Christo, sicut ait Dominus Ioann. 15. ℣. 13. *maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* ad quod probandũ adest testimonium Ioannis 11. ℣. 7. Cùm enim cognouisset Christus Dominus, infirmari Lazarum: *Dixit discipulis suis, eamus in Iudæam iterum*: renuunt, & dicunt ei discipuli: *Rabbi, nunc te quærebant Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc?* subdit Christus: *Lazarus, amicus noster dormit, sed vado, vt à somno excitem eum.* Euertere Dominum ab itinere conantur Discipuli, metuentes Iudæos, & dicunt: *si dormit, saluus erit*, quasi dicant, ne te vexes, ne in Iudæam pergas; non enim infirmus tua indiget visitatione, aut præsentia, *saluus erit, ac si*, inquit Diu. Chrysost. homil. 61. in Ioan. *Non necessaria esset profectio, dicit, inquiunt, dormire, nihil ergo nos ire cogit.* Euthym. inquit. *Illi verò dicebant, saluus erit, siue sanabitur, volentes eius consilio obstare: nondum enim metum abiecerant.* Falluntur tamen Apostoli. *Dixerat enim Iesus*, addit Ioannes, *de morte eius, illi autem putauerunt, quia de dormitione somni diceret.* Sequitur Euangelista. *Tunc ergo Iesus dixit eis manifestè: Lazarus mortuus est.* quo audito: *Dixit Thomas, qui dicitur Didymus*, ad condiscipulos: *eamus & nos, & moriamur cum eo.* Repentina, & omnino inopinata discipulorum mutatio, paulò ante

Ioan.

Ioann. Vitæ discrimini se exponit, pChristo, qui mortẽ meditatur.

Apostoli, mortis terrore perciti, suadent Christo, ne in Iudæam pergeret. S. Chrys.

Euthym.

Audita Lazari morte, in Iudæam ire parati sunt discipuli.

suadere conati sunt, ne Dominus in Iudæam iret; quia, vt ait S. Chrysostomus: *Formidabant Discipuli vehementer & pro eo, & pro se ipsis; non dum enim erant in fide firmati.* Et Euthym. qui supra: *Nam, inquit, & pro illo metuebant, & magis pro se ipsis:* præcipuè verò inter formidolosos, extimescebat vehementer Thomas: vnde idem Chrysost. *Omnes quidem discipuli timebant Iudæos, super alios verò Thomas:* quidnam ergo in causa est, quòd, omni timore postposito, Discipuli omnes, præcipuè formidolosissimus Thomas, Christi Domini mortem non curant, magistri amorem tenerum de præsenti vita, & præsentia corporali postponunt, & quod maius est, se vltrò, Iudæorum manibus offerunt, martyrio auidissimè se exponunt *Eamus, dicentes, & nos, & moriamur cum eo.* Aliud non fuit medium inter trepidationem Discipulorum, & voluntariã ad martyriũ oblationẽ, nisi enarratio mortis Lazari: *Tunc dixit eis manifestè, Lazarus mortuus est.* Proposito Lazari interitu, oblata mortis recordatione, perpenso, quòd nec Christi amicis parcit mors, erat enim Lazarus Domini amicus: *Lazarus amicus noster, &c. Diligebat autem Iesus Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarũ*) in ipsa iuuentute fortior, & robustior; terror omnis profligatur, se ipsos Discipuli etiã morituros considerantes, incunctanter se Iudæorum tradunt manibus, martyrij auidiores effecti magis, quàm prius morte trepidi. Hoc innuere videtur S. Chrysostomus: *Amicũ, inquit, appellarat, vt necessariam profectionem ostenderet: sed, cum pigriores deprehenderet,* ac ire nollent, quid fecit, quo remedio, quo stimulo vsus est? *Tunc mortuum dixit:* in quem sensum dicit etiam Theophylac. Epis. Bulgar. hoc loco. *Itaq; vt vidit eos adhuc tardos, &* pigros ad iter, *tunc manifestè, inquit, mortuus est:* quæ sola mortis memoria satisfuit ad promptos, paratosq; reddendos Apostolos ad eundum in Iudæam, mori paratos, & ad currendum aptissimos: *eamus & nos, & moriamur cum eo.* Hinc fortassis factũ existimo, vt mors equitans Apoc. 6. calcaria, & stimulos in pedibus minimè habeat, sicut etiam ait Paulus 1. Corinth. 15. ℣. 55. *Vbi est mors stimulus tuus?* quos enim sua memoria regit, & in mente veluti insidet mors, alio stymulo non indigent, vt proni sint ad volandum, nedum ad currendum viam mandatorum Dei, imò & consiliorum eius; ipsa enim mortis memoria acutissimus stimulus est, pigrum inertemq; imò somno sopitum hominem, solicitum, velocemq; reddere potens.

Chrysost. *Euthym.* *S. Chrysost.* *Martyrij desiderium excitat in Apostolis mortis cogitatio.* *S. Chrys.* *Amici in tribulatione visitandi.* *Theophyl.* *Mortis memoria stimulus ad currendum in via Dei.* *Apoc.* *1. Corint.* *Mors equitans, sine calcaribus.*

11 Mortem meditanti non solum dona, & virtutes quæ diximus condonantur, sed etiam ad cœlestia speculanda, & contemplanda datur accedere. Vnde Dauid psal. 54 ℣. 5. *Formido mortis, inquit, cecidit super me:* tũc quidem, quando, vt ait P. Agell. siue Saul, siue Absalon mortem mihi inferre meditabantur, subdit; *quis dabit mihi pennas, sicut columbæ, & volabo, & requiescam.* Statim pennas assumere festinat is, cui mortis formido aduenerat, qui mortem meditabatur: propterea factũ puto Leuit. 1. Vt pennæ colũbarum oblatarum, vnà cum cineribus collocarentur. *Et plumas, inquit, proijciet prope altare ad Orientalem plagam in loco, in quo cineres effundi solent.* Cinis enim nostræ mortalitatis adiunctas habet pennas, quibus ad cœlestia animus, qui se moriturum cogitat, eleuatur. Et quid dico, ad cœlestia eleuatur? maius est, quod affirmare audeo, veluti diuinus efficitur, qui se in cinerem conuertendum mente reuoluit. Vnde Seneca epist. 121. circa medium: *Animus noster numquã magis diuinus est, quàm vbi cogitat mortalitatem nostram & in hoc natum hominem, vt vita defungatur.*

Mortem contẽptãs ad diuina conspiciẽda eleuatur. *Psalm.* *Agell.* *Alas addit animæ mortis memoria.* *Leuit.* *Senec.* *Diuinus quasi efficitur, qui de morte cogitat.*

12 Huic consonum est, quod dixit Ierem. Thren. 3. ℣. 1. *Ego vir, videns paupertatem meam, in virga indignationis eius.* Quæ verba Ruper. Abb. cap. 59. ingeniosè expendit: *Nam dixit, inquit, ego vir pauper: parum enim dixisset; nam verè omnis homo pauper est. Omnis*

Thren. *Ruper. Abb.* *Homo omnis pauper.*

homo in primo parente pauper est, gloria Dei denudatus est: sed non omnis homo videt, non omnis homo intelligit hanc ipsam paupertatẽ suam. scilicet, spoliatum se gratia habituali, iustitia, Deiq; amicitia, denudatum gloria beatitudinis, repletumq; miserijs, & ad Inferos destinatũ. sed quonam modo, quonam medio istam, tam sublimem, ac pernecessariam cognitionem assecutus est, ac mentis oculi, huius cęci nati aperti sunt, vt innocentiæ statum, peccati maculas, & effectus, Deumq; ipsum contemplaretur? certè non alio, quàm huius pulueris recordatione: vnde idem Rupert. eleganter sequitur: *Igitur, quod satis, quodq; imitabile foret: dicere maluit ego vir, videns paupertatem meam, vidẽs, inquàm, in virga indignationis eius, idest, ad videndum, pœna corruptionis, & mortalitatis commonitus (quando, inquàm dictum est: puluis es, & in puluerem reuerteris) qua percussi sumus omnes homines, vt moriamur: & quia percussi sumus, omnes infirmamur, & tandem puluis in pulnerem reuertimur.* Igitur *virga indignationis* temporalis mortis pęna est, secundùm Ruper. quæ contemplata, in causa fuit, vt propheta tanta, totq; maxima conspexerit; & vt nos quoq; miserias corporis, & animæ videamus, & conspiciamus, & ad Deum contemplandum erigamur optima via est.

13 Apo. 6. ℣. 1. Ioãni dicitur, *Veni, & vide, & ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum nomen illi mors, & infernus sequebatur eũ.* Certũ est, per *Infernũ*, qui mortem sequebatur, *sepulchrum* debere intelligi, quod mortuorum cadauerib⁹ replendum erat: sæpe vero in Sacra scriptura esse consuetum per *Infernum* denotari *sepulchrũ*: colligitur psal. 87 ℣. 4. *Vita mea Inferno*, idest, *morti appropinquauit.* & psalm. 140. ℣. 7. *dissipata sunt ossa nostra secus Infernũ*, idest, *sepulchrum.* Et sæpe alibi. Igitur ad mortem, & mortuorum sepulturam contemplandam vocatur hic Ioannes; quid inde? subdit Ioannes: *Vidi subtus Altare animas interfectorum propter verbum Dei. & testimonium, quòd habebant, & clamabant voce magna, dicentes, vsquequò, Domine, sanctus, & verus, non iudicas, & vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra? & datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, & dictum est illis, vt requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur cõserui eorum, & fratres eorum, qui interficiendi sunt, sicut & illi.* Ecce quomodo Ioanni, ad mortem contemplandam vocato, cęlestia panduntur mysteria, & abscondita Dei arcana manifestantur.

14 Ita prorsus habetur Iob 21. Insultabant tunc sancto viro, qui nec præmia iustorum, nec iniquorum pęnas in futura vita post mortem dari existimabant: vnde & dicebant. ℣. 28. *Dicitis vbi est domus Principis, summi Regis Dei, regiam inuenire non est*, in qua iusti præmia percipiant rectè factorum. *Et vbi tabernacula impiorum*, locus, inquàm, in quo peccatores scelerum suorum pęnas luant, qui hæc ignorant, & addiscere cupiunt ad magistros, peritosq; diriguntur: ad eos, inquàm, qui mortem iugiter meditantur. Hi enim sunt, quibus superna reuelantur, & Dei arcana manifestantur: idcirco illis respondet Iob: *Interrogate quemlibet de viatoribus, & hac eadem illum intelligere cognoscetis.* Sed quinam est hic *de viatoribus*, qui hæc intelligatẽ seu potius dubium facit; quidnam per *viatorem* S. Iob intelligit? Respondet Gloss. *Viator dicitur, qui præsentem vitam, viam sibi esse, & non patriam attendit, qui dilectione prætereuntis sæculi, configere despicit, sed æterna petit.* Et Vgo Card. per *viatorem* eum intelligit, *cui hæc temporalia nihil videntur esse, qui præsentem vitam viam putat, non habet hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirit. Hæbr. 12.* isque est, qui se moriturum considerat, & huic diuina aperiuntur, cęlestia nota fiunt.

15 Sed clariùs, quod intendimus, deducitur ex verbis psal. 62. ℣. 3. *In terra deserta, & in via, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam*, huius psalmi titulus

Iob

Magistri euadunt in rebus diuinis, qui mortẽ cogitant.

Iob.

Glos.

Viator est, qui se moriturũ cõsiderat.

Vgo. Card.

Psalm.

titulus est: *Psalmus Dauid cùm esset in deserto Idumaeae. Quod desertum*, teste Genebrardo, *illud erat, ubi propter persecutionẽ Saulis latuit Dauid.* Notum est autem, Idumææ terram, nimis aridam esse, ex aquarum penuria, & consequenter infrugiferam, ideo *inaquosa*, dicitur, & *deserta*. De hac terra dixit Ieremias 2.℣.6. *Per terram sitis, & imaginem mortis:* quod propterea à Ieremia dictũ puto, quia Desertum hoc Idumeæ, cùm neq; cibum, neq; potum viatoribus subministraret, fiebat, vt fame, ac siti deciderent homines, qui sic decidentes in arenti illo loco & nimio puluere consperso, suorum cadauerum figurã, quo situ cadebant, efformatam, relinquebant in terra: propterea dicitur: *Per imaginem mortis*, quia videlicet emortui hominis, & quodammodo etiam mortis, relinquebatur in terra, imago. Et hoc est, quòd iterum de eadem terra loquens, dixit idem Ieremias 17.℣.13. *Recedentes à te, in terra scribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viuentium, Dominum* eandem retinens similitudinem, de hoc Idumææ deserto, quod vulgò Arabiæ desertũ dicitur, in quo qui siti cruciantur, & pereunt, veluti *scribuntur in terra*: quia in terra, in quam emortui decidunt, suam efformatam relinquunt figuram. Notet lector hanc nouam, sed veram, & arridentem ad textum expositionem, quam apud expositores hucusque minimè aduerti. Didici autem ex nostris Patribus, qui nouissimè ad eam Persarum partem se contulerunt, quæ Georgia dicitur, vt illis gentibus catholicam fidem prædicent, pertransisse se desertum hoc Idumææ, seu Arabiæ per 44. dierum spatium, Camelis aquam portantibus, viatoribus necessariam, nimioque puluere, qui ex arida illa terra exoritur, & in aerem vento spargitur, sæpissimè necari homines, pulueremq; illum, ventis agitatum, in altissimos mõtes surgere. Ad hunc ergo locum, in quo tot mortis, ac mortuorum imagines conspiciebantur, accessit Dauid, ibiq; commoratus, vt Dei gloriam, quæ mortem meditantibus manifestatur (prout tamen mortalibus in hac vita licet) contemplaretur: *In terra deserta, & inuia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.* In hoc eodem deserto morans Dauid, inquit, psalm. 62.℣.2. *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo*, idest, vt P. Agell. exponit: *summo desiderio, ac studio te quæro, somnum oculis aufero, corpori quietem denego, vt te valeã inuenire. Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo*: neque enim fieri potest, vt in eo loco positus, vbi plurima mortis imago, pigritia detinear, torpescam otio, imò vt omni cordis affectu ad te nõ festinem: ideo addit: *sitiuit in te anima mea:* vbi Agellius: *Non minori, inquit, siti te desidero, quàm terra hæc, in qua versor, aquam sitiat.* In sensum eundem dixit Seneca, epist. 71. circa mediũ. *Quid est, quod nos facit pigros, inertesq;? nemo nostrum cogitat quandoque ex hoc domicilio exeundum*, idest, aliquando morituros. Sed ad intentum redeamus.

Genebrar.
Idumeæ terra, aridi.
Desertũ Idumeæ, quare dicatur imago mortis
Ierem.
Scribi in terra est in terra effigiẽ efformatã relinquere.
Patres Teatini, in Georgiam profecti.
Mortis imago, cõspecta ad Deum cõspiciendũ adiuuat.
Psalm. Agell.
Vigilat, qui mortem contemplatur
Sitit Deũ, qui de morte cogitat.
Agell. Senec.
Mortis memoria, pigritiam inertiamq; pellit.

16 Iterum ponderandum assumo locum, paulò superius adductum Ioann. Apoc. 6. loquitur ibi Propheta de præcipuo illo mysterio apertionis septem signorum per Agnum: quocumque autem sigillo aperto, vocabatur Ioannes per Angelum ad videndum mysteria, quæ per apertionem cuiusq; sigilli manifestabatur. ℣.1. *Et vidi quòd aperuisset Agnus vnum de septem sigillis, & audiui vnum de quatuor animalibus, dicens: veni, & vide, & vidi & ecce equus albus &c.* Idem mos in apertione reliquorum signorum seruatus est, nimirum, vt postquàm Agnus sigillum quemcumq; aperuisset, diceretur Ioanni ab aliquo Angelo, qui per quatuor illa animalia denotabantur, *veni, & vide*, nec aliter ad mysteria illa stupenda, videnda, & contemplãda accedere licebat, aut poterat propheta, nisi vocatus, ac permissus; vnde semper dicebatur: *Veni, & uide.* Attamẽ in apertione sigilli quinti, non seruatur eadem consuetudo, nec dicitur Ioanni, *Veni, & uide*, sed ℣.9. *Et cùm aperuisset sigillum quintum, uidi subtus altare ani*

Apoc.
In apertione quatuor sigillorum, nõ nisi vocatus p Angelum, accedit Ioãnes ad diuina contemplãda
In apertione sigilli 5. 6. & 7. nõ vocatur ab Angelo ad videndum.

mas interfectorum propter Verbum Dei &c. Similiter in apertione sigilli sexti. ℣. 12. *Et vidi, cùm aperuisset sigillum sextum, & ecce terremotus magnus &c.* Similiter in apertione sigilli septimi, cap. 8 ℣. 1. *Et cùm aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cœlo, quasi media hora, & vidi septem Angelos, stantes in conspectu Dei, &c.* Si quæras rationis diuersitatẽ, cur ante apertionem sigilli quinti, semper dictum fuerit Ioanni: *Veni, & vide.* Et nonnisi vocatus, ac permissus accedebat, nec aliàs videre poterat, eam existimo, quòd in apertione quarti sigilli, mortem, & sepulchrum, & multorum hominum interitum contemplatus fuerat Ioannes, ℣. 8. *Et ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi mors, & infernus,* idest, *sepulchrum* (vt supra dictum est) *sequebatur eum, &c.* Hac mortis contemplatione; & visione purgati sunt oculi Prophetæ, illuminatus intellectus est; vt Dei mysteria (quantùm fas est homini in hac vita) libero cerneret intuitu: neque ministerio indigebat Angelico, vt accederet, videret, & loqueretur cum diuinis spiritibus, Deoq; ipso. Nec dicitur, *Veni, & vide:* si enim prius, antequam mortem vidisset, contemplatusq; fuisset, præclusum habuerit accessum, qui per Angelos, veluti per Aulicos Dei, aliquando patebat: nunc verò mortem contemplatus, vt Italicè dicam, *Non se gli tiene portiera:* Non amplius ei dicitur, *Veni, & vide* sed liberum habet cum Deo congressum. Et post hæc, quàm mira, & gloriosa de Deo, eiusq; in cœlis gloria contemplatus fuerit Apostolus, referta sunt sequentia Apoc. capita, præcipuè 7. & 8. quæ lector videat, & ponderet.

Oculos purgat ad diuina cõtemplãda mortis recordatio.

Liberum ad Deum habet accessum, qui de morte cogitat.

17 Absoluam propositũ assumptũ, S. Chrysostomi sentẽtia, aurea quidem, aureo ore digna: is enim homil. 5. in 2. ad Timot. loquens de mortis memoria, hæc habet: *Cùm pulsare animam metus mortis incipit, ignis instar, præsentis vitæ omnia succidens, philosophari eam cogit, & futura solicita mente versare.* Comparat ergo mortis memoriam igni, qui, dum omnia incendit, omnia quoq; consumit, & deuorat, non solùm quia omnia, quæ sub cœlo sunt materialia, tempore consumuntur; sed etiam, quæ in nobis per affectum, & passionem resident, veluti ignis exestuans, & ardens, in puluerem redigit omnia, dum nos, & nostra tandem in puluerem, & cinerem redigenda coarguit. Tunc *philosophari nos cogit,* idest, omnia abijcere, nil sibi retinere, cunctorum obliuisci docet: hoc enim apud Chrysostomum præcipuè, *philosophandi* verbum importat, & vulgò, qui nullius rei solicitus est, *philosophus* nuncupatur. Quid tandem ageret, cæteris expeditus, & iam philosophus effectus? *& futura solicita mente versare,* animum, mentemq; à præsentibus, ac terrenis abstractam, non segniter, ac leuiter, vel pigrè, sed feruidam, ac solicitam, mortis stimulo excitatam ad futura, & diuina contemplanda, dirigere. Vnde anima, quæ nondum mortis metu, & memoria percita, quasi pecudum more, sensibus tantùm vtebatur; statim ac proprij finis irrepsit recordatio, veræ sapientiæ, & cœlestium rerum iugi contemplationi, speculationi, & indagationi, sese totam ad mouit.

S. Chrys.

Mortis memoria quasi ignis omnia terrena consumit.

Mortem recogitãs, omnia abijcit.

Contemplatio cœlestiũ, ex mortis memoria.



CA-

CAPVT IX.

Quid ex mortis memoria, practicè in se Rex Dauid expertus sit, explicatur.

Eorum quæ ex mortis memoria colligi solent bona, & quæ à nobis in superioribus dicta sunt, si testem fidelem, omni exceptione maiorem, quæramus, eum Regem, ac Prophetam Dauid assignabimus, qui, quæ, quantaq; ex mortis memoria, dona Dei, virtutesq; in se expertus fuerit, fatetur per totum Psalmum 38. quem propterea compendiaria Paraphrasi, illustrare statuimus.

In Psalm. XXXVIII. Paraphrasis.

PSalmum hunc, suprema mortis memoria detentum, Regiū Prophetam edidisse, certissimum est. Id docet Gloss. Doctorum Duacensium ex Basil & Theodor. his verbis: *in finem, nos transmittit*, scilicèt Propheta, *quia humanæ naturæ vilitatem, & huiusce finem demonstrat*. Probat idem, nomē *Idithun*, quod in Psalmi titulo ponitur, & *transiens*, seu *transiliens* interpretatur, vt dicemus qua significatione, vitę præsentis, & hominum transitus per mortem, denotatur. Ea propter Euseb. inquit: *dicitur Idithun, quia prope extremum vitæ suæ tempus, post omnes res suas gestas, quæ in historia descriptæ fuerunt, à Dauid sit editus*. quo sicut nil morti proximus, ita nil magis, mortis memoriam menti ingerit. Idem probat Pater Agell. noster in argumento huius Psalmi. Volunt aliqui, non se, sed consumptum ægritudine hominem, describere Prophetam. Vel vt multis placet, describitur hic breuitas, ac vanitas præsentis vitæ in genere. quocumque tamen modo sit, illud est certum, non nisi suprema mortis memoria detentum, Psalmum hunc edidisse Prophetam: quod sole clarius patet ex ipsius Psalmi Titulo, ac versibus, quorum expositionem adducere incipimus.

Gloss. DD Duac.

Euseb.

Agell.

Titulus Psalmi
In finem, ipsi Idithun, Canticum Dauid.

1 AD huius tituli intelligentiam recolendū est, quod dicitur 1. Paralip. 25. ℣. 1. *Igitur Dauid, & Magistratus exercitus segregauerunt in ministerium filios Asaph, & Heman, & Idithun; qui prophetarēt in citharis, & psalterijs & cymbalis, secundum numerum suum, dedicato sibi officio seruientes*. Habes ergo, tres viros, scilicet *Asaph, Haman, & Idithun*, constitutos à Rege Dauid, vt cantores præcipuos, seu magistros musices, ad diuinas laudes canendas in templo Do-

Numerus cantorum in tẽplo Salomonis, 288.

mini, quibus diuisit, & attribuit cantores varios, qui per vices canerent, & vt dicitur eodem cap. ℣. 25. *fuit autem numerus eorum cum fratribus suis qui erudiebant canticum Domini, cuncti doctores, ducenti octoginta octo.* composuit autem psalmos Dauid, quos isti cantores decantarent in Templo, singulos singulis attribuens, vt dicitur 1. Paralipom. 16. & 1. Esdræ. 3. Quando ergo, legis: *psalmus pro Idithun*, sensus est, psalmum fuisse compositum pro magistro musices *Idithun*, à quo cum iis cantoribus, qui sibi dispositi erant, in eorum choro, erat psalmus canendus.

1. Parali. 1. Esdræ.

Asaph, i. colligens.

Psalm.

Heman, idest cor eorum.

2 At verò Dei spiritu ductus propheta, non *Asaph*, neq; *Heman* canticum hoc cãtandum direxit, sed *Idithun*; Nam *Asaph* interpretatur *colligens*: quia tamen mortem meditatur psalmista omnia præcipit abijciendi, & nil colligendum, vnde hoc eodẽ psalmo ℣. 8. *Thesaurizat, ait, & ignorat, cui congregabit ea*. Neq; *Heman*, qui interpretatur *cor eorum*: qui autem mortis habet memoriam, nihil eorum, quæ in mundo sunt, diligit, cor eius non est eorum, quæ mundus habet, vnde psalmista, *& nunc quæ est expectatio mea nonne Dñs? & substantia mea apud te est*, vt infra exponemus, ideò non illis psalmum dedicat, sed *Idithun*, qui *transiens*, seu *transiliẽs*, dicitur, vnde S. August. *Docet*, inquit, *de mundo ad Deum transire*. Et iterum: *transiliens eos, idest, remanentes in mundo*; quando, scilicet, moriens, è mundo abit. qui ergo *transiens*, seu *transiliens* est, seq; mundumq; transeuntem cogitat, *Asaph* non cõmunicat, quia nil mundi est *colligens*; neq, *Heman* iungitur, cuius *cor eorum*, non est, quæ extra Deũ sunt, sed ad æterna fixum est, & quæ cœlestia sunt, solùm perquirit.

Idithun, idest, transiens. S. Aug.

Mortem qui meditatur mundo nõ cõmunicat.

Hesych. Idithun, idest, venturus.

3 Docet Hesychius in Catena, nomen *Idithun*, idem esse, ac *venturum*, & hoc modo, benè mortem meditanti congruit, quid enim tam certò futurum, quàm mors? ex ijs enim mors est, quæ declinari minimè valent; cùm mortalium nemo à se illam possit repellere. Huc faciunt verba illa psal. 72. ℣. 4. *Non est respectus mortui eorum*. vbi Septuag. trãstulerunt; *non est repulsa*, seu *declinatio morti eorum*: quæ verba argutè explicãs S. August. lib. 13. de ciuitate Dei obseruat iuxta regulas grammaticæ verbum morior, non declinari, vt patet in præterito, mortuus, moriturus; nõ enim hoc ex illo regulariter deriuatur, vnde concludit S. August. *non incongruè arbitror accidisse, & si non humana industria, iudicio fortasse diuino, vt hoc verbum, quod est moritur, in latina lingua, nec Grammatici declinare potuerint ea regula, qua cætera talia declinantur*. subditq; rationem: *conuenienter itaque factum est, vt quemadmodum id quod significat, non potest agendo, ita ipsum verbum declinari loquendo non possit*. quasi dicat, eo modo, quo mors ineuitabilis est, ipsum etiã eius verbum sit indeclinabile.

Psalm.

Mors indeclinabilis.

S. Aug.

4 Ingerit tamen dubitationẽ, quod in psalmi titulo ponitur: *Canticum*. valde enim sibi cõtraria sunt, cantare, & mortem meditari; lætitia, & mortis mæstitia; nihilominus *Canticum* dicitur, & *Idithun* inscribitur, quod nomẽ, vt diximus, ex hoc mundo *transeuntem* denotat. Et hoc canticum cytharis, psalterijs, & organis lętanter canendum traditur, quod totum de sæculi, & hominis fine, est. Adde quòd minorem fecisset difficultatem, si *psalmus*, & non *Canticum* inscriptus fuisset, vt enim docet Eusebius, quem sequitur Agell. *Canticum*, nonnisi de lætis rebus est; *psalmus* verò, etiam de tristibus aliquando. Verùm mortis memoria & si tristitiam adducat, & mœrorem tribuat ijs, qui tota auiditate mundana perquirunt; *Canticum* tamen iucundissimum est probis viris, quia, vt ait S. Augustin. *hic est de æterna beatitudine, pro qua iucundum est transilire, & si graue sit carni*. Et si de auibus, quę Cygnus, seu Cycnus dicitur, ait Cicer. 1. Tusculan. *Cygni, non sine causa Apollini dicati sunt, scilicet quòd ab eo diuinitatem habere videantur, qua prouidentes, quid in morte boni sit, cum cantu, & voluptate moriuntur*. & Mart. lib. 13. *Dulcia defecta*

Euseb. Agell. Canticum de lætis tãtũ psal ẽt de tristibus, est.

S. Aug. Mortis memoria lætitiam dat iustis. Cicero. Cygni Apollini dicati. Maximũ bonum in morte reperitur. Martial.

modu-

modulatur carmina lingua, Cantator Cygnus funeris ipse sui. de iustis dicitur, *Cãticum* mortem illis esse, sicut etiam in psal. 121. ℣. 1. *latatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum* Domini *ibimus.* De sancto sene Simeone legimus, quod dulciter canens, instantem suum nuntiarit interitum, illis verbis, Lucæ 2. ℣. 29. *Nunc dimittis seruum tuum* Domine, *secundum verbum tuum in pace.* qui non tam beatum se existimabat, quia Christũ videret, quàm quòd citò se moriturum præuideret. H c sensum innuit S. Greg. Nyssen. *quàm beatus,* inquit, *ille sacer ad sacra introitus, per quem ad vita terminum maturauit.* Et S. Thom. in Catena, citato Lucæ loco ex S. Basil. *si autem,* inquit, *voces iustorum inquiras, omnes super hoc mundo, & eius flebili mora ingemiscunt.* Et si adeò lætanter, & dulciter S. Simeon canit propter propinquam mortem, ex qua spem futuræ gloriæ cõceperat (vt loco citato, inquit S. Tho.) & nihilominus gloriæ æternæ possessio, exucutioni mandanda nõ erat, nisi post Christi Passionem, & mortem, quæ complere debebat post 33. circiter annos, interim verò sanctus senex in Lymbo, Dei visione priuatus, iacere debebat: quàm læti de morte canunt, & lætantur; quorum spes, vel statim, vel paucas post horas, aut dies Purgatorij, æternam promittit beatitudinem?

Iusti, canendo moriuntur. Psalm.

Luc.

S. Greg. Nyssen.

S. Tho. in Catena S. Basil.

5 Non est prætereundum, apud Hebręos, psalmi titulum, ita inscribi: *ad victoriam Idithum* Dauid. paulò aliter in translatione S. Hierony. iuxta Hebræũ: *pro victoria Idithun, Canticum* Dauid. Cur autem *victoria* tribuatur huic psalmo, rationem reddit Lyranus: *quia quodam conatu canebatur, in quantum vna pars cantorum nitebatur superare aliam.* Hinc Aquila, certamen in psallendo, & canendo, credit significari, sic etiã Symmachus; vnde & Theodotio quod in vulgata legitur: *in finẽ* vertit ipse: *in certamẽ,* quia certatim canebatur psalmus, & quisq; musices præfectus, cantores suos vrgebat, & ad certandum canendo, cum alterius Chori cãtoribus excitabat.

S. Hieron

Lyran.

Aquila. Symmach. Theodot.

Musicorũ certamen in canẽdo

Neq; hæsitandum, eo quia ab alijs *victoria,* ab alijs verò *certamen,* vertitur: nam vt ait S. August. tract. 12. in Ioannem, nomen, *victoria,* aliquando pro *cõtentione, & certamine* ponitur. Verùm quod in hac expositione ingerit mihi difficultatem, illud est; quia *certamen* hoc, *pugna, & victoria* canentium alternatim chororum, non tantum in ijs canendis psalmis, quibus hic titulus, & eis similis ponebatur, sed in omnibus, vt ratio ipsa suadet, vtiq; erat: vnde non facile est rationem reddere, cur non omnibus psalmis, sed potius huic psalmo, & paucis alijs, titulus inscribatur: *in finem,* seu *victoria,* vel *certamen.* Aptius dici puto cum Patre Agell. nostro, proemio in psalmos, *in finem,* duobus modis posse accipi, primò vt idem sit ac, *in perpetuum,* seu *in assiduum,* & erit sensus: vt non statis, certisq; diebus hic psalmus, & cæteri, qui similiter inscribuntur, canerentur, sed assiduè resonarent, & quotidie canerentur. vel *assiduè,* quia vsq; ad finem sacrificij, dum mane, & vesperi fieret, à cantoribus dicerentur. secundò vt idem sit *in finem* ac *ad summum,* seu *perfectum,* quia summo conatu, ac perfectissima, qua fieri posset suauitate, ac modulatione essent canendi supra psalmos cæteros. Cui expositio hæc placuerit, & p æcedentem tenere voluerit, dicat: quia hic psalmus præcipuè maiori, quàm reliqui, modulatione, & perfectione, ac perseuerentia canendus erat, ideo maiori studio, ac diligentia nitebantur cantores decãtare: & ex hoc studio oriebatur inter cantores maior, seu maxima æmulatio; ideo signanter, huic psalmo, & paucis alijs ponitur titulus *pro victoria, seu concertatione.*

S. Aug. Victoria aliquando pro certamine sumitur.

Agell. In finem aliquãdo in perpetuum significat.

In finem aliquando idem, ac ad sũmũ, seu perfectum.

6 Si verò ad moralem sensum deflectamus, illud primo loco se se offert ex præmissa litteræ expositione, psalmũ, qui, vt diximus, de mortis consideratione, & breuitatis vitæ memoria est, non statutis diebus tantum, vt multi psalmi, traditum fuisse canendum, sed *in perpetuum, & assiduum:* quia mortis memoria iugiter esse debet nobiscum, neq; vnius

Semper retinenda mortis memoria, et inter lætissima.

diei,

diei, aut momenti spatio è mente excidere, quòd puluis sumus; Et inter lætissimos dies, & inter summa huius vitæ oblectamenta ingerendam omninò esse mortis memoriam: Dauid enim Rex inter dulcisonas voces, & modulationes, ad requiem, & otium animi, & recreationem adinuentas, illam perpetuam debere esse præcepit.

Mortis memoria habenda in oratione, & sacrificio, vt postulata consequamur.

7 Canebatur autem iugiter tota die, vsq; ad sacrificij finem; quia, vt postulata impetrarent sacrificantes facilius, veniamq; Deus concederet, mortis memoria adiuuabat, vt supra adnotauimus. & fortassis etiam ob hanc causam, videlicèt ad magis conciliandam Dei beneuolentiam erga nos, mortuorum fit memoria in sanctissimo Missæ sacrificio, & in diuinis laudib. nocturnis, & diurnis. Canebatur aũ hoc Cãticum, quod totũ de morte, & hominis fine est, perfectissimo cantu, & modulatione: quia non remissè, flebiliter, mestèq; mortis nostræ dies, & ex hoc mundo exitus canendus est, sed maiori, qua fieri potest, lætitia, & cordis alacritate, quæ in vocem ipsam resonet; ideo benè *in finem*, vertitur: *ad summum*, vel *perfectum*, vt diximus.

De morte, lætanter cogitandũ & canendum.

8 Rectè autem, *in finem*, vertunt Hebræi, *pro victoria*, seu *in victoriam*; Et psalmus, qui de mortis memoria est, & Idithun qui, *transiens*, dicitur, *pro victoria*, inscribitur, ea ratione, quia, qui vult mortem superare, quæ, vt dicitur Cãt. 8. ℣. 6. *fortis est*: certet cum morte, desiderio, cum morte congrediatur, mortem non timeat, mortem velit obire, ita Eucher. 4. Reg. 14. *Elias*, inquit, *mortem distulit, non euasit. Redemptor autem noster, quia non distulit, superauit*. Vel ideo: simul iunguntur: *in finem, & pro victoria*: quia verè fini, idest, morti tribuenda est victoria, cùm de cunctis creatis triumphet. 1. Corint. 15. ℣. 55. *Vbi est mors victoria tua?* cùm etiam, quia *transiens*, & qui mortem meditatur, verè victoriam habet, dum de seipso, suisque passionibus, & de ijs omnibus, quæ mũdus possidet, triumphat. Et si Pier. Valer. credimus, lib. 21. S. *quod autem dictum est &c.* auis quædam, Accipiter dicta, apud veteres, viri *ægritudine conflictati*, erat hieroglyphicum, eademq;, vt idem auctor refert ibi tem. *Denique*, & S. *quamuis autem*, erat victoriæ, & gloriæ typus, cùm ergo, vt diximus in argumento huius psalmi, Dauid ægritudine conflictatus, vel ægritudine conflictatum considerans, psalmum hunc composuerit; benè, ac congruè, *pro victoria*, inscribitur: quia idem omninò est, finem, seu mortem meditari, ac triumphare, seu gloriam adipisci.

Mortem superat qui cum morte congreditur.

Eucher.

1. Corint.

Qui de morte cogitat, de omnibus triumphat.

Pier.

Accipiter viri ægritudine cõflictati, & victoriæ hieroglyphicũ.

9 Vel aliter, totum vitæ tempus certaminis est, vt ait S. Iob 7. ℣. 1. *militia est vita hominis super terram:* quia verò militia hæc vsque ad finem vitæ perseuerat; numquam, *victoriæ*, titulum promeremur, nisi pugnæ tempore transacto; quod quia in fine vitæ est, ideo *in finem* traducitur *pro victoria*. Dicitur verò *Canticum*, tum quia non nisi cum canticis ad pugnandum ibant exercitus; tum etiam, quia post victoriam, triumphantium laudes canebantur; & non nisi post mortem, Iustorum laudes, qui de seipsis, & mundo triumpharunt, cantandæ laudes sunt, sicut dicitur Eccli. 44. ℣ 8. *reliquerunt nomen narrandi laudes eorum*; ideo: *Canticum*, & *in finem*. *pro victoria*, *seu concertatione*, inscribitur psalmi titulus.

Iob. Victoriæ titulus, mortuis tantum dandus.

Iustorum laudes post mortem decantadæ.

Eccli.

VERS. I.

Dixi, custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.

10 DIXI. Initium conuersionis ad Deum, & vitę spiritualis primordia, ex mentis firmo proposito est, vt ergo ostenderet Propheta, hoc in se factũ, dum mortem meditatus est, statim in ipso psalmi limine, qui, vt diximus, de mortis memoria est, incipit: *Dixi*, idest, vt exponit Pater

Initiũ bonæ operationis, ex mẽtis proposito.

Agell.

Agell.

Agell. noster: in corde dixi, statui; firmo decreto, ac certo proposito decreui; vel etiam ore ipso pronunciaui, & multis audientibus, proloquutus sum. Sed quid dixit, quid statuit, quid decreuit? subdit.

Agell.

Per vias, verba intelligũtur Prouer.

11 *Custodiam vias meas*. Placet Agellio, per *vias*, intelligendos esse *sermones*, ac *verba*. colligit ex autoritate Septuag. qui Prouer. 16. ℣. 17. vbi in vulgata habetur: *custos animæ suæ seruat viam suam*; transtulerunt: *diligẽs vitam suam, parcet ori suo*. Eandemq; sententiam è conuerso protulit cap. 13. 3. *qui custodit os suum, custodit animam suam*. erit ergo sensus: dum meum, vel humanæ vitæ ex hoc mundo transitum meditatus sum, peccata abijcere, & Deo seruire statui; quod, vt perficerem, sermones, verba, ac linguam ipsam custodire decreui; quia vt dicitur Iacob. 3 ℣. 2. *qui in verbo non offendit, hic perfectus est vir*. Quem sensum confirmant verba quæ sequuntur: *vt non delinquam in lingua mea*.

Custos linguæ, est custos vitæ, & animæ.

Mortem meditans, linguã & animum custodit.

Iacob.

Cogitationis custos est mortis memoria.

12 Sunt qui *vias, cogitationes*, intelligũt; quas mortis memoria edoctus, se cũstoditurum dicit. Vel potius ipsa mortis memoria Custodis munere fungetur, ne si malæ sint, in animam intrent, vel si præter voluntatem intrauerint, ne hæreant: nam etiam rerum prauarũ quis custos dici potest, non vt eas seruet, sed arceat; iuxta illud Lucæ 11. ℣. 21. *cum fortis armatus custodit atrium suum &c.* & Cic. lib. 2. offic. *malus custos est diuturnitatis metus*. Si verò ipsæ cogitationes bonæ sint, ad illarum custodiam studebit, vt perseuerent, & incrementum accipiant.

Luc.

Cic.

13 Frequẽtior expositio, per *vias*, omnem intelligit viuendi rationem, cogitatis, dictis, & factis, sicut sunt verba illa Deuter. 4. ℣. 2 *custodite vias vestras, & studia vestra*. & psal. 118. ℣. 15. *cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua*. Et sensus erit, quia mortem contemplatus sum, toti vitæ meæ *custodiam* adhibere statui, vt ne cogitatione, verbo, vel opere aliquo, à Dei lege aberrem, eo prorsus modo, quo parentes, quibus filiorum incumbit optima educatio, probatorum morum, prudentiæ, & omnis sapientiæ genere instructũ perquirunt magistrum, quem liberorum curæ præficiunt, vt illos regat, custodiat, instruat, & doceat, à quo tãdem omnem optimè viuendi formam ediscant. Ita, qui mortis memoriam ab animo non repellunt, tamquã sub eruditissimo magistro, omnẽ perfectionem, & viuẽdi rationem apprehendunt, vitamq; suam, actiones, & mores componunt. Qua metaphora vsus est Hesychius presbyter Cent. 1. num. 94. dicens: *optimus animæ, corporisq; pedagogus est indelebilis memoria mortis*. Ideo Dauid mortis meditationem omnibus suis actibus præficit, à qua regulam, & normam accipiat, & custodiam ad vitæ emendationem, & compositionem: *dixi custodiam vias meas*.

Deuteron. Psalm.

Custos totius vitæ, mortis est memoria.

Mortis memoria animæ pedagogus.

Hesych.

14 Erit ergo mortis memoria omnium actionum nostrarum *custodia*, vigilia, vel præsidium veluti militare, ac miles defensioni, & tutelæ arcis præsidens, cuius artes, laboresq; qui sint, norunt, qui experti sunt. Pier. Valer. lib. 17 tit. de Grue, ait, Gruem hieroglyphicum fuisse *Custodiæ militaris*, eius, inquàm, qui ab hostium insidijs se defendebat. idem autem ibidem refert ex Solino, Gruem terram, & arenam in ore gestare, imò deuorare: rectè ergo *custodiæ* præficitur, qui terrã comedit, idest mortem ruminat: hic enim custos est animæ suæ; propterea psalmista, mortem meditatus, inquit, *Dixi custodiam vias meas*.

Mortis memoria præsidiũ militare.

Pier. Grues, custodiæ hieroglyphicum: terram comedunt.

15 *Vt non delinquam in lingua mea*. Cognoscebat propheta, ait S. Aug. deliquisse se in lingua; nunc mortis memoria edoctus, emendationi, ac pœnitentiæ studens, ita se ad custodiam totius vitæ, omniumq; actionum inuigilaturũ, vt ne verbo quidem offenderet, si fieri posset, vt exponit Bellarminus.

S. Aug. Peccatũ linguæ mortis memoria arcetur.

Bellar.

VERS.

VERS. II.

Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator aduersus me.

16 Osui ori meo custodiam. Nō satis fuit psalmistæ, mortem meditāti, omnibus actionibus vitæ suæ in cōmuni, ne lingua quidem offenderet, custodiam designasse: *custodiam vias meas:* insuper specialem ori custodiam adhibuit: *posui ori meo custodiam*, seu, vt alij legunt: *frænum*; sicut est illud Eccli. 28. ℣. 29. *verbis tuis facito stateram, & frænos ori tuo rectos: & attende, ne forte labaris in lingua, & cadas in conspectu inimicorum, insidiantium tibi, & sit casus tuus insanabilis in mortem.* Videns ergo Dauid paratas sibi inimicorum insidias, specialem *custodiam*, seu *frænum* ori statuit: *posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator aduersum me.* exemplo sancti Iob. 30 ℣. 11. *pharetram suam aperuit, & afflixit me, & frænum posuit in os meum.* erat autem sancto Regi pro *custodia*, mortis memoria, vt diximus, & infra ēt multis ostendemus. fuit olim silentij hieroglyphicum Anser, qui lapillum rostro apprehenderet, vt ait Pier. Valer. lib. 24 tit. de Ansere; Auis enim hæc, clamore grauiter obstrepenti, ferè semper clāgit, vt etiam inter pascendum silere nequeat: lapillo tamen os obstruens, silet. Ita quoq;, vt lingua non prolaberetur propheta, mortem meditatur, & quasi lapillo, vel terra os obstruit. Adducatur in cōfirmationem Theodoritus, qui exponens locum illum Thren. 3. ℣. 29. *ponet in puluere os suum, si fortè sit spes*, inquit, *tacebit, scilicèt, ac si habeat os plenum terra*, silentij enim mater, & nutrix est mortis memoria. parum est coram inimico nō aperuisse os suum, cùm se opprobrijs, iniuriis, & ignominijs tradiderit aduersariorum; postquam enim dixit propheta: *ponet in puluere os suū &c.* pulueris huius, subdit statim effectum: *dabit percutienti se maxillam saturabitur opprobrijs.*

17 Pater Agell. noster ex Hebræa voce *mahsom*, quæ *Camū*, seu *capistrū* significat, legendum putat: *posui ori meo Camū, vel capistrum &c.* quo iumentorum ora vinciuntur, ne mordeant, quo significauit, nihil aliud esse maledictis incessere, aut inuicem maledicta referre, quàm ritu mulorum mordere, eadem voce vsus est Apostolus ad Galat. 5. ℣. 15. *Diliges proximum tuū, sicut teipsum, quòd, si inuicem mordetis, & comeditis; videte, ne ab inuicem consumamini.* vnde Symmach. transtulit: *custodiam os meum camo.* qua similitudine satis accomodata, se inimicorum insidijs, odijs, iniurijs lacessitum, vt patet in verbis sequentibus: *cùm consisteret peccator aduersum me.* & paulò infra dicemus, & in expositione etiam ℣. 4. Hac ergo similitudine, docet propheta, cohibuisse se os suum, ne in verba, maledicta, detractiones, & iniurias erga inimicos sibi detrahentes, & insidiantes prolaberetur, tale donum ex mortis memoria consequutus.

18 Equo indomito impudentis oris, frœnum sustinere non valenti, perassimilem se fatetur psalmista, qui si vlterius calcaribus præmatur, flagellis cædatur, equitantem absq; dubio proijcit ad ruinam. per equum verò absque frœno inimicitias, & prælia denotari, docet Poeta.

Bello armantur equi, bella hæc
armenta minantur.

& Lucretius equorum prolem *duellicā*, appellat. sicut è contra equus frænatus, domitæ ferocitatis fuit apud veteres hieroglyphicum, teste Pier. lib 4. dùm ergo Dauid, ab inimicis oppugnatum, frænatum vides: *posui ori meo frenū.* non duellicū, non ad pugnam, & rixas inhiantem fateberis; mortis enim memoria ferociam compescuit, furoremque do-

Agell.

Nō mordet, nō offendit inimici qui mortē meditatur.

Galat.

Symmach

Inimicitiæ per equū sine frœno denotatæ.

Virg.

Lucret. *Equus frænatus, domitæ ferocitatis typus.*

Mortis memoria ferociam compescit & virtuti frænum in ore.

domuit, & loco *cami* fuit; cùm *peccator*, ideſt, *inimicus aduerſus eum conſiſteret*, ferociter, & crudeliter pugnans.

19 Quoniam autem, *camus*, ſeu *capiſtrum* iumentis ponitur, non ſolum ne mordeant, ſed etiam ne comedant, vnde eſt illud. 1. Corint. 9. ℣. 9. *non alligabis os boui trituranti*. quapropter Vatabl. & alij tranſtulerunt: *poſui ori meo fiſcellam*. quomodo præcipit Plin. lib. 18. cap. 19. *ſi inter arbores, viteſq; aretur, fiſcellis beſtias capiſtrari, ne germinũ tenera præcerpant*: tunc autem erit ſenſus: mortis memoria fuiſſe ori Prophetæ, veluti *capiſtrum*, vel *fiſcellam*, vt ſi gula ſtimularetur ad crapulas, minimè deflecteret; imò potius ſobrietatem, parſimoniam, ac ieiunium ſeruaret. à quo non diſſidet etiam ſi *frænum* legamus: *poſui ori meo frænum &c.* nam, vt inquit Pier. Valer. lib. 36. frænum, manu protentum, fuit temperantiæ hieroglyphicum: vnde Nemeſeos ſimulachrũ inſignibus his conſpicuum habebant, cuius hæc erat inſcriptio:

Vna manus cubitum oſtentat, gerit altera frænum:
Illa, modum ſerua: hæc admonet, os cohibe.

Nota circa hoc Archangeli Raphaelis verba, Tobiæ 12. ℣. 12. *quando ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium*. Vide connexionem, & nexum indiſſolubilem; *ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium*. quì enim fieri poteſt vt prandia quæreret, qui cadauera ante oculos habebat, & ſe quoque ſimiliter moriturum cogitabat?

20 Quod ſi cum alijs legas: *cuſtodiã os meum clauſura* ad ſilentium (ſeruandum, vt inquit, S. Hieronym.) duci poteſt ſimilitudo à *clauſura* monialium, vnde egredi, aut eò aliquid introducere vetitum eſt. in quem ſenſum dicitur Mich. 11. ℣. 5. *cuſtodi clauſtra oris tui*. Vt ergo oſtenderet pſalmiſta, quantùm mortis meditatione profeciſſet, ſe eò deueniſſe dicit, vt verba ſua veluti *clauſtro*, & *clauſura* coercuerit, ne ex ore ad libitũ procederent. *Clauſuræ* autem huius clauis apud Deum eſt, cuius munus eſt aperire, ſi quando loquendum eſt. pſal. 50. ℣. 17. *exultabit lingua mea iuſtitiam tuam*, volebat Dauid Dei præconia eloqui, ſed quando arcta clauſura obſeratum os eius erat, ſubdit ſtatim: *Domine labia mea aperies*, quaſi dicat; cupio tuas edicere laudes, ſed opus eſt, vt tu reſeras, & licentiam loquendi facias, *& os meũ annunciabit laudem tuam*. quidnam autem in *clauſuram* hanc introducatur, & nonniſi Deo ſic præcipiente, oſtendit, pſal. 39. ℣. 3. *& immiſit in os meum canticum nouum, carmen Deo noſtro*. diſcant qui ſemper, & de quolibet licentiam ſibi faciunt loquendi, & dicũt cum ſceleſtibus illis. pſal. 11. ℣. 5. *labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter Dominus eſt?* cùm nec quæ Dei ſunt, & ad Dei gloriam ſpectant, proferre voluerit Dauid, niſi Dominus os aperuiſſet, & clauſtra reſeraſſet.

21 *Cùm conſiſteret peccator aduerſũ me*. Oſtendit quando præcipuè mortis memoria ori ſuo veluti cuſtodiam poſuerit; *peccator*, ſecundum S. Chryſ. S. Hierony. & alios, *Diabolus* intelligitur, frequentius tamen pro eo exponitur, qui inimicus cùm eſſet Prophetæ, probris, ac maledictis prouocabat, veluti Semei, vt dicitur 2. Reg. 19. vel etiam armis, ac prælijs, ſicut Saul, Abſalon &c. ideò Apollinaris legit: *armatus cùm mihi impius opponitur*. dicitur autem per antonomaſiam *peccator* ſicut & Diabolus, cuius filius, & hæres eſt, ſicut è contra, de eo qui inimicis parcit, dicitur Matth. 5. ℣. 44. *diligite inimicos veſtros &c. vt ſitis filij patris veſtri, qui in cælis eſt*. Solet quoq; *peccati* nomine in ſcripturis quãdoq; *infidelitas* denotari, vt Io. 15. ℣. 22. *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo*, ſcilicèt *infidelitatis*. Et cap. 16. ℣ 8. *cùm venerit ille, arguet mundum &c. de peccato quidem, quia non crediderunt in me*. & rectè; nam, & ſi fides ſtare poſſit ſine charitate, & conſequenter odio habens inimicum, eſſe poſſit fidelis; videmus

[Marginalia, left: 1. Corinth. — Ieiunium ſeruat, qui mortẽ meditatur. — Plin. — Pier. Frænum manu protentum, temperantiæ hieroglyphicũ. — S. Hieron — Mich. Os iuſti, mortẽ meditantis, quaſi clauſura Monialium.]

[Marginalia, right: Deus oris noſtri clauſuræ clauẽ ſeruat. Pſalm. — Pſalm. — Pſalm. — S. Chryſ. S. Hieron — Inimicus, per antonomaſiam peccator dicitur, ſicut diabolus. — Apollin. — Matth. — Ioann. Ad infidelitatem tendit, qui inimicitias ſeruat.]

t amen, ſicut deficiente calore naturali, vitam attenuari, ita deficiente quandoque, & in aliquibus calore ſupernaturali, qui eſt charitas, minui paulatim fidem, de qua dicitur Hebr. 2. ℣. 4. *Iuſtus autem in fide ſua viuat*. & ad Roman. 1. ℣. 17. *Iuſtus autem ex fide viuit.*

VERS. III.

Obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis, & dolor meus renouatus eſt.

Quaſi mutus efficitur, qui mortem recolit.

22 
Bmutui. Sequitur Pſalmiſta, maiorem perfectionẽ, quã ex mortis memoria acquiſierat recẽſere. parum ei fuit, in otioſa verba non prolabi: *vt non delinquam in lingua mea*. parũ cuſtodiam ori adhibuiſſe: *poſui ori meo cuſtodiam*. Addit: *obmutui* quod idem eſt ac *mutus effectus ſum*, vt vertunt aliqui, aſſerit ſe veluti priuatum organo, & inſtrumento vocis, quod maius eſt, quàm non peccare verbo, aut cuſtoditum os tenere. dicit autem hoc, ad oſtendendam ſummam aduerſus ſibi inſultantes patientiam, qua detractiones, conuicia, & perſecutiones inimicorũ viriliter ſuſtinebat. vnde (vt paulò ſuperius num. 16. diximus) Theodoritus exponens locum illum Thren. 3. ℣. 29. *ponet in puluere os ſuum, ſi fortè ſit ſpes*. ſic ait: *dabit in puluere os ſuum, ſi fortè ſit ſpes patientiæ. tacebit ſcilicet, & animo generoſo feret conuicia, & probra, ac ſi habeat os plenum terra*. & adducit in confirmationem ſuæ expoſitionis verſiculum hunc pſalmi, quẽ modo exponimus, ſic dicens: *hoc & diuinus Dauid perſpicuè dixit: cùm cõſiſteret peccator aduerſum me, humiliatus ſum, & ſurdus effectus ſum*. Igitur non ſolũ *mutum*, ſed *ſurdum* ſe euaſiſſe teſtatur ad detractiones, maledicta, & inſultationes

Theodor. Thren.

Surdus ad detractiones inimicorum efficitur, qui mortẽ meditatur

aduerſariorum, quia *habebat os plenum terra*, hoc eſt mortem ruminabat, de vitæ fine cogitabat. Sic etiam legit S. Aug. & Cyrill. *obſurdui*, iuxta illud pſalm. 77. ℣. 14. *tamquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum*. Habes ergo quòd mortis memoria os frœnat, & obmuteſcere facit: *obmutui &c.* ſurdum reddit: *obſurdui*, iniurias, rixas, inimicitias docet contẽnere: *animo generoſo feret conuicia*, & vt dicebat eo loco Ier. *dabit percutienti ſe maxillam*. guſtum, & palatum immutat, dùm non crapuloſis ferculis, ſed vt eo loco ſubdit Ieremias, *ſatiabitur opprobrijs*. Hæc autem omnia faciet, quia *ponet in puluere os ſuum*, mortem ſcilicèt meditando, ſe puluerem eſſe cogitando.

S. Aug. Cyrill.

Pſalm.

Ierem.

23 *Et humiliatus ſum*. quid faceret pulueris noſtri meditatio, ſi vſq; ad pulueris humiliationem non duceret, ideò ſe *humiliatum* dicit Propheta, dùm ſe in puluerem reſoluendũ cogitauit: nulla enim eſt elatio, ambitio, & ſuperbia, quam mortis memoria, terræ nõ æquet. *humiliatus ſum*, inquit, non ſolum exteriùs, deiecta forma, & habitu, in quo quãdoque ſimulatio, & hyprocriſis eſſe ſolet: ſed interiùs, humiliter ſentiendo de me, quem in puluerem reuertendũ cogitabam, & ſi Regia claritate, & habitu decorum. ſicq; patientiam, quam exterius maledicta, perſecutioneſq; libenter ferendo, nec verbo quidem offendendo commoſtraui, interiùs vera humilitate exhibui, ac roboraui. Adduco in confirmationem, quòd olim Reges lenticula olei vngebantur, cùm in Reges conſtituebantur. 1. Reg. 10. ℣. 1. *tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput eius*, ideſt Saul, *ecce vnxit te Deus ſuper hæreditatem ſuam in principẽ &c.* erat autem *lenticula* vas fictile, de qua Plin. lib. 18. cap. 12. humanæ caducitatis hieroglyphicum, non ſolum quia fictile, ſed etiam quia loculus, in quo humabantur cadauera, *lenticula* vocabatur; vnde Iuſtinus in Parænesi ad Gentes, vrnam in qua corpus Sybillæ Cumanæ erat, *lenticulam* appellat. igitur ne ſuperbirẽt,

Humilitas ex mortis memoria oritur

1. Reg. Lenticula ſepulchri effigiem præſeferẽte, Reges conſecrabãtur, ad humiliationem. Plin.

Iuſtin.

& am-

& ambirent Reges, *lenticula*, & ea fictili vngebantur, vt in illam intuentes, se morituros, cogitarent; sicq; non superbirēt, aut ambirent.

24 *Et silui à bonis.* Exponunt aliqui à bonis etiam verbis abstinui, vt à malis etiam longè abessem. Si cum Symmacho vertamus: *conticui cùm non essem in bonis*, erit sensus: eò quod peccatis me cognoscebam implicatum, & nullum bonum operatum fuisse, ideò *silui*, præ verecundia os aperire non sum ausus, sed rubore perterritus, tacui; sicut de eo, qui in conuiuio sine veste nuptiali repertus fuerat, dicitur Matth. 22. ℣. 12. *amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? at ille obmutuit.* Et de peccato, seu peccatore, sub nomine impietatis dicitur Zachar. 5. ℣. 8. *Hæc est impietas, & proiecit eam in medio amphoræ, & misit massam plumbeam in os eius.* ad obstruendum, ne verba præfaret. Si verò legatur cum alijs: *abstinui à iusta occasione meipsum defendendi*, cùm id facere possem, & liceret, vt magis humiliarer; siue alio quoquo modo legatur, & intelligatur: totum mortis memoriæ tribuendum est, quæ & silentium docet: illuminat conscientiam, vt peccata cognoscamus, & humiliemur; & ante Iudicis oculos, nos peccatores accusemus, & à peccatis abstineamus: quæ omnia ex dictis patent.

Aliquando, etiā à bonis silēdum, ne mala proloquamur Symmach

Peccatū, præ verecundia, os obstruit peccatoris Matth.

Zach.

Etiā iustæ defensioni cedit, qui de morte cogitat.

25 *Et dolor meus renouatus est.* quidam sic exponunt: Ex eo quòd tacui, *dolor meus*, de acceptis cōtumelijs, & passis cum patientia oppugnationibus, *renouatus est*, vel *irritatus*, aut *exasperatus est*, lenitur enim dolor, & cordis plaga quodammodo curatur, cùm tribulationem quam patimur, amico cōmunicamus, sicut è contra silentio augetur. vnde dicebat Iob. 9. ℣. 17. *cùm dixero: nequaquàm ita loquar: commuto faciem meam, & dolore torqueor.* quod cùm verum sit: *maluit aūt Dauid*, inquit Agell. *tacendo sibi dolorem commoueri, seu renouari, quàm loquendo peccare*: hæc autem perfectionem, ex mortis memoria, quam habebat, didicerat. Moraliter sic quoq; exponi potest. quoniam vt diximus numero præcedenti, mortem recolens Dauid, perpetrata in mentem venerant, seq; peccatis implicatum cernebat: *dolor*, seu pœnitentia de admissis culpis ex illa mortis memoria *renouatus*, seu, vt legit Bellarm. *reuocatus est*, vel *iterum reuocatus*: & peccata ea quæ iam planxerat, denuò flere incipit, ac si mox commisisset, & numquam deploratus fuisset, aut pœnitentiam egisset, ideò ait: *dolor meus*, de peccatis scilicèt, admissis, *renouatus est*, seu *reuocatus est*.

Mæroris communicatio, dolorem mitigat.

Iob.

Agell. Pati magis eligit quam peccare; qui morté cōtemplatur

Pœnitēti renouat, qui se moriturum cogitat.

Bellarm.

VERS. IV.

Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.

26 ONCALVIT *cor meum intra me*. Chald. transtulit; *incaluit*, aut *ebulluit cor meum*. S. Ambr. quem inter recentiores sequitur Bellarm. de calore, & igne charitatis in Deum, & proximum intelligit. Cas. *cor meum concaluit omni parte igne Dei*. Vgo Cardinal. *Concaluit, idest, simul erga Deum, & proximum caluit quasi dicat, iste dolor ex gemina dilectione Dei scilicèt, & proximi procedit*: offenderat enim peccando Dauid immediatè Deum peccato superbiæ populum numerando, & proximum Bersabeæ vxorem Vriæ surripiendo, ipsumque Vriam occidendo &c. rectè ergo de vtroque dolet, & ex vtroq; vim charitatis maiorem sentit, dùm mortem meditatur. Vel tunc certè *concaluit cor &c. cùm consisteret peccator &c.* vt supra dictum est, quando inquàm maledictis, ac persecutionibus inimicorum vrgebatur, maiori Spiritus sancti igne succendebatur erga inimicos, charitatis feruor, ille inquàm, de quo dicitur Lucæ 23 ℣ 32.

Chald.

S. Ambr

Bellarm.

Charitate in Deum & proximum accēdit mortis memoria. Cas. Vgo Card.

Charitas erga inimicos magis incenditur, cū oppugnatur.

Luc.

Arist. *nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via &c.* eo modo quo, vt scribit Aristot. 2. meteor. calida, & arida exhalatio, secundam aeris regionem frigidam, nubesq; humidas incurrens, magis incenditur, & ità inflammatur, vt in fulmen, seu fulgur transmutetur, sicq; vt contrariorum obsistentia, magis intendatur. similiter Dauid inquit: *cùm consisteret peccator*, idest, *aduersarius aduersum me &c. concaluit cor meum intra me*. sicq; factum est vt diuinus hic ignis charitatis, & amoris, mortis cinere non solum conseruaretur, sed augeretur magis, & intenderetur. vt dicemus vers. sequenti.

Mortis memoria, amorē in Deum, & Proximū accendit. 27 *Et in meditatione mea exardescet ignis*, idest *exarsit*. futurum pro præsenti ponitur iuxta morem Sacræ scripturæ. & erit sensus: cùm me moriturum cogitaui, & humanæ vitæ finem meditatus sum, in hac *mea meditatione exarsit ignis* summæ charitatis erga Deum, & proximum, & cordis feruorem concepi, & in Dei seruitio magis profeci. adiuuat namq, mortis meditatio ad eleuandam, inflammandamq; mentem in oratione; hinc ille Genes. 18. ℣. 27. *loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis, & cinis.*

Agell. Genebrar Pater Agell. noster, Genebrard. & alij adducta verba: *cùm consisteret peccator aduersum me &c.* sic exponunt: cùm tacitus probra, iniurias, & offensiones æquo ferrem animo, vt ne silētium quidem rumperem, *concaluit cor meum &c.* idest, & si inuitus, maxima tamen ira exarsi, est enim ira: accensio sanguinis circa cor. Ira itaq; cor inflammatum est, & indignatione maxima exestuauit, quē interpretandi morem seruauere etiam Sept. Deuter. 19. ℣. 6. vbi vulgata habet: *ne fortè proximus eius, cuius effusus est sanguis dolore stimulatus, persequatur, & apprehendat eum.* vertunt ipsi: *quia concaluit in corde suo.* Ergo calor cordis, secundum hanc expositionem, hoc loco indignationem significat, & si passiuam, & inuoluntariam. Similiter ad eundem sensum exponuntur verba quæ sequuntur: *& in meditatione mea exardescet ignis.* idest, cum tacitus mecum cogitarem, menteq; reuoluerem (etsi inuitus, quæ ab aduersarijs passus fueram (hoc enim importat: *in meditatione mea*) indignatio maxima, igni similis, in corde meo accensa est. quod confirmat in sua versione Symmachus: *Dùm*, inquit, *commemorarem, & animo reuoluerem, vrebar igni.* Et Theodor. *Exaruit cor meum intra me, & dùm in animo expenderem, flagrabam igne mœroris* S. Chrysostom. homil. 16. in cap. 5. Matth. iram & indignationem aduersus inimicos, igni comparat, dicens: *an ignoras, inimicitiarum tempore, incandescente ira, animoq; prorsus ardescente, etiam minimum aliquid, magnum videri?* vt autē huiusmodi iræ, & indignationis maximæ flammis, mederetur propheta, mœroremq; curaret, ad mortis memoriam recurrit, vnde statim subdit.

Ira, est cordis calor. *Deuteron.* *Septuag.* *Symmach.* *Theodor.* *S. Chrys.*

VERRS. V.

Locutus sum in lingua mea notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum quis est; vt sciā quid desit mihi.

28 OCVTVS *sum &c.* videns se Dauid, diaboli suggestionibus incitatum, inimicorum persequētium machinis ad mœrores, indignationes, & iram incitatum, & inflammatum, vt diximus, ad orationem confugiens, Deū orat, vt finem vitæ mente capiat, breuitatem dierum cogitatione teneat, mortis memoriā secum habeat, hoc enim opportunum, salubreq; remedium sciebat, ad animi languorem curandum, ad indignationē mitigandam, ad rixas, & inimicitias componendas, & ad omne iræ incendium extinguendum. quod optimè nouit Orig. epist. ad Roman. lib. 5. cap. 6. *si odio*, inquit,

Mortis memoria odia, & inimicitias remouet. *Orig.*

quit, *vel ira inflammatus ad necem conciter inimici mei: si cogitationes mortis ponam in animo meo, extinguitur sine dubio ira, furor cessat, odium conquiescit.* vnde psalmista post hanc mortis meditationem, quam prosequitur etiam ℣. 6. & 7. subdit ℣. 8. *verumtamen in imagine pertransit homo*. sed quid inde? *frustrà conturbatur*. idest ad quid turbari cum aduersarijs, cùm tandem moriendum sit. Et si de mōte quodam cui nomen, Chimera, scribit Plin. quod ignitos semper globos, flammasq; euomat, quæ aqua extingui nequeunt, si tamen terra, aut fœnum in eas proiiciatur, vrendi vim ammittit. multò magis igne cupiditatis cuiuscumque, præcipuè verò indignationis, & inimicitiarum flammis exardescēs cor humanum, extinguet iniectus puluis mortalitatis nostræ, & fęnum corruptibilis carnis; iuxta Isai. 40. ℣. 6. *omnis caro fænum, & omnis gloria eius quasi flos agri, exiccatum est fænum &c.* Ideò Sancta Mater Ecclesia, in mortalitatis nostræ memoriam, terram fidelium capitibus apponit, ad omnem ignem præcipuè tamen iræ, & indignationis extinguēdum. *memento homo quia puluis es, & in pulverem reuerteris*. Sed propositi versus partes distinctius explicemus.

Plin.

Chimeræ Montis ignis, terra, & fœno extinguitur.

Cupiditatis ignis, puluere mortalitatis deficit. Isai.

29 Lyran. de oratione prophetæ ad Deum intelligit: *locutus sum in lingua mea.* scilicèt: *deprecando corde, & ore*, & patet ex littera, vertit enim se orans ad Dominum, dicens: *notum fac mihi Domine finem meum &c.* sic etiam exponit Vgo Card. Dixerat enim psalmista ℣. præcedenti, iuxta primam expositionē, *in meditatione mea exardescet ignis.* nunc ad vocalem etiam orationem conuertitur: *locutus sum in lingua mea &c.* non enim ad homines loquebatur, qui supra dixerat: *posui ori meo custodiam &c. obmutui, & silui &c.* illa namque mortis meditatio quæ hominem à terrenis reuocat, ad Deum aduocat, & orare docet vnde Agell. hoc loco, inquit, *à breuitate vitæ igitur, causam sumit orandi.*

Lyran. Mortis memoria orare docet.

Vgo Card.

Agell.

30 Quia tamen Spiritus sanctus in Sacra scriptura nullum patitur verbum, quod otiosum, & superfluum sit, rationabiliter dubitatur; cur non suffecit pro prophetæ dicere: *locutus sum*, sed addidit: *in lingua mea*. certè qui loquitur, lingua loquitur, & lingua sua, non aliena; & si ad exprimendam vocalem orationem dixit *lingua*, cor enim internas etiam habet Deo notas voces, quare *mea?* Dici posset, *lingua mea locutus sum*, & Deum rogaui, ne similis eis essem, qui in necessitate positi, & vt postulata corporis, vel animæ bona consequantur (cùm ipsi possint, alios faciunt vt pro se rogent. qui quidem loquuntur, sed non propria in lingua, sed in aliena. huius generis fuit Pharao qui Moysi, & Aaron dixit Exod. 8 ℣. 38. *rogate pro me.* & cap. 10. ℣. 17. *rogate pro me Dominum Deum vestrum, vt auferat à me mortem istam.* quia verò in lingua sua minimè locutus est, quid mirum si cor eius induratum, locis citatis, legis: *induratum est cor Pharaonis &c.* est namque proprium orationis mollire cor orantis animæ, vnde Cant. 5. V. 6. *Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est. quæsiui, & non inueni illum: vocaui, & non respondit mihi*. quibus verbis exprimitur reciprocus amor inter Deum, & orantem animam, quod explicat paraphr. Chald. *& anima mea*, inquit, *desiderauit vocem verborū eius, quæsiui maiestatem gloriæ eius, & non inueni, oraui coram eo, & ipse obumbrauit cælos nubibus, & non suscepit orationem meam.*

31 Vgo Cardin. sic exponit: *locutus sum in lingua mea, idest in idiomate meo, quo scilicèt loqui consueui Deo; scilicèt in desiderio animæ, & deuotione.* ex quo colligitur non aliud debere esse idioma nostrum, nisi verba deuotionis; pænitus ignorantes idioma mundi, præcipuè quando cum Deo in oratione loquimur, nil humanum sapere debēt verba, & petiones nostræ; terrenum enim idioma (vt nostro intelligendi modo loquamur) in cęlis non intelligitur, sicut è contra cæleste idioma, terrenis cordibus minimè notum est. 1. Ioan. 4. V. 5.

ipsi de mundo loquuntur, & mundus eos audit. Nos ex Deo sumus. qui nouit Deũ, audit nos &c. magister autẽ hujus idiomatis, mortis memoria est.

32 Aliter (& magis ad rem nostrã) exponit Cass. *locutus sum in lingua mea, idest, transilientium lingua locutus sum.* In declaratione tituli præsentis psalmi diximus ex mente S. August. & aliorũ, per *transilientem*, seu *transeuntem*, eum denotari, qui ex hoc mundo, omnia relinquens, ad Deum transit per mortem naturalem. Ergo lingua, *transilientium*, in qua Deum alloquitur, & orat Propheta, morientium, mortemq; meditantium lingua est. Et benè, proindèq; hac lingua Deum alloquitur & orat; hæc enim est, cuius idioma in cælo auditur, & noscitur, & quæ postulata misericorditer impetrat; vnde Vgo Card. hoc loco: *propria*, inquit, *lingua transilientis, est lingua cælestis*; potest aũ intelligi duobus modis, primo, quòd *lingua cælestis sit lingua trãsilientis*, quasi aliam linguã nesciat, neq; intelligat, qui se transeuntem cogitat, nisi cælestem, quæ scilicèt de Deo, & de cælestibus tractat, in quem sensum dicebat Paulus 1. Corint. 2. V. 2. *non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.* Secundo, quòd ipsa verba, & lingua eius, qui rerum omnium finem, & mortem contemplatur, sit *cælestis*, idest, quæ in cęlis auditur, & noscitur, & in hunc secundum sensum ait Vgo Cardin. *transeuntes, & peregrini lingua cognoscuntur, similiter transeuntes Dei.*

33 *Notum fac mihi Domine finem meum.* Vgo Cardin. inquit, *ad literam, idest, mortem notam fac mihi, vt eam in memoria habeam, quod necessarium est propter multa &c.* quæ autem hæc sint, ibi recenset, quæ Lector videre potest. Non ergo vana curiositas fuit Prophetæ, vt scire vellet quantum temporis superesset vsque ad mortem, hoc enim non postulauit, nam temeritas quædam fuisset; solùm ergo mortis memoria, & vitæ humanæ, ac transitoriæ instantem finem semper mente reuoluere sibi concederetur, deprecatus est.

34 *Et numerum dierum meorum quis est.* Quoniam vt mox diximus non curiositate aliqua, aut animi leuitate ductum Prophetam, ad postulandum Dominum, vt vitæ finis sibi notus fieret, sed vt ipsius vitæ breuitatem mente semper reuolueret; Idem nunc postulat, verbis mutatis, non sensu. Cognita namq; humanæ vitæ exigua permanentia, consequenter quis numerus sit dierum innotescit; Non ergo quot annis victurus sit, scire desiderat, sed vt mente capiat, corde teneat breuem, ac transitorium vitæ cursum. vnde non quantus sit numerus dierum scire postulat (numerus enim quantitatis est) sed ait: *quis est*, quo ostenditur se potius, ipsum esse, ipsam quidditatem dierum vitæ scire exoptasse, quæ quidem ferè nihil est. *Quidditatem dierum vitæ, quæ nihil est, scire postulat.*

35 *Vt sciam quid desit mihi.* Explicat hic causam supradictorũ, cur inquam tanta auiditate, exiguum vitæ spatium, memoria semper retinere orauerit Dominum. Ideò non germanam existimo expositionem eorum, qui dicunt: exposcere Dauid quantum spatium vitæ illi supersit, seu quanto adhuc tempore, seu annis victurus sit. Dico ergo expositionis rationem petendam esse à verbo, *desit*, quod, certum est, *defectum*, vel *defectionem* aliquam importare, quam sibi innotescere cupit Propheta. Referendo ergo hæc verba ad præcedentia eiusdem versus, potest hic esse sensus: fac Domine, vt mente illuminatus, verè perpendam, finem vitæ esse celerem, & dierum numerum breuem, & exiguum, vt hinc sciam, ad mentem Sept., *defectum*, seu *defectionem meam*, idest reliquum vitæ spatium, quod superest, momentaneum esse, & quod semper deficit. Quo sensu tempus viuendi quod superest, per *desit*, explicauit. tota namq; vita nostra *defectus* est, & quãtò magis producitur, plus deficit. in quem sensum ait S. Greg. PP. homil. 37. in Euangel. *ipse quotidianus defectus corruptionis quid est aliud quàm quædam prolixitas mortis:* sicut è contra de vita Dei dicitur psalm. 101. ℣. 28.

Totum vitæ tẽpus, defectus est.

Septuag.

S. Greg. Papa.

Psalm.

tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

36 Sistendo autem in hac interpretatione *defectionis*, & *defectus*: possumus sic exponere. Multis se indigere putabat Rex potentissimus, vt vitam traduceret, eo modo, quo omnes homines, qui se morituros non cogitant, coaceruandis diuitijs, domibus extruendis, prædijs, delitijs augendis student. vnde ex vitæ longitudine, diurnitate, & amplitudine, quam sibi repromittunt, mundi bona perquirunt, & sine mensura exoptãt, vt Italicè dicam: *senza mezza canna*, eo modo quo dicitur Lucæ 12. ℣. 8. *Destruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicã animæ meæ: anima habes multa bona posita in annos plurimos &c.* ideò: *horrea maiora &c.* ideò: *bona multa*, quia vitam longam sibi adfuturam putabat: *posita in annos plurimos* mensura hæc nostræ indigentiæ, & necessitatis, in manu mortis est; mortis memoria *hanc habet* mensurã, & vlnam in manibus, vt indigentiam mensuret, & iuxta eam, quæ opus sunt, tribuat. Quando ergo petit Propheta *notũ fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum quis est?* hanc mẽsuram à Deo exposcit, ne plusquàm decet, & opus est, quæ mundi sunt colligat; ideò ait: *vt sciam quid desit mihi*, idest, non aliter scire possum, quæ mihi opus sunt, & quibus indigeo in hoc mũdo, & à bonorum temporalium congestu cessem, nisi tu mortis memoriam in cordis penetralibus inseras, & me breui moriturum cogitem, quam expositionẽ satis aptè confirmat P. Agell. noster his verbis: *Igitur tamquam prudentissimus rerum æstimator, qui ex fine omnia pendat, optandarum rerum mensuram*, (nota ly *mensuram*) *earum inquàm quæ in hac vita optari non absurdè possunt, ex finis comparatione colligit: nam stultissimè facit, qui plura, aut maiora optat, aut pluribus, & maioribus rebus adipiscendis inhiat, quàm quæ ad breuem vitæ cursum, ac spatium satis futura sint: ille verò sapienter, qui ea solã cupit, quæ honestè pro vita huius breui spatio possunt optari &c.* idq; pluribus sequitur ibi explicare, quæ lector consulat.

Qui de morte non cogitat, se indigere credit.

Luc.

Mortem meditans, necessarijs tantum est contentus.

Agell.

Mensurã discretionis mortis memoria continet.

37 Spirituali ori autem sensu, *defectum* animæ, & virtutum, sibi notum fieri, per mortis memoriã, videtur Propheta à Deo exposcere; quippè qui sciebat longioris vitæ vanam spem, mentis oculos claudere, obscurare intellectũ: sicut è contra, vitæ breuitas mente retenta, oculos aperit, intellectum illuminat; orat ergo: *notum fac mihi Domine finẽ meũ, & numerum dierum meorum quis est, vt sciam quid desit mihi*. idest, vt sic verè *cognoscam*, quantùm à profectu disto, si adhuc Deo pro commissis sceleribus satisfeci; si ex corde pænituit; si Dei præcepta custodio, &c. Scio namque quòd si mortalis huius vitæ breuẽ transitũ comprehẽdero, omnia quæ intra me sunt (& si occulta) dilucidè cognoscã. Fuit apud Aegyptios, vt refert Pier. Valer. lib. 33.) vitæ hieroglyphicũ oculus adapertus, solem aspiciens. Sicut è cõtra hieroglyphicũ mortis oculus clausus, soli expositus. Porrò eius qui solem intuetur, ità hæbetantur lumina, vt ne quid aliud diù intueri valeant. cõseruant verò visiuã vim, qui splendorib. solis, ac radijs oculos minimè figunt, imò claudunt. sic quoque qui vitam (per solem denotatam) semper aspiciunt, cæcutiunt ad reliqua bona cernenda; sicut è contra illuminantur, qui à vita oculos auertũt, & ad mortem conuertunt. ideò bene ait: *notum fac mihi Domine finem meum &c. vt sciam*, idest, *vt videam*, *cognoscam*, *quid desit mihi*. Vel sic: qui plurimas opes habet, multosq; creditores, & debitores, si colligere rationem nesciat, vel nequeat, calculatorem perfectissimum aduocat, qui omnia pendat. Nos vitæ diuturnioris spe seducti, rationẽ ponere negligimus, & nescimus, si pauperes, vel diuites simus, ignoramus, si creditores, aut debitores Deo, & proximis extamus &c. mors calculatrix, & vt vulgò dicitur *Rationale* aduocanda est, vt rationem ineat: benè ergo Propheta: *notũ fac mihi Dñe*

Spes vitæ obtenebrat rationem

Mortis memoria mentem illuminat

Pier. Oculus adapertus solem aspiciens, vitæ hieroglyphicũ clausus, mortis.

Mortis memoria calculatrix rerum nostrarũ.

finem

Mortis memoria, ostendit nos, Deo debitores. Luc.

finem meum &c. vt sciam quid desit mibi. Nota etiam quòd non dicit: *vt sciam quid mihi supersit*, aut *abundet*; sciebat enim semper nos Deo non creditores, sed debitores, ideò Lucæ 17.℣.10. *cùm hæc omnia feceritis, dicite: serui inutiles sumus*, quod consilium sequutus Apostolus ad Roman. 8.℣. 12. *debitores*, inquit, *sumus &c.*

Roman.

38 Ex illa particula: *vt sciam*, hunc etiam eruere possumus sensum: *notum fac mihi Domine finem meum &c. vt sciam*, cogitatio enim diuturnioris vitæ insipientiam, & veluti fatuitatem inducit, vnde illi qui dicebat Lucæ 12.℣. 18. *Anima, habes multa bona reposita in annos plurimos:* multitudinem scilicèt annorum sibi promittens; dixit Dominus: *stulte, hac nocte repetent animam tuam &c.* congruenti titulo, ac nomine *stultū*, appellans. Et Matth. 25. *fatuæ* appellantur illæ virgines, quæ de aduentu sponsi media nocte non cogitabant, idest de extremo die, & hora non erant solicitæ, imò potius somno, & desidia torpebant quæ verò virgines de morte cogitabant, & Dominum media nocte aduentantem expectabant, *prudentes* dictæ sunt; hunc autem illius parabolæ esse sensum, colligo, quia in fine inquit Dominus ℣. 13. *vigilate itaq; quia nescitis diem, neque horam*, scilicèt *mortis*. Qui ergo verè prudens, & doctor euadere cupit, libro mortis studeat, mortis doctrinam apud se habeat. vnde idem Dauid psalm. 89. postquam vitæ nostræ breuitatem, varijs similitudinibus expressit ℣.4.5.6.7.8.9. 10.11.12. subdit ℣.13. *Dexterā tuā sic notam fac, & eruditos corde in sapientia*, idest, vt doctissimè exponit P. Agell. noster, *Numerare dies nostros, sic notum fac, hoc est, notum fac nobis, & doce nos numerare dies nostros, sic, hoc est, rectè, ac verè numerare, vt sciamus quàm exigui sint: & inducemus in medio nostri cor sapientiæ, aut inducemus sapientiam in cor nostrum.* sunt enim quàm plurimi, qui in calculatione annorum, & vitæ tempore, decipiuntur, quos dementes, stultos, ac fatuos ratio ipsa, & Domini auctoritas vocare cogit.

Vitā diuturnā cogitans fatuus est. Luc.

Matth.

Mortem meditans, sapientissimus euadit. Psalm.

Agell.

39 Etiam, *sapientiæ* nomine, quam per mortis memoriā in cor suū, & aliorum similiter mortem meditantium, inducturum fatetur Propheta, rerum diuinarum, atque humanarum scientiam intelligere possumus, & debemus; id.n. *sapientiæ* nomen importat, & est quædam participatio diuinæ sapientiæ, quæ ipsemet Deus est. secundum S.Th. 2. 2. quæst. 23. quam qui habent, sapientes, vel, rectè sentientes, dicuntur. Sensus ergo Prophetæ est: *doce nos benè numerare dies nostros, & inducemus in cor nostrum sapientiā*, qua donati, Dei & mundi huius veram notitiam adipiscemur, rerumq; humanarum causas, & origines, & finem: rectèq; de omnibus iudicabimus, & mundi fallacijs minimè decipiemur. Docet, quod dicimus, Petrus Blesensis Epist.6. ad quendam ludi magistrum scribens in hæc verba: *vtinā magister saperes, & intelligeres, ac nouissima prouideres. Hæc philosophia tibi iam decrepito pernecessaria esset, quæ frequenter in scholis describitur, sed frequentius proscribitur, cogitatio mortis, scilicèt assidua, Propheta dicit: notum fac mihi Domine finem meum. Et Salomon: fili mi recordare nouissima tua, & non peccabis in æternum. Lamentator ille Ieremias deplorat animam peccatricem, & sui finis immemorem: Sordes, inquit, in pedibus eius, nec recordata est finis sui: & subiungit: deposita est vehementer. sit magister cogitatio vestra, diei mortis.*

D.Thom.

Petrus Blesens.

40 Vel dici quoq; potest. omnis peccator, indoctus est, & ignorans, Prouerb. 29.℣. 7. *impius ignorat scientiam.* decātatum est illud Arist. *omnis peccans, ignorans*, iuxta Apostolum Roman. 1.℣. 21. *& obscuratum est insipiēs cor eorum.* Et Ephes. 4.℣. 18. *obscuratum habentes intellectum &c.* orat ergo Dominum Propheta vt mortis memoriā nunquàm ex animo dimittat, *vt sciam*, idest vt *non peccem*, vel si in peccato sim, resurgam, peccati, scilicèt tenebras depellendo, & lumen veritatis percipiendo.

Prouer.

Peccatorum ignorantiā, detegit mortis memoria. Roman. Ephes.

VERS.

VERS. VI.

Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tamquam nihilum ante te.

Mortis memoria postulata, à Deo impetrat.

41 CCE *mensurabiles posuisti dies meos*. Vide quàm potens sit mortis memoria ad postulata à Deo impetranda, quàmque libenter Spiritus sanctus votis eorum annuat, qui mortem meditantur. Agell. *quod superiùs*, inquit, *optauerat scire, quinam finis eius, & numerus annorum esset, tam Spiritu sancto indicante prosequitur, & docet quaenam sit vitae humanae longitudo*. in mortis enim meditatione positus Dauid, hanc à Deo obtinuit gratiam, vt sibi humanae vitae transitus celerrimus innotesceret, quod & si verum & de fide sit, & notissimum, & omni temporis momento experimento probatum, mundus tamen non percipit; Ideò benè particulam illam opposuit *iam Spiritu sancto indicante*, Id autem explicat Dauid per aduerbium, *ecce*, quod aliquid repentinum, & insperatum significat, & per consequens admirationis particula est; quam appositam dicimus, vel ad exprimēdam admirationem Prophetae, quòd eius orationem tam cito exaudierit: vel ideò, quia habita reuelatione de humanae vitae breuitate, & caducitate, tamquam nouum quid, & insperatum admiratur, & stupet: adeò nāq; mortis memoria eliminata est, vt cùm Deus eam menti ingerit, tamquam nusquam visam, & cogitatam rem admiramur. Ideò eadē particula vsus est Euangelista Luc. 11. ℣. 12. *Ecce defunctus efferebatur*.

Agell.

Admiratur Propheta de celerrima exauditione.

Mortis nū tius, admirationem dat morituro.

Luc.

42 Conuersus ad explicandum hominis finem, & vitae caducitatē per mortem, inquit, *mensurabiles posuisti dies meos*. vers. praecedenti per quantitatem discretam sibi innotescere dies suos expostulauerat: *& numerum dierum meorum quis est?* vt per omnem quantitatis speciem vitae breuitas innotesceret; vel potius dicta corrigit, & praetermissa discreta quantitate, continuam elegit, ne in supputatione error aliquis occurreret, & plures numeraret quàm sunt, imò ne multos illos esse crederet, non per *numerum* ostendit, quasi tot essent, vt numeratione indigerent, per discretam quantitatem explicat: *mensurabiles*, idest, vt inquit S. Hieronym. *breues*, & est sensus: adeò breues dies mei sunt vt mensurari facillimè possint, & vt ait Genebrar. *breui mensura comprehensibiles*. quàm breuis autem haec sit mēsura, colligitur ex translatione Hebr. *palmares*, idest vnius palmi, vel vt alii legunt: *dodantrales*, quatuor digitorum, quia vt ait Agell. *inter cōtinuas mēsuras in sacris libris, minima est palmus, seu παλαιστής palestis, quae digitos quatuor capit, vt ergo exiguam esse vitam hominis doceat illam exiguae mēsurae comparauit*. Vt autem sciatur quàm congruè id à Psalmista dicatur, aduertendum ex Vetruuij descriptione, palmum quatuor constare digitis, & vt ait Pier. Valer. lib. 36. *mensura ipsa, digitorum est filia. Nam Aegyptij mensuram, ex digito posito, ideò significabant, quòd tota metiendi ratio à digito principium capiat*. Et idem Pier. loco citato refert, digitus, palmus, & mensurae vitae cursum, & breuitatem portendunt. Benè ergo ad ostendendum exiguos vitae dies, *mensurabiles, palmares, digitales, & breues* appellauit. Non est praetereundum, traducere alios: ΔΩΡΟΝ *doron*, quod etiam mensuram quatuor digitorum significat, & *donationem*, seu *munerum dationem* ea ratione (vt ait Pier. loco citato) quod eorum plurima quae donantur ab eodem digitorum loco emittantur, nimirum à quatuor digitis exporrectis.

Vitae breuitas, per quantitatē continuā mensuratur.

S. Hieron

Genebrar.

Vitae mensura breuis.

Agell.

Vetruuii

Pier.

Pier.

43 S. Ambros. S. August. & alij legunt: *Ecce palestras posuisti dies meos*

S. Ambr. S. Aug.

Vita ipsa nobiscum luctatur, vt in terram mortis agat.

græcè ἀπό τ᾽ παλαιςὰ potùpalis.i. *contentiosos*, seu *laboriosos dies*, hoc est, *luctæ pugnæq; plenos*: Inde sũpta similitudine, quod sicut palæstrita cò omnem laborem, & industriã dirigit, vt eum, cũ quo luctatur, ad terram proijciat, ità similiter *palestrici* dicuntur dies nostri, quia vt in terram tandem, cinerem, puluerem, & sepulturam nos agant, currunt. Si verò *palestræ* nomen magis amplè sumatur pro quacumq; *concertatione*, ac *pugna*; dicuntur vitæ nostræ *dies palestrales* quia sunt contentione, & labore pleni, & perbreues, cò modo citò finiunt palestræ, luctæ, & pugnæ. Sicut etiam est illud Iob 11. ℣.1. *militia est vita hominis super terram, & sicut dies mercenarij dies eius*, vbi per *militiam*, huius vitæ pericula, & ærumæ denotantur, & per *dies mercenarij* (qui à mane vsque ad vesperam laborat) breuitas illius, vnde S. Greg. lib. 8 moral. cap. 3. *nomine militiæ aliquid amplius innuitur: quod & pugna est, & quotidie ad finem tendit*. Et illud eiusdem Iob. 4 ℣.20. *de mane vsq; ad vesperam succidentur*.

Dies vitæ breues, & concertatione pleni.

Iob.

S. Greg. Papa.

Iob.

44 Alij inter quos S. August. quẽ sequitur ex recentioribus Bellar. legunt: *veteres posuisti dies meos*, ad ostendendũ omni temporis momento, mortem nobis imminere; vt enim ait Apostolus ad ad Hebr. 8. ℣. 13 *quod antiquatur, & senescit, prope interitum est*. ergo omnes dies nostri, etiam ipsius pubertatis, & infantiæ, *veteres* dicuntur, quia sẽper propè interitum sunt; in omni quippè ætate mori possumus. Vel aliter. Apostolus Paulus duplici similitudine explicat vitam nostram. 2. Corinth. 5. comparat illam domui, & habitationi, dicens, ℣. 1. *scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis*. Rursus eandem vitam vestimento, seu indumento comparat corporis, ibidem ℣. 4. *Nam*, inquit, *& qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati, cò quod nolumus expoliari, sed superuestiri*, idest, tristamur de dissolutione corporis,

S. Aug. Bellarm. Dies vitæ veteres, quia semper corrũpitur proximi.

Hebr.

1. Corint.

Vita, domui comparata.

Vita, vestimento similis.

& animæ, & nolumus expoliari corpore per mortem, vt omnes exponunt. Sicut autem domus, & ædificia, si vetera sint, continua indigent reparatione, ac cementariorum ministerio, nunc tectorum stillicidijs obuiando: corruentes muros fulciendo &c. ità ad conseruationem humanæ vitæ, & salutis, elaborandum est nimirum ad capitis distillationes exiccandas, & omni ex parte decadentem vitam, & corpus sustentando. Labenti, ac corruenti rei vitam nostram comparauit Apollinarius, qui infra ℣.10. vbi nos legimus: *& substantia mea apud te est*. legit: *ab ipso, vita sum sortitus viuidum fulcrum*, quo sustentatur ne corruat. Et sicut vestes veteres vsu iam consumptæ, quamuis sartoris industria resarciantur, semper tamen laceræ apparent cò quòd (vt vulgò dici solet, *bisogna star sempre con l'aco nelle mani*. sic quoq; mirum est, quæ medicorum arte, & hominum industria fiat, ad integram, & sanam vitam ducendam; ideò benè dicitur: *veteres posuisti dies meos*.

Vita hominis similis veteri domui & vestimẽto, quæ iugi indigent reparatione.

45 *Et substantia mea tamquam nihilum ante te*. Nomine *substantiæ*, ętatem ipsam, seu durationem, vel permanentiam, multi intelligunt; vnde vertunt: *Aeuum meum*, vel *ætas mea*. Alij: *substistentia*, aut *existentia*; duratio namque vel non differt ab existentia, aut est perseuerans existentia, & substantia, vel subsistentia perseueranter existens, cui affine est illud psal. 88. ℣.48. *memorare quæ mea substantia &c. quis est homo, qui viuet, & non videbit mortem &c.* Est ergo sensus: dies mei breues sunt, & mensurabiles, & ipsum spatiũ vitæ meæ *veluti nihilum ante te*; nam quod modicum est, quasi nihilum reputatur. Dicitur *ante te* non solum comparatione ad æternitatem; sed *ante te*, idest *coram te*, qui omnia iudicas, & perpendis, vt in se sunt, non ante oculos hominum, qui vitam longissimam sibi repromittunt.

Substantiæ nomine; ætas denotatur.

Psalm.

Vita, quasi nihilũ.

46 Ex Aquilæ versione, aliqui legunt: *Et vespera mea*, vel *occasus*. ad denotandum finem vitæ semper instare, & magis tenebris, quàm luci esse similẽ

Etiam vitæ ortus, occasus, & vespera est.

ità

ità vt ipsemet ortus, aurora, & natiuitas, *vespera* dici possit, cùm multi vix ad lucem editi, finem viuendi faciant, quibus ortus, & occasus vnus est, in quem sensum dixit Iob. 3. ℣. 11. *quare* non in vulua mortuus sum, egressus ex vtero non statim perij? Et c. 10. ℣. 19 *fuissem quasi non essem, de vtero translatus ad tumulum*. Vel ideò vita hæc nostra temporalis, *vespera*, dicitur, quia miserijs, & lachrymis plena est; nomine autem *vespera*, luctus, & fletus intelligitur, sic psalm. 29. ℣. 6. *ad vesperum demorabitur fletus*. Alij vertunt: *Depressio mea*, quia nimirum vita ipsa nos deprimit, dùm viuendo in mortem agimur, & in terram dimittimur. Vel quia hominum depressionibus, & conculcationibus, dùm viuimus, subiacemus. Quòd verò aliqui vertunt: *latibulum meum*; ideò factum puto, vt ostendant latitationem animæ intra corpus, quæ quamdiù durat, vita ipsa permanet. Vel vitæ incertitudinē, quod enim latet, incognitum est, & occultum, vnde Iob. 14. ℣. 5. *breues dies hominis sunt numerus mensium eius apud te est*, quæ verba idem valent, ac verba Psalmistæ: *mēsurabiles*, idest, *breues posuisti dies meos, & latibulum meum tamquam nihil &c.* hoc enim importat, numerum mensium, esse apud Deum, cuius arcana, quia sibi soli cognita sunt, per latibulum explicantur, iuxta Dauid sententiam psal. 17. ℣. 12. *Et ascendit super Cherubim, & volauit super pennas ventorum. posuit tenebras latibulum suum &c.*

b. Vita lacrymis plena.

Vita depressio est

Vitæ incertitudo, per latibulum denotata.

Psalm.

VERS. VII.

Veruntamen vniuersa vanitas omnis homo viuens.

47  *Eruntamen*. præmissis iam quæ de vitæ breuitate, & hominis fine celeri, dixit, ac meditatus est Propheta: varias inde deducit, ac colligit conclusiones, quas adducere incipit: & primam in hoc ver. ponit: *veruntamen vniuersa vanitas omnis homo viuens*. quod importatur per particulam illam: *veruntamen*, quæ confirmantis, & concludentis est per modum certitudinis, vti fit in illatione ex præmissis. Est ergo conclusio: *vniuersa vanitas omnis homo viuens* Genebrar. *vniuersa vanitas*. Et ex græco legit: *per omnia est vanitas, omnis homo viuens*. idest, non habet aliquid tantum vanitatis, neque per partes, sed est tota perfecta, integra, ac solida vanitas. Pro eo quod nos legimus: *omnis homo viuens*. ex Hebr. legitur: *omnis homo stans*.

Genebrar. Totum quod est hominis, vanitas est.

48 Possunt ergo verba ista referri ad ipsam hominum vitā, & durationem, seu tempus quo viuimus, & erit sensus: vita hominis, diesq; durationis eius sunt vera, & mera vanitas; sicut etiam est illud psal. 143. ℣. 4. *Homo vanitati similis factus est; dies eius sicut vmbra prætereūt*. Agell. hanc adduci putat similitudinem aptissimam ad instabilitatē humanæ vitæ repræsentandam. Dicit autem (sequutus Symmach & Theodotion.) per *vanitatem* debere intelligi *vapor*. idest *omnis homo viuens est vapor*. iuxta illud Iacob. 4. ℣. 14 *quæ est*, inquit, *vita vestra? vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminatur*. Addit Agell. *Aduertendum est, in Hebræo esse: omnis homo stans. quod est admirabiliter dictum, hominem dùm stat, esse vanum, & instabilem, vt stet simul, & non stet. quanta ergo fragilitas illius, cuius est ipsa quoque statio instabilitas, & cùm stat, ac viuit, tunc fugit, ac moritur?* Notat quoq; ex Hebr. traduci posse: *omnis homo sanus, integer, robustus*, ac *valens*. non solum eius, qui ægra semper est valetudine, sed sani, & robusti hominis vita, est *vniuersa vanitas*. idest instabilis, defectibilis vapori similis, & vanitate plena est, in sensu iam adducto.

Psalm. Vita, vanitas, vmbra, & vapor est. Agell.

Symmach Theodot.

Iacob.

Agell.

Stare vitæ, est fugere.

49 Si verò non vitam ipsam, & durationem hominis intelligamus, sed potius morales illius qualitates; Rectè *vanitati*, seu *leuitati*, & *vapori* homo comparatur, ratione superbiæ, ambitionis, &

Superbia, seu ambitio, vapori comparatur.

elationis; quapropter, vt diximus, *vapor*, transtulerunt Symmachus, & Theodotion. *quo*, vt inquit Agell. *nihil tumidius, nihil superbius, & elatius, cùm tamen illa superbia, & breui dissoluatur*. Confirmat versio Aquilæ, qui legit: *omnis homo erectus*: seu *eleuatus*, vnde Bellarm. *omnis Rex, Monarcha quem omnes mirantur, & inuident, ille etiam dùm viuit, idest dùm viget, & floret, & in optimo statu est &c. nihil est aliud nisi vniuersa vanitas*. Porrò per *vanitatem* superbiam denotari, docet S. Iob. 11. ℣. 12. *vir vanus in superbiam erigitur*. Collegit ergo ex mortis memoria, & ex recordatione finis humanæ vitæ, quomodo despicienda superbia, inanis gloria, & honorum appetentia, dùm *elatum, erectum*, & in sublimi positum hominem, *vanitati*, seu *vapori*, qui ex terra prodiens veluti ex genitrice, etiam in terram breui euanescit; & in auras dissoluitur, similem esse dixit. Vel ideò vapori similem asserit elatum hominem, quia ad vaporis instar plerũq; de fæce terræ, & ex progenie abiectissima exortus; in sublimia dignitatum fastigia eleuatur. Vel sicut vapor in elata aeris regione positus, in aquas dissoluitur, & stillat in terram; quam veluti matrem, à qua progenitus fuit, infundit, vt germinet, & infloret, & fructus erũpat, & omnium bonorum, & frugum copia repleatur; ita quoq; homines aliqui, qui in sublime honorum, & dignitatum collocantur, parentibus, & propinquis, bona, quæ acquirunt communicant, & elargiuntur, vt meliores, spectabiliores, & ditiores fiant, quàm ante extiterant.

Agell. *Bellarm.* *Iob.* *Abiecti ad honores vocantur.* *Prouectus ppinquis erogatur.*

50 Alij, inter quos Incognitus, legunt: *vacuus, falsus*. Idest: *omnis homo viuens est vanus, vacuus*, seu *falsus*. Addit verò Incognitus: *dicitur homo vanus, quia intus vacuus, & non satiatus*. ad ostendendũ ẽt inexplebilem hominum appetitum, & cupiditatem, vel humanarum, seu appetibilium rerum naturam, quæ adeò tenues, & leues sunt, vt exsatiare famem non valeãt. cuiusmodi exẽpli gratia in Gallia Cisalpina cibus quidam est, qui vulgò, *latte mele*, dicitur, cuius maxima quantitas, vix paucis constat vncijs. pro qua re Aggæus Propheta 1. ℣. 6. *comedistis, & non estis satiati &c.* Et Eccle. 1. ℣. 8. *non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur*. & de omni eo, quod in mundo est, & delectare hominem potest, quasi compendiosè dicit Rex sapiens Eccle. 2. ℣. 25. *quis ità deuorabit, & delicijs affluet vt ego? &c. Sed & hoc vanitas est, & cassa solicitudo mentis*, idest, omnes deliciæ, quibus afflui, famem non expleuerunt, neq; exsaturarunt, quia *vanitas* fuerunt, idest *vacuitas*. & *Cassa solicitudo*, hoc est *vacua* & omni re carens *solicitudo*. quemadmodum Poeta, *lumine, & æthere cassos* vocat mortuos, & *bonis cassi*, dicuntur pauperes. Inter omnes Orientales diuitijs, ac omnibus vitæ huius bonis affluens fuit S. Iob, de quibus tamen omnibus ait 7. ℣. 3. *habui menses vacuos*; idest sine fructu, vacuitate tantùm, & vanitate, seu vento plenos.

Appetitus hominis inexplebilis. *Humana non satiãt.* *Aggæus.* *Eccle.* *Eccle.* *Iob.*

51 Cohæret huic expositioni alia adducta versio: *falsus*: vel *mendax*, v.g. Nux intus vacua reperta, est quidem *vana*, seu *vacua*, sed simul quoq; *falsa*, & mendax, cùm extrinsecus, & ex cortice fructus plenitudinem ostendat, quem intus vacua, mentitur. vnde Virgil. de eo, quia leuia, & inania, pro grauibus, & veris astutissimè componit 2. Aeneid. inquit.

Mundus, falsa, & mendacia *Virg.*

Nec si miserum fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam, mendacemque improba finget.

Ergo quando dicitur: *omnis homo viuens, vacuus, & falsus*, sensus est, quòd externa quidem species, & apparentia hominum, & humanarum rerum omni bono referta apparet, at verò mentitur, *falsa, & fallax* est, intùs namq; vacua, & sine fructu est, si honores, diuitiæ, & deliciæ quæcumque. In quem sensum facit, quod ait Dauid psalm. 4. ℣. 2. *vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mẽdacium*. Idest vt exponit Agell. *rem quæ cùm plena, & solida videatur, inanis tamen est, & omni soliditate vacua*; hæcq; rectè *mendacium* dicitur, quia aliud fo-

Psalm. *Agell.*

ris ostēdit, aliud autem re vera intùs est. Et psal. 115. ℣. 2. *omnis homo mendax.* in quæ verba S. Chrysost. sequutus Theodotionem, qui legit: *omnis homo deficit.* non ad verborum mendacium referendum putat, sed ad deceptionem rerum humanarum, quæ spem, & opinionem hominum fallūt. Omnia autem hæc, vno versu comprehenduntur psal. 39 ℣. 5. *& non respexit in vanitates, & insanias falsas,* simul nectens rerum *vanitatem*, seu *vacuitatem*, & *falsitatem*, necnon etiam dementiam eorum, qui ea sequuntur, ideò addit: *insanias,* quas *falsas* dicit. hoc est deceptrices, fraudulentas, ac mendaces, quæ exteriori apparentia, maximum bonum promittunt, intùs tamen vacuæ sunt, imò putredine, & amara quadam materia plenæ, quid speciosius, augustius, plenius, ac solidius Regū Coronis, & purpura, si externum aspectum intueamur: intus tamen emarcidi, fætorem seruant. similes omninò malo punico, quod corona redimitum, purpureo, lepidoq; cortice, spectantibus adblanditur, interiora verò aperientibus, putorem, marcoremq; aliquando ostendit, vnde, vt ait Pier. Valer. lib. 55. tit. de malo punico, per id genus pomū, eum, qui specie mentitur, significari dixerunt veteres. vnde Horat.

Psalm. S. Chrys.

Mundus, homines decipit.

Psalm.

Honores mundi emarcidi.

Pier.

Sed videt hunc omnis domus, & vicinia tota
Introrsum turpem, speciosum pelle decora.

52 Postremò tandem loco, adducere licèt Genebrar. qui sic legit: *veruntamen vanitatum, & miseriarum omniū Epitome, omnis homo viuens, stans, permanens in vita.* hoc est, compendium, epilogus omnium malorum præsentis vitæ; quæ siue referantur ad vitam, seu durationem hominis, siue ad ea, quæ circa hominem sunt, vt diximus toto hoc versu, semper vera inuenientur ab eo, qui mortem meditatur, quemadmodum Propheta.

Homo, miseriarū omnium epitome.

VERS. VIII.

Veruntamen in imagine pertransit homo, sed & frustra conturbatur.

53 
Eruntamen in imagine pertransit homo. Sequitur Dauid conclusiones, seu fructus explicare, quos ex mortis meditatione collegerat; aitque: *in imagine pertransit homo.* Notum est per ly, *Homo*, intelligi tùm hominis annos, & vitam, seu durationē, cùm etiam quæ humana sunt, & hominis vitam comitantur, qualia sunt mundana omnia, & huius sæculi bona, vti diximus vers. præcedenti. Maior difficultas est in explicando quid intelligat per ly *imagine.* prætermissis aliquorū placitis, quæ minus ad rem faciunt. Aliqui cum in Hebræo sit: *bezzelem, tenebras* significare dicunt. Alij, inter quos Genebrar. vertunt: *in vmbra,* quæ aliquid minus habet, quàm *simulacrum*, aut *figura*: hæc enim realitatem habent, & reale quid sunt, & positiuum, *vmbra* verò est quid negatiuum, vel priuatiuum, idest priuatio luminis. Alij, quos refert Lorinus transtulerunt: *cum vmbra mortis.* Illa verò particula, *in,* idem valet ac *vt, sicut, similiter;* ponitur enim ad exprimendam similitudinem eo modo quo Deuter. 32. ℣. 2. *concrescat vt pluuia doctrina mea.* in antiquioribus codicibus legitur: *concrescat in pluuia &c.* & psalm. 77. ℣. 69. *& ædificauit sicut vnicornium sāctificium suum in terra, quam fundauit in sæcula:* Symmachus vertit: *sicut terra, quam fundauit &c.* Iraq; sensus est: *Homo pertransit vt imago, tenebræ, vmbra;* vel *cum vmbra mortis.* vnde Apollinaris: *veruntamen,* inquit, *homo similiter ac simulacrum ambulat.*

Genebr.

Lorin.

Deuteron.

Psalm.

Symmach.

Apollin.

Homo est imago mundus speculum

54 Si per ly *Homo*, ipsius hominis vita,& duratio intelligatur;rectè *vt imago pertransit*, inquit Vgo Card. *idest ad modum imaginis, quæ videtur in speculo, & statim disparet : pertransit homo citò moriens : transiens quidem quotidie , sed pertransit in morte: quia nec ipse videtur, nec de eo etiam vestigium aliquod remanet , sicut imago in speculo* . nos ergo sumus veluti imagines, mundus verò speculum in quo relucemus.1.Corint.1.℣. 12.*videmus nunc per speculum*; idest per creaturas,& mundum hunc vniuersum.

1.Corint.

Tempus mortis in tenebris est.

si verò cum alijs legamus *: vt tenebræ pertransit* ; denotatur incertitudo, & latitatio temporis,in quo adueniet mors; solet enim per *tenebras* incognoscibilitas,& obscuritas rei denotari,iuxta illud psalm. 17. ℣. 12. *posuit tenebras latibulum suum.* Si cum alijs,*in* aut *cum vmbra* legamus , modus loquendi opponitur veritati, & rei solidæ , & significat rem adumbratam, nihil solidi habentem,cuiusmodi est vmbra , quæ nihil reale in se continet. quo modo etiam idem Dauid dixit psalm. 143. *Homo vanitati similis factus est , dies eius sicut vmbra prætereunt* . vmbra enim nihil est , & semper fluit;vnde Iob. 14. ℣. 2. *fugit velut vmbra,& numquam in eodem statu permanet*. Et Sapient. 2. ℣.5. *vmbræ transitus est tempus nostrum,& non est reuersio finis nostri*.

Psalm.

Psalm.

Iob.

Sapient.

Vita, cũ morte per ambulat.

Postrema versio *: Cum vmbra mortis pertransit homo*. innuit vitam hominis cum morte perambulare , & transire; tempus enim,quo viuimus,ad mortem est , cùm vita,& tẽpore transeat, eo modo quo quis sui corporis vmbram secum perambulando ducit , quæ Sole Occidente , idest vita deficiente , euanescit.Ergo. per *vmbra mmortis,* intelligitur aliquid morti simile, cuiusmodi est vmbra respectu corporis ; aut aliquid morti proximum,& propinquum,qualis eadem est vmbra vnde dicitur psal. 106. ℣. 10. *Sedentes in tenebris, & vmbra mortis, vinctos in mendicitate , & ferro.* quo loco de iis sermo est , qui squalore carceris, pænalibus vinculis, & fame vexati non longè à morte erant, & aliquid morti simile interim experiebantur .

Vmbra mortis, est aliquid morti simile, vel proximũ.

Psalm.

55 At verò si per ly , *Homo*, quæ hominis,seu circa hominem sunt,aut humana , & mundana bona intelligantur: benè dicitur:*in* vel *cum imagine pertransit homo*,vt in vulgata legitur quia vt inquit Bellarm. *bona huius vitæ non sunt vera bona , sed imagines rerum bonarũ, quæ sunt in alia vita, ideò frustra turbari homines, cùm ista non possunt acquirere, vel acquisita coguntur amittere. quomodo frustrà Rex turbaretur ob amissam imaginem ligneam , vel papiraceam Regni , quando Regnum verum illi maneret* . Vel ideò dicitur *: cùm imagine pertransit homo* . quia mũdi bona per *imaginem* denotata , nobiscum non permanent, sed transeunt, vti nos quoq; transimus.vnde Ioannis Epist.1.cap.2.℣.15 *nolite diligere mundum , neq; ea quæ in mundo sunt &c. & mundus transit , & concupiscentia eius*. bona autem Dei stabilia,& æterna sunt,ideò subdit Ioãnes: *qui autem facit voluntatem Dei manet in æternum.*

Bellarm. Bona huius vitæ, sunt imagines bonorũ quæ in alia vita durãt.

Mũdana omnia nobiscum transeunt

1.Ioan.

56 Aliorum translatio quæ habet: *Cum tenebris pertransit homo*. rerum humanarum naturam demonstrat,quibus tenebræ coniunctæ sunt , hominemque excæcant sui sectatorem.Eccli. 11.℣.16. *error , & tenebræ peccatoribus concreata sunt*.Isai.℣.9. *populus, qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam : habitantibus in regione vmbræ mortis , lux orta est eis* . ergo *cum tenebris pertransit homo* , quia humanis rebus obcæcatus , & obscuratum habens intellectum,æternæ vitæ bona non considerat , sed vt dicitur Eccle. 2. ℣. 14. *stultus in tenebris ambulat* . propterea benè vertunt , qui legendum putant: *cum tenebris pertransit homo*.

Mundi bona,sectatorem suum excæcant. Eccl. Isai.

Eccle.

57 Versio eorum qui legunt: *in*, vel,*cum vmbra mortis homo* , facit sensum, quòd omnia quæ mundi sunt, nihil solidi, stabilis , atq; realis habent, ac permanentis, sed *vmbra* quædam sunt, quæ positiua res minimè est , sed priuatiua, aut negatiua, & sicut cum corpore pertransit vmbra, ità nobiscum transeũt

Mundi bona nil solidi habent.

vni-

Sapient.

vniuersa. vnde Sap. 5. ℣. 8. *quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? transierunt omnia illa tamquam vmbra &c.* Nota, rectè dignitates, diuitias, & si quæ sunt huius sæculi bona, *vmbræ* comparari, & nobiscum tamquam *cum vmbra*, vel *vt vmbra pertransire*; nam eò vsq; nos *vmbra* comitatur, nobiscum graditur, quousq; solis radij, & lux effulget. & tamdiù diuitijs, & honoribus cumulamur, quamdiù Principum, & magnatum gratia, fauor, & benignus nos protegit aspectus. vnde Prouer. 16. ℣. 15. *In hilaritate vultus Regis vita*. Hebraicè: *In luce facierum Regis vita*. sic etiam vertunt Sept. & Chald. Idest in illo benigno aspectu, & ridenti vultu Regis, quo animi benignitatem, & amorem erga nos ostendit, est *vita*, seu vitæ huius bona, sumpta metaphora à sole omniū bonorum parente, & datore, à luce enim omnia bona prodeunt, iuxta illud Iacob. 1. ℣. 17. *omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à patre luminum.* Porrò per lucem vultus Principis, fauores illius, & gratiam denotari, habemus psalm. 3. ℣. 7. *signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo.* quem locum Genebrard. exponit, & legit: *tu es Domine apertè qui nobis ostendis bona: super nos fauor tuus eleuatus est,* optimè vertit Genebrard. *fauor tuus eleuatus*, sumpta similitudine à sole, qui cum in auge est, & à nobis magis eleuatus, efficacior est, in suis effectibus, & maiora, & perfectiora in sublunaribus efficit: benè ergo res temporales per *vmbrā* denotat Psalmista, & Sapiens, cùm hæc vt plurimū non ex meritis, sed ex Principum fauoribus, & gratia oriantur, & durent. Eandem sequentes similitudinem, & exponendi rationem, dicimus: eo modo, quo sol dùm nostram respicit faciem, ad nos cōuersus, vmbra nos sequitur, nos pergētes comitatur: at verò si sol post terga aspiciat, faciem auersetur nostram, nos vmbram sequimur, quæ fugit. ità dùm Principum fauor aspirat, nost[illegible]q; respicit benignè faciem, honores, [illegible]uitiæ & omnia bona, etiam nobis reluctantibus, sequuntur, dùm illa à Principibus ipsis, vel ab ijs, qui nostri opera, & intercessione, Principum gratiam inire contēdunt, adipiscimur. at si semel vultū suū Pīceps à nobis auerterit, nos ea sequimur, quæ nos vt vmbra fugiūt, & declinant, & quamuis posteà abeamus, & perquiramus, minimè consequimur.

Sequitur nos vmbra, quousq; solis radijs illustramur in facie.

Mundi bona, ex benigno Principū aspectu.

Prouer.

Septuag.

Chald.

Iacob.

Lux vultus Regis gratia ipsius est.

Psalm.

Genebrar.

Principis gratia, bona tribuit auersio auert.

58 Erat postrema aliorum versio: *Cum vmbra mortis pertransit homo.* Estq; moralis sensus: Homo vitam ducit, & ad vitæ finem tendit *cum vmbra mortis*; ipsæ enim humanæ res (quas quotidie deficere videmus) *vmbra* quędam mortis sunt, dumq; nobiscum pereunt, cum mortis vmbra transimus. Vel: *cum vmbra mortis pertrāsit homo*, quasi cum morte gradiens, & ambulans, mortem secum gerens, mortem ante oculos habet, & prospicit; eo modo, quo dicitur Genes. 5. ℣. 22. *Noè vir iustus, ac perfectus, cum Deo ambulauit*; hoc est (vt ait Lyran.) *ac si præsētialiter Deū semper videret*. vel vt ait Procop. in 4. cap. Genes. *vestigia Dei sequens*. ergo *cum vmbra mortis ambulare*, idem erit, ac mortem semper intueri, & meditari, monitaq; illius, ac leges implere. ex quare fructus vbertimos, qui enascantur, enarrauimus, & enarrare prosequemur.

59 *Sed & frustra conturbatur.* quē fructum ex fine hominis, mortisq; memoria perfectè cognita, collegerit, incipit explicare. Quapropter Expositores aliqui, verba hæc, cum sequenti versu coniungunt, quasi illius, & eorum, qui sequuntur initium. Hinc particula illa, *sed*, idem importare videtur ac, *ideò*, aut *ergo*, quasi sit sensus, vt inquit Agell. optauerat vt notum sibi faceret Deus finem suum, & numerum dierum suorum, vt sciret simul quid sibi deesset, & quo ad hanc vitā opus haberet. ex quo fine iam cognito, & ex vita breuissima, adeò vt palmaris sit, & quòd homo est vanitas, vmbra, imago mortis citò transiens &c. *ideò*, vel *ergo* (per modum illa-

tionis

tionis, & decreti) deducit, ac colligit, *frustrà conturbatur*. idest incassum, in uanum, sine causa, & irrationabiliter *conturbatur*, angitur, & affligitur: sed quietem, tranquillam, suauemq; ducere debet vitam.

onturbationẽ ani... cõtra inimicos, dat mors in mo...

60 Id quod ait: *frustrà conturbatur*. referri potest ad eam animi conturbationem quam cõceperat Propheta ex aduersarijs, & inimicis oppugnantibus; quapropter dixerat: *cum consisteret peccator aduersum me &c. concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet*, seu *exarsit ignis*, indignationis scilicèt calor, & ignis vindictæ, & odij, licèt præter voluntatem, vti ibi exposuimus; cognita ergo vitæ præsentis breuitate, & mortis certitudine perpensa; *frustrà*, inquit, *homo conturbatur*, aduersus inimicos persequentes. tæpuerat enim vel potius friguerat Prophetæ accensus calor, vel sanguis circa cor, ex quo mortis memoriã animo firmiter conceperat. meditatum intra se arbitror Prophetam: *concaluit cor meum intra me*, & in *meditatione*, seu recordatione malorum, quę inimici mei aduersum me gesserunt, *exarsit ignis* odij, & vindictæ; sed nonnè ignis, vitaque materia in cinerem resoluitur? & cùm similiter homo, & accensus eius igne animus resoluendus in cinerem sit, *ergo frustrà conturbatur*. sicque factum est, vt cinis mortis, flammas odij temperauerit, imò extinxerit, iuxta illud Virg. 6. Aeneid.

Prophete Dauid meditatio de morte ...ẽ ex...ta extinguit.

Virg.

Postquam collapsi cineres, & flamma quieuit.

Fouet quidem, ac seruat cinis ignem, cui superponitur, iuxta naturæ legem, quæ sancit patri filium adiutorio esse debere; cùm autem cinis ex igne progeneretur, ne lignis, veluti pabulo deficientibus, deficiat: patrem quasi nutrit, caloremq; fouet, & conseruat. At verò cinis nostræ mortalitatis, odij, & inimicitiarum flammas, ignemq; omnem humanæ cupiditatis, tamquam alienum, & inimicum extinguit; scit enim ex rerum humanarum appetentia, de immortalitate, in qua homo fuerat conditus in Paradiso deliciarum, donis naturalibus, & supernaturalibus cumulatus, ad omnem miseriarum apicem deuolutum, & in cinerem redactum, vt dicitur Gen. 3. sed de hac re diximus plura supra, & cap. 7.

Cinis ... patrẽ fouet, ac nutrit.

Cinis nostræ mortalitatis, ...ẽ odij extinguit.

Omnia tranquillè deserit qui de morte cogitat. Bellarm.

61 Animi conturbationem, quam frustrà pati hominem asserit Propheta: extendunt alij ad curam, & sollicitudinem omnium rerum temporalium. vnde Bellarmin. *frustrà*, inquit, *conturbatur, in rebus temporalibus anxiè quærendis, uel conseruandis. frustrà lætatur in earum lucro, & frustrà plorat in earum iactura, quasi res solidæ & ueræ, ac permanentes essent, cùm imaginariæ, fragiles, & caducæ sint*, cui consonat sententia Senecæ lib. de remedijs fortuitorum ad Galionem. *Destes*, inquit, *gemis, miserum te clamitas, quòd opibus excussus es. tuo uitio ista tibi iactura tàm tristis est. Non tàm molestè ferres, si tamquam perditurus habuisses.* omnis igitur animi molestia, & angor inde est, quòd mundi bona possidemus, tamquam perpetuò ea possessuri; benè propterea ait Seneca: *non tàm molestè ferres, si tamquam perditurus habuisses.* S. Chrysost. existimat similitudinẽ cõturbationis, desumi à maris procella, & tempestate, quam incurrit, qui teporalibus bonis coaceruandis studet. *Vide quæso*, inquit, *ut hominum res mare imitantur, ut tempestate illius, uita hæc nostra implicatur ut diutius, & sæpius quàm aqua in terra, tempestate iactamur; ut uehementius quàm uenti inter nos collidimus: ut pecuniæ quasi clypei inter nos committunt, & quasi in tempestate maris, huc atque illuc impellimur.* Cui sententiæ fauet locus Sapient. 5. ℣. 8. 9. *quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? transierunt omnia illa tamquam umbra, & tamquam nuncius percurrens, & tamquam nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam.* non quamlibet *aquam*, sed *fluctuantem*, qualis est materia rerum omnium temporalium. Nos fluctus maris, & fluẽtem

Seneca.

S. Chrys.

In mari fluctuat, qui mũdi bona concupiscit.

Sapient.

Res temporales, fluctuant

aquam

aquam, mortis sedat memoria, ideò post mortis meditationem tranquillitatem adeptus Propheta, exclamat: *frustrà cōturbatur.*

VERS. IX.

Thesaurizat, & ignorat. Cui congregabit ea.

62 Hesaurizat &c magis in particulari descēdit ad coarguendos coaceruatores auri; vel quia maius circa hoc quàm circa reliqua est hominis studium; vel quia aurum est medium ad reliqua omnia obtinenda, vnde Eccle. 10 ℣. 19. *pecuniæ obediunt omnia*, vel vt ait S. August. *de cæteris vitijs, elegit Propheta auaritiam, ad ostendendum quod intendit; ipsa enim est radix omnium malorum.* Colligit horum vanitatem, quia relicturus per mortem aliquando sit, & cui ignorat. Agell. *simul,* inquit, *illud colligit, stultissimè ab auaris coaceruari tanto studio, atq; turbulentia diuitias, in breuissimi temporis spatium, cui stultitiæ altera quoque coniuncta est: non enim solùm longè plura quàm ad vitæ cursum breuissimum necessaria sint, congerunt; verum etiam cui reseruent, ignorant.* Verùm quomodo mortis memoria contemptum inducat diuitiarum, diximus cap. 6.

Eccle. S. Aug.

Agell. Diuitiarū contēptus ex mortis memoria.



VERS. X.

Et nunc, quæ est expectatio mea nonne Dominus? & substantia mea apud te est.

63 T nunc quæ est expectatio mea nonne Dñs? Quantum ex mortis meditatione profecerit; quomodo ex breuitate, & vanitate præsētis vitæ tàm clarè perspecta, ad contemptum rerum omnium temporalium deuenerit, satis ostendit Propheta in hoc versu, & præcipuè in illa particula: *Et nunc*. quā, vt inquit Agell. *obseruatum est sæpissimè in Sacra scriptura, vim habere concludendi, seu ex rerum consecutione, aliquid inferendi.* vnde Genebrar. legit: *Nunc igitur*, & S. Hieronym. *nunc ergo, quid expecto?* modo illatiuo, & concludenti. Et sensus est: vt inquit idem Genebrard. *Nunc igitur, cùm tanta sit vitæ breuitas, vanitas, miseria, ad quem confugiam, nisi ad te*, quasi dicat: quæ in terra sunt, non perquiram, istis mundi bonis non inhiabo, imò relinquam omnia, & si non re, quod fieri nequit, affectu tamen: & ad te pergam, te quæram, te sitiam solùm, & semper. Videtur hoc loco Propheta canētes imitari, qui dùm in libris musices, nigras notas appositas cōspiciūt, in partibus, vt dicūt, nō sistūt, sed vix voce sillabas tāgunt, & pergunt velociter; & vt vulgò italicè dicitur: *cantano con fughe, ò di passaggio.* Vgo Card. hoc loco inquit: *vox transilientis est.* italicè *voce di chi fà passaggio*. dùm rebus terrenis non hæret, sed ad æterna festinat, vnde idem Vgo Card. *promittit se transire omnia mundana.* viderat enim veluti notas nigras, mortis videlicèt imaginem, vnde dixerat: *veruntamen in imagine pertransit homo*, idest

in vmbra, vel *in tenebris*; vti expoſuimus. benè ergo trāſit omnia mundana, velociter ad Deum pergit, & ait: *& nunc quæ eſt expectatio mea nonne Dominus? &c.*

64 *Et ſubſtantia mea apud te eſt.* Agell. inquit, *ſubſtantiæ nomen, hoc in loco, expectationem rei dilatæ ſignificat.* Et Aquila vertit: *expectationē anxiam alicuius rei quæ differtur.* hunc autem eſſe ſenſum, confirmat vox illa *expectatio*, quæ in hoc verſu ponitur: *quæ eſt expectatio mea &c.* porrò nomen *ſubſtantiæ*, vulgatiſſimum eſt in ſacris literis, pro diuitijs, & bonis, quæ homines in hac vita poſſident, frequentiſſimè vſurpari. ſic Geneſ. 14. ℣. 11. *Tulerunt autem omnem ſubſtantiam Sodomorum, & Gomorrhæ, & vniuerſa, quæ ad cibū pertinent &c.* Prouer. 1. ℣. 13. *omnē pretioſā ſubſtātiā reperiemus, implebimus domus noſtras ſpolijs.* 1. Ioa. 3 ℣. 17. *qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere &c.* eſt ergo ſenſus Prophetæ, *ſubſtantia mea*, ideſt regnum ipſum, & bona omnia, quæ in præſenti vita poſſidere poſſum, *apud te eſt.* non ea opto, non quæro, non concupiſco, ſed te ſolum ſitio, qui deficere non potes, hæc autem tranſitoria ſunt, & ego ea relicturus aliquando ſum. Benè autem bona hæc temporalia per nomen *ſubſtantiæ*, quæ, hoc in loco, iuxta Agell. *expectationem rei dilatæ*, & iuxta Aquilam: *expectationem anxiam rei quæ differtur*, ſignificat; namque tota firmitas, & fundamentum omne hominum diuitiæ, & bona hæc temporalia ſunt, ideò *ſubſtantia* hìc dicitur ſicut etiam dicitur Prouer. 10. ℣. 15. *ſubſtantia diuitis, vrbs fortitudinis eius.* Hæcque *ſubſtantia* per *expectationem rei dilatæ*, & *anxiam* denotatur; idemq; importat, *ſubſtantia*, & *expectatio*, ſeu *res dilata*, vel *anxiè quæſita*; tardè enim, & non ſine maximo animi angore, quandoq;, & frequentius res temporales acquiruntur, vt diximus verſ. 8. ideò benè ſapiens, Naui, ea comparauit Sapient. 5. ℣. 10. *quid nobis*, inquit, *profuit ſuperbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? tranſierunt omnia &c. & tamquam nauis, quæ pertranſit fluctuantem aquam.* Nauis enim, maris fluctibus, & aqua fluente, quam tranſit, præpedita, ventiſque agitata, momentis ſingulis periculum patitur, vt furentibus aquis obruatur, & portum numquam, aut tardè petat. quapropter, *dilatæ, incertæque ſpei* fuit apud aliquos hieroglyphicum: & vt docebat Tacit. annal. lib. 14. *Nil tàm capax fortuitorum, quàm mare.* ſcribitq; Bruſ. lib. 4. cap. 25. *Antigonus ſæua tempeſtate iactatus, cùm omnes ſuos in eadem naui haberet, præcepiſſe liberis dicitur: vt & ipſi meminiſſent, & poſteris procederent, ne quis in rebus tàm dubijs periclitaretur.* ad oſtendendum ergo incertitudinem, inſtabilitatem, animi angorem, & imminentia mala, & pericula in rebus temporalibus, quæcumq; illa ſint, per *expectationem rei dilatæ*, & *anxiam*, & *Nauim, fluctuantem aquam tranſeuntem*, Spiritus ſanctus explicauit.

Tres temporales, fluctuanti naui ſimiles.

Tacit. Bruſ.

VERS. XI.

Ab omnibus iniquitatibus meis erue me: opprobrium inſipienti dediſti me.

65 *B omnibus iniquitatib. meis erue me.* Indulgentiam, remiſſionemque petit peccator, conſuetam tradi ijs, qui mortem meditati, ex toto compunguntur corde, & dolent de admiſſis ſceleribus. Pellicit enim Deum ad clementiam, mitemq; reddit erga peccatores, mortis memoria in nobis exiſtens, vti diximus cap. 2. cùm igitur (vt pluries hucuſque diximus & probauimus) totus fuerit Dauid in mortis contempla-

Remiſſio peccatorū datur mortem meditātibus.

tione

tione pro mercede, remissionē omnium expostulat peccatorum, dicens: ab *omnibus iniquitatibus meis eripe me.* Vel ideò à peccatis liberari postulat, quia & si à Nathan Propheta audierat 2. Reg. 12. ℣. 13. *Dominus transtulit peccatum tuum.* Ex mortis tamen memoria, quæ Prophetæ animum occupauerat, sanctus Dei timor, ità irrepserat conscientiam, formidolosamq; reddiderat: vt denuò remitti sibi exposcat remissa peccata, & lauatus, purgatusque, iterum lauari exoptet, iuxta illud psal. 50. ℣. 3. *amplius laua me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me.* Vel dicendum. Non de admissis veniam postulare peccatorum, sed erui ab iniquitatibus, quæ ex fragilitate committere posset, seu à relapsu in vitia, quorum contraxerat habitum; aut etiam à venialibus omnibus, quæ sine speciali Dei auxilio omnia simul, & collectiuè vitari minimè possunt; & hoc ideò quia mortis cogitatio, ità purgatam, puram, candidam, feruentemq; reddit animam, vt leuia quoq; exiguaq; peccata, imò imperfectionem quamlibet committere anima pertimescat; de qua re plura dicta sunt superius, præcipuè cap. 1.

2. Reg. Mortis memoria puritatē conscientiæ, & timorem inducit.

Psalm.

66 *Opprobrium insipiēti dedisti me.* per *insipientem* eum intelligit, de quo dixerat ver. 3. *Cùm consisteret peccator aduersum me*. Fuit autem Semei, qui Regi Dauid è Regno pulso, sic insultabat. 2. Reg. 16. ℣. 7. *Ita aūt loquebatur Semei, cùm malediceret Regi: egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial, &c.* & alia multa objjciebat, quæ ibidem sequuntur. siue etiam is fuerit Absalon, Saul, vel quiuis alius inimicus, Dauid impugnans, & persequēs, quém citato vers. 3. *peccatorem*, hic verò *insipientem* vocat, idest sine intellectu, & S. Hieronym. *stultum* appellat; non enim sapientis est alijs insultari, & irasci, sed extremæ dementiæ signum, veluti qui lapides in alios iacit. ita inquit Salomon Prouer. 12. ℣. 16. *fatuus statim indicat iram suam: qui autem dissimulat iniuriam, callidus est.* Et Eccle. 7. ℣. 10. *ne sis velox ad irascendum: quia ira in sinu stulti requiescit.* Agell. inquit: *Ego puto insipientem a Propheta, impium, vocari, in quo timor Dei nullus est, qui Deum non colit.* cui per omnia similis est qui odia, & inimicitias seruat, ideò benè *insipiens*, *stultus*, & *impius* vocatur. Huiusmodi igitur *insipienti*, opprobrium se datum, Propheta Deo recenset; quod ideò magis mordet Dauid animum, quòd ab indignissimò, & stulto homine profertur. sicut etiam est illud psalm. 73 ℣. 18. *memor esto huius, inimicus improperauit Domino, & populus insipiens incitauit nomen tuum.* Potest etiam & hic esse sensus, vt verba hæc: *opprobrium insipienti dedisti me*, sint veluti causalis præcedentium: *ab omnibus iniquitatibus meis eripe me*, quasi dicat Propheta: quia insipiētis opprobria æquo pertulit animo; reliquum est vt mea dimittas peccata, non enim parum est posse vindicari, & nolle, plus namque est persecutiones, & iniurias æquo ferre animo, quàm omnes plagas, & infirmitates, quas Iob pertulit, tolerare. vnde S. Chrysost. in cap. 6. 2. ad Corint. *multi*, inquit, *propter hæc opprobria, animas perdiderunt, & Beato Iob amicorum opprobria, vermibus, & vlceribus molestiora erant.* hanc à Deo se consequutum virtutem, noscens Propheta Dauid, inquit; sicut ego insipienti exprobranti; dimisi, ita & tu dimittas, siquæ deliqui, exopto; sciebat enim vir sanctus verum esse, quod dixerat psal. 7. ℣. 4. *si reddidi retribuentibus mihi mala*, idest, si vindictam aduersus inimicos sumpsi, *decidam meritò ab inimicis meis inanis.* vel vt ex Hebr. legit Agell. *vacuus, ac nudus*, videlicet spoliatus bonis temporalibus, & spiritualibus, quæ omnia secum deferunt rixæ, & inimicitiæ: sicut è contra mansuetudo, & pax, Dei timorem, diuitias, decus, quietamq; tribuunt vitam: iuxta illud Prouer. 22. ℣. 4. *finis modestiæ, timor Domini, diuitiæ, & gloria, & vita.* versio Hebræa magis explicat intentum: *propter mansuetudinem, timor Do*

Inimicus, insipiens, & stultus vocatur.

2. Reg.

S. Hieron.

Prouer.

Eccle.

mini, opulentia, & gloria, & vita. sicut ergo inimicantes, omnibus denudati, ac vacui fiunt, ita pacifici diuitiarum opulentiam, & gloriam, non dedecus vt duellistæ putant, & quietam, tranquillamq; sortiuntur vitam.

VERS. XII.

Obmutui, & non aperui os meum quoniam tu fecisti: amoue à me plagas tuas.

67 Bmutui &c. Repetit quæ dixerat ver. 2. & 3. se v3. contra insidiãtes, & blasphemãtes, ita obmutuisse, vt neq; os quidem aperuerit. Summamq; illam ex mortis memoria, se didicisse fatetur virtutem, quæ est conformitas suæ voluntatis cum Deo, cuius iudicia, ac volita minimè scrutatur, sed paret per omnia, & in omnibus, non reluctans: ideò ait: *quoniam tu fecisti.* idest, ideò hæc probra, & irrisiones inimicorum stultorum, & insipientium fero hominum, veluti mutus, & elinguis, imò recluso ore, quia mortem meditatus, quæ tibi placita sunt, vel à te etiam permissa, patienter ferre, & æquo animo tolerare edoctus sum. *quapropter* vt à me plagas, seu tribulationes, & cruces, infirmitates, aut calumnias, & irrisiones persequentium inimicorum amoueas, vt iustum iudico, & præcor; vtrumque enim per *plagas*, & flagella intelligi potest, iuxta Eccli. 28. ℣. 21. *flagelli plaga liuorem facit, plaga autem linguæ comminuet ossa.*

Mortis memoria donat linguam.

Mortis memoria plagas remouet.

Eccli.

68 Placet versio quæ in editione Sept. habetur *quoniam tu fecisti me*. quam lectionem sequuntur S. Chrysost. S. Cyrill. & S. August. & habetur in psalterio Arabico, & Aethiopico. quam versionem si sequamur, redditur ratio cur à se remoueri plagas tribulationum, aut inimicorum persecutiones postulet Propheta: *quoniam*, inquit, *tu fecisti me*, quasi dicat: ego sum figmentum, & lutum, fragileque vasculum, & inane (vt versibus præcedentibus se esse descripserat) ideò exhiberi mihi posco pœnarum indulgentiam: *amoue a me plagas tuas.* fauet huic expositioni S. Chrysost. qui homil. 2. in hunc psalmum sic habet: *vult a se amoueri flagella, non vt contradicens ei, qui illum flagris cadit, sed vt iam purgatus.* per *plagas* autem, & *flagella* intelligit Semei maledicta, & persecutiones, propterea inquit: *Cùm tu concessisses, ille*, scilicèt Semei, *me affecit contumelijs, & erat ille quidem similis flagello, tu autem per illud me castigasti, & ideò tacitus suscepi flagella, illum quidem despiciens, te autem respiciens castigantem.* has ergo *plagas* à se amoueri postulat, *vt iam purgatus*; sciebat enim sæpè per peccata immitti flagella, vnde inquit vers. sequenti: *propter iniquitatem corripuisti hominem*, & si hoc verum est, illud reliquum est, vt *amoueas a me plagas tuas*. iam enim purgatus sum, peccatorum maculam absterxi, ex eo quòd mortem meditari cæpi, & me puluerem esse cogitaui, vt diximus etiam cap. 2. Eiusdem sententiæ est S. Ambros. qui purgationem tribuit considerationi fragilitatis, & mortis memoriæ, illis verbis: *quia factus a Domino est, citius sibi posse donari peccatum, confidenter existimat.* Benè verum est, eundem Ambrosium, purgationem eam, quam se suscepisse ait Dauid, & S. Chrysost. per verba illa explicat: *vt iam purgatus* tribuit quoq; tolerantiæ iniuriarum; quærens enim quid causæ est, quod Dauid, qui flagellis se obtulit, dicens, psalm. 37. ℣. 18. *quoniam ego in flagella paratus sum.* nunc à se amoueri flagella postulat: *amoue a me plagas tuas.* ait: *quomodo hoc sibi congruit, quòd in superiori psalmo flagellis se obtulit, hic flagella a se postulat amoueri, nisi quia soluit de manu Domini duplicia peccata sua erubescendo,*

...tuag. S. Chrysost. S. Cyrill. S. Aug.

Flagella Dei, remouentur à meditantibus mortem.

S. Chrysost.

Inimicorum maledicta, & persecutiones, sũt flagella, & plagæ.

Mortis memoria animam purgat.

S. Ambr.

Inimicos tolerans, animæ purgationem, & flagellorũ remotionem meretur.

Psalm.

S. Chrys.

Pro peccato soluit qui opprobria sustinet.

oppro-

Sufferentia inimicorũ,æquivalens contritioni.

opprobria sustinendo, quod contritioni æquiualens esse subdit;inquiens:cōpunctiones cordis sunt, & cogitationum, sunt & increpationum flagella. Additq; vt satisfaceret Domino, per opprobrium,pro peccato. quomodo etiam iniurias inimicis non rependere, pro temporalibus quoq; rebus prosit maximè, ostendit cùm subdit: opprobrium quoque prodesse,Dauid ipse testatus est,dicens ad Abisai 2.Reg.16. sine maledicat mihi Semineus, quoniam dixit illi Dominus: vt videat humilitatem meam,& retribuat mihi Dominus bona pro maledicto hoc. Et post pauca: liquet igitur quia cùm datus in opprobrium Dauid fugerit, & humiliatus sit, & nudis pedibus Domino satisfecerit, & lapides iacientem non repercusserit, & in maledicentem non permiserit vindicari, & post hæc, regno suo integro restitutus sit, quia & opprobrium à Domino fit, & prosit magis sustinere opprobrium,quàm repellere.

Rebus temporalibus prodest, sufferẽtia inimicorum.

VERS. XIII.

A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus,propter iniquitatem corripuisti hominem.

69 
Fortitudine manus tuæ ego defeci. Sic versum istum distinguunt eruditiores Expositores. Manus fortitudinem, grauem percussionẽ intelligit Dauid, qua se ità attritum fatetur, vt penè defecerit, ac veluti consumptus sit, siue hoc fuerit iniuriarum perpessio, & à regno pulsio, vt dicitur 2. Reg. 16. siue grauissima morbi afflictatio, vt placet Agell. Vertunt alij: a contentione, seu prælio, conflictu; & à voce Hebraica thigrah, mixtionem,& litis prouocationem, legũt alij: fortasse de prælio quod Abſalō sibi mouit, vt Regnum tolleret, loquitur Dauid; meritòq; manus fortitudinem vocat, à qua defecerit, sic namq; scriptum est 2.Reg. 17 ℣. 1.2. Dixit ergo Achitophel ad Absalon: eligam mihi duodecim millia virorum, & consurgens prosequar Dauid hac nocte, Et irruens super eum (quippè qui lassus est, & solutis manibus) percutiam eum: cumq; fugerit omnis populus, qui cum eo est, percutiam Regem desolatum. Ad moralem sensum noto, eodem nomine denotari prælium, & litem: absque vlla enim dubitatione litigantes, præliantur, plusq; offendunt scribarum calami, quàm militum hastæ, & lanceæ; minusq; instrumentum bellicum, quàm Iudicum verba; vnde maiori fortitudine indigent litigantes, quàm in bello pugnantes. Hoc dixit Isai. 28. ℣. 6. In die illa erit Dominus exercituũ corona gloriæ, & sertum exultationis residuo populi sui: quia namq; victores in bello fuerunt, coronari merebantur. subdit: & spiritus iudicij sedenti super iudicium, idest Iudici iudicanti: & fortitudo reuertentibus de bello ad portam. addet fortitudinem, augebitq; vires militibus qui de bello reuertuntur, ad portam, idest ad locum vbi tribunalia erant constituta (olim namque in portis Ciuitatis exercebantur iudicia) vnde est illud psal. 126. ℣. 6. non confundetur, cùm loquetur inimicis suis in porta: quorum verborum sensus est, coram senioribus, & concilio alacriter se defendet, ac fortiter, & pro sua causa disceptabit. Est ergo sensus Isaiæ, qui de bello ad portam descendunt litigaturi in iudicio, ciuiliter, vel criminaliter, aut pro stipendijs, militibus exsolui solitis, exigendis, quasi non sufficiat virtus ea, & robur, quo aduersus hostes gloriosè decertarunt: vnde iure coronati; quia pugna maior in litigijs, & conflictus peior: validiores addit Deus vires, quibus indigent litigaturi.

70 *In increpationibus propter iniquitatem corripuisti hominem.* Agell. exponit, Prophetam se, vel fortem, robustumq; quemuis virum denotare, qui &

mi- … & … is p … nitas … epiâ- … ecca … citât.

si viribus valentes sint, per corporis infirmitates ad maciem summã, ac tabem perducit, vt sic attriti, & propinquam, imminentemq; mortem considerantes, de peccatis dolerent, sicq; delerẽt; hinc Iob. 33. ℣. 19. *increpat quoque per dolorem in lectulo, & omnia ossa eius marcescere facit*, quæ verba sic commentatur Lyran. *per infirmitatem carnis a Deo immissam, & tunc Angelus Custos hominis præsentans coram Deo eius pœnitentiam, impetrat sibi gratiam.* Nota ly *tunc*, quasi tempus oportunum, & ad placandum Deum aptissimum iudicat illud Angelus, in quem sensum dixit Ieremias cap. 8. ℣. 11. *sicut in manu forti erudiuit me, ne irem in via populi huius:* in quo quis grauiter in lectulo decumbens, de vitæ fine imminente, & Dei iudicio cogitat, vnde Glossa: *in hoc lectulo increpat Deus per dolorem, quando carnaliter viuenti, incutit extremi iudicij, & pœnarum inferni terrorem.* Si cum SS. Ambros. & August. legamus: *erudisti hominem*: erit sensus quòd flagella, & correctiones Dei erudiunt, & docent viam veritatis, præcipuè corporis infirmitates, & languores; Vel ideò, quia vt diximus initio præsentis paraphrasis, qui morbo laborat, mortem meditatur, quam metuit, vel credit affuturam, in se reuertitur, & *eruditur*; vnde Iob loco paulò antecitato, postquam dixit: *increpat quoq; per dolorem in lectulo*, subdit ℣. 22. *appropinquauit corruptioni anima eius, & vita illius mortiferis*: meditari ergo se morti proximum, *erudit hominem*: estque mortis memoria veluti magister, ac pedagogus, & instructor, & vt vulgò italicè dicimus *Aio*, qui, quæ agenda, quæuè vitanda sunt, edocet.

m. … m. … ss. … Ambr. Aug. … ibula- o eru- homi- n. … Mortis moria dit ho nem. … Mortis memoria si peds … us & orū præ eius in- uit.

VERS. XIV.

Et tabescere fecisti sicut araneam animam eius: veruntamen vanè conturbatur omnis homo.

7 

ET tabescere fecisti sicut araneã animam eius, &c. Suam sequens Agell. exponendi rationem, de corporis infirmitate qua Propheta afflictabatur: *animam eius*, inquit, *& habitudinem, pulchramq; speciem, quæ ex ea habitudine existebat, illicò sine vllo negotio, ipso morbo tabescere facis, ac dissoluis, & quæ paulò ante, insigni pulchritudine, ad se omnium oculos rapiebat, in tabem, ac maciem sũmam vertis, sicut araneam quæ tenuissimum est animal & in primis exile, vnde etiam a græcis ἀράχνη … dicitur quòd raras, & exiles tibias habeat:* ostendit ergo debilitatum corpus per infirmitatem, vix pedibus posse sistere (ad modum araneæ, quæ exiles tibias habet) omnemq; corporis venustatem, quæ præcipuè ex colore, forma, & positura, seu consistentia corporis metitur, omnino perire: vt enim dicebat Cicero Tuscul. quæst. lib. 4. & ego in Bibliotheca Vaticana, S. Thom. propria manu scriptum legi: *pulchritudo est corporis quædam apta figura membrorum, cum coloris quadam suauitate.* Hoc in seipso expertus fuerat Dauid, qui alioquì formosissimus vt dicitur primo Reg. 16. ℣. 12. *erat autem rufus, & pulcher aspectu, decoraq; facie*, & cap. 17. ℣. 42. *Cùmque inspexisset Philisthæus, & vidisset Dauid, despexit eum: erat enim adolescens, rufus, & pulcher aspectu.* morbo verò cõflictatus & mortem meditatus, omnem aduertit deturpatam pulchritudinem, quam statim contemnere cæpit, quippè

Agell. … Pulchritudo, morbo & ætate consumitur. … Cic. … S. Thom. … Pulchritudo quid sit … 1. Reg.

Isocrat. quam leuis infirmitatis, aut doloris aura consumit: vnde Isocrates ad Demonicum serm admonitorio: *pulchritudinē*, inquit, *vel tempus consumit, vel morbus languefacit.* & *Cic.* Cic. lib. 4. Reth. *forma dignitas, aut morbo deflorescit, aut vetustate extinguitur.* In quem sensum dixit *Iob.* etiam Iob. 18. ℣. 12. 13. *attenuetur fame robur eius, & inedia inuadat costas illius, deuoret pulchritudinem cutis illius primogenita mors.* loquitur S. Vir de extenuato corpore, lassatis costis, ossibus, ac tibijs, cuius *pulchritudinem primogenita mors deuorat*, hoc est, *infirmitas*, quæ iure dicitur *mors primogenita*, seu *prima mors*, cùm ipsa mortem ante eat, & sit vltima ad illi dispositio, & veluti emortui effigiem languenti inferat, & formet, vt optimè Rabbi Ioseph, nec dissentit Caietanus. Dicit ergo pulchritudinem sicut *araneam*, seu *aranea* telam tabescere, quia facilè perit. Hebræi legunt: *sicut tineam*, quæ vix vt soli, & aeri exponitur, perit; sic & pulchritudo de facili euanescit, cùm illam serenus aer, vel solis ardor aspexerit. Genebrard. sequutus Rab. quendam Anonymum, in nominatiuo legit: *sicut tinea*, quasi Deus ipse, seu immissus ab eo morbus, sit *tinea*, quæ abrodit, & exedit pulchritudinem. Illud obserua, non dicere Iob: *deuoret pulchritudinem eius*, sed *pulchritudinem cutis eius*, veluti extrinseca res & apparens in subtili extrinseca pelle, quæ fragilissima est, intrinsecus autem sanguinolenta, turpis, & emarcida caro, nerui, cartilagines, & ossa potius ad horrorem, quàm ad amorē excitandū apta. Sicut autem *tinea* à putredine, aut puluere nascens, panni superficiem abradendo, omnem adimit pulchritudinem; ità morbus, qui ex corporis putredine, nostroq; puluere oritur, corporis superficiem (in qua pulchritudo sita est) consumit. Addam, rationabiliter, sanctū Iob asserere: *deuoret pulchritudinē cutis eius primogenita mors*, quasi *morti primogenitæ*, tradenda sit *pulchritudo*; namque Imperium, & Regnum pulchritudinis est, seu potius, ipsa pulchritudo Regnū est, iuxta illud: *prima species digna est Imperio.* & psalm. 44. ℣. 5. *specie tua, & pulchritudine tua, intende prosperè, procede, & regna*, & vt ait Laert, Stob. Carneades Philosophus, interrogatus, quid pulchritudo esset, respondit: *Regnum sine satellitio*: legis autem decreto in Regnum successio, primogenitorum est. reliqua verò secundogenitorum, vt dicitur etiam 2. paralipom. 21. ℣. 3. *Deditq; eis pater suus multa munera argenti, & auri, & pensitationes, cum ciuitatibus munitissimis in Iuda; Regnum autem tradidit Ioram, eò quòd esset primogenitus.* Benè ergo dicitur, quòd *mors primogenita deuoret pulchritudinē*, quæ Regnū est, in possessionem, & dominium sumere debet. explicatur autē dominium per *deuoret*, vt Principum aliquorum mores innotescant, qui subditos illorum bona surripiunt, & deuorant, sicut dicitur psal. 13. ℣. 4 *qui deuorant plebem meam. sicut escam panis.* & Ier. 2. ℣. 3. *omnes qui deuorant eum, delinquunt.*

Infirmitas est mors primogenita.

Rab. Ios.

Pulchritudo de facili euanescit.

Genebrar.

Pulchritudo extrinseca, & superficialis res est.

Pulchritudo est Regnum, & Imperium.

72 S. Hieronym. legit: *& posuisti quasi tineam desiderabilia eius.* Symmachus: *& dissoluis tamquam cariem desiderabile illius.* Sept. ex Hebr. *desiderium eius.* Sanctus Augustinus, & Euthym. *animam meam.* Inhærendo præcedenti expositioni de pulchritudine, congruūt præsentes versiones, nam pulchritudo, quæ adeò diligitur, *desiderabile desiderium*, & *anima* quoq; dici potest hominis. Sistēdo autem in vulgata, rectè pulchritudo, araneæ telis comparatur, ob maximam suam fragilitatem, qualibet namq; vel minima causa euanescit, vnde Ouid. 2. de arte.

Forma, bonum fragile est &c.

& Propertius.

Nec forma æternum, nec cuiquam est fortuna perennis.

& Seneca in Hippolyto.

Anceps forma bonum mortalibus,
Exigui donum breue temporis,
Vt velox celeri pede laberis, &c.
Res est forma fugax.

Non immeritò, alia ratione, aranearum telis pulchritudinem comparauit Pro-

pheta:

pheta: sicut enim illas, maxima industria, varijs filis texit aranea ad muscas capiendas, ità variis modis ornat se, & componit mulier ad capiendos homines, nec non etiam homines ad decipiendas fœminas. Prou. 7. ℣. 10. *Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas &c. irretiuit eum multis sermonibus, & blanditijs labiorum protraxit illum &c.* sic dixit Daniel senioribus, speciositate Susannæ allectis, & captis, cap. 13. ℣. 56. *species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum.* Sicut etiã dicitur Iudith. 10. quòd cùm pulchritudini naturali, artificiatẽ quoq; vidua Iudith addidisset ornamẽtis, & pigmentis varijs, subdit sacer textus. ℣. 17. *Cumq; intrasset ante faciem eius, statim captus est in oculis suis Holofernes.* Vel ideò aranearum telis, pulchritudo mulieris comparatur, quia sicut illa se ipsam euiscerando, suaq; interiora tradendo, telam format, muscas venatur, quibus cæptis, exugit sanguinẽ, quò alitur, mortem inferendo; ità & hæc, sua tradit viscera homini, cuius bona, sanguinem, vitam, & animam ipsam adimit. Ezech. 23. ℣. 45. *Iudicabunt eas iudicio adulterarum, & iudicio effundentium sanguinem: quia adulteræ sunt, & sanguis in manibus earum.*

73 Id quod similitudine non longè diuersa docuit Salomon Eccli. 25. ℣. 24. *Nequitia mulieris immutat faciem eius: & obcæcat vultum suum tamquam vrsus: & quasi saccũ ostendit in medio proximorum.* quo loco primò obserua, vultus compositionem tribui non simplici vanitati mulieris, vel vt viris placeat (sicut frequenter in excusationem dicunt) sed malitiæ, ideò ait: *Nequitia mulieris, immutat faciem eius:* Hinc Vgo Card. in hæc verba: *ex nequitia,* inquit, *scit mulier immutare faciẽ suam vnguentis, & cultu vano, vt videatur pulchra, cùm turpissima sit.* Dicitur quoq; *immutat*, idest ità variat, vt reuera non cognoscas eandem esse: totq; vultus, & formas videtur assumere, quot varijs modis se componit. Deinde subditur: & *obcæcat vultum suum tamquam vrsus.* Vgo Cardin. *Obcæcat &c. multis ornamentis &c* Inquit Lyran. excæcari vrsum pelui, seu patella calida oculis apposita. simili quodam modo obcæcãtur mulieres comptæ, solent namque aquis quibusdam, & vnguentis oculos pingere, quæ suis prauis qualitatibus, quibus compacta sunt, oculos offendunt, & vim visiuam lædunt: sicut de Iezabele dicitur 4. Reg. 9. ℣. 30. *Porrò Iezabel introitu eius audito, depinxit oculos suos stibio, & ornauit caput suum.* Et Ierem. 4 ℣. 30. *Cùm vestieris te coccino, cùm ornata fueris monili aureo, & pinxeris stibio oculos tuos.* quo loco Regia sic vertit: *quia scindis in fuco oculos tuos.* ferè idem in Thesauro: *quia scindis in stibio oculos tuos.* quotidianis nãquè fucationibus, veluti scindũtur oculi, vt enim ait Dioscorides lib. 5. cap. 59. & Plin. lib. 33. cap. 6. stibium vim habet dilatandi oculos, inhibetq; eorum fluitiones, & exulcerationes, idcircò ijs vtebantur mulieres.

74 Tandem subdit sacer textus: *Et quasi saccum ostendit in medio proximorum eius.* Vgo Cardin. sic exponit: *in vili habitu erit in domo sua, inter domesticos suos;* magis optans placere extraneis, coram quibus ornata, & deaurata procedit, quàm viro, & filiis in domo sua ante quorum oculos, quasi sacco vestita permanet. Vel sic: mulier quæ nimium, & plùs æquò vanitatibus vacat, & ornamentis sæculi; quia paulatim facultates consumit tot impendijs; reliquum, fit vt aureis venditis monilibus, & vestibus prætiosis, sacco tandem succincta, non per plateas ciuitatis discurrat vaga, & quietis impatiens, sed domi, verecunda publicè conspici, permaneat iugiter, ideò dicitur: *& quasi saccũ ostendit in medio proximorum eius.* Sed si sequamur Lyran. qui legit: *& quasi saccum ostendit vultum suum.* sensus, ad rem nostram erit, quòd vultus, faciesq; comptæ mulieris est veluti saccus quo capti homines concluduntur, sicut telis aranearum muscæ ipsarum aranearum visce-

Margin notes: Prouerb. — Daniel. — Iudith. — Alia similitudo, araneæ, cui mulier comparatur. — Ezech. — Eccli. Mulier compta, nequitia notatur. — Vgo Card. — Vgo Card. Ornamentis, mulieres obcæcantur. — 4. Reg. — Ierem. Regia. — Dioscorid. Plin. — Vgo Card. Mulier exteris magis quàm viro, placere studet. — Paupertas sequitur ex multis ornamentis fæminarum. — Lyran. Facies, cõptæ mulieris, quasi saccus includens homines.

visceribus in telæ efformatione cõsumptis, ipsæ tandem araneæ tabescunt. Ex his vna fuit Thamar, de qua dicitur 2. Reg. 13. ℣. 1. *Factum est autẽ post hac, vt Absalon filij Dauid, sororem speciosissimam, vocabulo Thamar, adamaret Amnon filius Dauid:* en pulchritudinem Thamar veluti araneæ telam contextam. Ea captus fuit Amnon, quem veluti aranea muscam, pulchritudo sugebat. ℣. 2. *ità vt,* subdit sacer textus, *propter amorem eius ægrotaret.* & ℣. 4. dixit Ionadab ad Amnon: *quare sic attenuaris macie, fili Regis, per singulos dies?* Concubuit tamen (& si inuita) Thamar cum Amnon. quo completo subdit scriptura ℣. 20. *mansit itaq; Thamar contabescẽs, in domo Absalon fratris sui.* Benè ergo ait Psalmista: *& tabescere fecisti sicut araneam &c.*

2. Reg.

75 Si verò iuxta adductas versiones, *tinea,* aut *cariei,* pulchritudinem comparemus: sicut istæ pannum, vel lignum rodendo maculant, macerant, ac consumunt; ità pulchritudo corpus, & vitam eius, quæ pulchritudini studet, (quæ per *animam* hoc loco intelligitur vt notant Agell. & alij.) Namq; dùm vt flauescant, igni, aut solis radijs caput exponunt, faciem pigmentis varijs pingũt, vt diximus numero præcedenti, quæ venenosis etiam rebus componuntur; pectus ferreis etiam retibus stringunt, vt elegantiorem ostendant corporis formam; caput, faciem, dentes, oculos, & corpus ipsum conficiant, necesse est. Potest etiam pulchritudo considerari in ordine ad eos, qui eam in alijs conspiciunt, & mirantur; Et sic quoque *tinea,* vel *Cariei* nomen illi congruit; Tinea namq; abrodens pannum, pilum perdit quem consumit; ità quoque mulieris speciositas pilos, capillosq; aufert eis, quos gallico morbo infecerit. Imò sicut *tinea* panni, & *Caries* ligni soliditatem, & substantiam exedit, & destruit; sic & pulchritudo, emarcidum, deficientemq; reddit hominem; omnemq; substantiam diripit; & si quæ sunt diuitiæ, honores, vitam, & animam ipsam aufert.

Pulchritudinis studium, vitam consumit.

Pulchritudo velut tinea, pilos aufert.

Pulchritudo omnia destruit.

Apertissimè docuit hoc Salomon Eccli. 42. ℣. 12. *omni homini noli intendere in specie: & in medio mulierum noli commorari:* subditq; rationem: *de vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Exemplo fuerunt Dauid, Salomon, Holofernes, innumeriq; penè alij, & experimento quotidiè comprobamus. vnde Euripides Philosophus dicere solitus erat: *pulchritudo rex infelix.* vno verbo concludens omnia pulchritudinis mala.

76 Alio sensu: *desiderabile,* seu *desiderium,* quod *sicut araneam,* vel vt *aranea,* aut *tinea* dicitur Deus *tabescere facere,* non ad pulchritudinem tantùm coarctamus, sed ad omne id, quod expeti potest extendimus, vt re vera multi exponunt, præcipuè Genebrard. qui sic habet: *aranea enim, vel tela aranea, facilè perit. Tinea si obijciatur soli, diffluit, & interit abiens in auras: ità hominis desiderium, vita, status, conditio fugacissima est, & corruptelæ maximè obnoxia.* quod consonum est Isai. 59. ℣. 5. *telas araneæ texuerunt.* Et Eucher. *aranearum telæ, concupiscentiæ nostræ opera sunt.* Et quidem si de diuitijs, & terrenis opibus loquamur; qui thesauris coacervandis student, rectè araneis comparantur, euiscerant enim se, vt aurum congregent, & terrena cumulent, quod ad literam sic tradit Vgo Cardin. *tabe miseria plenus; & sine humore virtutum, euiscerauit se in congregatione terrenorum inutilium: sicut aranea euiscerat se in telis suis inutilibus.* Isai. 59. ℣. 5. *telas aranearum texuerunt.* propter hoc dicit Iob 8. ℣. 14. *Non ei placebit vecordia sua, & sicut tela aranearum fiducia eius. Vecors enim dicitur, idest sine corde, quia proiecit cor suum in terrenis.* vnde Eccli. 10. ℣. 10. *Nihil iniquius quã amare pecuniam; hic enim & animam suam venalem habet: quoniam in vita sua proiecit intima sua.* Hæc Vgo, quibus ostendit quàm perassimilis sit araneæ, qui huius sæculi bona perquirit, sed hoc lector ponderet.

VERS. XV.

Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam, auribus percipe lachrymas meas.

77 

Xaudi orationem meam Domine, & deprecationē meam. Vitæ breuitate, morteque varijs similitudinibus à Propheta contemplata, & explicata: præmium, mercedemq; sibi exhiberi contendit, nimirum exauditionem suæ orationis, & deprecationis; tribuatq; Deus sibi quod postulat; valet enim quàm plurimum, & confert quàm maximè mortis memoria ad euocandam, flectendamq, ad nos diuinam pietatem, & misericordiam, vt diximus supra pluries, & cap. 2. & dicemus vers. sequenti. Ostendit quoque quomodo mortis memoria virtutem orationis (quæ actus Religionis est) doceat. Et vt ait Agell. *gradibus quibusdam ad summum peruenit: nam primò orationem posuit, secundo loco deprecationem, tertiò lachrymas, &c.* Hæc autem dona, & gradus perfectionis, mortem meditatus, consequutus est, vt mox, & vers. sequenti fiet clarius.

Oratio mortis memoria exaudiri meretur.

Agell.

78 *Auribus percipe lachrymas meas.* Non simplicem oculorum humorem, capitisque fluentem humiditatem, per *lachrymas* intelligit, sed ex intimo corde, & affectu fluentes, & charitatis ardore stillantes, vt benè obseruat Agell. Porrò donum hoc lachrymarum ex mortis memoria, Dei gratia, consequutum Prophetam ex dictis hucusq; indubitatum remanet. Rei huius veritatem in Rege Ezechia reperimus. Huic enim cùm propinquam mortem prædixisset Isaias 4. Reg. 20. ℣. 2. *Hæc dicit Dominus Deus: præcipe domui tuæ: morieris enim tu, & non viues.* audito mortis nuntio, cogitansq; de morte ad orationem se conuertit, vnde subdit sacer textus: *qui conuertit faciem suam ad parietem, & orauit Dominum, dicens: obsecro Domine, memento quæso &c.* & orationi, compunctionis, & amoris addidit lachrymas, vnde subditur ℣. 4. *fleuit itaq; Ezechias fletu magno.* exauditusq; fuit à Domino, qui dixit: ℣ 5. *Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui: audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas: & ecce sanaui te, &c.* Cui simile est quod dicitur Tobiæ 12. ℣. 12. *quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, &c. ego obtuli orationem tuam Domino.* quo loco tria hæc nectuntur, oratio, lachrymæ, & mortis memoria eius qui ante oculos mortuorum cernens cadauera, eaque manibus contrectans, se quoque moriturum cogitabat. Certè si causa materialis pluuiæ, vapor est è terra eleuatus. Efficiens verò calor, vaporem in partes segregans, qui in stillas dissoluitur, vtique vita hæc nostra mortalis, quæ secundùm Apostolum Iacobum cap. 4. ℣. 15. *vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminatur,* mente, & memoria concepta, calorem diuini spiritus in anima suscitans, quomodo Prophetæ Dauid euenisse diximus ℣. 4. *concaluit cor meum intra me &c.* Reliquum est, vt lachrymarum pluuia, ex oculis iugiter fluat, ad animam irrigandam, & Deo fructificandum.

Agell. mortis memoria, oratio, lachrymæ, ex ...o prouenit.

Reg.

Tob.

Causa materialis, et efficiens pluuiæ.

Iacob.

Causa materialis lachrymarũ nostra mortalitas, efficiens charitas.



VERS.

VERS. XVI.

Ne sileas, quoniam aduena ego sum apud te, & peregrinus, sicut omnes patres mei.

79 E *sileas*. Idem est dicere: *ne sileas*, ac *exaudi*, concede mihi quod postulaui. Nam *silentium*, inquit P. Agell. *hoc loco, incuriam, & negligentiam, ac dilationem indicat.* repetit ergo alijs verbis Psalmista, quod præcedenti versu dixerat: *exaudi orationem meam Domine, &c.* Exauditionem verò per responsum Dei ostendit, ideò: *ne sileas.* idest, responde per exauditionem, & concessionem eius, quod peto. quasi enim alternatim, & è regione canere videtur anima, dùm Deũ orat, & Deus qui orantem animam audit. Namque orare canere est: Amos. 5. ℣. 23. *aufer à me tumulum carminum tuorum: & cantica lyræ tuæ: non audiam.* silet verò Deus, & canenti animæ non respondet, dùm quæ illa postulat non tribuit, & audit, sed non exaudit, iuxta illud Ezech. 33. ℣. 32. *Et es eis quasi carmen musicum, quod suaui, dulciq; sono canitur: & audiunt verba tua, & non faciunt ea.* ergò Psalmista, vt quæ ipse petit, Deus concedat, & opere compleat, ideo ait: *Ne sileas.*

Agell. Silere Dei est non exaudire.

Deus, & anima alternatim canunt in oratione. Amos.

Ezech.

80 Genebrard. sic legit: *Ne sileas ad lachrymas meas.* Et in Psalterio Ambrosiano: *lachrymis ne sileas.* & S. Ephrẽ tom. 1. serm. de compunct. & salute animæ: *ne sileas lachrymas meas*, idest me flentem exaudi, lachrymarum mearum vocibus responde. dùm enim lachrymor, voces emitto, imò lachrymæ ipsæ, vocem suam, & sonum habent. Eccli. 35. ℣. 17. *Non despiciet preces pupilli; nec viduam, si effundat loquelam gemitus. Nonnè lachrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas.* Si enim hominũ industria, & arte, fluentium aquarum cursu, organis, & auibus ex plumbo, ære, vel terra efformatis, modulationẽ, & cantum tribui videmus, non absque maxima principum oblectatione: cur non idem præstabunt lachrymæ, non arte, sed corde, & amore effictæ? his ergo lachrymis exhiberi exposcit Dei responsionem, & exauditionem, vt diximus etiam versu præcedenti, & mox prosequemur.

Genebrar. S. Ephrẽ.

Lacrymæ vocem emittunt.

Eccli.

81 *Quoniam aduena ego sum, & peregrinus &c.* Causam obijcit, & rationem, ob quam se exaudiri mereatur, ideò particulam illam ponit, *quoniam*, quæ loco causalis est, & vim illatiuam habet. Causa autẽ est: *aduena ego sum, & peregrinus.* idest, vt exponit Genebrard. *Hospes, propè diem discessurus ad mortem, peregrinus in terra habito, expectans vt patres mei, habitationem cælestem.* Hac eadem orandi formula orasse Dauid Dominum legimus primo Paralipom. 29. ℣. 15. *peregrini enim sumus coram te, & aduenæ, sicut omnes patres nostri. Dies nostri quasi vmbra super terram, & nulla est mora* (vt enim pluries hucusque diximus) ad diuinam opem, & misericordiam impetrandam, adiuuat mortis memoria; quapropter dum hic orat Psalmista: eius vocem, & dictiones assumit, qui mortem meditatur, vnde Vgo Card. *vox*, inquit, *transilientis est.* Petamus huius rei veritatem à cæli aulicis, qui Deo assistunt, & eius facta norunt: verba sunt Archãgeli Raphaelis ad Tobiam cap. 12. ℣. 12. *quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Benè nouerat Archangelus Raphael Dei mores, & placita, ex ijs enim erat Dei aulicis, qui iugiter illi assistebant, sicut dicitur ibidem ℣. 15. *Ego enim sum Raphael Angeuls, vnus ex septem, quia astamus*

Exa tur mor medi

Gen

Pa

Vg

To

ante Dominum. Cumq; experimento probasset, quàmmaximè placere Deo orationem, cui mortis memoria adiuncta est, ideò *tunc* quidem, orationem Tobiæ Archangelus Deo obtulit (vt infallibilis esset exauditio) *quando mortuos sepeliebas*, mortuos manibus contrectabat, & domi absconditos detinebat; & certè mortem, seque moriturum cogitabat, ideò exauditus à Deo, & dignus fuit habitus cui non solum Angelus, sed & Archangelus mitteretur, ad præstandum maiora iis, quæ petierat.

VERS. XVII.

Remitte mihi, vt refrigerer priusquam abeam, & amplius non ero.

82  *Emitte mihi, &c.* Hæc est postrema petitio, qua psalmus cõcluditur, qui de mortis memoria est, & veluti præmium mortem meditandi debitum Rex, & Propheta expostulat: *remitte mihi &c.* Aliqui peccatorum admissorum indulgentiam, & condonationem exposcere aiunt Dauid; sic nonnulli, inter quos S. Hieronym. legit: *parce mihi, ignosce, dimitte.* Exponit ergo: *Hic remitte Domine, si quid deliqui: quia in inferno nulla est remissio: quia nec confessio valet*: Et Vgo Cardin. *Remitte mihi peccata mea*. Remissionem igitur peccatorum sibi deberi, ex eo quòd de sua morte cogitauerit, contendit. Addit verò: *vt refrigerer:* qui enim mortem meditatur, purgatosq; habet mentis oculos, & culparum grauitatem agnoscit, atque perpendit; æstuat maximè, angore animi angitur, & veluti inferni igne exuritur, cui refrigeratio est, si in hac vita, priusquam abeat, condonentur peccata. Potest etiam interpretari non de remissione culpæ tantum, sed etiam pœnæ in hac vita, vel in purgatorio, quam sibi postulat hic remitti, tãquam mercedem debitam ei, qui mortẽ meditatur, ideò ait: *vt refrigerer*, nam qui verè, & plenè ignem Purgatorij perpendit, & æstimat qualis sit, veluti hìc vritur; quam pœnam si sibi dimissam agnouisset, refrigeriũ sumpsisset, quam expositionem probat Vgo Cardin. qui sic glossat: *remitte mihi peccata mea, vt refrigerer: peccata enim ignis sunt & incendunt hominem, vt refrigeretur ab æstu culpæ, & pœnæ.* Scimus autem eum, qui peccatorum pœnas in hac vita non luerit, in Purgatorio soluturum. Ex græco legit Agell. *vt respirem*, & sensus est: dimitte mihi culpam, vel pœnam peccatorum meorum, dùm enim me maculatum video, & pœnas luendas in Purgatorio, vel etiam in hac vita considero, veluti respirationem ammitto, & oppresso corde, flatum, & spiraculum vitæ emittere non valeo, sicq; deficiens opprimor.

Mortem cõsiderãs, purgatorij pœnas expendit, quas sibi relaxari precatur, & obtinet Vgo Card

Agell.

Quasi respirationẽ ammittit, qui culpas & purgatorij pœnas considerat.

83 Vertit S. Hieronym. *vt rideam.* iuxta quam versionem, Prophetæ intentum est: *remitte mihi, vt rideam* ex quo enim peccatorum perpendi grauitatem; vel pœnarum Purgatorij expendi acerbitatem, semper mæstissimo fui animo; lætitiam excipere non valui; in luctu, & gemitu fui iugiter. Quo modo similiter loquitur psal. 50. ℣. 9. *auditui meo dabis gaudium, & lætitiã: & exultabunt ossa humiliata.* Subdit verò statim, vnde exultationis, gaudij, & lætitiæ origo pendebat, nimirũ à peccatorum remissione ℣. 10. *auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.* vnde appositè Agell. *fac*, inquit, *vt mihi bonus ille ac lætus nuntius afferatur, vt audiam à te mihi peccatũ esse condonatum: tunc enim gaudio, & lætitia exultabo, ac tibi laudes, & gratias quantas potero maximas, summa cum lætitia referam*; & alia plura in eundem sensum, dicit ibi Agell. & ℣. 13. circa illa verba: *redde mihi lætitiam*

S. Hieron.

Sẽper mæstus, qui peccata, eorumque pœnas perpendit.

Psalm.

Agell.

salu-

salutaris tui. quo loco lætitiam per peccatum ablatam, restitui sibi ex remissione præcatur, quæ lector videat.

84 Sũt alij qui, *remitte mihi:* idem importare dicunt, ac *remissè*, & *leniter mecum age*, abstine paululum à flagellando, vt vires pristinas recipiam, aliquo modo conualescam, & respirare valeam: tanta enim erat morbi grauitas, & assiduitas, vt respirandi spatium non relinqueret. Vel inimicorum persecutiones, & odia aliquo pacto intercideret, dùm nec loco, nec tempore sistere illum permittebant. Hæc autem omnia à Deo præcibus obtinere confidebat, mortis memoria præmunitus, præcipuè in hoc postremo versu: *priusquam abeam, & amplius non ero*, per mortem scilicèt transiens, corpore, & vita temporali resoluta. Hanc ergo lenitatem flagellorum expectat per mortis memoriam à qua tot insignia, & præcipua consequutus fuerat bona, & dona, quæ in tota propositi psalmi paraphrasi breuiter explicauimus, tùm vt cæteros Expositores imitaremur, tùm etiam vt sanctæ Ecclesiæ, in sua cœremonia, & sacrorum cinerum aspersione, illis verbis: *memento homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris*, conformes essemus. Pergimus ergo ad sacrorum Euangeliorum commentum.

Remissè secū agere Deū orat in flagellãdo.

Mortis memoria Dei flagellamitigat.

FERIA IV. CINERVM
MATTH. VI.

Sacrum Euangelium.

Cùm autem ieiunatis, nolite fieri sicut Hypocritæ tristes. Exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis: receperunt mercedem suam. Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua: ne videaris hominibus ieiunans: sed patri tuo qui est in abscondito. Et pater tuus, qui videt te in abscondito, reddet tibi. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: vbi ærugo, & tinea demolitur: & vbi fures effodiunt, & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo: vbi neq; ærugo, neque tinea demolitur: & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Vbi est enim thesaurus tuus: ibi est & cor tuum.

CAP. I.

Explicatur sensus litteræ.

Ieiunij modus cõmendatur.



1 *VM autem ieiunatis.* Non præcipit hìc ieiuniũ quò ad substantiã, sed modum, quo ieiunandum sit, ostendit: ideò non *ieiunate*, inquit, *sed cùm ieiunatis.*

2 *Nolite fieri, sicut hypocritæ tristes.* Alij, *ne sitis.* S. Thom. in Catena ex S. Chrysost. vim facit in verbo *fieri*; *Nõ dixit*, inquit, *nolite esse tristes, sed nolite fieri tristes: qui enim per impostura aliquas, fallentes apparent: illi non sunt tristes, sed fiunt: qui autem naturaliter propter assiduum ieiunium tristis est, non fit tristis, sed verè est.* Ergo *fit tristis*, qui callidè, & captiosè tristitiam in vultu ostendit, vt se ieiunantem ex deuotione simulet.

3 *Hypocrytæ.* Hoc nomine, is intelligitur, qui sanctitatem simulat, &

apparere cupit, quod non est, & vt ait, S.Thom. 2.2.quæst.101. art.2. *hypocrita, græco sermone, in latino simulator interpretatur: qui, cùm intus malus sit bonū se palàm ostendit: hypo enim: falsum; crisis, iudicium* interpretatur; quia falsum iudicium subministrat, vt homines æstiment, quod non est.

4 *Exterminant enim facies suas.* Non eodem modo legunt omnes. Aliqui: *euertunt.* S.Hierony. *demoliuntur.* S.Hilar. *conficiunt.* S.Chrysost. *corrumpunt, atque dispergunt.* Omnes autem versiones idem probant, nimirum hypocritas ità natiuum colorem, formam, & pulchritudinem immutare, vt appareant ieiunantes, ac probi, vt propriam faciem, & speciem *exterminasse*, idest, extra terminos, & confines à natura præstitos, veluti exulem, ac relegatam misisse videantur Et quasi *euertunt. demoliuntur, & corrumpunt*, veluti ædificium, quod artificum manibus, & instrumentis destruitur, & funditus euertitur.

5 Potest autē duobus modis hypocrita faciem suam *exterminare*; primò vt re vera rigorosè seruet ieiuniū, veramque, ac realem maciem in vultu gestet, ex nimia inedia contractam, licèt ad inanem vulgi gloriam captandam, quem sensum videtur innuere S. Gregor. 8. moral. nam *ora*, inquit, *pallescunt, corpus debilitate quatitur, pectus interrumpentibus suspirijs vrgetur, nihilque tanto labore aliud, nisi æstimatio humana cogitatur.* Secundò, vt re vera hypocrita nullum seruet ieiunium, sed vt appareat ieiunans, inducens super faciem medicamenta, coloresque, vt pallidus, macilentus, & ieiunio afflictus videatur. Vnde S. Hierony. *Demolitur*, inquit, *hypocrita faciem suam, vt tristitiam simulet & animo fortè lætante, luctum gestat in vultu.* Clarius vtrumq; sensum innuit Auctor Imperfect. in Euang. inquiens, *Si ergo qui ieiunat & tristem se facit, hypocrita est; quantò magis iniquior est, qui non ieiunat, sed argumentis quibusdam fingit in facie sua venalem pallorem, quasi ieiunij signum? Displicet ei natura sua quia non potest mentiri, quod non facit; & misera facies carnis, argumentis quibusdam, innocens castigatur, quia fraudibus non consentit.*

6 *Vt appareant hominibus ieiunantes.* Hic hypocritarum finis. huc omnia tendunt studia, & deceptiones, vt abstinentiam simulent, cùm potius crapulentur. *Hypocrita* apud Syros *acceptor vultuum* dicitur, ea quidem ratione, ait Burgensis, quia hominum vultus, oculos, personas, & opiniones ad se trahere studet, ijsque fit contentus, vt habeatur abstinēs, sanctusque, qualis nō est. Vel ideò, quia, dum faciem pallore conficit, aut coloribus pingit, tot facies accipit, & variat, quot modis varijs se colorat; ità vt vna alteri numquam similis videatur.

Hypocritarū finis est appetētia honoris.

Burgens. Hypocritæ vultus oculos hominum quærit. Hypocritæ facies variæ.

7 *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam*, idest certum habete, quòd mercedem debitam suis fictis operibus perceperunt. Estq; potest duplex sensus: primus *receperunt mercedem suam*, quasi dicat: Ne cogitent, aut expectent mercedem debitam benè operantibus, à Deo promissam; cùm nō ad Dei gloriam, verèque, & ex corde operati sint. Vel *receperunt mercedem suam, quam*, scilicèt (vt ait S. Thom. in Catena ex Remig.) *desiderauerunt:* vanam videlicèt fugacem, ac trāsitoriam illam auram mundanæ laudis, quam nec omnes, etiam impensis laboribus, assequuntur.

Merces operum, non datur hypocritis

S.Thom. in Catena ex Remig. Laus vana, merces hypocritarum.

8 *Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans.* Exponit S. Hieronym. morem fuisse Prouinciæ Palestinæ, lætis, festisq; diebus faciem lauare, & caput vngere, vt vel sic mundi, læti apparerent, pulchritudinéque, ac odorem capillorum commendarēt. Ruth 3. vers. 3 *lauare igitur & vngere, & induere cultioribus vestimentis, & descende in aream &c.* Sic & Dauid ne mærorem, imò potius lætitiam ostenderet ob mortem pueri, ex Bersabee

S.Hieron

Vnctio capitis, lætitiæ signū.

Ruth.

nati,

2.Reg. nati, dicitur 2. Reg. vers.20. *surrexit ergo Dauid de terra, & lotus, vnctusque est: cùmq; mutasset vestem, ingressus est domum Domini, & adorauit, &c.* Quem loquendi more tenuit idē Dauid psalm. Psalm. 103.℣.16. *vt educas panem de terra & vinum letificet cor hominis, vt exhilaret faciem in oleo.* Agell. Quo loco P. Agell. noster, inquit: *vino tribuit exhilarare faciem in oleo, pane confirmare cor hominis: vinum igitur exhilarat faciem in oleo, hoc est, sicut oleum, nimirum quo vngimur; sicut vnguentum, inquit, faciem exhilarat, & splendentem facit, ad eundem modum vinum, moderatè sumptum: nam, quia vinum lætificat cor hominis, vt superius dictum est, exhilarato iam corde, faciei quoq; splendor existit. Vt enim Salomon ait, Prouer. 15. cor gaudens exhilarat faciem; itaq; nil opus est vnguentis, cùm vinum modicum, æque atque vnguenta quælibet exhilaret faciem: imò verò plus etiam, vt est in Hebr. vt exhilaret faciem plusquam oleum.* idest magis quàm oleum; quo vngimur ad lætitiam ostendendam: qui verò in Mæsti, oleo non vngebantur. luctu, & mærore erant, ab oleo, & vnguentis abstinebant; vt inter cætera habetur 2. Reg. 14.℣.2. 2.Reg. *lugere te simula, & induere veste lugubri, & ne vngaris oleo, vt sis quasi mulier, iam plurimo tempore lugens mortuum.*

9 Est ergo sensus: *tu cùm ieiunas,* nō solùm mærorem, & tristitiam in vultu caueas, & affectatum squallorē, quasi carnem macerans, vt hominibus appareas, & ab eis inanem gloriam aucupes: quin potius vt lætitiam in facie gestes, mæroremque, ac vultus demissionem minimè ostentes; *vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans.*

Per exagerationē inducitur lauatio, et vnctio. S. Aug. Sunt autem hæc per exagerationem dicta, non quòd reuera ieiunantibus facies lauandæ sint, & vngenda capita. Vnde S. August. de serm. Dom. in monte. Quæri, inquit, *solet, quid sit, quod hic dicitur? non enim quispiam rectè præceperit, quamuis faciem quotidiana consuetudine lauemus, vnctis quoque capitibus, cùm ieiunamus, nos esse debere: quia turpissimum omnes fatentur.* Et S. Chrysost. super Matth. *Simplex ergo,* inquit, *interpretatio huius est, quoniam per exagerationem intelligēda sunt ista, sicut cætera antedicta, tamquam si dicat, sic longè te facere debes ab ostentatione ieiunij tui, vt, si posset fieri (quod tamen non decet) eam etiam facias, quæ ex diuerso luxuriæ, & epulationis videntur esse inditia.* Præterquàm quòd in Iudæa, seu Palestina, vbi Christus prædicabat, non erat turpe, sed honestum, & pulchrum inungere caput. Et quia ità erat consuetum, non fuisset ex hoc ieiunium deprehensum, etiam si omnes ieiunantes capita vnxissent, cùm & non ieiunantes quoque id facere consueuerint.

10 *Sed patri tuo, qui est in abscondito: & pater tuus, qui videt te in abscondito, reddet tibi.* Facit difficultatem quid sibi velit ly: *patri tuo, qui est in abscondito.* Gloss. exponit: *idest patri tuo cælesti, qui est inuisibilis, vel qui habitat in corde per fidem:* sic etiam S. Cyprian. de orat. Dom. *in abditis,* inquit, *orare magis conuenit fidei, vt sciamus, Dominum vbique esse præsentem, & Maiestatis suæ plenitudine, occulta penetrare.* Sāct. Chrysost. hoc loco ad secretum operis refert, dicens: *vt nemo sit ibi, nisi ille, qui orat, & ille, quem orat: testis enim orantem grauat, non adiuuat.*

11 Addit, præmium se prębiturum ei, qui in abscondito bona opera exercuerit; sicut è contra nullum emolumētum recepturos eos asserit, qui *exterminant facies suas, vt appareant hominibus:* propterea subdit; *receperunt mercedem suam:* quàm autem præcipua merces præstanda sit in abscondito operanti, vel id maximè ostendit, quòd non quasi Iudex, & arbitrer; sed quasi pater filio tribuet: *Et pater tuus, qui videt te in abscondito, reddet tibi.* Et ait S. Tho. in Caten. ex S. Chrysost. *Non dixit gratis dabit, sed reddet tibi: etenim debitorem se ipsum tibi cōstituit, dum ad eius, non ad tuam gloriam benè operaris.*

12 No-

12 *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*. Explodendum præcipit inordinatum affectum congregandarum diuitiarum, siue quia quæstus ipse inordinatus, à Deo remouet; siue quia diuitiarum copia inanem gloriam fouet, vt dicemus infra. Addit autem: *vobis*: nam qui ordinatè congregant diuitias, vt pauperibus erogent, non sibi thesaurizant, sed Deo; non, inquam, *sibi in terra*, sed benè *sibi in cælo*. Vnde idē Dominus Luc. 12. *Sic est, qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues:* quo loco S. Tho. in Catena ex Beda, *ergo*, inquit, *qui vult esse in Deum diues, non sibi thesaurizat; sed pauperibus possessa distribuat. Hoc autem*, vt inquit S. Hierony. *non solùm de pecunia, sed de cunctis possessionibus sentiendum est.*

13 *Vbi ærugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur*. Hæc est ratio, cur in terra non sit thesaurizandum; quia quæ in terra congregantur minimè permanere possunt. Vnde Origen. homil. 4. in diuersa. *Nihil in terra firmum, nihil stabile, nihil tutum, omnia infirma, omnia caduca, omnia transitoria. Vita pertransit, iuuentus senescit, honor aufertur, diuitiæ fugiunt, velut aliquis fugitiuus, diuertens ab alio ad alium, transeunt, meritricio more, amorem fingentes, & nulli fidem seruantes.* Et S. August. de serm. Dom. in monte. *Cælum enim, & terra transibunt, non autem in eo, quod transit, collocare debemus thesaurum nostrū, sed in eo, quod semper permanet.* Commemorat autem tria eorum genera, quæ incertas reddūt diuitias, videlicèt æruginem, tineam, & fures: vt enim ait S. Thom. in Catena ex Rabano: *tria ponit secundùm três diuersitates diuitiarum, metalla ærugine, vestes tinea demoliuntur: sunt autem alia, quæ neq; tineam timent, sicut lapides pretiosi: ideò ponit generale detrimentum, scilicèt, fures, qui omnes diuitias rapere possunt.*

14 *Thesaurizate autem vobis thesauros in Cælo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur*. Hanc deducit ex prædictis consequentiam ex opposito. Potest autem esse sensus: *Thesaurizate vobis thesauros in Cælo*, hoc est, ne tempus insumatis in acquirendis, & coaceruādis diuitijs temporalibus, sed Deo per bona opera, & studia vacate, pia opera exercendo: sic enim in Cœlo thesaurizatur, vbi opera bona reponuntur, & merces æterna præstatur. Vel ità: diuitias, quas habetis, & congregatis, ne vobis tantùm impendatis, sed alijs, & pauperibus per eleemosynas erogate: sic enim in cœlo tutè collocabitis. Vtrūque sensum ex Apostolo colligimus 1. Timot. 6. ℣. 17. *Ducibus huius sæculi præcipe benè agere, diuites fieri in bonis operibus*. En primus sensus, subdit: *facilè tribuere, communicare*, scilicèt, diuitias per eleemosynas. Quòd autem hoc sit thesaurizare in cœlo, addit statim, *thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam*.

Thesaurizat in cælo, qui benè operatur.

Eleemosyna, est thesaurus in cælo.

1. Timot.

15 *Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum*. Cur potius in cœlo, quàm in terra sit thesaurizandum, hanc aliam adducit rationem; quia vbi *thesaurus, ibi cor*, seu affectus, mens, & amor: quod maximum malum est, & vt ait Sanct. Thom. in Caten. ex Sancto Chrysostom. *& si nihil priorum eueniat* (nimirum ab ærugine, tinea, & furibus) *non paruam sustinebis iacturam inferioribus affixus*, quasi similia, vel peiora in terra sint, quæ cordi nostro infesta sint, quæq; vt *ærugo*, & *tinea* corrodant cor ipsum, & excedant, & vt fures deprędentur, & auferant.

S. Thom.

Mundo affixus, maximā sustinet iacturā.

Sacer textus.

Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes.

CAP. II.

Quisnam sit Christi Domini finis in hoc Euangelio

1 
EX litteræ sensu sic explicato, satis aptè colligitur, finem à Domino intẽtum in hoc Euãgelio, imò in toto 6. Mathæi capite, ium non esse, nisi instruere fideles, vbona quæ agunt, recta in Deum intetione, & corde ab omni appetitu hnanæ laudis purificato perficiant; nonicut hypocritæ qui, vt in Euangelio citur: *omnia faciunt vt videantur ab hominibus*. Dei quoq; consilio, & proidentia factum est, vt sacræ Quadragemæ initio, primum omnium hoc tradatr præceptum, vt homines, qui ad pęntentiam, & quæuis alia pietatis, & iustiæ opera exercenda vocantur; ante mnia discant, rectam intentionem, ordis mundationem, & amorem in Dum habere. Idque optima sanè ratioe: *oportet enim*, inquit Sãct. Thom. 2. . quæst. 122. artic. 2. in corp. *præcepta egis ordinari secundum ordinem genrationis, qua scilicèt fit homo bonus: inrdine autem generationis prima pars primò constituitur, sicut in generation animalis, primò generatur, cor: & n domo primò ponitur fundamentum & in bonitate anima, prima pars est onitas voluntatis, ex qua aliquis bono, benè vtitur qualibet alia bonitate* Ex quibus cõcludit S. Doctor, iure ante omnia præcepta, primò tradi amorem in Deum, & directionem, seu ordinationem naturalis creaturæ, omniumque actionum eius, ad oblectum suum, & ad finem supernaturalem, qui est Deus: ordinantur autem per charitatem, & amorem in Deum, vt dicebat S. Thom. l. c. & S. August. lib. 13. de Trinit. cap. 18. serm. 31. de tempore, & homil. super Ioann. cap. 10. S. Ambros. epist. 74. S. Hieronym. in cap. 5. ad Galat. & ... ò charitatem maximè à nobis Deus exigit in Euangelio, dum corda ad se euocat: *Thesaurizate vobis thesauros in cęlo, vbi enim thesaurus tuus, ibi & cor tuum*. Et in Epistola: *scindite corda vestra &c.* vt enim ait Sanct. August. lib. de Doctr. Christ. *Charitas est actio rectitudinis, oculos semper habens in Deum*: hãc non habent, qui *omnia faciunt, vt videantur ab hominibus*. Et si verum est (vt verè verum est, quod tradit Alex. ab Alex. genial. dier. lib. 5. cap. 18. Antipatrem ex amicorum numero eiecisse, & Iudicis officio priuasse quendam, qui barbam, & capillos tingebat nigro colore, ne senex appareret, eò quòd dicebat: *qui fidus non est in capillis, in rebus gerendis, dignus nõ est, cui fidatur*: quomodo Dei dignus erit consortio, qui non in capillis, sed in facie, & in operibus est infidus, & simulator? cui consonant quæ in hodierno Euangelio dicuntur: *exterminant facies suas vt appareant hominibus ieiunantes:* seu vt vertit Glossa: *obscurant, denigrant facies suas, vt appareant hominibus*; mutato colore facies adulterantes, prauosq; mores, simulata sanctitate, obtegentes.

Intentio recta, quã necessaria pro bonitate operũ

S. Thom.

Amor in Deũ primò præcipitur. Per charitatẽ, opera ad Deũ ordinatur

2 Ad eliminandam ergo hypocrisim istam, quæ ad inanem vulgi gloriã opera dirigit; & ad firmandam charitatem, qua in Deum, recta intentione, actiones rationalis creaturæ, diriguntur: tradit Dominus non solùm quæ in hodierno Euangelio, sed in toto sexto Matthæi capite (cuius præsens Euangelium pars est) differuntur. Incipit propterea ipso sexti capitis initio: *attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis*: nomine autem *iustitiæ*, omnia bona opera intelligit, quæ publicè, ad inanem scilicèt gloriam captandam, facere prohibemur; vnde Interlinearis; *in his omnibus*

 (inquit,

inquit, *finem iustitiæ ne ponatis in hominum laude:* & Glossa ordinaria, *si non simplici intentione, sed pro hominum laude facitis, non probantur Deo opera misericordiæ*, & S. Chrysost. in Matth. *vbi*, inquit, *res agitur gloriosa, ibi facilius inuenit locū gloriationis occasio, & ideò intentionem gloriæ primò Dominus excludit; præ omnibus enim vitijs carnalibus, periculosius hoc esse in hominibus, intellexit; cùm enim omnia mala seruos diaboli vexent, concupiscentia vanæ gloriæ magis vexat seruos Dei, quàm seruos diaboli*. Et Glossa, *hæc duo*, inquit, *ab intentione fidelium excludit, scilicèt gloriam, & terrenorum affluentiam: sed sciendum, quòd appetitus gloriæ propinquus est virtuti*. Iterum Chrysost. super Matth. idipsum confirmat: *intuere autem*, inquit, *qualiter incapit, velut de fera aliqua, difficilè cognitu disputans, & apta furari eum, qui non valdè vigilat; occultè enim ingreditur, & omnia quæ intus sunt; insensibiliter aufert:* velut simulator sit fur, & ferus, qui omnia diripit, & mactat. Confirmat S. Chrysolog. præfata verba exponens serm. 9 *præceptio cælestis*, inquit, *vult iactantiam tollere, auferre pompam, vanitatem demere, summouere inanem gloriam: sic iustitiam vult celare: iustitia quæ per se sibi abundat ad gloriam, spectaculum populi, vulgi laudes, fauores hominum, mundi gloriam non requirit: à Deo genita, cęlum spectat: in oculis agit diuinis, supernis virtutibus mixta, semper à Deo solo, vt glorificetur, expectat*.

3 Ab hoc præcepto de operibus iustitiæ, & misericordiæ in vniuersum descendit statim ad particularia, & vt ait S. August. de serm. Domini in monte: *generaliter suprà Dominus iustitiam nominauit cùm dixit: attendite, ne iustitiam vestram &c. nunc autem per partes exequitur*, vel (vt loquitur Sāct. Chrysologus) *à toto ad partes* descendit Dominus, dicens; *Cùm ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus: Ille autem*, subdit idem Sanctus Chrysologus, *Ante se tuba canit, qui antè alios vult laudari, vt appareat maior illis*. Ad pleniorem verò textus intelligentiam, sciendum est, loco campanarum, quibus nunc vtitur Ecclesia, tubis olim vti consueuisse Iudæos, quibus populus congregabatur ad eleemosynas suscipiendas: hoc hypocritæ ad ostentationem exercebant, non ad pietatem. *Ante se*, ergo; *tuba canit*, qui viuens laudari vult; *post se tuba canit*, cuius opera post mortem laudatur; de quo Eccl. ℣. 11. 31. dicitur; *stabilita sunt bona illius in Domino, & eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum*.

S. Chrysol. Tuba canere ante se qui dicuntur. Tubæ olim pro campanis.

Eccli.

4 Subdit statim Euangelista: *Te autem faciente eleemosynam nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, vt sit eleemosyna tua in abscondito* Hyperbolica est hæc locutio, qua vtitur Euangelista ad exagerandum, quàm secretò fieri debeant opera bona; vt scilicèt vt pars hominis, idest dextera sinistra, si fieri posset, separetur, ne bonum opus alterius, alteri innotescat. S. Thom. in Catena ex Chrysost. *hoc autem per superabundantiam dicitur, ac si dicat: si possibile est te ipsū ignorare & ipsas manus latere possibile esset, studiosissimū est tibi*. Vel vt ait August. de serm. Dom. in monte. *sinistra videtur significare delectionem laudis: dextera autem significat intentionem implendi præcepta diuina, cùm ergo conscientiæ facientis eleemosynam, miscet se appetitio laudis humanæ, fit sinistra conscia dexteræ: nesciat ergo sinistra, idest non se misceat conscientiæ tuæ, laudis humanæ appetitio:* similiter exponit Beatus Petrus Chrysologus, inquiens. *Quod agit virtus, nesciat elatio, aut vanagloria*. Idipsum de actu Religionis, qui est oratio, docet Euangelista dicens: *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum*, quo loco S. August. de serm. Domini in monte: *nos autem*, inquit, *hoc modo monet nunc, vt oremus,*

Laudis delectatio in bonis operibus fugienda. S. Thom. in Catena

S. Aug.

Vanagloria est sinistra, q; nescire debet quid faciat dextera. Orandum absq; inani gloria. Chrysolog

S. Aug.

sed

sed quomodo oremus: sic nec superius vt faciamus eleemosynam, sed quo animo faciamus, idest placendi Deo, non hominibus. Et S. Thom. in Catena ex S. Chrysost. *à vana gloria vbiq; erui, bonum est: maximè autem in oratione*. Et ex S. Hierony. *hoc simpliciter intellectū, erudit, vt vanam orandi gloriā fugiat*.

S. Thom.
S. Chrysos.
S. Hieron.

5 Prosequitur eandem inanem gloriam à ieiunio & operibus pœnitentiæ arcere, dicens: *cùm autem ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes, exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes*. Vnde Interlinearis: *Nolite fieri sicut hypocritæ*, inquit, *qui non virtutibus student, sed fauorem vulgi excitant*: Et Lyranus: *Excludit intentionem vanæ gloriæ ab operibus pœnitentiæ*. Idem colligit ex his verbis S. Basilius in regul. breuioribus q. 222. in apolog. inquiens: *Hoc præceptum ad eos pertinet qui Dei mandatum ob eam causam exequi student, vt spectentur ab hominibus, quo videlicèt à vitio humanæ gloriæ liberentur*. Et S. Thom. in sua Catena ex Chrysost. *sciebat*, inquit, *Dominus gloriam vanam ex omni bono procedere, ideò spinam vanæ gloriæ, quæ nascitur in terra bona, iubet præcidere, ne suffocet ieiunij fructum*.

Interlin.
Lyran.
S. Basil.
S. Thom.
Gloria vana est spina.

6 Vt autem tam salutare præceptum firmiùs fidelium mentibus inhæreret, iteratò illud (quamquam aliis verbis) repetit: *Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, nè videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo, qui est in abscondito; & Pater tuus, qui videt te in abscondito, reddet tibi*; quasi dicat: Non solùm non assumas simulatam personam, & vultum; *sicut hypocritæ, qui exterminant facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes*; imò potius tegenda virtus est capitis vnctione, & faciei lotione; vt nè signum quidē, aut boni operis vestigium in exteriori aspectu inspici valeat, sed Deo tantùm nuda, & aperta sint opera tua. In hunc sensum verba hæc expendit S. Ephrem. lib. 1. de compunct. cord. *Pater*, inquit, *per fidem intus est, & remunerat in abscondito facta*: *ibi ergo ieiunandum, quò ipse videat: & necesse est vt ieiunans sic ieiunet, vt ei placeat quem in pectore portat*. In interiori ergo pectore, & in nostri cordis abscondito Deus est, vt inde aspiciat, nostraq; suscipiat opera; In interiori inquam pectore, non autem extrinsecus, feminarum more, quæ Dei, Sanctorumque imagines auro gemmisque ornatas, pectori extrinsecus inhærentes gestant, suam ostentantes vanitatem, propriamque gloriam captantes, Deum minimè glorificantes, imò potius aliquando plurimum offendentes; *Glorificate*, inquit Apostolus 1. Cor. 6. *& portate Deum in corpore vestro*: Portāt hæ quidem, sed non glorificant Deum, quia in exteriori, nō in interiori portātes, ideò se, non Deum glorificant: *Portare* autem, *& glorificare Deum*, inquit Haymo, *est imaginem Dei in rebus benè gestis ostendere*.

Soli Deo virtus pateat.
S. Ephr.

7 Mysterio autem nō vacat, quod in Euangelico textu dicitur, *Patri tuo, qui est in abscondito, &c. Et Pater tuus, qui videt in abscondito, &c.* sat enim videbatur, vt qui bona agit, in abscondito, ea perficeret: At quid verò Deus ipse, cui opera, intentio, & cor dirigendum, in abscondito detinetur? *Patri tuo, qui est in abscondito*: & de abditis, secretioribusq; locis intuetur, quæ operamur? *Et Pater tuus, qui videt in abscondito*. Hoc fortè nobis innuit quàm rigorosa circunspectione, hominū opera intuetur Deus; ducta à nostris oculis similitudine, qui quò in obscuriori loco degunt, eò perfectiùs, ac perspicacius intuentur quidquid illis obiicitur. Sed magis ad rem nostram, *In abscondito Deus est, & in abscondito* nostra intuetur opera, nè ab operante videatur, vt omnis intuitus, etiam Diuinus, si fieri posset, in bonis operibus caueatur; eo modo, quo supra dictum est, dexteram à sinistra veluti separandam; *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua*; quasi Diuinus aspectus quærendus sit ad ipsum, nō ad nos glorifican-

dumtaxat vt si Dei inspectio ab eius glorificatione separari posset, hanc appetere deberemus, illam euitare.

Zelotypia Dei, hominis oculos nō patitur.

8 Vel ideò *est, & videt in abscondito*; vt dùm secretò, & in abscondito opera virtutis offeruntur Deo, humanis etiā oculis abscondantur, cùm enim *Deus est in abscondito*, alium secum nō admittit commorantem, qui te intueatur, sic etiam cùm tu in abscondito es, quod his verbis perstringit S.Chrysost. super Matth. 6. *vt nemo ibi sit, nisi ille qui orat: testis enim orantem grauat, non adiuuat*. Et S.Cyprian. de orat. Domini: *Secretas orationes tuas non oportet alterum scire, nisi te, & Deum.* Hoc videre est in Sancto Iob, cuius bona opera non palàm, sed in abscondito Deus intuitus est. Iob 29.12 & seqq. *liberaui*, inquit *pauperem vociferantem, & pupillum, cui non esset adiutor. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum: Iustitia indutus sum, & vestiui me sicut vestimento, & diademate iudicio meo: Oculus fui cæco, & pes claudo: Pater eram pauperum*: & quamplurima sua bona opera, ibi sanctus vir recenset: tunc verò non palàm, sed in abscondito erat Deus cum Iob, sicut ipsemet testatur, dicens: *Quando secretò Deus erat in tabernaculo meo, quando erat Omnipotens mecum*: quo in loco ait Gregorius: *Tabernaculum, habitationem mentis, dicit: quisquis autem mandata Dei tacitus cogitat, secretò illi Deus in tabernaculo est: vt enim ostenderet quantum intus profecerit, secreto Deum fuisse in suo tabernaculo perhibuit.* Interlinearis: *His verbis non immeritò, etiam simulatio Religionis plangitur; quia nonnulli, etiam nunc, Christiani esse non appetunt, sed videri; quibus videlicèt Deus in publico est, non in secreto. In tabernaculo meo, vt intùs secretò proficerem.*

S.Chryso.

Cyprian.

Oratio, fiat in abscondito.

Iob.

Gregor.

Secreto quomodo fuit Deus cum Iob in tabernaculo.

Interlin.

9 Quod & Sponsa, amoris sponsi sui non ignara, optimè aduertit; vnde Cātic. 2. ℣. 9. inquiebat *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos*; vt scilicèt inde ex abscondito, sponsæ opera perpenderet, ac prospiceret. Sic etiam apud Isaiam Angelis circumseptus apparuit, qui illum alis suis obtegebant, Isai. c. 6. ℣. 2. *Seraphim stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri: duabus velebant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant*, circum circa, scilicèt tegendo, nè intuentium pateret oculis; vnde & *domus*, vt ibidem dicitur, ℣. 4. *repleta est fumo.* Huc etiam spectat, quòd Templum, ad quod oraturi, fideles accedebāt, sæpissimè fumo, ac tenebris plenum legimus: Sic Exod. 19. ℣. 18. *Totus autem mons fumabat, eo quòd descendisset Dominus super eum:* Deuteronomij 4 ℣. 10. *Congrega ad me populum vt audiant sermones meos, & discant timere me omni tempore, quo viuunt in terra, doceantq; filios suos. Et accessistis ad radices montis, qui ardebat vsq; ad cœlum, & erant in eo tenebræ, nubes, & caligo.* Psal. 17. ℣. 12. *Nubes, & caligo in circuitu eius.* Idemq; probant alia, & penè innumera Sacræ scripturæ testimonia, quæ hic non vacat producere.

Cant.

Opera in abscondito Deus prospicit.

Isai.

Exod.

Deuter.

Psalm.

10 Rursus alia metaphora idem præceptum fugiendæ hypocrisis tertiò repetit, inquiens: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*, &c. *thesaurizate vobis thesauros in cœlo*, &c. quibus verbis inanem hominum gloriam cohibendam, & ad Deum fidelium corda, præcipit dirigenda. Hinc S. Thom. in Catena ex S.Chrysost. inquit: *postquam vanæ gloriæ expulit ægritudinem, optimè iam sermonem de contemptu diuitiarum inducit: nihil enim ità pecunias concupiscere facit, vt gloriæ cupido: propter hoc namq; famulorum greges, & auro opertos equos, & argenteas mensas expetunt homines, non vt vtilitatem aut voluptatē impleant, sed vt multis ostendantur.* Idem S.Chrysost. hoc loco ait: *Nihil ità ad amorem diuitiarum inflāmat, vt gloriæ cupiditas.* Idem Sap 5. ℣. 8. *quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum iactantia?* & 1. ad Timot. 6. ℣. 17. *Diuitibus huius sæculi præcipe*

Pecuniæ concupiscentia inanis gloriæ signa.

S.Thom.

S.Chrysos.

Sap.

S.Paul.

non

S. Athan. Thesaurizat in terra qui vanã quærit gloriã. Orig.

non sublimè sapere S. Athanasius lib. de virg. confirmat: *Qui ieiunat gloriam humanam quærendo, in terra thesaurizat.* Et Origenes hom. 10. in Leuit. circa hæc eadem verba, sic habet: *Si cor est in cœlo, mundum est, quia munda sunt cœlestia; si autem in terra volutatur, quomodo mundum est? idest; si quid agit in terra vt terrena consequatur, quomodo mundum est?* Mundum ergo cor, & intentionem sine propria æstimatione ad se dirigi præcipiẽs Dominus, iure præcipit: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*, &c. *thesaurizate vobis thesauros in cęlo, &c. vbi enim thesaurus tuus, ibi & cor tuum*; per dictionem illam causalem *Enim* ostendens non alia de causa thesaurorum studium coercendum, nisi quia *vbi thesaurus, ibi & cor:* cor autem ad Dei, non ad propriã gloriam dirigi vult; ideò *thesaurizate*, inquit, *in cęlo, vt ibi sit & cor vestrum.*

Gloria inanis cor diripit.

II Aliam quoque ad idem adijcit metaphoram, dicens: *Lucerna corporis tui est oculus tuus: si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Quo loco Origines. *Prosequitur*, inquit *munditiam cordis: sicut oculus membra ad operandum dirigit; sic intentio, & lux fidei omnes virtutes: intentione mentis omnes virtutes illustrantur, ut reddant lucidũ corpus:* Quòd ergo homo est sine oculis, mundus absq; sole, pictura priuata lumine, hoc est opus ad Deum pura intentione non directum. Iterum Origenes ibidem. *Si pura intentione, quæ potes, bona agis, opera sunt lucis: si peruersa intentio est, prauum est quidquid agitur, etiam si uideatur rectum.* His similia habent Interlinearis, & Lyranus. His omnibus, quæ notauimus, instruit nos Dominus, vt opera quæ agimus, ad Dei honorem, & laudem dirigantur, non autem ad propriam gloriam; & quia (vt diximus initio huius capitis) Sancta Ecclesia (hoc Quadragesimæ tempore) fideles ad bonorum operum fructus varijs modis hortatur, & excitat: ipsa prima die quomodo ad Deum nostra dirigenda sit intentio, edocet nos.

Origenes.

Intentio oculus est operis.

Intentio bona lumẽ præbet operibus.

Nolite fieri sicut hypocritæ tristes &c.

CAP. III.

Quænam sit natura, & qualitates Hypocrisis, & Hypocritarum.



1 IN spirituali animæ vita, primùm omniũ esse dirigendam voluntatem rationalis creaturæ, omnesque eius actiones ad Deum tamquam ad finem supernaturalem, ideòq; ante omnia tradi præceptum amoris Dei, & directionis, seu ordinationis huiusmodi, supra diximus ex Sancto Thoma. Rursus, hanc voluntatis humanæ directionem, esse finem à Christo Domino in hodierno Euangelio intentum, clarè patet ex dictis: propterea in ipso Euangelij initio, statim prohibet hypocrisim, vtpotè directioni isti ex aduerso, directèque oppositam; est enim hypocrisis simulatio quædam, qua quis bona opera ex suo genere, ad Dei gloriam spectantia facit, non vt Deo, sed vt hominibus placeat. Vnde Gregorius lib. 31. moral. cap. 11. *Hypocritæ*, inquit, *per causas Dei, deseruiunt intentioni sæculi.* qua hypocrisi vetita, mox corda ad cœlum præcipit eleuari, inquiens: *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo &c. vbi enim thesaurus tuus, ibi est & cor tuum*; hypocrisi enim è corde sublata, reliquum est vt Diuinus honor, & non propria gloria, in omnibus exquiratur.

2 Id quod vt clariùs innotescat, sciendum est ex Sancto Doctore 2. 2.

quæst. 111. artic. 1. in corpore hoc pacto hypocrisim describi: *Hypocrisis, seu simulatio propriè est mendacium quoddam in exteriorum signis factorum consistens*. Enim verò cùm hypocrita operibus, externisque signis, quam non habet, sanctitatem simulet; rectè operibus, factisque mentiri dicitur, & directè veritati opponitur (vt ibi S. Tho. docet) Vnde in hypocrisi duo concurrant necesse est, defectus scilicèt sanctitatis, & ipsius simulatio. Atque hoc, vel nomen ipsum indicat: quemadmodum enim lib. 10. Ethymol. cap. 8. adnotauit Isidorus: *Hypocrita, Græco sermone, in Latino, simulator, interpretatur, qui cùm intus malus sit, bonum se palàm ostendit: hypo, enim falsum, crysis, iudicium interpretatur*: fit autem falsum iudicium, cùm quis ex apparenti sumpta extrinsecus forma, aliter apparet, & sic aliter iudicatur esse, quàm intus est. Est autem, vt idem ibidem docet, hoc nomen desumptum à specie eorum, qui Histriones dicuntur, & in spectaculis contecta, laruataq; facie incedunt, varios colores, variasque formas distinguentes, vt ad personæ, quam simulant, colorem, formamque ostentandam perueniant, & in ludis, atque spectaculis populum fallant. Vnde S. Augustinus in libro de sermone Domini in monte, dicit, quòd sicut hypocritæ simulatores aliarum personarum, agunt partes illius, quod nó sunt; sic in Ecclesijs, & in omni vita humana, qui se vult videri, quod non est, hypocrita est, simulat enim se esse iustum, qualis non est. Cùm enim opus externum naturaliter internam, abditamque operantis intentionem debeat propalare; inde est, quòd cùm quis bona opera facit, vt videatur ab hominibus, placeat, non Deo, ad quem omnia nostra dirigenda sunt opera, simulat rectam intentionem, quam non habet; meritò propterea hypocrita nuncupatur. *Sicut enim Histriones*, inquit Tertullianus Apologet. contra Gent. *in theatro personam agunt alienam laruati, & inde exeuntes, in propria apparent; ita hypocritæ induunt se ornamentis virtutum, cùm intrinsecus nequissimi sint.*

Hypocrita, vt Histrio, iusti personam simulat.

3 Hanc duplicitatem cordis hypocritæ, eleganti Struthionis similitudine expressit Isaias 34. ℣. 13. inquiens: *Erit cubile Draconum, & pascua Struthionum*, quem locum expendit Sanctus Gregorius lib. 3. moral. cap. 1. aitque Struthionem, hypocritæ typum esse, quia videlicet Struthio volãdi speciem habet, sed vsum volandi non habet; alas enim quasi ad volandum specie tenus erigit, sed tamen nunquam se à terra volando suspendit; sic hypocritæ alas per figuram sanctitatis extendunt, sed curarum fæ[c]ularium pondere prægrauati nullatenus à terra subleuantur. audi Gregorij verba: *Struthio volandi speciem habet, sed vsum volandi non habet; ita hypocrita cunctis intuentibus, imaginem de se sanctitatis insinuat, sed tenere viam sanctitatis ignorat.* Cœlum gestis petere videtur, & quasi volare per sanctitatem simulat, nunquam tamen terram deserit.

Isa. Hypocrita Struthioni similis. S. Gregor Papa.

Hypocrita dum in cælum volare simulat terræ inhæret.

4 Eòdem pertinent verba illa Iob 39. ℣. 13. *Penna Struthionis, similis est pennis Erodij, & Accipitris*: quæ verba ad hypocritam refert idem S. Gregor. in eum locum; Struthio enim, præter ea, quæ diximus, animal est solitudinem incolens, vitam ducens ab hominibus segregatam, vnde Thren. 4. ℣. 3. dicitur *Quasi Struthio in deserto, &c.* ideoque typus esse potest hominis solitarij, à terrenis curis, & hominum societate remoti. Huius tamen *Struthionis penna similis est penna Erodij, & Accipitris.* Est autem Erodius, teste Pier. lib. 25. nequissimi, ac libidinosi hominis hieroglyphicum; Accipiter verò furem, ac raptorem denotat; vnde Accipitrem ab accipiendo dictum voluère nonnulli, eò quòd animalium carnes accipit, & furatur. Congruè ergo per Struthionem huiusmodi, habentem *pennas similes pennis Erodij, & Accipitris*, hypocrita designatur, qui, Struthionis instar, ho-

Iob. Hypocrita similis Erodio, et Accipitri. S. Greg. Pap.

Thren.

Pier. Val.

Hypocrita libidinosus, vt Erodius; fur, vt Accipiter.

minum

minum fugere videtur consortium, vitamq; ducens ab hominum commercio segregatam, totus videtur sanctitatem redolere, totus deuotionem, intrinsecus tamen non nisi scelera, fornicationes, furta machinatur. Ideò *penna Struthionis*, idest, *Hypocritæ*, dicitur *similis pennis Erodij, & Accipitris*; ob luxuriã scilicèt, & rapacitatem, quapropter benè S. August. legit: *penna Struthionis mixta est alis Erodianis, & Accipitris.*

Glossa. 5 Sed Glossa ad margines, non Struthio vertit, sed Pauo, qui notissima est auis, vario pennarum colore, & fulgore conspicua, maximo pennarũ fastu spectabilẽ de se exhibens pompã cæteris intuentibus; neq; enim suas expandit, dilatatq; plumas, nisi hominum, cæterorumque animalium ora, atque oculos in se videat esse conuersos, ideò Pier. Valer. lib. 24. *Pauo*, inquit, *hominem gloriæ plenum exprimebat: Pauo enim preciosam eam caudæ supellectilem tùm plurimum ostentat, cùm plurimos ad se spectandum venisse conspexerit; quòd si nullum admirari, adesseue cognouerit, eam recondit, veluti indignatus.* Hinc Ouid.

Hypocrita Pauoni similis.

Pier. Val

Ouid.

Laudata Pauone superbior.

Sic hypocrita veluti Struthio ab humanis affectibus, & commercijs secretus videtur; attamen idem Pauo est: enim verò non nisi coram hominibus, apparentium virtutum explicat pennas, illas veluti admirandum spectaculum cæteris objciens, *Omnia enim facit vt videatur ab hominibus:* Exteriùs quippè cilicio se tegit, nudis pedibus ambulat; horrida semper, & inculta, squallentiq; facie; inter loquẽdũ suspiria ceu ex intimo cordis eruta elicit: singultus admiscet, gemitusq. peccatorẽ se esse cõfitetur, crebro ad orandũ procumbit; sed intus vel inanis gloriæ flagrat cupidine, vel quærẽdæ pecuniæ cura sollicitatur; vnde totus terræ affixus, totum se cælestem, virtutum figmento ementitur.

Prouer. Hypocrita Stellioni similis. 6 Id quod fortasse licet alia similitudine, innuit Salomon Prou. 30. ℣. 28. ijs verbis: *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis*: Vbi Stellionis nomine hypocritam intelligi, nonnullis placuit Expositoribus: & quidem non ab re: Stellio enim animal est ex putri terræ genitum materia, terra vescitur, manibus per terram reptans incedit, & vt vnico dicam verbo, totum terreum, terræque affixum. Sed (quod ad rem præsentem maximè refert) in pelle, & cuti, omnibusque exterioribus corporis partibus, cælestis orbis speciem præsefert, eius namq; dorsum quibusdam veluti stellis decoratur (vnde *Stellionis* nomen accepit) quasi stellatus, seu stellis decoratus) Nonnullis etiam aurei coloris circulis, in formam orbis distinguitur, vt notissimum est, & docuit Aristoteles: quapropter aptissimum hypocritę hieroglyphicum esse potest: hypocrita enim totus videtur cælestis in pelle, idest extrinsecus. Et quasi stellatum cælum induisse videtur, vel potius vsque ad cælum raptus, & ipsis Angelicis choris admixtus; verùm hæc omnia extrinseca superficies exhibet, intrinsecus tamen terrenis adeò immersus est curis, & concupiscentijs, vt illum & terra vesci, & totum suis affectibus terræ affixum non immeritò dixeris. *Et manibus nititur*; hoc est totus quæstui, & rapinæ deditus est; nil enim aliud intendit, quàm virtutum simulatione honorem, opes, vanasq; dignitates adipisci; ideòq; benè subdit: *moratur in domibus Regis*; Regum namq; & Magnatum domus frequentat sæpiùs, vt aliquid inde temporalis commodi percipiat: & qui specie, & figura cælestis esse videtur, & cum Apostolo in cælis conuersari, non in Oratorijs, & Ecclesijs, sed cum terræ Regibus habitat, vt terrena ab ijs lucra percipiat.

Stellio à stellis dictus,

Arist. Hypocrita, extrinsecus cælestis, intrinsecus totus terrenus est.

Hypocrita rapinis sequitur.

Hypocrita magnatum aulas frequẽtat.

7 Præterea *Stellionem*, hypocritæ hieroglyphicum esse, vel ex eo patet, quòd apud Iurisconsultos crimen, quo quis aliquem callida quauis impostura defraudat, verum dissimulans, stellionatus crimen appellatur, quod nomen à Stellione originem ducere, docuit Gloss. in l. 2. ff. de crimine stellionatus, his verbis

Crimen stellionatus quid.

Glos in l. 2. ff. de crim stellion.

Stel-

Stellionatus dicitur sic à quodam animali, quod Stellio vocatur, & est varij, & diuersi coloris, vt cœlum stellis appa ret oculis tinctum: cuius varietatē imitantur deceptores, qui varia agunt, & aliud simulant, & aliud dicunt, quo pacto hypocrita in præsenti Euāgelio describitur. Rursus stellionatus crimen, *maximè in illis locum habet, si quis fortè rem alij obligatam, dissimulata obligatione, alij distraxerit, vel permutauerit*, vt in l.3.ff.eod. Id quod etiam facit hypocrita, qui gloriam Deo debitam, iuxtà Apostolum 1. Timot. 1. ℣. 17. *Soli Deo honor, & gloria*, ad se ipsū referre nititur. Bona opera quæ Deo debentur, veluti Deo, & Domino obligata varijs titulis, mundo distrahimus, cuius conspectui dirigimus; & gloriam æternam rectè operantibus debitam, pro inani gloriola permutamus, vt meritò dicatur: *vt appareant hominibus, &c. amen dico vobis receperunt mercedem suam*.

Stellionatus crimē. Eius ratio in hypocritæ competit.

l.3. ff. de crim. stellion.

1. Timot.

8 Ob eandem rationem, Aquilæ hypocritam assimilari valdè rationi consentaneum est. Aquila enim solare est animal, quod expandens alas suas, à terra plus cæteris volatilibus eleuatur, solisque radios fixis obtutibus contemplatur, vt proindè animal ad cœlum, atque cælestia cōtemplanda procreatum videatur; attamen dum petit sublimia, vngues ad prædam aptat (natura quippè animal rapacissimum est) sicque dum solem contemplari videtur, inde tunc prædam attendit. Idem videre est in hypocrita, qui semper oculos ad cælum eleuat; de Diuinis rebus assiduè loquitur, ità vt Dei eloquia in corde gerere videatur, bonisque intentus operibus: at verò prædam contemplatur, omnia enim facit vt mundanam gloriam, aut terrenum aliquod commodum consequatur; vt meritò propterea de illo dici possit, quod de Aquila dixit Iob. *Eleuabitur Aquila, & in arduis ponet nidum suum: In petris manet, & in præruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus, inde contemplatur escam, & de longe oculi eius prospiciunt*: solitudinem namque colere videtur hypocrita, & in desertis habitationibus cōmorari, dùm hominum fugere videtur consortia, vt propterea illum à terrenis ad cœlestia erectum dixeris: *inde tamen contemplatur escam*: dùm enim oculos ad cælum erigit, tunc ad prædam manus, atque opera dirigit, vt terrena bona, & inanē gloriam aucupetur. Et vt idem Iob ait cap. 9. ℣. 26. *Sicut Aquila volans ad escam*.

Hypocrita Aquilæ comparatur.

Hypocrita, dum cœlum petere videtur, terrenum contemplatur cōmodum.

Iob.

9 Atque hanc hypocritæ conditionem Aquilæ similitudine egregiè expressit Ezechiel cap. 17. ℣. 3. *Aquila grandis, magnarum alarum, plena plumis*. Ecce Aquilam expansis alis ad volandum paratam. Sed Septuaginta Interpretes vertunt *magnarum vnguium, plena vnguibus*: Ergo alæ, atque plumæ, quæ volandi sunt instrumenta, vngues etiam sunt, rapinæ typus? Ita sanè; vt inde scias iisdem operibus, quibus veluti plumis, alisque se ad cœlum extollere videtur hypocrita, ijsdem inquam prædam aucupari.

Ezech. Alæ hypocritarum vngues sunt ad rapinam.

10 Ad eandem duplicitatem cordis hypocritæ explicandam, *Noctuam*, hypocritæ hieroglyphicum veteres constituere, teste Pierio lib. 20. *Latet enim*, inquit Pierius, *interdiù nicticorax; noctu verò procedit ad infausta, & de culminibus ædium, lethalia meditatur*. Sic hypocrita *latet* interdiù, vt enim ait Ioan. 3. ℣. 20. *Non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius*; vnde optimis, sanctissimisque prȩditus videtur moribus; *noctu* verò, idest *in abscondito lethalia meditatur*: dum enim ad dignitates, & Ecclesiasticos prouentus aspirat, certè de eorum morte cogitat, qui illa possident. Vel, quomodo reliquis prætensoribus, & aulicis crimina imponat; Vel, *lethalia meditatur*, quia iuxta Saluatoris dictum Matth. 15. ℣. 19. *de corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta &c.* si tamen in lucem prodeat, eius statim nequitia manifestabitur. Eo etiam modo quo *Indi*, inquit Plinius lib. 37. cap. 6.

Hypocrita Noctuæ similis.

Pier.

Ioan.

Hypocrita, aliorū damna meditatur.

Matth. 15

Plin.

gemmam

Opalum adulteratū, lum. ine dignoscitur, ità & Hypocritæ.

gemmam quandam, quam Opalum dicunt, indiscreta similitudine adulterant, cuius falsitas, dum soli exponitur, dignoscitur; Ita virtutes à vitijs assimilari contenditur, vt difficillimum sit dignoscere, nisi ad summam lucem proferantur. Porrò hypocrita instar noctuæ modestiam simulat; tamen *non venit in lucem, vt non arguãtur opera eius*, nè eius fictio, & simulata virtus propaletur; si tamen ad lucem, idest ad seruorū Dei consortia accedat, de quibus dicitur Matth. 5. ℣. 14. *Vos estis lux mundi*, statim adulteratio Opali instar, eius adulterina sanctitas, & simulata virtus apparebit; ideò *non venit in lucem* iustorum fugit colloquia, *vt non arguantur opera eius*.

Matth.

11 Vlteriùs eãdem hypocritarum duplicitatem significauit sponsus, Cantic. 2. ℣. 15. Vulpes illos appellans: *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas*; vbi per *Vulpes, hypocritas* intelligi, multorum est expositio; & clariùs de hypocritis sub Vulpis methaphora locutus est Ezechiel 13. ℣. 3. & seqq. inquiens: *Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident: quasi Vulpes in desertis Prophetæ tui Israel, &c. Vident vana & diuinant mendaciū, dicentes: Ait Dñs cùm Dñs non miserit eos*, &c. Meritò autem Vulpi hypocrita comparatur: enim verò, instar Vulpis, multiplici plenus est dolo, sed dicitur Vulpis paruula, *Capite nobis Vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas*, propter fictam humilitatem, qua veluti paruulus, videtur omnibus se subijcere; his verò figmentis incautorum animas dolo malo perdere studet, ac spiritualia in ijs bona deuastare, & temporalia sibi vsurpare; ideò, inquit, *Quæ demoliuntur vineas*, idest electorum animas, iuxta illud *Homo quidam plantauit vineam*. Rursus in citato Ezechielis loco *Vulpes in desertis* dicũtur hypocritæ propter rationem pluries explicatam, *quasi Vulpes in desertis Prophetæ tui Israel*; solitudinem quippè amare videntur, vt quam non habẽt, sanctitatis speciem, cæteris ostendant. Iam verò Vulpem, animal esse plenum dolis, versutia, calliditate, notissimũ est; vnde apud Plutarcum in moralib. legitur Vulpem à Pardo contendi solitã, quòd ipsa (vt Pardus) pellem multiplici colorum varietate ornatam non haberet: cui Vulpes: *In animo*, inquit, *mihi est, quod tu in pelle habes*; innuens multiplici cordis versutia, multiplicem in se referre Pardi colorem; ità & Hypocrita, &c.

Cant. Hypocrita Vulpi similis.

Ezech.

Hypocrita, humilitatem simulat.

Matth.

Hypocrita, versutus vt Vulpes. Plutar.

12 Sed ex hac multiplici colorum varietate, non incongruè etiam, Pardus, hypocritæ symbolum esse potest; Atq; hanc ipsius multiplicitatem, Pardi, & Vulpis instar fortasse expressit Salomõ Prouer. 15. ℣. 7. cùm dixit: *Cor stultorum dissimile erit*; idest *multiplex*, ac *variegatum* sicut Vulpes, & Pardus. Prætereà præstantissimum, Pardus, odorem spirat, quo feras attrahit, attractas perimit. non secus hypocrita fictarum odore virtutum, bonique nominis fragrantia incautos, simplicesq; post se trahit, vt illos falsis dogmatibus seducens, spiritualiter interficiat. Vel etiam dùm alijs abiectionem rerum temporalium, & cœlestis gloriæ consecutionem prædicat; ipse interim tẽporalia, diuitias, possessiones surripit. Pardus hic describitur Apoc. 13. ℣. 1. *Et vidi*, inquit B. Ioannes *de mari bestiam ascendentem, &c. Et bestia quam vidi, similis erat Pardo*. Scio per hanc bestiam Patres communiter Antichristum intelligere. Ità Rupertus, Arethas, Haymo, Pannonius, Irenæus: cùm tamen Antichristus hypocrita ũ caput futurus sit; omnium namque hominum erit nequissimus, & omni scelerum genere concretus; nihilominus quia Messiæ honores appetet, eiusdem Messiæ sanctitatem maximam simulabit; proinde non erit ab re si per hanc *Bestiam*, hypocritã intelligamus.

Hypocrita, Pardo similis.

Cor hypocritæ dissimile, variegatum.

Apoc.

Rupert. Arethas. Haymo. Pannon. Irenæus.

13 Verùm hanc Ioannis visionem enucleatiùs expendamus, etenim hypocritæ malitiam, & duplicitatem cordis mirificè explicat. Ait ergo: *Et vidi de mari bestiam ascendentem, habentem*

capita septem , & cornua decem , & super cornua eius decem diademata, & super capita eius nomina blasphemiæ : Et bestia quam vidi, similis erat Pardo, & pedes eius sicut pedes Vrsi, & os eius sicut os Leonis . Et dedit illi Draco virtutem suam, & potestatem magnam. Dicitur *ascendere* , quia paulatim ex paruis initijs, nimirum humilitatis figmẽtis, ad magna per superbiam, & animi elationem ascendere conatur, gloriam quippè ex suis præstolatur operibus : Nisi velimus dicere , quòd hypocrita animi sui superbia scalam sibi erigit , in qua continuò per mentis elationem ascendens , omnes superbiæ , vt reliquorum vitiorum gradus percurrit; vnde Psalm. 73.℣.23.dicitur: *superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper :* meritò propterea hypocrita dicitur ascendere : *Et vidi de mari bestiam ascendentem.*

Hypocrita mentis elatione semper ascendit.

Psalm.

14 Hanc expositionem firmãt sequentia Ioannis verba: *Habentem capita septem :* Quibus verbis omnia exprimit vitiorum genera in septem capitalibus comprehensa , quæ omnia hypocritam sæpè comitari signaficauit , cùm dixit *habentem capita septem* . Id quod etiam testatum reliquit Salomon , qui Prouerb. 26.℣.25. de hypocrita , ac simulatore loquens, hæc habet : *Quando submiserit vocem suam, ne credideris ei, quoniam septem nequitiæ sunt in corde illius;* vbi *septem* dicit *nequitias*, idest capitalia peccata. Vel *septem* dixit, definitum numerum , pro indefinito ponens, vt moris est in Sacra scriptura. Et verò septenarium numerum pro indefinito sumi frequentissimum est apud sacros, & profanos Scriptores . Sic Apostolo Petro sciscitanti, quoties deberet peccata fratribus dimittere; respondit Dominus Matth. 18. ℣. 22. *septuagies septies;* cùm tamen de fide certissimum sit, non modo *septuagies septies* , sed semper, quoties pœnituerit, absolutionem pœnitenti concedendam esse. Et in eodem sensu Prouerb. 24.℣. 16. dicitur: *septies in die cadet iustus , & resurget:* idest sæpissimè, & quoties ceciderit, non peribit: Et 1.Reg.2.℣.5. vbi dicitur: *donec sterilis peperit plurimos*, in Hebræo textu est: *peperit septem.* Vt enim docuit S. Augustinus lib. 6. de ciuit. Dei, cap. 31. numerus septenarius in sacris litteris vniuersitatem significat: vnde S. Petrus Damianus serm. 2. de excellent. B. Ioannis Euangel. dixit Beatum Ioãnem Euangelistam , ideò vniuersæ Ecclesiæ Doctorem esse , quia eius Apocalypsis septem Ecclesijs mittitur . *Scripsit* , inquit , *Ioannes illam nobilem Apocalypsim, quæ profectò cum septem Asiæ Ecclesijs mittitur , omni vniuersali Ecclesiæ destinatur : vnde consequens est, vt omnes Ecclesiæ per orbem terrarum circũfusæ, non dubitent Beatum Ioannem cõmunem se habere Doctorem.* Hæc B. Damianus. Ex quibus colligitur per *septem nequitias* , quæ sunt *in corde hypocritæ*, omnis nequitiæ vniuersitatem designari, valdeq; est rationi consentaneum.

Hypocrita, sæpè omnibus capitalib. vitijs implicatur.

Prouerb.

Septenarius numerus pro indefinito ponitur.

Matth.

Prouerb.

1.Reg.

S. Aug.

Petr. Damian.

S. Ioannes Euangel. vniuersalis Eccles. Doctor.

15 Sed Vgo Cardinalis , eleganti quidẽ expositione, per septẽ nequitias septem spiritus intelligit, de quibus Lucæ 11.℣.26. dicitur : *Assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi;* id quod etiam hypocritis cõgruit: enim verò, Magno Gregorio teste in moralib. *Hypocritarum corda Diabolus tacitus tenet , & quasi ipse quietus ibi dormit , vbi eos, quos possidet, quiescere non permittit :* ergo Diaboli domus propria, hypocrita est, & ipso Diabolo quasi infelicior , nam *Diabolus quasi quietus ibi dormit* , inquit Gregorius, ipso hypocrita nunquam quiescente : *eos quos possidet quiescere non permittit.* Et quis est qui motũ, & agitationẽ continuam mentis , & corporis hypocritarum explicet , & eorum qui *omnia faciunt vt videantur ab hominibus ?* aulicos dico, ambientes honorum culmina, scit qui probat, & oculatè conspicit.

Lucæ.

Hypocrita Diaboli domus; ipsomet Diabolo quasi infelicior.

S.Gregor Papa.

16 Sequitur: *Et cornua decẽ, & super cornua eius decẽ diademata.* Non ignoro in sacris litteris *Cornu* frequentissimè pro *Regno* sumi, sed significat etiam quamcumque excellentiam, & sublimitatem, sic Psal.74.℣.14. *Omnia cornua*

Psalm.

pecca-

Hypocritarũ ambitio inexplebilis.

peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua iusti, idest, superbiam, gloriam, & fastum eliminabo, & potẽtiam, & dignitatem iusti exaltabo. Igitur *decem cornua, & decem diademata*, in capite hypocritæ, ac superbi, exprimunt ambientis animum inexplebilem, qui vna dignitate, & honore contentus non est, sed si fieri potest innumeris redimiri appetit, numerus enim denarius, pro indefinito, seu infinito sumitur, vt notat S. Augustin. lib. 20. de ciuit. Dei cap. 23.

S. Aug.

17 *Et bestia, quam vidi similis erat Pardo, & pedes eius sicut pedes Vrsi.* Cur hypocrita similis dicatur *Pardo*, fusè, abundèque supra explicatum est. Sed quorsum spectat *Vrsi* similitudo? *Et pedes eius sicut pedes Vrsi.* Vrsum, refert Pierius lib. 11. cum se pinguem sentit, inedia maciem inducere, vt sic agilior fiat ad venationem; haud secus hypocritæ, *ieiunant, & exterminant facies suas, vt* prædam capiant, humanam scilicèt laudem, *Vt appareant hominibus ieiunantes; omnia faciunt vt videantur ab hominibus.* Nec vacat mysterio, quòd non simpliciter dicitur *Vrso* similis hypocrita, sed *pedes eius sicut pedes Vrsi*: aduncis namque vnguibus Vrsi pedes armantur, quibus prædam ferina rabie dilaniat, dilaceratque. Ex quo intellige hypocritam non modò propriam laudem aucupari, sed proximorum etiam famæ, diuitijs, vitæque insidias tendere, ac tandem feris ipsis ferociorem rabie plusquam ferina discerpere.

Hypocrita, Vrso similis. Pier.

Hypocrita veluti Vrsus, inanẽ gloriam venatur.

18 *Et os eius sicut os Leonis.* Hypocritæ superbiam hoc innuit, voracitatemque. Leo beluarum Rex, super omnia se extollit animantia, estque animal insatiabile, omnia deuorans, consumens omnia; sic hypocrita in tantam erigitur superbiam, vt super omnes se velle extollere videatur; ideoque diademata in capite gestare dicitur, quia cæteros contemnens, dignum se existimat, qui cæteris præferatur, ac tantùm inter cæteros emineat, quantum inter subditos sibi populos Rex præpotentissimus. Sed quid est, quòd non dicitur *sicut Leo*, sed *sicut os Leonis*, nisi quòd quemadmodum Leo omnium animantium voracissimum est, suoque ore omnia deuorat, & consumit, sic hypocrita os, ori Leonis habet simile, quia blandis, suauibusq; modis, & locutionibus, sanctitatem simulans, & temporalia, & spiritualia proximorũ bona nititur deuorare? nam teste S. Chrysostomo in Matth. 7. *Nulla res sic exterminat bonũ, sicut simulatio: nam malum sub specie boni celatum, dum non cognoscitur, non cauetur.* Et hoc fortasse est, quod de simulatore hypocrita loquens inquiebat Propheta Psalm 9. ℣. 30. *Insidiatur in abscondito quasi Leo in spelunca sua, insidiatur, vt rapiat pauperem &c. In abscondito* quidem *insidiatur*, quia suam malitiam, quæ eius est rete, ac laqueus, quantum fieri potest, nititur abscondere, quo faciliùs quidquid intendit, assequatur.

Hypocrita, Leoni similis.

Hypocrita, omnibus vult præponi.

19 *Et dedit illi Draco virtutem suam, & potestatem magnam.* Hinc intellige hypocritam veluti Diaboli locũ tenentem, imò Diabolo ipso nequiorem esse, & in peruertendis alijs versutiorem, callidioremq; *Draco* enim iste procul dubio idem est, ac ille, de quo superiori capite dixerat 12. ℣. 3. *Visum est aliud signum in cælo, & ecce Draco magnus*; per quem Diabolum intelligi, communis est Doctorum interpretatio; præterquàm quòd Ioannes infra ℣. 9. se ipsum explicans, inquit: *Proiectus est est Draco ille magnus serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Sathanas*, huic ergo bestiæ, hypocritæ inquam, *dedit Draco*, idest Diabolus, *virtutem suam, & potestatem magnam*: Draco enim iste, vt superiori capite 12. ℣. 4. dicitur, *stetit ante mulierem, quæ erat paritura, vt cùm peperisset, filium eius deuoraret*; qui tamen diuina virtute ex Draconis ereptus est faucibus. Porrò hæc mulier Ecclesia est, eius filius, quem Diabolus nititur absorbere, populus est electorũ vnde Andræas Cæsariensis; *Masculus* inquit, *filius Ecclesia, est populus, volup*

tatibus indomitus; hunc ergo populum omni conatu, Diabolus conabitur euertere Antichristi temporibus (ad ea nāque tempora hanc Ioannis visionem referendam esse, exponunt communiter Doctores, vt videre est apud Blasiū Viegas in hunc locum) sed cùm viderit aperto Marte, non posse stabilitum Ecclesiæ Regnum excidere; occultas sibi hypocritarum machinas admouendas putabit, qui se in Angelos lucis transfigurantes, noua dogmata, quasi diuinitùs accepta oracula, sub sanctitatis, quā exterius præseferant, specie venditabūt; ex quo fiet, vt plurimos ea rōne seducant: atq; adeò quòd per seipsum non pōt Diabolus, per hypocritā assequitur.

Vieg.

Hypocrisia vtitur Diabolus ad eleuandū necem.

20 Ex his facilis est intellectus alterius visionis, quam eodem cap. 13. ℣. 11. 12. Apoc. refert Ioannes. *Et vidi*, inquit, *aliam bestiam ascendentem de terra, habētem cornua duo similia Agni, & loquebatur sicut Draco; & potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu eius.* Hanc bestiam etiam hypocritæ typum esse docuit Lyranus. Dicitur autem hypocrita *de terra ascendere*, quia de terrenis affectibus intumescit: *habet cornua duo similia Agni*, quia mansuetudinem simulat, & innocentiā: & quoniam nec mansuetudo vera erit, neque innocentia; ideò non *cornua Agni*, *sed similia Agni*, habere dicitur. *Loquitur sicut Draco*, idest, inquit Lyranus, *astutè, mordaciter, dolosè*; quia sub verbis, quæ per mansuetudinem, & veritatis zelum se loqui simulabit, latebit Draconis venenum, idest Dæmonis venenata malitia, & calliditas ad fallendum: Vnde Draco *potestatem prioris bestiæ fecit in conspectu eius*, quia scilicèt, *dedit ei*, sicut & priori bestiæ, *potestatem suā, & virtutem magnam*, vt quod se solo non poterat, hypocritarum opera assequeretur, vt diximus. Vel cum D. Gregor. 33. moral. cap. 26. dicas *de terra ascendere*, quia, inquit ipse, *de terra ascendere, est de terrena gloria superbire*; quod est hypocritarum proprium. *habet duo cornua similia Agni*, quia *per hypocrisim, sanctitatis eam, quam in se veraciter Dominus habuit, singularem sibi inesse sapientiā mentitur, & vitam: sed quia sub Agni specie auditoribus reprobris, serpentium virus infundit, rectè subditur: Et loquebatur vt Draco: nam ista bestia, si apertè vt Draco loqueretur; Agno similis non appareret: sed assumit speciem Agni, vt Draconis exerceat operationem.* Vel tandem cum Andræa Cæsariense dicas: *habere duo cornua Agni cornibus similia, ob id fortassis, quòd sub ouina pelle cordis studium, occultique Lupi ferociam celare studet.* Firmat hanc Andreæ expositionem vulgaris illa Christi Domini sententia in Euagelio Matth. 7. ℣. 15. *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt Lupi rapaces.*

Apoc.

Lyran.

Proprietates Bestiæ quam vidit Ioānes, hypocritæ conueniunt.

Lyran.

D. Greg

Hypocritarum superbia.

Fallacia Hypocritæ.

Andr. Cæsar.

Matth.

21 Hypocritæ quoque hieroglyphicum esse Viperam, tradit Pier. Val. lib. 14. & quidem rationabiliter; habet enim vipera linguam, quæ sua motatione multiplex apparet, ità hypocritæ, linguas varias habere videntur, quia aliud in corde abscondunt, aliud ore proferunt, iuxta illud Psalm. 11. ℣. 3. *in corde, & corde locuti sunt*, propterea qui huiusmodi sunt, dixit Dominus Matth. 12. ℣. 34. *progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali? ex abundantia enim cordis, os loquitur*. Et benè *progeniem* appellat *viperarum*, idest *filios*; ex hoc namque altera elucet viperarum conditio, hypocritarum propria; fœtus enim quem vipera parit, in ipso partu necat matrē. Sic quoq; quasi ex ipso quod agimus opere, puta ieiunio, oratione &c. generatur hypocrisis, cùm illud ad vulgi laudem captandam dirigimus; vnde fit, vt hypocrisis ipsa, opus bonum perdat ad mortem, cùm enim fiat in peccato, opus mortuum dicitur. Rursus Vipera venenum habet in cauda; & hypocrita malitiam in fine, propter quem facit opus, qui est inanis gloria. Tandem, vipera hominis ieiuni sputo occiditur, vnde Lucretius.

Pier. Val

Psalm.

Matth.

Est itaq; vt serpens, hominis quæ tacta saliuis
Disperit, ac sese mandendo conficit ipsa.

Idcircò consultò Dominus, vt hypocrisis viperam exterminaret, ieiunium hodie præcipit: *cùm ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ &c.*

Sacer textus.

Exterminant facies suas, vt appareant hominibus.

CAP. IV.

Perdunt conscientias, qui inanem mundi gloriam auidè quærunt.

S. Aug.
S. Thom.

1 OGIT nos S. August. in lib. de sermo. Domini in mõte, & S. Tho. in Catena, vt p *facies suas*, quas *hypocritæ exterminant*, spirituali intelligentia, *conscientias* interpretemur. Accedit S. Chrysost. expositio, qui sic habet: *spiritualiter autem facies animæ, conscientia intelligitur: sicut enim in conspectu hominum gloriosa est facies, sic in oculis Dei, speciosa est munda conscientia. has facies hypocritæ, qui propter homines ieiunant, exterminant.* Et Imperfect. in Euangel. *facies autem*, inquit, *spiritualis animæ est conscientia, vel cor: sicut ostendit Propheta* Psal. 26. *tibi dixit cor meum, dominũ requiram, exquisiuit te facies mea.* Is igitur eruitur ex adductis expositionibus, spiritualis sensus: Ne efficiamini veluti hypocritæ, quorum finis in omnibus, quæ agunt, alius non est, quàm conspectum, & oculos hominũ exquirere; qui enim tales sunt, *conscientias suas exterminant*, dũmodò *hominibus appareant*: præcepta Dei cõtemnunt, legem diuinam, & humanam negligunt, propter inanem, fugacem, contemptibilemq; mundi gloriam: ita vt benè dicatur: *exterminant conscientias suas, vt appareant hominibus.*

S. Chrys. Per faciẽ consciẽtia intelligitur.

Auctor Imperfec

Psalm.

2 Si vulgatam sequamur: *exterminare conscientias*, idem erit ac tamquam exules, ac relegatas extra terminos, seu confines mittere; hoc enim importat verbum, *extermino*, vt notat S. Hierony. vel vt ait Pater noster Agell. Psalm. 36. ℣. 9. circa illa verba: *qui malignantur, exterminabuntur*, idem est, ac, *ex imis radicibus excidentur*: qui enim inani, mundanæq; student gloriæ, ita viuunt, ac si conscientiam non haberent, quod explicatur per nomen *exulationis, relegationis, & ex imis radicibus euulsionis*: quasi nõ sit spes vlteriùs, quòd pullulare, aut germinare possit conscientia, in eo, qui apparere vult hominibus. Idemque probant aliorum versiones, nimirum S. Hieronym. *demoliuntur*. S. Hilar. *conficiunt* S. Chrysost. *corrumpũt*, idest funditùs euertunt, destruunt, ac omninò consumunt cõscientiam suam, & quasi sine lege viuũt, nullum est malum, quod non perpetrent; ad omne scelus paratissimi, dummodò *appareant hominibus*; spectabiles, honorati, decorati, cæteris præponantur; qui mos hypocritarum, & ambientium, ac super borum, frequens est.

3 Docuit hoc Salomon Prouerb. 16. ℣. 5. *abominatio Domini est omnis arrogans.* Rabbi Leui Ghersom. legit: *arrogantia, & fastus, turpissimum est vitium, Deoq; detestabile; cùm præterea grauissimæ calamitatis origo sit in rebus politicis, ac quædam præcipua causa vt ab animo virtus, & absolutio arceatur.* pellit ergo elatio optimos mores, naturales, ac supernaturales virtutes, ita vt qui præcellẽtiam affectat, Deo fiat abominabilis, vel vt vertunt Sept. *immundus apud Deum omnis sublimis corde.* fœdatam, ac maculatã habet conscientiam, *etiam si* (vt subdit scriptura) *manus ad manum fuerit, non erit innocens.* idest quamuis manũ lauet, & purget, scilicet conscientiam, apud Deum erit pollutus: Et si enim ad Sacramen-

ta videatur accedere, quibus conscientia purgatur; adhuc tamen peccatorum retinet maculas, nouasq; addit, dum nō ex corde pœnitet, sed vt mundi gloriā assequatur. Notanda sunt præmissa verba: *præterea grauissimæ calamitatis origo sit in rebus politicis*. infelix enim, ac miseranda omninò Respublica illa est, ac Conuentus, in quo ille residet, qui apparere, præsidere, ac grandis fieri appetit: innumeras enim calamitates, ac perturbationes quàm maximas ciuibus, ac fratribus euenturas, certum est. Et quid boni ab eo qui humanam, diuinamq; proterit fidem, vt cæteris præponatur?

Ambitio gloriæ, calamitatis origo in rebus politicis.

4 Veritatis huius non leue habemus argumentum 1. Machab. 1. ℣. 10. *Et obtinuerunt pueri eius*, scilicèt Alexandri, *regnum, vnusquisque in loco suo, & imposuerunt omnes sibi diademata post mortem eius, & filij eorum post eos annis multis, & multiplicata sunt mala in terra.* ex quo diademata multiplicata sunt, innumeri errores, & mala in populo irrepserunt; Respublica in perniciem ad ducta, Deiq; leges, & præcepta contēpta, vt copiosè Machabæorum narrat historia. Pro qua re facit, quod refert Plutar. in vita Caton. Vticensis, nimirū quòd his cum suæ Ciuitati timeret ab exercitu Imperatoris iam iam aduentatis ad eam vel obsidendam, vel inuadendam; indicto à legatis Imperatoris bello; nil illis respondit Cato, sed versus ad suos, protulit dignam tali viro sententiam. *Et miramur*, inquiens, *res concidisse nostras, cum ambitionem retinere nos in ipso videamus exitu*. Experimur hoc nostris hisce temporibus, in quibus diademata, & coronæ tam abundè circūferuntur, quot verò, quantaq; mala insurrexerint, ad populorum ruinam, Deiq; offensam, in omnium conspectu sunt.

Machab.

Ambitus gloriæ, multorū malorum origo.

Plutar.

5 Re ipsa comprobauerat Rex Salomon, propterea inquit Prouerb. 21. ℣. 4 *Exaltatio oculorū, est dilatatio cordis.* duo ista indissolubili nexu iunguntur *oculorum exaltatio*, & *cordis dilatatio*. Vel iuxta Hebr. *& latitudo cordis*. Per *exaltationem oculorum*, honoris, dignitatis ambitum, & appetentiam denotari, nulli dubium est. Sic Eccli. 23. ℣. 5. *extollentiam oculorum ne dederis mihi*, idest fastum, ac superbiam, & alibi passim. Est igitur prima expositio. superbia, & ambitio, dilatat cor, idest non sinit ipsū infra angustias degere, aut suo statu fieri contentum; ampliat, dilatat, extendit, vt vlteriora, & altiora semper petat, iuxta illud Psalm. 100. ℣. 5. *superbo oculo, & insatiabili corde*, quasi insatiabilis sit omnis ambiens.

Prouer.

Hebr.

Eccli.

Ambitio inexplebilē habet appetitū.

6 Secundus sensus magis ad rem nostram eruitur ex Rabbi Abraham, qui per *cor*, intelligit conscientiam. *exaltatio*, inquit, *oculorum est dilatatio conscientiæ*; oportet enim superbum, ambientem ad omnia perpetranda scelera fieri paratissimum; ideoque arcta nimis, augustaq; est conscientia, vt tot capiat scelera, quot secum affert ambitus, & appetentia honoris; propterea dilatandus, expandendus, ac veluti in immensum extendendus conscientiæ saccus; omni enim Dei timore postposito, cuilibet peccato, ac vitio exponit animam, qui hominibus gloriosus apparere cupit. Nota quòd benè simul nectitur *cordis dilatatio*, quæ vt diximus significat appetitum mundanæ gloriæ inexplebilem, *& conscientiæ dilatatio*; vna enim alteram comitatur, ac sequitur, & vt dicebat Aelian. lib. 12. variarum histor. *Cui nihil satis est, eidem nihil turpe*. nullum sceleris genus est, quo se non contaminet, qui temporalis gloriæ tenetur siti, decusq; æstimat omnem infamiam, quia *nihil illi turpe*, quod confirmat S. Gregor. lib. moral. *quamuis*, inquit, *quolibet in loco positi cogitando, loquendo, agendo peccemus, tunc autem per tria hæc effrænatius quis capitur, cùm mundi prosperitate subleuatur: nam cùm præire potestate se cæteros conspicit, lingua licentius per abruptam disfrenatur, cùmq; licere facere quodlibet licet, iustè sibi licere æstimat quodlibet.*

Rabbi. Abrah. Cor, idest conscientia.

Ambitio sus dilatat conscientiam ad scelera innumera.

Aelian.

S. Greg. Pap.

7 Iterum idē Salamon Prouer. 30.

℣. 12.

Prouerb. ℣. 12 *generatio*, inquit, *quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota à sordibus suis*. quænam autem sit hæc generatio in suis oculis munda, reuera tamen immundissima, subdit statim: *generatio cuius excelsi sunt oculi, & palpebræ eius in alta surrectæ*, idest, homines superbi altiora, & vlteriora appetentes, consonat expositio Rabbi Leui Ghersom. *turpis*, inquit, *in primis fœdaq; superbiæ consuetudo, ad grauissima crimina nos propellit*. quod ex profanis docuit quoque Tull. 1. offic. inquiens, *facillimè ad res iniustas impellitur, vt quisque est altissimo animo, & gloriæ cupido*, non multo labore, ac studio desudandũ Dæmoni est, ad inducendum hominem gloriæ cupidum, ad peccata perpetranda: *facilimè enim ad res iniustas impellitur &c. & ad grauissima crimina propellit*. Et 3. offic. *complures se scelere contaminant, imperij cupiditate*.

Ambitiosus sordibus conspurcatus

Rabbi. Leui. Ghersom.

Ambitiosus facilimè ad crimina impellitur.

Tull.

8 Ponderanda est scriptura Apocal. c. 13. ℣. 1. *Et vidi de mari bestiã ascendentẽ, habentẽ capita septem, & cornua decẽ, & super cornua eius decẽ diademata, & super capita eius nomina blasphemiæ*. de superbo homine qui honores, & dignitates quærit, sermonem hìc esse, consentiunt omnes Expositores. colligitur ex diadematum multitudine, quibus redimitum erat caput. colligunt etiam aliqui ex verbo, *ascendentem*, quia per superbiam, & animi elationem semper ambiens ascendit, scalam sibi in corde suo ĕrigit, in qua continuò per mentis elationem ascendens, foris etiam talis fieri, omnesq; gradus, ac supremos honores possidere desiderans, ideò dicitur Psalm. 73. ℣. 23. *superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*. idest, inquit Vgo Card. *ascendit semper, quia maiora quàm possit præsumit*. Et Isai. 14. ℣. 13. *dicebas in corde tuo: in cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum; ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo*. Ad rem nostram aptius exponunt alij: *ascendentem &c. quia omnes superbia; & reliquorum vitiorum gradus percurrit*. proprium namq; est ambientium, omnium scelerum genere se maculare; & sicut ambitus supremos quosque honores, ità extrema quoque scelera subministrat.

Apoca.

Ambitiosus, elata mente, sẽper ascendit.

Psalm.

Vgo Card.

Isai.

Omnes vitiorũ gradus ascendit ambitiosus.

9 Verum quod præcipuè dubium ingerit, est cur præter omnem naturæ ordinem, bestia hæc superbissima in capite dicitur nomina gestare blasphemiæ? ibi inquam vbi diademata, & coronæ residebant, omnes erant blasphemiæ: cùm re vera non ibi, sed in ore collocari debuerant, namq; Iacob. 3. ℣. 10. *ex ipso ore procedit maledictio, & benedictio*. Psal. 10. ℣. 11. *cuius maledictione os plenũ est, &c.* sed Spiritus sancti inspiratione sic collocatæ sunt blasphemiæ, ibique positæ vbi diademata, & coronæ præeminebant, iunguntur enim omnia peccata blasphemiæ, & sæpè hæreses, quæ per blasphemiam denotantur, superbis ceruicibus, & coronis; parturitq; quodammodo ambitus ipse blasphemiam; vt optimè adnotauit S. Ioannes Climac. in opusculo cui titulus est, scala Paradisi, gradu 22. *sunt*, inquit, *in superborum cordibus blasphemiæ verba*. & grad. 23. *Nephariæ superbiæ sceleratam filiam blasphemiam*. & paulò post: *Dæmon qui de cælis deiectus est, quòd illic quoque dùm se per superbiam extollit, in Deum quoque blasphemias, & contumelias iaculari visus est*. rectè igitur ibi, vbi coronæ, & diademata resident, collocantur blasphemiæ; ibi blasphemiæ, peccata, vitia, & hæreses, vnde prodeunt.

10 Hinc iure, veluti desertorem, & apostatam à Deo, ambitiosum gloriæ describit Ier. 2. ℣. 31. *quare*, inquit, *dixit populus meus, recessimus, non veniemus vltra ad te*. non solum *recessimus*, per apostasiam, sed *non veniemus vltra ad te*, quod obstinati, obduratique est animi. sed vnde hæc tanta exorta malitia in fideli animo? explicat vox hebræa, quæ pro *recessimus* legit: *radnu*, idest, *dominati sumus*. Vel vt Pagnin. Isidor. Clar. & versio Regiæ Bibliæ: *dominamur, non veniemus vltra ad te*, non

aliunde

aliunde hæc nostra pertinacia,& perui-cacia,quia *dominamur*, ambitio,potentatus ipse,ac dominium extitit peccati, & obdurationis causa adeòque certum est hoc, vt vox eadem,quæ *dominium* denotat, à Deo *recessum*, etiam significet, ideò quod vulgata habet *: recessimus*, aliorum versiones legant: *dominamur*.audi S.Bernar.ser. de fallacia præsentis vitæ *. superbum*, inquit, *impænitentia comitatur : elatum enim cor durum est, & expers pietatis, ignarum cõpunctionis, siccum ab omni rore gratiæ spiritualis,& ideò ciuitatem habitaculi, idest æternam patriam non inuenerunt*.

11 Liceat historiam adducere, cuius meminit Liuius decad. 3. lib. 7. & Flor.in Liuij epitome lib.19.refert autem eam Valer Maxim. lib. 1 de cultu Deorum his verbis *: Cum Marcellus, quintum consulatum gerens, templum honori, & virtuti Clastidio prius, deinde Syracusis potitus nuncupatis debitum votis consecrare vellet, à Collegio Pontificum impeditus est, negante vnam cellam duobus his Dijs rectè dicari* optimè sic decreuit, ac vetuit Pontificum Collegium,simul enim esse nequeunt,nusquam simul reperiuntur *honoris*, seu gloriæ temporalis desiderium,& *virtus* ;ideòque vnum templum duobus his Diis dicati,nõ permissum. Vel ideò, quia otiosus esset Deus Virtutis in templo Honoris ,qui enim sacrificaturus accederet Honori, non Virtuti vota redderet ; meritò igitur lege simul manere vetitum: virtus enim in prætio nõ est, gloriam autem mundanumq; honorem pauci sunt qui viribus omnibus, & conatu non exquirant . tempus, bona, vires ad humanam gloriam captandam insumuntur,& de virtutibus, quibus mundani debentur honores, vix est, qui cogitet.

12 Contaminationem hanc,quam secum ducit ambitio, ostendit Ier. 5. ℣. 30. *stupor*, inquit, *& mirabilia facta sunt in terra*. per *mirabilia, superbè facta*, intelliguntur. sic Psalm.130. ℣.2. *neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me*. vbi per *magna,& mirabilia*,mundani honores intelliguntur : dicuntur autem *super me* idest supra vires,& merita; & sensus est : *non ambulaui*, non expetiui honores,mundanamq; gloriam, quæ supra me sit, meamq; excedat capacitatem sicut etiã est illud Deuter. 30. ℣. 11. *mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est*.vbi Hebr. legit*: non mirabile est*. conquæritur igitur Deus per Ieremiam de hominum superbia, & ambitione, quæ etiam vltra merita extenditur ad ostendendum autem quàm fœdissima res sit, ac maculet animam appetentia dignitatum, legunt Hebræi: *fœditas, turpitudo facta sunt in terra*, quòd vero innumera ex hoc eueniant mala, ostendit versio Sept.*horribilia facta sunt in terra*. Idem igitur quod *superbum* est, *stupor* etiam, *fœditas*, & *turpitudo* est, & *horribilia* producit monstra.

Supra merita, non expetendi honores.

Deuter.

Ambitio, quorum, quãtorũq. malorum causa.

13 Ostenduntur hæc vera esse, exemplo superbissimi, & ambitiosissimi Regis Antiochi, *qui* vt dicitur 2. Machab. 9. ℣. 8. *sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, & montium altitudines in statera appendere &c.* quantorum malorum verò causa in templum Dei, & Rempublicam extiterit Regis huius ambitio,Machabeorum libri referti sunt, compendiosè autem traditur lib.1.cap.1. ℣.11. *Et exijt ex eis radix peccatrix, Antiochus illustris &c.*Nonnulla latina exemplaria habẽt: *radix peccati* seu peccatorũ omnium, sumens genus pro speciebus,ex Antiochi enim ambitione, omnium scelerum genera tamquam ex radice pullularũt, & vitia omnis generis excreuerunt. Vel dicitur *radix peccatrix* per antonomasiam,*il peccatore*, quasi à nullo sceleris genere immunis.hinc aliqui apud Iosephum Stephanum Valentinum Episcopum Oriolan. hoc loco inquiunt *: Radix peccatrix, infidelitatis officina*. Locus inquam, italicè *Botega*, vel *schola* in qua omnia exercentur, efformantur

2. Mach.

1. Mach.

Ambitio peccatorũ radix.

Ambitiosus, per antonomasiam,peccator dicitur.

Ioseph Step. Valentinus.

Ambitio etiam infidelitatis officina, & schola. Cic.

vitia, cæteri docentur, eo modo quo de Clar. Orat. dicebat Cicero: *Isocratis domus, cuncta gratia, quasi ludus quidam patuit, atque officina dicendi*. Erit igitur sensus, quòd ambitio est omniũ vitiorum, imò ipsiusmet infidelitatis gymnasium, in quo omnia scelera edocentur: quos igitur omniũ peccatorum genere instructos, eruditos, doctoresque euadere diabolus tentat, eos ad ambitionis scholã ducit, ad Principum, & Magnatum aulas sistit, vt omnem ibi addiscãt malitiam, imò ipsam quoque infidelitatẽ, qua scilicet, non solùm Deo ipsi, sed & hominibus, quodamodo infidelis, ingratus: legis, amicitiæq; violator euadat, edocetur. Et reuera ità fuit: omnia enim Dei sacrificia prohibuit Antiochus, vt habetur præsertim lib. 1. Machab. cap. 1. quod compendiosè traditur ℣. 51. *Et iussit ædificari aras & Templa, & Idola &c. & coinquinari animas eorum in omnibus immundis, & abominationibus, ità vt obliuiscerentur legem, & immutarent omnes iustificationes Dei. Et quicumque non fecissent secundum verbum Regis Antiochi, morerentur &c.* benè ergo: *Radix peccati*, & *infidelitatis officina* nuncupatur superbus Antiochus.

1. Mach.

14 Hanc ambientis animi obstinationem ostẽdit superbissimus Absalom 2. Reg. 18. qui necem Regi patri machinatus fuerat, vt Regnum pro eo inuaderet; damnatus, vt impænitens moritur, & plusquam vnquã superbissimus etiam si in mortis articulo tempus illi fuerit pænitendi, & conscientia stimulatus. audi S. Chrysost. in Psalm. 11. *Absalom*, inquit, *non statim de medio sublatus est, sed tamquam in iudicio prius suspensus est; & ligno affixus, & Deo ferente sententiam, longo tempore pependit*, vt inquam esset illi tempus, & locus pęnitentiæ, excitati sunt conscientiæ stimuli, qui vrgerent ad pœnitẽtiã: *à conscientia*, subdit Chrysost. *deinceps flagellatus*. aperitur illi iustum Dei iudicium: *& vt sciat*, addit Chrysost. *quod factum est, non fuisse humanæ industriæ, sed diuini iudicij, capilli ad lignum eum alligauerunt, & brutum animal eum tradidit; & pro fune quidem coma, pro ligno autem arbor extitit, pro milite autem adduxit eum mulus*. his omnibus visis, obduratus permanet ambientis coronam animus, imò in superbia fit obstinatior, dicitur enim 2. Reg. 18. ℣. 18. *porro Absalom erexerat sibi, cùm adhuc viueret, titulum, qui est in valle Regis; dixerat enim non habeo filium, & hoc erit monimentum nominis mei; vocauitq; titulum nomine suo, & appellatur manus Absalom:* de qua historia loquẽs S. Hierony. lib. de tradit. Hebraic. inquit, *tradunt Hebræi, quòd depositus Absalom de quercu, petierit sibi inducias antequam perimeretur, vt faceret sibi titulum ob memoriam sui, eò quòd non haberet filium talem, qui Regno dignus esset*. primò obseruo superbum, superbissimè morientem, dum moriens adhuc mundanam quærit gloriam. Secundò tempus expostulat, & inducias mortis, non quo pœniteat, & gehennam euadat, sed quo titulum, & nomen sibi ponat. Tertiò *in Valle Regis* struit sibi tumulum, vt qui Rex esse minimè permissus est, saltim illic humaretur, vbi regium erat nomen. Quartò titulum illum, ac tumulum sibi erexit, *eò quòd non haberet filium talem, qui Regno dignus esset*. Quo Regno? Rex ipse non erat, cui ergo Regno filium præficiendum cogitabat? nullum certè Regnum possidebat, sed quia iugis fuerat in illo, dum viueret, de Regno acquirendo cogitatio, regnum cogitat dum moritur, & veluti delirans, & fręneticus ea loquitur moriens, quibus studuerat viuens, interim impœnitens, ob duratusq; moritur.

2. Reg. Ambitio si obstina tio in morte.

S. Chrys.

15 Eò vsq, pertingit peruersitas, & obstinatio ambientis superbi, vt nec si quis vt Dei legatus, Dei deferens litteras de Paradiso ad illum mitteretur, resipisceret. Rex Ioram superbissimus extitit, mundanæ gloriæ, & honoris auidissimus, de quo S. Chrysost. homil. 2. in Matth. *Ioram*, inquit, *interpretatur*

Dominus altitudo, forsan & prouidentia Dei; quia impius erat futurus & superbus, sic eũ nominari disposuit. Et Theodor. *Ioram interpretatur, quis est excelsus.* Regi huic superbo, vt ad Deum conuerteretur, destinatus fuit Elias Propheta, qui iam multo ante tempore raptus fuerat in Paradisum; inde ergo ad Regem, Dei ad illum deferens litteras dirigitur 2. Paralip. 21. ℣. 12. *Allatæ sunt autẽ ei,* scilicèt Regi Iorã, *litteræ, ab Elia Propheta, in quibus scriptũ erat: Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui: quoniam non ambulasti in vijs Iosaphat patris tui, & in vijs Asa Regis Iuda, sed incessisti per iter Regum Israel, & fornicari fecisti Iudam, & habitatores Hierusalem, imitatus fornicationem domus Achab: insuper & fratres tuos domum patris tui meliores te occidisti, ecce Dominus percutiet te plaga magna cum populo tuo, & filijs, & vxoribus tuis, vniuersaq; substantia tua, tu autem ægrotabis pessimo languore vteri tui, donec egrediantur vitalia tua paulatim per dies singulos &c.* quòd verò litteræ huiusmodi postquam raptus, translatusq; fuerat Elias in Paradisum, per manum ipsius delatæ fuerint Regi Ioram, exponit Lyranus: *Dicunt,* inquit, *Hebræi, quòd istæ litteræ fuerint ei allatæ post translationem Eliæ in cœlum, de qua re habetur 4. Reg. 11. & hoc videtur satis rationabiliter dictum, quia in illis litteris fiebat mentio de occisione fratrũ suorum, illos autem non occidit viuente patre eius Iosaphat, vt satis patet ex principio huius capituli, nec Iosaphat hoc permisisset, cùm esset sanctus, & bonus, vt patet ex supradictis. Elias verò raptus fuit ante mortem Iosaphat, quod patet ex hoc quòd Elisæus qui remansit loco Eliæ, post eius raptum prophetauit tribus Regibus, &c.* vt habetur 4. *Reg.* 3. Satis hæc omnia minimè fuerunt, vt Ioram resipisceret; superbo cordi non profuerunt minæ, vxorum, & filiorum mors, totius domus bonorumque destructio, proprij corporis horrenda infirmitas, animæque æterna damnatio; Etiam si hæc omnia insueto, & mirabili modo, per manus Eliæ, iam in Paradisum translati, nota per Dei litteras facta fuerint.

Theodor.

2. Paralip. Dei litteras de Paradiso de[fert] Elias superbissimo Regi Iorã, qui tamen in obstinatio[n]e permã[si]t.

Lyran.

16 Experimento, & ex ipsa rei natura didicimus, & probauimus nil magis quàm imminens improuisæ mortis periculum, humanorum affectuum esse moderatorem, q̃ cùm adest, si quas reperit in corde passiones, extinguit prorsus, & ad nihilum redigit; quid enim proximè morituro iucundum? quæ reliquorum cura, vbi extremi, supremique finis, ac mali imminet damnum? nihilominus ea est ambitionis passio, vt nec ipsos in extremo vitæ constitutos deserat; & si qui ambientes, immanissimæ mortis faucibus iam proximent, hi gloriæ inanis auidos magis se ostendunt. Et præter ea, quæ diximus numero præcedenti, colligitur hoc ex Matth. 14 quo loco dicitur quòd discipulis in nauicula existentibus ℣. 24. *Nauicula in medio mari iactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus.* exterriti quàm maximè sunt Apostoli ℣. 28. *Ego sum nolite timere.* quomodo enim non timerent tota nocte periclitati, ventis agitati, ac veluti ab ipso mari absorpti? hæc est enim naufragantium omnium conditio, vnde Ouid. 2. Amor. 11.

Mors imminens, inanis gloriæ appetitum non minuit.

Matth.

> *Nauita sollicitus iam ventos horret iniquos;*
> *Et propè tàm lethum, quàm propè cernit aquam.*
> *Quod si concussas Triton exasperat vndas.*
> *Quam tibi nunc toto est nullus in ore color &c.*

Ouid.

Nauigantiũ timor.

Hinc vt scribit Laert. lib. 1. cap. 6. *Anacharsis cuidam roganti, vtrum arbitraretur plures esse mortuos, quàm viuos? Nauigantes, inquit, in vtro numero ponis? dubitans, an hi essent inter viuos habendi, qui vitam vndarum, ac ventorum arbitrio commisissent.* iure igitur Apostoli non solum in nauigio, sed & in summo vitæ discrimine existentes ob maris procellas, ventorumque contrarietatem timent maximè. Et fortasse si

Naufragantes merces proijciunt, ambitionem retinent.

quæ erant in naui vasa, bona ac merces, sicut mos est nautis tempore tempestatis, cùm maris fluctus intumescunt, ad alleuiandam nauim, in mare demerxerunt; ipsam tñ ambitionem minimè proiecerunt, sed tumidi magis, ac elati, turbatiq; æquè ac mare ipsum, ambitiosæ contentionis, inanisq; gloriæ fluctibus iactabantur. Probat hoc S. Thom. in sua Catena loco citato Matth. dubitat Sanct. Doctor, cur ambulante Petro super aquas, voluerit Christus Dominus Petrum timere, ac penè mergi. ℣. 30. *& cùm vidisset ventum validum venientem timuit: & cùm cæpisset mergi, clamauit, &c.* præcipuè cùm ipsius Domini iussu super mare ambulare cæperit. Respondet, dubijque solutionem adducit ex S. Hieronym. *quòd Petrus,* inquit, *timuit, differentiam monstrabat discipuli, & magistri,* vt scilicèt Petrus in suo naufragio, & trepidatione imminentis mortis, longè inferior videretur Christo Domino: ambulauerat quippè Dominus super mare absque pauore, trepidatione, & periculo, in quo similem sibi fieri Petrum noluit; ne cæteri discipuli videntes Petrum Christo Domino comparatum, inani gloria intumescentes, indignati fuissent de Petri prælatione supra cæteros; subdit enim Sanct. Thom. *sed alios discipulos mitigabat; si enim in duobus fratribus sessuris ad dexteram molestati sunt, multò magis hic molestati fuissent, nondùm enim erant spiritu pleni.* Et nihilominus, vt diximus, tota nocte vitæ discrimini fuerant proximi, & adhuc in maris naufragio erant constituti, & de prælationibus erant contentiosi.

S. Thom.

Hieron

S. Thom. Apostoli naufragantes prælationem ambiunt.

17 Itaq; si deficientem Apostolorum fidem in nauicula existentium, eorum ambitioni tribuero, præcipuè tamen Petri, qui similis Christo Domino videri voluit in deambulatione super vndas maris, rem non omninò à veritate dicam alienam; ambitio enim quæ vt diximus *conscientiam exterminat*, quo ad ea quæ ad charitatem pertinẽt; quandoque etiam ad infidelitatẽ, sumnamque impietatem ducit ambientem docet hoc S. Chrysost. qui quærens cur Iudæorum aliqui videntes Christi Domini signa mirabilia, & stupenda, noluerunt credere? Respondet in cap. 6. 2. ad Corinth. *plerique Iudæorum propter gloriam populi, noluerunt credere, ne à Sinagogis eijcerentur; ideò Ioannis 5. dicitur quomodo potestis credere, gloriã inuicem accipientes? & multos nouimus, qui omnia grauia contempserunt, & à gloria victi sunt.* quasi impossibile, vel potius arduum nimis sit credere eum, qui gloriam à proximo suo exigit. ideò dicit: *quomodo potestis credere, gloriam ab inuicem accipientes?* Nota etiam in verbis Chrysost. inanis gloriæ potentiam, quæ eos etiam subegit, qui in omnibus gloriosissimè decertarunt, coronatiq; sunt. Idipsum repetit idem Chrysost. à S. Thom. citatus in Catena Matth. 23. expendens enim illa verba *omnia sua opera faciunt vt videantur ab hominibus,* inquit, *tolle hoc vitium de Clero, & sine labore omnia resecabis: ex hoc enim fit, vt difficilè Clerici peccantes pœnitentiam agant. Vult autem Dominus in hoc ostendere causam propter quam non poterant credere Christo, hoc est, quia omnia faciunt vt videantur ab hominibus: impossibile enim est, vt credat Christo cælestia prædicanti, qui gloriam hominum concupiscit terrenã.* Nota quò ducat ambitio, & quàm nimis vexet præcipuè Clericos, & Ecclesiasticos.

Ambitio aliquãdo infidelitatis origo.

18 Ideò valdè appositè S. Bernard. serm. in Quadragesi. inquit, *Ambitio subtile malum, secretum virus. Pestis occulta. Doli artifex. Pater hypocrisis, liuoris parens. Vitiorum origo. Tinea sanctitatis. Excæcatrix cordium. Ex remedijs morbos creans. Ex medicina lãguorem generans.* Dicitur: *subtile malum,* idest, *febris ethica.* ambitio namque si quem facultatibus opulentum, ac pinguem inuaserit, veluti *febris ethica* paulatim consumit, & attenuat, dùm elargitionibus, muneribus, impensisq; varijs, facultates expendit, vt ad gradum quem optat, perueniat. Sicq; fit vt ex

opulentissimo diuite, pauperrimus, & ad summam ægestatem perueniat. Corporis vires, & salutem quoque consumit, dùm frequenter diu, noctuque visitat optimates, subsequitur, & obsequitur, comitatur; nec vllus labor est, cui non se subiiciat. Animæ quoq; *febris ethica* est, cuius virtutes, ac robur paulatim consumit, & ad mortem æternam ducit, quapropter benè subditur: *vitiorum origo, Tinea sanctitatis*; pullulant enim, exoriunturque ex ambitione scelera quàmplurima; & si quæ in anima virtutes, ac dona spiritus, sicut tinea pannum, & caries lignum, exædit, & abrodit ambitio. Cæteras adductas S. Bernardi similitudines pòderet lector; sunt namq; ad rem de qua agimus valdè accomodatæ.

Ambitio vitiorum origo.

Ambitio, tinea quæ virtutes consumit.

19 Sed quòd veritatis huius, Sancti viri testimonium perhibeant, mirandum non est, cùm & ipsi scelestissimi homines illam fateantur; existimantes virum humanæ gloriæ cupidum, qui sua facit, vt videatur ab hominibus, & illis appareat, diabolo similem, seu in carne Satanã. Sic legimus Ioan. 8. quo loco, cùm multa Christus Dominus Iudæis prædicasset, ait Scriptura ℣. 48. *Responderunt Iudæi, & dixerũt ei: nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu: & dæmonium habes?* execrabilem hanc, & insanam calumniam, aduersus Saluatorem, qua ratione freti Iudæi, iaculent, non apparet. *Samaritanum*, appellare, præter omnem rationem est; inquit enim S. Thom. in Catena ex Origene: *dignum est quærere, quomodo Samaritani sæcula futura denegent, nec animæ durabilitatem acceptent, ausi sũt Samaritanum dicere Saluatorem qui de resurrectione, & iudicio tot, & tanta edocuit?* eodemq; modo indecens fuit dæmoniatum proclamare: *dæmonium habes*. Cùm hæc vera sint, existimo, titulo hoc, & iniuria, Dominum à Iudæis notari, quia existimabant, ad populi auram, & inanem vulgi gloriam captandam, ipsum prædicare, & signa facere, quæ sententia est Sancti Thomæ, loco citato, ex eodem Origene, vnde ait: *conuenit quoque, quòd aliqui de eo arbitrentur, quòd secundum Samaritanos sentiret, vt nihil post obitum reseruetur hominibus, sed fictè ad placendum Iudæis, de resurrectione, & æterna vita tractaret*. quasi hypocrita fictiosus, fraudulentus, qui leuem auram mundanæ gloriolæ prosequeretur; quod assumptum, seu antecedens si fuisset verum, optima quoque fuisset consequentia, & verum consequẽs; ergo *dæmonium habes*; sed quia falsum erat antecedens, falsum quoque fuit consequens, licèt consequentia, & illatio vera, & bona, nam dæmoni similis, imò illo quasi peior est, qui honorum celsitudinem, vt hominibus appareat, simulatis operibus bonis, inordinatè affectat. Quapropter vt allatæ syllogisticæ calumniæ, Dominus satisfaceret, dialecticè respondet: *ego dæmonium nõ habeo*. redditq; huius asserti rationem, negando nimirum aduersariorũ assumptum, dicẽs: *sed*, idest, *quia* (per modum causalis) *honorifico patrem meum*; additq; quod clarius est: *ego autem gloriã meam non quæro*: quasi dicat: ne suspicemini me ad vestram captandam gratiam prædicare, vt à vobis honorificer, quia non meam, sed patris mei gloriam quæro; quo tamquam vero posito, verum est quod assumit: *ego dæmonium non habeo*. Confirmat quod dicimus, S. August. citatus ibidem à Sancto Thom. in hæc verba: *deinceps post tale conuitium, hoc solum dixit de gloria sua: sed honorifico patrem meum quasi dicat, ne vobis arrogans videar, habeo quem honorificem*. Negato ergo antecedente, concedere videtur consequentiã, quæ vim habet ad concludendum, vt pro dæmone reputetur, qui non Dei, sed sui inanem, auida mente, petit gloriam.

Gloriæ inanis cupidus, dæmoni similis.

Ioan.

S. Thom. ex Orig. Samaritani animæ immortalitatem, & gloriã denegant.

Christus dæmoniacus à Iudæis dicitur quia gloriæ inanis cupidus æstimatur.

S. Thom. Orig.

Ex inanis gloriæ appetitu, dæmonis qualitates colliguntur.

Christus dialecticè Iudæis respondet.

S. Aug.

20 Ideò & inanis gloriæ, ambitionisque auctorem diabolum reputatum nouimus in sacris litteris. Sic legimus Zachar. 5. ℣. 9. *Et ecce*, inquit, *duæ mulieres egredientes, & spiritus in alis earum, & habebant alas quasi alas milui*,

Zachar.

& leuauerunt amphoram inter terram, & Cœlum, & dixi ad Angelum, qui loquebatur in me: quò istæ deferunt amphoram? & dixit ad me: vt ædificetur ei domus in terra Sennaar, & stabiliatur, & ponatur super basem suam. Expendenda est hæc scriptura, mysterijs namq; plena est. *Amphora* hæc, quam duæ istæ mulieres eleuant, & deferunt, impietatē continebat; vnde versu præcedenti 8. dixerat Propheta: *& ecce mulier vna sedens in medio amphoræ, & dixit: hæc est impietas*. S. Gregor. Pap. lib. 14. moral. cap. 16. ità exponit: *quid aliud in his duabus mulieribus accipimus, nisi duo principalia vitia, superbiam, scilicèt, & inanem gloriam, quæ impietati absque vlla dubitatione coniūcta sunt.* muliebri sexui cōparatur, qui fragilior, auidior, & imperfectior est, sicut & ambientis animus. Benè autem dicitur: *& ecce duæ mulieres egredientes*; nusquam enim, vel rarò vana mulier domo egreditur, nisi ad suā, & aliorum perniciem, sicut & hæ, quæ ad eleuandam, ostendendam, constabiliendamq; impietatem egressæ erant. Dicit autem aptè Gregorius, impietati coniunctam esse superbiam, & inanem gloriam, vt quanta sit prauitas, quæ ex ambitu prodeat, ostendat. Et si Lyrano, & alijs hoc loco, credimus, per *Impietatem, Idolatriam* denotari, non dubitanter dixerimus, etiam ad Idolatriam quandoque duci ambientem, vt supra probauimus; vel quia Idolatra aliorum efficitur ambiens, vt ipse tādem ab alijs adoretur. Addit Gregor. *quæ & in alis suis spiritum habere narrantur, quia in actionibus suis, Satanæ voluntati deseruiunt. spiritum appellat, de quo in Euangelio: cùm immundus spiritus exierit ab homine &c.* quæcunque enim agit ambiens, Diabolo consecrat, à quo & mouetur, cùm *in alis spiritus malus* sit, qui quò vult, illum agit, & ducit. Sequitur Gregor. *& habebat alas Milui. Miluus semper rapturæ studet pullorum.* Sic & ambiens, vt aliquid percipiat, quærit. Verba quæ sequuntur: *& leuauerunt amphoram inter terram, & cælum*: sic exponit: *superbia, & vana gloria habent hoc proprium, vt eum, quem infecerunt, in cogitatione sua super cæteros extollant, & modò per ambitum rerum, modò per desiderium dignitatum, quem semel captum tenuerint, in honoris altitudinem eleuent.* Nota quod *amphora*, terreum credo vas, ac vile è terra eleuatur, quia contemptibiliores quandoque, & vtinam non frequentiùs ad honores eleuantur; & quidem à mulieribus, sicut est illud Matth. 20. ℣. 20. *accessit mater filiorum Zebedæi &c. dic vt sedeāt hi duo filij mei vnus ad dexteram, & vnus ad sinistram in Regno tuo.* Congruè verò *inter terram, & Cælum* ponitur, qui per inanem gloriam eleuatur, quia vt idem subdit Gregorius: *qui inter terram, & Cœlum est, ima deserit, & ad superna minimè pertingit.* quia & si per inanem gloriam exaltetur, Cœlum tamen, & Dei gloriam minimè consequitur. *In terra* tandem *Sennaar* ducitur, vt ibi *stabiliatur, & ponatur*, nam *Sennaar, fætor eorum* interpretatur, quæ & *Babylon* idest *confusio* dicitur, vt ambientis finis dignoscatur, qui fætor, & confusio est, & fortassè gehenna ignis æterni.

Per amphorā, impietas denotatur.

S. Greg. Pap.

Ambitio, impietati coniungitur.

Vana mulier ad ruinā domo egreditur.

Lyran.

Ambiosus Idolatra.

Ambitiosus a dæmone ducitur.

Rapinæ studet.

Exterminant facies suas, vt appareant hominibus.

C A P. V.

Comptæ mulieri, adducta verba congruunt.

1 
N Hypocritas (ad litteram) adducta iaculantur verba, vti iam (suo loco) exposuimus. Sāct. Chrysost. homil. 21. in Matth. *feminis* (vt ipse dicit) *fucis, & picturis corrumpentibus facies*

Mulieres faciem exterminãt, vt appareant hominibus.

ſuas, in ſenſu morali, accomodat. Et quidem aptè, hæ namque ſicut & hypocritæ, natiuum colorem, propriáq; immutant faciem, *vt appareant hominibus*, ſed illi deformes, macilenti, attacti, ac pallentes; iſtæ verò candidæ, rubicundæ, ſpecioſæ. Simulat hypocrita in vultu ſanctitatem, quam non habet: ſuperinducit mulier in facie ſua pulchritudinem, qua caret. De hypocrita dicebat Auctor Imperfect. in Euangel. *argumentis quibuſdam pingit in facie ſua venalem pallorem: diſplicet ei natura ſua, quia non poteſt mentiri, quod nõ facit, & miſera facies carnis, argumentis quibuſdam, innocens caſtigatur, quia fraudibus non conſentit.* Sic & vana mulier, de qua dicitur Ierem. 4. ℣. 30. *cùm veſtieris te coccino, cùm ornata fueris monili aureo, & pinxeris ſtibio oculos tuos, &c.* ergo pingit, ſed non *venalem pallorem*; ſicut hypocrita, ſed potius candido, rubicundoque colore faciem ornat, vnde Votabl. vertit: *ſi pinges fuco faciem tuam*, quod eſt, medicamentis quibuſdam faciei ſuperinductis, vultum colorare, & vitia conſpectus tegere; quia *diſplicet natura ſua*, id eſt, propria forma, ſeu potius difformitas, ſicq; quodammodò *facies caſtigatur*; incredibilia enim ſunt quæ mulier in hoc vano ornatu tormenta ſuſtineat, & inter cætera vt pilos ipſos è facie violenter radicitus euellat; & hoc patitur *innocens facies, quia fraudibus non conſentit*; vult enim talis videri, qualis non eſt; fraudes autem ex mulieris malitia prodeunt, vt incautos ſeducat, cápiatq; homines. Non. n. vt eſt, ſed qualis non eſt, veluti hypocrita, picta facie apparere cupit mulier, ideò de vtroq; dicitur; *exterminant facies ſuas, vt appareant hominibus*; vt enim ait Plato dialogo 10. de Republ. *pictura non reſpicit ad id quod eſt: ſed ad id quod videtur*, & addit: *pictura in totum imitatoria, cùm procul à veritate abeſt, ipſius opus amat, & cum quadam in nobis parte procul à ſapientia remota conuerſatur, ipſiq; ſocia, ac amica eſt, ob nihil ſani, aut veri*; mentitur enim mulier compta ſicut & hypocrita, ex picta facie, vt fraudibus decipiat.

Auctor Imperf.

Ierem. Mulier vana faciem pingit.

Vatabl. Mulier ſe ornans faciem caſtigat.

Fraus cõpt arũ mulierum.

Plato.

Hypocritæ nomen ornatæ mulieri competit.

2 Ipſum hypocritæ nomen, comptæ mulieri competit, deriuatur namq; nomen hoc ab *hypo*, id eſt, *falſum*, & *triſis*, id eſt, *iudicium*, quaſi *falſum iudicium*; ſed quod magis falſum iudicium, quàm apparere qualis non eſt, & ita iudicari? ſi enim vt dicitur Eccli. 19. ℣. 26. *ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei ſenſatus*, quomodo dignoſcenda, & diiudicanda mulier, quæ faciei alterã ſuperinducit faciem? Et ſi apud Syros, *hypocrita* ſonat, *acceptor vultuum*, vel quia aliorũ vultus ad ſe accipit, dùm oculos intuentium ad ſe trahit, vel quia tot facies accipit, quot modis variè ſe colorat; Ita & mulier compta; vnde Amm. Marcell. *aliam credes*, dicere conſueuit de ea, quæ varijs modis ſe colorat, & ornat, & nunquam eadem facie cernitur: propterea de huiuſmodi feminis benè dicitur in Euangelio: *exterminant facies ſuas, vt appareant hominibus*, id eſt, vt exponit S. Hieronym. *tamquam exulem, ac relegatam, extra terminos, ſeu confines mittunt facies ſuas:* hoc namque importat verbum *extermino*, quia ſcilicèt ita picturis, ac coloribus immutant facies, vt *extra fines, & confines* à natura faciei præſtitos, veluti *exulem*, ac *relegatam faciem*, formam, & figuram propriam miſiſſe videantur. Id quod magis probant aliorum verſiones, S. Hieronym. *demoliuntur*, S. Chryſoſt. *corrũpunt, atque diſpergunt*, S. Hilar. *conſiciunt*, omnes autem huiuſmodi, & ſimiles verſiones probant mulieres fucis, ac picturis, ità facies ſuas alterare, ac immutare, vt propriam formam, imò ipſam naturalem conſtitutionem membrorum, funditus euertant, deſtruant, ac omninò conſumant, tùm quia propriam, ac naturalem ſpeciem penitus immutant; tùm etiam quia natura medicamentorum, fucorumq; quæ faciei ſuperponunt, deſtructiua, & corruptiua eſt cutis, carnis, coloris, dentaturæ,

Eccli.

Mulier ornata, acceptor vultuum.

Amm. Marcell.

S. Hieron.

S. Hieron. S. Chryſ. S. Hilar.

capil-

Tertull.

capillorum, quod his verbis adnotauit Tertull. lib. de cultu feminarum, *atqui & detrimentum crinibus, medicaminum vis inurit, & cerebro perniciem etiam cuiuslibet synceri humoris assiduitas reseruat, tùm solis animando simul, & siccando capillo exoptabilis ardor.*

Psalm.

3 De hypocrita dictum intelligitur, quod legitur Psalm. 52. ℣. 7. *Deus dissipauit ossa eorum, qui hominibus placent*; placere curat hominibus hypocrita per sanctitatis ostentationem: sic & mulier, quæ se componit per formam; ambo tamen: *vt appareant hominibus*,

S. Cyrill.

S. Cyrillus pro eo, quod nos legimus: *qui hominibus placent*, vertit: *hypocritarum*. Ex Heb *eorum, qui castramentati sunt*. Ergo *qui hominibus placere* affectat, *hypocrita* est; idemque *castrametatur*, quasi contra Deum milites, & castra ordinat, & locat, vt gloriã quæ solius Dei propria est, sibi vsurpet, iuxta S. Greg. Pap. dictum in moralibus: *hypocrita bona opera sua, in vsũ propria laudis assumit: quod solius Dei proprium est, sumit in laudem sui*. Ità & vana mulier, quæ se componit, & ornat, faciemq; pingit, *castrametatur*, & quasi contra Deum tot arma, & milites sumit, & ordinat, quot colores, picturas, & ornamenta congerit, vt vultum eum, & faciei structuram, Dei quidem opus, & imaginem destruat, ac demoliatur: in quem sensum dicebat S. Cyprian. lib. de disciplina, & habitu virginum: *quod ornari te putas, quòd putas comi, impugnatio est diuini operis, præuaricatio est veritatis.* Necnon etiam contra proximos bella adoriuntur comptæ mulieres, quorum perditionem, ruinam, mortem, & animarum iacturã faciunt; imò contra semetipsas quoq; quarum similia parantur damna, cum proprii honoris, & famę prostitutione. Quapropter S. Chrysost. homil. 21. in Matth. *Si verò*, inquit, *faciei corruptio est, propter inanem gloriam, pallidum apparere quemquam: quidnã dicendum est de fucis, atque picturis corrumpentibus facies feminarum in perditionem*

Hypocritæ castrametatur contra Deum.

S. Greg. Pap.

Ornata mulier cõtra Deum pugnat.

S. Cypr.

Compta mulier cõtra proximum, & seipsã bellum instituit.

S. Chrys.

iuuenum lasciuorum? Nam hi quidem, qui ostentant pallorem ieiunij semetipsos tantummodò: hæ verò & seipsas & eos à quibus videntur, interimunt. Et in eundem sensum sapiens monet Eccli. 9. ℣. 8. *auerte faciem tuam à muliere cõpta, & ne circunspicias speciem alienam: propter speciem mulieris, multi perierunt: & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* fuit autem *ignis* belli signum, & hieroglyphicum; vnde proclamatum est illud Virgil.

Eccli.

ignis belli signum.

Virg.

Tanti incendia belli &c.

Et Spiritus sanctus, bellum quo impugnanda, & expugnanda erat Hierusalem, *ignis* symbolo expressit Ier. 1. ℣. 13. 14. *quid tu vides? & dixi: Ollam succensam ego video, & faciem eius à facie Aquilonis: & dixit Dominus ad me: ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ &c.* Ex compta itaque muliere, concupiscentia: ex concupiscentia ignis, qui feminarum bellum contra Deum, & homines, imò cõtra seipsas, præsagitur, egreditur.

Ierem.

4 Ex his colligimus non solùm faciērum, sed & conscientiarum, animarumq; suarum, & aliorum destructores esse compositos vultus feminarum, in quem sensum facit lectio S. Chrysost. qui per *faciem, conscientiam* intelligit, *facies*, inquit, *conscientia intelligitur*. Et Auctor Imperfect. in Euangelia: *facies autem spiritualis animæ, est conscientia, vel cor.* hanc *exterminat, demolitur, conficit, & corrumpit* mulier se componens: quapropter valdè notanda, & põderanda sunt verba S. Cypriani lib. de disciplina & habitu Virginum: *sericum, & purpuram indutæ, Christum induere non possunt, auro, margaritis, ac monilibus adornatæ, ornamenta cordis, ac pectoris perdiderunt: quanta dementia id velle, quod & nouerit semper, ac noceat: & putare inde ipsa non pereas, vnde alios perijsse cognoscas?* Plinius, etsi Gentilis, hoc nouit; ait namq; loquens de ornatu feminarum lib. 9. cap. 11. *Sed quota hæc portio est reputantibus purpuras, conchylia, margaritas? parum*

Conscientiarũ destructores sunt compositus vultus feminarum.

S. Chrys.

Auct. Imperf.

S. Cypr.

Vbi ornamenta, ibi non est Christus.

Plin.

est

est, nisi qui vescimur periculis, etiam vestiamur, adeò per totum corpus, animæ hominis, periculo quæsita, maximè placent.

5 Ideò concinnè idem Plin. citato lib. 9. cap. 37. loquens de genere quodam ornamentorum mulierum, quæ sunt vniones, seu Margaritæ, inquit: *lictorem femina, in publico vnionem esse dictantes.* assimilantur huius generis ornamenta *lictori*, mea quidem ratione, quia lictorum munus erat præire Magistratus, & quoties iussi erant, virgarum fasciculos soluentes, primò virgis cedebant damnatos, mox securi feriebant, vt notat Alexand. ab Alexand. genial. dier. lib. 1. cap. 27. hoc & comptarum mulierum munus est, amatores suos verberare, ad ignominiam virgis cædere, infamiam inurere, & veluti *lictores*, vitam trucidando amputare, bona, & animam ipsam perdere. Igitur, quotiescunque in comptæ, vanæque mulieris incideris manus: Lictori, Tortori, Carnifici te traditum cogita, vnde dicebat sapiens Eccli. 9. ℣. 8 *propter speciem mulieris, multi perierunt.* Et Prouerb. 7. cùm dixisset; *vt custodiat te à muliere extranea, & ab aliena, quæ verba sua dulcia facit*, subdit ℣. 26. *multos enim vulneratos deiecit, & fortissimi quiq; interfecti sunt ab ea. Viæ inferi domus eius, penetrans in interiora mortis.* in quem sensum dicebat Tertull. lib. de cultu feminarū; *nescio an impunè abeat, qui alicui fuerit causa ruinarum, parit enim illa in tua forma, si concupierit, & admisit iam in animo quod concupiuit, & facta tu gladius illi.* manifestum rei huius exemplum legimus, Iudic. 16. de Sāpsone, mulieris meritricis, cui nomen erat Dalida, amore capto; qui prius fortitudinem, deinde oculos, tādem vitam ipsam amisit, perpēdat lector historiam satis vulgatam.

6 Euulgatum illud est, hypocritæ hieroglyphicum apud veteres fuisse malum punicum, quod purpureo, lepidoq; colore in cortice, & exteriùs cùm appareat, intùs tamen quandoque emarcidum est; vnde illud Horatij:

> *Sed videt hunc omnis domus, & vicinia tota*
> *Introrsum turpem, speciosum pelle decora.*

De quo fortasse intelligendum est illud Dauid Psalm. 27. ℣. 4. *qui loquuntur pacem cum proximo suo*, hic cortex est exterior pulcher; subdit marcorem internum: *mala autem in cordibus eorum.* In hoc quoque non dissidet ab hypocrita, mulier compta, & vana, cùm & ipsum, *Malum*, Deæ Veneris fuerit hieroglyphicum, vt notat Pier. Valer. lib. 54. Porrò faciei pulchritudinem, & feminarum genas mali punici cortici comparari, in sacris litteris, sole clarius est. sic Canticor. 4. ℣. 3. sicut fragmen *mali punici, ità & gena tua.* Et cap. 6. ℣. 6. *sicut cortex mali punici, sic gena tua.* quia verò de sancta Dei anima, & sponsa, seu Virgine Deipara, cuius interna, exterioribus erant consona, erat sermo, ideò ibi subditur: *absque eo quod intrinsecus latet*; hìc verò: *absque occultis tuis.* erat verò color hic in piæ animæ vultu non adscititius, & fucis elaboratus, sed naturalis, vel etiā ex virtute modestiæ, & pudoris procedens: propterea Nazianzen. aduersus mulieres se ornantes: *vnicus*, inquit, *color in mulieribus amabilis est, rubor nimirum ille, quem parit pudor à Pictore nostro pingitur.* E contra vana mulier, & compta picturis, & coloribus se ornat, & fucat, faciemq; pulchram, & speciosam in cortice, & superficie reddit: *& exterminat faciem suam vt appareat hominibus*, in sensu, quem innuimus; sed aliud est, & pessimū *quod intrinsecus latet*, seu *absq. occultis tuis*, & quidem si ipsummet materiale corpus inspiciamus, licèt *cortex*, seu *facies* veluti *punicum malum*, lepido colore artificiosè tincta sit: emarcida tamen, ac fætida intrinsecus est: sic experimento probant amasij, & docet Innocent. de vilit. condit. humanæ: *absit*, inquiēs, *vt adulterinus color comparabilis sit natiuo, quinimò cùm facies adulterino colore fucatur, os abomina-*

Marginalia (left): Plin. — Ornamenta mulierum carnificis munus obeunt — Alex. ab Alex. — Eccli. — Prouerb. — Tertull. — Iudic. 16 — Malum punicum, hypocritæ hieroglyphicum.

Marginalia (right): Horat. — Psalm. — Malum punicum, vanæ mulieris typus. Pier. Val. Cāt. cant. — Pulchritudo externa B. V. & piæ Animæ, interiori consonat. — Pudor feminarum comendatur. Nazianz. — Fœditas corporalis, cōptæ mulieris. — Innocent.

bili fator corrumpitur. Et S. Cyprian. lib.de disciplin. & habit. virgin. *Cōpta*, inquit, *turpitudinem, fæditatem meruerunt*. Et Tertull.lib. de cultu feminarū: *decorum putāt quod inquinant &c. quis decor cum iniuria? quæ cum immunditijs pulchritudo?* Si de moribus comptæ, vanæq; mulieris loquamur, putredinem, marcoremq; quàm maximum in illa reperiemus. sic tradit Sapiens, Prouerb 12.℣.4. *mulier diligens, corona est viro suo: & putredo in ossibus eius, quæ cōfusione res dignas gerit*. porrò per *mulierem diligentem*, casta, honestaque mulier intelligitur; hinc Hebraicè: *mulier virtutis*: Chaldaicè verò: *mulier honesta* traducitur. mulieri huic, illa opponitur, *quæ cōfusione res dignas gerit*, suis inquàm prauis actionibus, & viuēdi licentia non honesta, *in cuius* meritò *ossibus putredo* distenditur: clariùs ex Hebræo: *& velut putredo in ossibus pudore afficiens*; quæ verba etsi de *ossibus*, ac *putredine* morum intelligātur, etiā de putredine materiali, gallico fortasse morbo contracta, exponi posse nō dubito.

Tertull. Mulier se componēs mores cōtaminat.

Prouerb.

7 De feminis hoc modo se ornantibus, & quæ facies pingunt suas, *vt appareant hominibus*, quibus placeant: sub hypocritarum figura loquitur Ierem. cap.2. cùm enim meretricis metaphorā assumpsisset ℣.20. *in omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix*, eandem retinens loquendi rationem, subdit ℣.33. *quid niteris bonam ostendere viam tuam, ad quærendam dilectionem?* ex Hebræo: *quid niteris pulchras facere vias tuas, vt quæras dilectionem?* quasi (in sensu morali) velit dicere: tu quidem deformis es, à natura pulchritudinis dotem minimè consequuta, ad quid, & ob quē finem tanto conatu te crucias, vt te ornes, & componas, & pulchra fias, vt illud tandem assequaris, quòd ab amasijs turpiter diligaris? Addit: *insuper & malitias tuas docuisti vias tuas*, hoc est, malitia illa, & industria, quæ tot modis te ornare, & componere edocuit, etiam *vias tuas* contaminauit; idest, vanitas illa, & placendi hominibus turpe desiderium, gressus tuos, incedendi modum, seu incessum mollem, & quasi saltatorium ità deturpauit, & inhonestauit, vt vel ex hoc, sicut etiam ex nimio corporis cultu, vanitatis arguaris; sicut est illud Eccli.19.℣.27. *amictus corporis, & risus dētium, & ingressus hominis enunciant de illo*. Complet intentum quod subdit ℣.34. *& in alis tuis inuentus est sanguis animarum pauperum, & innocentum*. comparat mulierem comptam, & meretricem aui rapaci, vnde S.Tho. *loquitur*, inquit, *ad similitudinem auis rapacis &c.* neq; hoc nouum, aut insuetum, vt rapacibus auibus mulier comparetur; sic quoque legimus, & citatus S.Thom. adducit locum apud Zachar. Prophetam, de mulieribus, quę amphoram, in qua impietas condita erat è terra eleuauerunt, & in terram Sennaar adduxerunt. cap.5.℣.9. *Et ecce duæ mulieres egredientes, & spiritus in alis earum, & habebant alas quasi alas Miluî*. Est autem Miluus rapacissimum animal, propterea in rapacem hominē dictum est illud Plaut. in Pæn. *malè ego metuo miluos*. congruit quoque nominis Milui significatum *hypocritæ*, & mulieri cōptæ; dicitur enim *miluus* à molli volatu, qui lasciuarum mulierum gressum, & mollitiem imitatur, & fictitiam edit vocem hypocritis similem, qui aliud habent in ore, aliud in corde seruāt, iuxta illud Matth. 15. ℣. 8. *populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me*: aptè ergo ait Ieremias: *in alis tuis inuentus est sanguis &c.* rapax enim auis, dùm prædam discerpit, ac dilaniatur, non solùm os, sed & corpus, alas, vngues cruentat; Cui perassimilis est compta, & vana mulier, quæ aliorum bonis impletur, & tandem vitam ipsam adimit, propterea loquens de muliere meretrici ait Salomon Prouerb.15. ℣. 9. *ne des alienis honorem tuum & annos tuos crudeli, ne fortè impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sint in domo aliena, & gemas in nouissimis, quando consumpseris carnes tuas, & cor-*

Mulier compta, hypocritæ cōparatur

Ierem.

Mollis incessus mulieris, vanitatis indicium.

pus tuum. Quod autem dicit Zacharias: *& spiritus in alis earum*, facit sensum, quòd hæ mulieres, *diabolum* habebant *in alis*, nam *spiritus* malus ille erat, vnde S.Gregor.Pap.lib.14.moral.cap.16 *spiritum*, inquit, *appellat*, *de quo in Euangelio: cùm immundus spiritus exierit ab homine &c.* in bona itaque consequentia mulieres hæ, & quæ his similes sunt, *diabolum habent in alis*: cùm enim alæ ad hoc auibus à natura præstitæ sint, vt per aerem discurrere, vagarique valeant: non incongruè dictum putauero, vanas mulieres à diabolo excitari, & moueri ad discurrendum per vicos, & plateas Ciuitatis ad deceptionem, & ruinam hominum; Italicè diceremus: *hanno i diauoli alli piedi*, in quẽ sensũ à Sapiente credo dictũ Prouerb. 5. ℣. 5. 6. *pedes eius descendunt in mortẽ, & ad inferos gressus illius penetrant. per semitam vitæ non ambulant, vagi sunt gressus eius, & inuestigabiles*. sedeant ergo in angulis, & abditis domus locis, fæminæ.

S.Greg' Pap.

Mulier vana diabolũ habet in pedib.

8 Exoritur autem dubium, cur dicat Ieremias: *sanguis animarum pauperum, & innocentum*, exsauciari nãque, & cruentari huiusmodi mulieres sanguine scelestium peruersorumq; hominum, illorumq; bonis impleri, scimus, & videmus; sed quid commune impudicis, vanisq; feminis cum pauperibus, & innocentibus? Dici potest, etiam *pauperum* exugere sanguinem comptã mulierem, vel quia etiam pauperes, sudores suos, & bona vnde victum transigebant, in mulierum impudicarum vsum erogãt, vel *pauperes* appellat, per suppositionem distractionis, eos, qui diuites cùm essẽt, amore capti, ad pauperiem deuenerunt. Vel alia ratione: quia Principes, ac Domini vassallorum, & seruorum diripiunt bona, mercedes debitas nó soluunt, vt mulieribus clargiantur. Et ideò fortasse eadem ratione dicitur *Innocentum*, nam eorum quoq; qui in culpa non sunt, nec malo consentiunt, sanguis exugitur, vt in mulierum lasciuarum commodum erogetur. Vel certè, *Innocentum*, eò enim vsque malitia, nequitia, & versutia comptæ mulieris pertingit (adiuta tamen à nequissimo spiritu, quem *in alis* habet) vt *Innocentes* quoque, nocentissimos faciat, & ad scelera, consumptionemque omnium perducat.

Vana mulier, diuites, pauperes facit.

Sanguis pauperũ, & innocentum, in vsum vanæ mulieris erogatur.

9 Dat occasionem, aliter, prædictã scripturam interpretandi Vatablus, qui sic legit: *sub veste tua inuentus est sanguis &c.* Et ferè eodem modo vertit Sanctes Pagninus: *in oris vestimentorũ tuorum*, sumendo *vestes* pro *alis*; & quidem rationabiliter, & pulchrè fit huiusmodi allusio *vestium* ad *alas*; sicut namque minimè aues euolarent sine alis, ità nec mulieres vagæ, & quietis impatientes discurrerent, si prætiosis non induerentur vestibus; sicut autem si pennas, & alas auibus euulseris, volatum adimis: ità si vestium pompositatem, & ornamenta feminis ademeris, domi morabuntur, vt enim suam vanitatem, & pulchritudinem ostentent domo egrediuntur, vt spectabiles appareant. Si verò quod dicit Ieremias: *sub veste tua*, seu *in oris vestimentorum tuorum*, cum Zachariæ dicto conferas: *& spiritus in alis earum*, sic legi poterit: *& spiritus*, idest, *diabolus in vestibus earum*, aut *in ornamentis earum*; vestiũ namque pompositas, ornamenta muliebria, vultuumque fucationes, diaboli magisteria sunt: cõsonat S.Cypriani dictum lib. de disciplin. & habit. Virgin. *Neque enim*, inquit, *distinctis auro capillis, & margaritis contexta serie, & numerosa compage digestis, monilia Dominus instituit, quibus ceruicem, quam fecit, absconderes, vt operiatur id, quod Deus in homine formauit, & conspiciatur id desuper, quod diabolus adinuenit*: dilucidiùs idipsum dixit S.Ambr. lib. 1. de Virg. *mulier*, inquit, *sic ornata, est domus omnium dæmoniorũ infernalium*. Et Tertull. lib. de cultu feminarum: *quod nascitur*, inquit, *opus Dei est, ergo quod fingitur, diaboli negotium est*. Alio sensu, *in vestibus, & ornamentis mulierum inuenitur sanguis animarum pau-*

Vatabl.

Pagnin.

Ornamenta sũt alæ mulierũ impudicarum.

Diabolus est in ornamentis vanæ mulieris.

S.Cypr.

S.Ambr.

Tertull.

perum,

Ornamenta feminarum, sanguinē mercatorū, & artificum continet.

perum, & innocentum: quia ornamentorum, ac vestium pretia mercatoribus, & artificibus non exoluuntur; sunt autem pretia, sanguines illorū, cùm ex illis sui, suorumq; ac familiæ transigant victum, quem sudoribus, & sanguine ipso compararunt. Vel fortalsè ideò, quia quod nimio cultui impenditur, & luxus nimietati tribuitur, pauperibus subtrahitur, iuxta decantatum illud S. Ambrosij dictum: *si non pauisti, occidisti*.

Genes. Mulier, ædificio comparatur. Lyran.

Loquens Spiritus sanctus de primæ mulieris efformatione, ait Genes. 2. ℣. 22. *& ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem*: quo loquendi modo, vt ait Lyran. *formationem mulieris exprimit per modū ædificationis (vt dicit Rabisa.) & verum est*, similem exponendi rationem habet S. Chrysost. homil. 15. in Genes. vbi Deum, in formationæ Euæ, Architectum appellat: *quanta*, inquit, *optimi architecti Dei potentia, quæ ex tantilla particula* (nimirum ex Adæ costa) *tàm elegantia membra concinnauit, tantos formauit sensus &c.* Non sic dicitur de formatione hominis, sed dicitur Genes. 1. ℣. 26. *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, &c.* & ℣. 27. *& creauit Deus hominem ad similitudinem suam, &c.* similiter mulierem domui, & ædificio comparat Salomon Prouerb. 19. ℣. 13. *tecta iugiter perstillantia, litigiosa mulier*, & cap. 27. ℣. 15. *tecta perstillantia in die frigoris, & litigiosæ mulier comparantur.* Igitur vetustate quasi diruto ædificio, collapso, & denigrato, mulier à Sapiente comparatur: sicut autem reficiuntur domus, & ædificia huiusmodi, & noua quodammodo apparent si calce incrustentur, ac dealbentur; plus verò si picturis, & coloribus decorentur, & illustrentur; ità & mulieres, quæ fortè ætate vetustæ, infirmitate quasi dirutæ, natura indecoræ, ac deformes, dum facies suas, totumque corpus componunt, medicamina quædā superponunt, quibus vultus incrustant; dūq; his colores

S. Chrys. Deus architectus in formatione mulieris.

Genes.

Prouerb.

Mulier indecora, quasi diruth ædificium.

Incrustat se, dealbat & colorat mulier, vt domus noua appareat.

etiam addunt, veluti se pingunt, veluti vetustam reficiunt, dealbant, colorantque domum, *vt appareant hominibus*. Hanc loquendi metaphoram assumpsit Dominus in hodierno Euangelio, dixit enim: *exterminant facies suas*, vel vt Sanct. Hieronym. transtulit: *demoliuntur facies suas*, inquam, quas à natura, & à Deo acceperunt, & quæ veræ sunt; has *demoliuntur*, & quasi vetus, & præexistens ædificium diruunt, nouumque ædificant, & construunt, non tamen verum, ac reale, sed apparens: *vt appareāt*. Ex quibus colligo, seuerè à Deo puniēdas vanas mulieres, quæ hoc modo facies componunt; Namq; Textus in l. hi qui ædes ff. ad legem Iul. de vi publica, inquit, *hi, qui ædes alienas effregerint, expugnauerint, capite puniuntur*. Dei opus, & ædificium mulier est, vt diximus; hoc diruit mulier fucis se componens, & colorans: *demoliuntur facies suas*, inquit S. Hieronym. Nec non etiā impugnant, & expugnant opus, & ædificium Dei, sic S. Cyprian. lib. de discipl. & habit. virgin. *quod*, inquit, *ornari te putas, quod putas comi, impugnatio est diuini operis*: reliquum ergo est, vt pæna per legem statuta huiusmodi mulier, *capite*, scilicèt, *puniatur*, æterna vita priuetur.

S. Hi...

l. qui ff. ad Iul. de publ.

S. Cy...

Pœna lieris comp... ur.

11 Quantum mulieres hoc modo se ornantes, delinquant, ex eo colligitur, quòd contra Deum peccant; quapropter dicebat Tertull. lib. de cultu feminarum: *in illum*, puta Deum, *delinquunt, quæ cutem medicaminibus vngunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt, &c.* Pænam verò gehennæ æternam, sibi, suis ornamentis, cōparare, imò etiā præsagire, docet idem Tertull. loco citato his verbis: *malè, ac pessimè sibi auspicantur flammeo capite*, quasi flammeis, seu croceis capillis, inferni præsagium portendant: nam croceus, ac flammeus color, idem dicitur. Hunc locum imitatus S. Cyprian. Martyr lib. de discipl. & habit. virg. dixit: *audaci conatu, & sacrilego contemptu, crines tuos inficis, malo præsagio futuro-*

Con... mu... rau... delin... Tert...

Orna... ta ge... ne pr... gium Tert...

S. Cy...

rum: capillos iam tibi flammeos auspicaris. Idipsum confirmat S. Hieronym. ad Lætam de institutione filiæ: *nec caput,* inquit, *gemmis oneres, nec capillum irrufes, & ei aliquid de gehennæ ignibus auspiceris.*

S.Hieron.

12 Dei indignationem maximam, & pænam grauem peccatoribus infligendam, describit Propheta Amos cap. 2. ℣. 13. *Ecce ego stridebo subter vos, sicut stridet plaustrum onustum fæno.* Idest, vt exponit Theodor. *tantis vos onerabo supplicijs, vt lugeatis, & gematis, sicut plaustrum graui onere pressum, interea dum trahitur, gemebundo stridore concrepat.* Et S. Hieronym. *vltra,* inquit, *non sustinens peccata, quibus diù prægrauatus sum, sicut plaustrum stipula, vel fæno; tradam vos incendio sicut stipulam, & clamabo, &c.* tanti autem excidij, & pænarum causa, quæ fuerit, explicat idem Propheta, eò quòd Nazaræis, quibus in lege vetitum erat vinum bibere, pocula porrigebant, & ad bibendum inuitabant; Italicè diceremus: *faceuano brindisi*, ideò dicebat Amos: *propinatis Nazaræis vinum,* hoc est, vina ostendentes, & exhibentes, ad bibẽdum Nazaræos, quibus vinum bibere vetitum erat, pellicebatis, quo allecti Nazaræi, contra legem, & Deum peccabant, quia verò sic agebant & peccandi occasionem porrigebant, minatur Deus: *stridebo subter vos, sicut stridet plaustrum onustum fæno.* Huic rei simile prorsus est, quod mulier suo vano ornatu, & compositione vultus agit; quapropter eandẽ Dei indignationem, & pænam non absimilem sibi comparare, cõgruum esse, non dubito. mulier, eiusque pulchritudo vino, per allusionem, & metaphoram comparatur, Prouerb. 23. cùm enim dixisset ℣. 27. *fouea profunda est meretrix, & puteus angustus aliena, &c.* subdit, ℣. 31. *ne intuearis vinum quando flauescit,* quando, inquàm, mulier capriosо artificio flauos, croceos, seu flammeos reddit capillos, ac crines, & vultum colorat, & pingit, vnde subdit statim *cùm splenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut Regulus venena diffundet; oculi tui videbunt extraneas &c.* De hoc vino epotari, & alienis poculis inebriari prohibitum est, Deuteron. 5. ℣. 20. *non concupisces vxorem proximi tui.* Matth. 5. ℣. 28. *omnis, qui viderit mulierem ad concupiscẽdum eam, iam mæchatus est eam in corde suo:* quando ergo se componit, & ornat mulier, quid aliud facit, nisi eos ad bibendum, & ad inebriandum allicere, quibus mæchari cautum est, qua dicendi metaphora vsus est etiam Ierem. cap. 2. ℣. 25. mulieri meretrici loquens: *prohibe pedem tuum à nuditate, & guttur tuum à siti,* idest, vt exponit etiam ex Recentioribus, Pineda in Iob cap. 31. ℣. 10. num. 81. ne crura discooperias amasijs tuis, & os vuluæ, quod numquam exsaturatur, ne tradas ad libidinem alijs, in cuius expositionis comprobationem, subdit statim Ierem. *& dixisti, desperaui, nequaquam faciã: adamaui quippè alienos, & post eos ambulabo.* Neque simpliciter vinum, sed mixtum venenum propinat, & porrigit ad exitium; ideò præallegato loco dicebat Sapiens: *in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut Regulus venena diffundet.* totum hoc quod dicimus, elegãter sanè (vt assolet) tradit S. Hieronym. ad Nepotianum: *si vir,* inquit, *vel mulier se ornauerit, & vultus hominum ad se prouocauerit: & si nullum inde sequatur damnum, iudicium tamen patietur æternum, quia venenum attulit, si fuisset, qui biberet:* inuitat ergo, allicit, & quodammodo, vt Italicè dicam: *fa brindisi,* cùm pulchritudinem, quam fucis super inductis ostentat, propinat, ac porrigit vana mulier nimio ornatu, dùm hominibus apparere vult, sicut etiam viri feminis. In quem sensum, dixit quoque Tertull. lib. de cultu feminarum: *Non de integra conscientia venit tibi studiũ placendi per decorem, quem naturaliter inuitatorem libidinis scimus: quid igitur in te excitas malum istud? quid inuitas, cuius te profiteris extraneam?* Et

Marginalia: Amos. — Theodor. — S.Hieron. — Occasionem dans peccandi, grauiter punitur. — Mulier se componẽs ad bibendum, & peccandũ inuitat. — Pulchritudo, vino compa ratur. — Prouerb. — Deuteron. — Ierem. — Pineda. — Vinum, & venenum propinat mulier se cõponens. — S.Hiero. — Tertull.

vult dicere mulierem suo vano ornatu, & fucis, se, & alios *inuitare, & excitare ad libidinem*, quam verbis tantùm cauere ostendit, re tamen, & opere profitetur.

13 Execrandum sanè facinus illud extitit, quod ex Iudæis aliqui perpetrarunt, dùm in domo Chaiphæ Principis Sacerdotum, & Præsidis colaphis Christus cæditur, vnde dicit Euangelista Matth. cap. 26. ℣. 67. *Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt &c.* & Ioan. 18. ℣. 23. *vnus assistens ministrorum dedit alapam Iesu*, quod opprobrium maximum, & omnibus præcedentibus illusionibus grauius extitisse, haud incongruè dici poterit. Cæteras namque omnes perpessas in passione ignominias, libēter pertulit, nihilq; respondit: hoc autem alapæ opprobrium, & si patienter sustinuit, respondit tamen Ioan. 18. ℣. 23. *si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem benè, quid me cadis?* sitiuit, esuriuitq; semper Christus passionem, & opprobria crucis; numquam tamen ad satietatem illa pertulit; incendebatur patiendi ardor, quanto magis patiebatur, & tormenta ipsa, esuriem parturiebant tormentorum, vnde morti proximus in Cruce, inter duos latrones pēdens, tot completis passionibus, & ignominijs, adhuc famelicus, & sitiens, non expleta cupiditate, clamat Ioan. 19. ℣. 29. *sitio*, noua, scilicèt, tormentorum genera, & maiora. Vnū tamen est, quod ad satietatem vsque suffecisse, & infinitam patiendi Christi famem, & ignominiarum sitim adequasse quodammodo, & explesse videtur, ita vt quid vltra exoptare Christus potuisset, non appareat, nimirum cæsionem vultus, faciei percussionem per alapas, vnde dicitur Threnor. 3. ℣. 30. *dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobrijs, opprobrijs*, inquàm, quæ ex maxillæ percussione resultabunt (copulatiuè enim illa duo sunt intelligenda) his igitur *opprobrijs saturabitur*, ac explebit sitim, ac famem, quasi sufficiat hæc vna tantùm ignominia ad explēdum infinitum illum patiendi ardorem. Hanc eandem Christo inurunt ignominiam mulieres, quæ se ornant, & componunt; quot faciei superimponunt medicamina ad vanæ pulchritudinis ostentationem, tot Christo dant alapas, & in Dei faciem manus mittunt. satis aptè, & apertè id tradit S. Cyprian. lib. de habit. virg. *feminæ*, inquit, *manus Deo inferunt, quando id, quod ille formauit, reformare, & transfigurare contendunt: nescientes quia opus Dei est omne, quod nascitur, diaboli quodcumque mutatur*. Immò ad ignominiam maiorem, ipsemet diabolus manus Deo inijcit, faciemq; cædit, cùm vana mulier se componit, faciemq; pingit, & colorat; hinc Tertull. lib. de cultu feminarum: *quis*, inquit, *corpus monstraret mutare, nisi qui & hominis spiritum malitia transfigurauit?* idest diabolus, qui primos parentes, mutata in serpentem effigie, decepit: *ille*, subdit Tertull. *indubitatè huiusmodi ingenia concinnauit*, vt mulieres faciem componere suam, & vultum mutare, & transfigurare discerent; quid autem hac concinnatione agāt mulieres, immò diabolus in eis, addit: *vt in nobis quodam modo manus Deo inferret*.

14 S. August. de serm. Domini in monte ipsam facierum compositionē, & fucos vultuum, picturæ comparat, ait enim: *quanta amentia est, effigiem mutare naturæ, picturam quærere &c.* quod etiam probauimus numer. 1. Ex quo colligimus, quàm grauiter errent mulieres sic se ornantes, quaq; vltione dignæ fiant; tali namq; colorum, fucorumque super faciem additamento, in diaboli supellectilem transeunt, dùm quod Dei est, & manuum illius opus (picturis super inductis) in dæmonis dominium, & ius transferunt. Sancitum legimus §. si quis in aliena tabula Institutionibus de rerum diuisione: *si quis in aliena tabula pinxerit, quidā putant tabulam picturæ cadere: alijs videtur picturam, qualiscumque sit, tabulæ cadere. Sed nobis videtur, melius esse,*

Matth.

Ioan.

Ignominiosa quā fuerit Christi percussio in facie.

Ioan.

Ardor patiendi in Christo numquā expletus.

Ioan.

Faciei percussio famem, sitimq; patiendi explet.

Thren.

tabu-

tabulam picturæ. Ridiculũ est enim picturam Apellis, vel Parrhasij in accessionem vilissimæ tabulæ cadere. Hic est casus mulieris se componentis, faciemque coloribus, fucisque pingentis. Dei opus, & res mulier est. deformem, & nullius æstimationis dignam se iudicat; idcirco pingit se; immò per eam, pingit faciem eius diabolus exquisito artificio, ait namque Tertull. lib. de cultu feminarum: *ille* (scilicèt diabolus) *indubitatè huiusmodi ingenia concinnauit.* Additque, *displicet illis plastica Dei: in ipsis redarguunt, reprehendunt artificem omnium: reprehendunt enim, cùm emendant, cùm adijciunt, vtique ab aduersario artifice sumentes additamẽta, idest, à diabolo.* Et S. Cyprian. de habit. virgin. *opus Dei est omne quod nascitur, Diaboli quodcumque mutatur:* quid ergo reliquum est iuxta legis præscriptum, nisi quòd vilis tabula faciei mulieris, sic aptè, & perbellè ornata, & picta, in pictoris diaboli bona computetur, & picturæ tabula cædat, & in diaboli dominium transferatur, quæ Dei opus extitit, sicque mulierem totam diabolus possideat?

Diabolus pingit facies feminarum.

Tertull.

S. Cypr.

Mulier se ornans in diaboli dominiũ.

15 Quia verò, in picturæ similitudine sumus, recolo quod refert Plutar. in Demetrio; *Demetrius*, inquit, *Rex cùm Rhodum obsideret, & in suburbio cepisset tabulam quandam, Protogenis clarissimi Pictoris opus, in qua pinxerat Ialysum, idest, Bacchum; Rhodijs per caduceatores obsecrantibus, vt tabulæ parceret, respondit: se citius patris imaginem, quàm eam picturam aboliturum; tantùm honorem habuit arti Rex.* Simile quid est, quod traditur lib. 6. apophtegmat. *Arato destinanti tyrannorum communi odio, abolere tabulam insignis artificij, quæ Aristratum in curru victorem habebat: Neacles supplex intercessit, vt opus incolume seruaretur, dicens: cum tyrannis, non cum tyrannorum imaginibus belligerandum esse.* Mulier pictura Dei est, opificis Dei manu elaborata, imò Dei ipsius imago, & simulachrum; inde dicitur Genes. 1. ℣. 27. *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. &c. Et creauit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creauit illum: masculum, & feminam creauit eos &c.* vana mulier, faciem colorans, & pingens, Demetrio Tyranno sæuior, non Dei Bacchi, sed veri, & summi Dei effigiem in se ipsa efformatam, manuum Dei opus, & picturam, naturæ, & arti, imò artifici diuino minimè parcens, deturpare, imò abolere non veretur, dum candido, rubicundoque colore linit faciem, fucat vultũ, vtq; *hominibus appareat, faciem suam exterminat*, & Dei picturam delet. Satis pulchrè, & falsè totũ, quod dicimus, eandem similitudinem retinens, docuit S. Ambros. præfatum Genesis locum expendens lib. 6. Hexamer. cap. 8. *pictus es*, inquit, *homo, & pictus à Domino Deo tuo; bonum habes artificem, atque pictorem. Noli bonam delere picturam, non fuco, sed veritate fulgentẽ, non cera expressam, sed gratia. Deles picturam mulier, si vultum tuum materiali candore oblinas, si exquisito rubore perfundas.* Quàm verò grauiter delinquat, seque alios, Deumque offendat mulier sic se componens, ostendit S. Ambros. subdens: *illa pictura vitij est, non decoris: illa pictura fraudis, non simplicitatis est: illa pictura temporalis est, aut pluuia, aut sudore tergitur: illa pictura fallit, & decipit, vt neque illi placeas, cui placere desideras, qui intelligit non tuum, sed alienum esse quod placeas: & tuo displiceas auctori, qui videt opus suum esse deletum.* Eleganti similitudine, idipsum sequitur S. Ambros. explicare: *Dic mihi*, inquit, *si supra artificem aliquem inducas alterum, qui opus illius superioris, nouis operibus obducat, nonne indignatur ille, qui opus suum adulteratum esse cognouerit? noli tollere picturam Dei, & picturam meretricis assumere, quia scriptum est 1. Corinth. 6. tollam ergo membra Christi, & faciam membra meretricis? absit. Quòd si quis adulterat opus Dei, graue crimen admittit; graue est enim crimen, vt putes quòd melius*

Plutar.

Auctor apophth. Homo, Dei pictura est.

Genes.

Mulier se componẽs Dei picturã delet.

S. Ambr. Homo, Dei pictura, quam delet mulier se colorans.

Quæ mala in picto vultu feminarũ.

Graue crimen faciem coloribus immutare.

te

te homo, quàm Deus pingat, graue est, vt dicat de te Deus, non agnosco colores meos, non agnosco imaginem meam, non agnosco vultum, quem ipse formaui, reijcio ego quod meum non est, illum quære, qui te pinxit, cum illo habeto consortium, ab illo sume gratiam, cui mercedem dedisti: quid respondebis? Hæc S. Ambros. quæ quoniam satis dilucida sunt, lectori ponderanda remittimus. Interim hoc solùm noto in Ambrosii sententia, dæmoni remitti, Deoque incognitam fieri mulierem, quæ sic se ornat, vnde idem Ambr. lib. 3. de virgin. explicans illa verba Cantic. 5. ℣. 7. *tulerunt pallium meum custodes murorum*, postquam exposuit per *custodes murorum*, Angelos custodes nostros debere intelligi, subdit: *tulerunt pallium meum, quia sine integmento, quis in illam calestem Ciuitatem debet introire; nulla secum deferens integmenta fucorum*: ergo extra Dei domum, & patriam cælestem fiunt comptæ mulieres.

Ambr.

Ambr.

Cantic.

Mulieres comptæ, extra patriam cælestem.

16 Mira quidem feminarum versutia, & præsumptio; audent namque facere quod Deus vetuit, & possibile æstimant, quod veluti impossibile omnium opifex dijudicauit. Verba Domini sunt Matth. 5. ℣. 36. *Ego autem dico vobis non iurare omninò, neque per cælum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum est pedum eius: neque per Ierosolymam, quia ciuitas est magni Regis: neque per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum album facere, aut nigrum*, Dei ergo est caput tuum, per quod tibi iurare non licèt, eò quia ipse capillos tibi tradidit, tuque mutare non vales. Superba tamen, & vana mēs tua, quo capillos mutare posset, faciemq; mutare (quasi reuincens Deum) modū adinuenit. Notauit hoc Tertull. lib. de cultu feminarum, expendens adducta Matthæi verba: *hæ* (ad feminas inquit) *quæ reuincūt Deum. Ecce, inquiunt, pro albo, vel atro flauum facimus, gratia faciliorem: quā uis & atrum ex albo conantur facere, quas pænituit ad senectam vsque vixisse, prob temeritatē, erubescit ætas exoptata votis, furtum confitetur, adolescentia, in qua delinquimus, suspiratur, occasio prauitatis interpellatur: absit à sapientiæ filiabus stultitia tanta.* Erubescere debemus, quòd filij huius sæculi prudentiores filijs lucis sint, dùm plùs cogitant quomodo appareant, & placeant hominibus, quàm nos Deo, id quod (vt legimus Ecclef. histor. lib. 8. cap. 1.) doluit Pambo quidam apud Athanasium cùm Alexandriæ esset; vidissetq; mulierem maximo vestitus apparatu superbientem, fleuit: interrogatus verò, cur tantopere lachrymas effunderet? respondit: *Duæ res sunt, quæ me mouent, vna quidem est huius mulieris perditio, altera verò, quòd ego, qui nomen Christiani profiteor, non tantùm studeo placere Deo vitæ innocentia, quantùm hæc mulier, turpibus placere cupit hominibus.* Mutent, velim, hæc ornamenta, mulieres, & cultus quem circa corpus exhibent, *vt hominibus appareant*, & placeant, circa animam impendatur; & vt ait Tertull. lib. de cultu feminarum: *prodite vos iam medicamentis, & ornamentis extructæ Apostolorum, sumentes de simplicitate candorem: de pudicitia ruborem: depicta oculos verecundia, & spiritus taciturnitate: inserentes in aures sermonem Dei; annectentes ceruicibus iugum Christi. Caput maritis subijcite, & satis ornatæ eritis. Manus lanis occupate: pedes domi figite, & plusquàm in auro placebūt: vestite vos serico probitatis: byssino sanctitatis: purpura pudicitiæ: taliter pigmentatæ, Deum habebitis amatorem*: hanc enim intrinsecus constitutam pulchritudinem Deus amat, hanc exquirit, non illam quæ foris hominum oculis visenda exponitur, *exterminando faciem, vt hominibus appareant*, vnde & B. Petrus Apostolus dicebat epistola 1. cap. 3. ℣. 3. *quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus: sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti, & modesti spiritus,*

Mulier se componens, temeritatis arguitur.

Matth.

Tertull.

qui

qui est in conspectu Dei locuples, alioquì dici de ijs poterit, quod S. Cyprian. docuit lib. de habit. virgin. *ornamenta*, inquit, *ac vestium insignia, & lenocinia formarum, nonnisi prostitutis, & impudicis feminis congruunt, & nullarum ferè pretiosior cultus est, quàm quarum pudor vilis est.* Nota in verbis Cypriani ly *lenocinia formarum*, quæ verba in hunc sensum libet exponere, quòd scilicèt, compositus vultus, lenonis vices agat, dùm intuētes allicit ad libidinem; & si in l. palàm ff. de ritu nupt. dicitur: *lenocinium facere non minus est, quàm corpore quæstum exercere*; quasi maius est quod mulier se componens, agit, ait enim S. Aug. de serm. Domini: *quanta amentia est, effigiem mutare naturæ picturam quærere, tolerabiliora propemodùm in adulterio crimina sunt, ibi enim pudicitia, hìc natura adulteratur.* Vtinam mulieres hoc capiant: capiant etiam & viri, quibus vanus ornatus incongruentior; præcipuè capillorum nimietas, quæ hodie valdè in vsu est, contra Apostoli dictum 1. Corinth. 11. ℣. 5. *vir si comam nutriat, ignominia est illi.* Et audiant dicentem S. Cypr. serm. de ieiun. & tentat. Christi, *in domo huius Regis* (scilicèt diaboli) *sunt, qui paludamentis talaribus pauimenta verrentes, capillis muliebribus, se in feminas transfigurant, & dignitatem virilem, non sine naturæ iniuria dehonestant.* Diaboli ergo auclius est, & familiaris vir ille, qui sic se componit.

S. Cypr.

Mulier se componēs lenonis officio fungitur.

L. palàm ff. de ritu nupt.

S. Aug.

1. Corint.

S. Cypr.

Vir se cōponens, diaboli aulicus.

Ne videaris hominibu ieiunans sed patri tuo, qui est in abscondito.

Sacer text.

CAP. VI.

Opera bona, hominibus abscondantur, Deo tantùm pateant.

1 

Erspicua satis, ac dilucida sūt adducta Saluatoris nostri verba, vt instruamur, quomodo à cōspectu, aspectuque hominum abscondi debeant opera bona quæ agimus, & soli Deo, qui nouit corda omnium, omniaq; nuda & aperta sūt oculis eius, reuelari. Nimirum vt non ex proposito, & intentione placendi hominibus operemur, cum alioquì scriptum sit: Matth. 5. ℣. 16. *Videant opera vestra bona, & glorificent*, non quidem te, quasi propriæ, & inanis gloriæ captatorem, sed *Patrem vestrum qui in cælis est.* Hanc exponendi rationem tenuit Sanct. Chrysolog. qui expendens verba illa Matth. 6. *attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, &c.* inquit, serm. 9. *quomodo iustitiam vult celare, cuius opera vult sic elucere? fratres, hìc præceptio cælestis vult iactantiam tollere, auferre pompam, vanitatem demere, summouere inanem gloriam: sic iustitiam vult celare. Iustitia, quæ per se sibi abundat ad gloriam, spectaculum populi, vulgi laudes, fauores hominum, mundi gloriam non requirit: à Deo genita, cælum spectat, in oculis agit diuinis, supernis virtutibus mixta, semper à Deo solo, vt glorificetur, expectat.* Huiusmodi occultationem bonorum operum expressam, habemus Eccli. 45. ℣. 14. *Corona aurea super mitram eius, expressa signo sanctitatis, & gloria honoris*

Matth.

S. Chrys.

Opera bona. Dei tātùm oculos requirunt.

Eccli.

Mirta Aaron, quomodo efformata Vatabl.

noris, & opus virtutis. loquitur hîc Salomon de summo sacerdote Aaron, in cuius capite erat mitra, corona aurea redimita. At verò Vatabl. sic legit: *aurea super mitram eius corona, in modum sigilli, sanctè sculpturata*: cui versioni inhærens Iansenius, exponit: *in formam sigilli, insculpta erat forma sanctitatis:* quid verò sit *sanctitatem insculptam esse in modum sigilli*, non erit arduum exponere, cùm nota sit sigilli natura: vtimur namque sigillo ad claudendas litteras, ne cui pateant quæ scripta sunt, nisi ei, cui litteræ diriguntur, & sic sigillare, idem est quòd claudere, vnde illud Varr. *lex nimis impia est, ne filij patribus lucem sigillent*, idest, *claudant oculos*. Quando ergo dicitur, quòd *sanctitas*, seu *forma sanctitatis insculpta erat in modum sigilli*, sensus est, quòd clausa, & obserata erat sanctitas, ne cui innotesceret, nisi Deo tantùm, cui opera nostra, & sanctitas dirigitur, non sicuti illi, de quibus dicitur in Euangelio: *exterminant facies suas, vt appareant hominibus*, quod sequentibus verbis prohibetur: *ne videaris hominibus*, idest ne sitis quasi litteræ apertæ, & patentes, sigillo minimè obsignatæ; cùm è contra ità claudi debeant, vt Deo tantùm pateant, propterea dicitur: *ne videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo qui est in abscondito, &c.*

Iansen.

Sigillare, e audere est.

Varr.

Opera bona, veluti litteræ sigillo obsignatæ, soli Deo pateant.

2 Verum quidem est, *sigilli*, nomine, *annulũ* ẽt denotari, vt tradit Pier. Valer. lib. 41. tit. de Annulo, propterea quòd signum aliquod in annulis gestabatur, quo litteræ obsignari consueuerũt; vnde Cicero ad Quint. Fratrem: *sit*, inquit, *annulus tuus, nõ minister alienæ voluntatis, sed testis tuæ.* Et apud veteres, sicut & hodie, testamentorum tabulæ, septem testium signis annularibus muniebantur, quæ facti testamenti fidem facerent. Et Daniel. 6. ℣. 17. *Allatusq; est lapis vnus, & positus est super os laci: quẽ obsignauit Rex annulo suo, & annulo optimatum suorum, ne quid fieret contra* Danielẽ. Et cap. 14. ℣. 10. poterit propterea sic exponi adductus Ecclesiastici locus: *sanctitas*, vel *forma sanctitatis insculpta erat in modum annuli*, sumendo *annulum* pro *sigillo*, vt diximus; quia verò annulus in sponsalibus, & solemni die nuptiarum, sicut hodie, ità semper fuit in vsu, vt docet Alexand. ab Alex. genial. dier. lib. 2. cap. 19. Non erit incongruum dicere, sanctitate nos Deo desponsari, ideò *sanctitas in modum annuli*: cui expositioni fauet Ierem. 2. ℣. 2. *Recordatus sũ tui, miserans adolescentiam tuam, & charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto &c. sãctus Israel Domino*: habes ergo apud Ieremiam *desponsationem*, & *sanctitatem*. Vel potius ipsa occultatione, absconsione, & separatione ab hominum aspectu, desponsata fuit Deo anima; annulus enim vtrumq; importat, nimirum desponsationem, & obserationem, seu clausuram; quod etiam importatur per ly *in deserto*, loco inquàm, oculis hominum inuiso, qui locus proprius sponsæ esse debet, & zelotypiæ sponsi accomodatus; sed de hoc plura dicemus infra, & cap. 9. circa illa verba: *vbi thesaurus tuus, ibi & cor tuum.* Nunc ad nostrorum operum occultationẽ redeamus.

Sigillum pro anulo sumptum Pier. Va

Cicero.

Daniel.

3 Elegantem huius rei figuram tradit Ezechiel, in illa celebri, nũquam tamen satis expensa visione quatuor animalium. quod ad rem nostram facit, est quod asserit Propheta cap. 1. ℣. 8. *& manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus.* Sole clarius est, per manus opera denotari, & à nobis pluries explicatum, & dicemus num. 6. Præterea multis ex Patribus, & Expositoribus placet, per hæc quatuor animalia, quatuor Euangelistas, vel perfectioris vitæ homines denotari, quorum contemplatio, & progressus in vita spirituali, & perfectione per animalium pennas, & volatum exprimitur. Habebãt ergo hæc animalia *manus sub pennis*; quia operando proficiebant, vel habebant *manus sub pennis*, idest opera obtecta, & obuoluta pennis, non aliam puto ob causam, nisi vt recta co-

est, nisi qui vescimur periculis, etiam vestiamur, adeò per totum corpus, animæ hominis, periculo quæsita, maximè placent.

5 Ideò concinnè idem Plin. citato lib. 9. cap. 37. loquens de genere quodam ornamentorum mulierum, quæ sunt vniones, seu Margaritæ, inquit: *lictorem feminæ, in publico vnionem esse dictantes.* assimilantur huius generis ornamenta *lictori*, mea quidem ratione, quia lictorum munus erat præire Magistratus, & quoties iussi erant, virgarum fasciculos soluentes, primò virgis cedebant damnatos, mox securi feriebant, vt notat Alexand. ab Alexand. genial. dier. lib. 1. cap. 27. hoc & comptarum mulierum munus est, amatores suos verberare, ad ignominiam virgis cædere, infamiam inurere, & veluti *lictores*, vitam trucidando amputare, bona, & animam ipsam perdere. Igitur, quotiescunque in comptæ, vanæque mulieris incideris manus: Lictori, Tortori, Carnifici te traditum cogita, vnde dicebat sapiens Eccli. 9. ℣. 8 *propter speciem mulieris, multi perierunt.* Et Prouerb. 7. cùm dixisset; *vt custodiat te à muliere extranea, & ab aliena, quæ verba sua dulcia facit*, subdit ℣. 26. *multos enim vulneratos deiecit, & fortissimi quiq; interfecti sunt ab ea. Viæ inferi domus eius, penetrans in interiora mortis.* in quem sensum dicebat Tertull. lib. de cultu feminarũ; *nescio an impunè abeat, qui alicui fuerit causa ruinarum, parit enim illa in tua forma, si concupierit, & admisit iam in animo quod concupiuit, & facta tu gladius illi.* manifestum rei huius exemplum legimus, Iudic. 16. de Sãpsone, mulieris meretricis, cui nomen erat Dalida, amore capto; qui prius fortitudinem, deinde oculos, tãdem vitam ipsam amisit, perpẽdat lector historiam satis vulgatam.

6 Euulgatum illud est, hypocritæ hieroglyphicum apud veteres fuisse malum punicum, quod purpureo, lepidoq; colore in cortice, & exteriùs cùm appareat, intùs tamen quandoque emarcidum est; vnde illud Horatij:

Sed videt hunc omnis domus, & vicinia tota
Introrsum turpem, speciosum pelle decora.

De quo fortasse intelligendum est illud Dauid Psalm. 27. ℣. 4. *qui loquuntur pacem cum proximo suo*, hic cortex est exterior pulcher; subdit marcorem internum: *mala autem in cordibus eorum.* In hoc quoque non dissidet ab hypocrita, mulier compta, & vana, cùm & ipsum, *Malum*, Deæ Veneris fuerit hieroglyphicum, vt notat Pier. Valer. lib. 54. Porrò faciei pulchritudinem, & feminarum genas mali punici cortici comparari, in sacris litteris, sole clarius est. sic Canticor. 4. ℣. 3. sicut fragmen *mali punici, ità & gena tua.* Et cap. 6. ℣. 6. *sicut cortex mali punici, sic gena tua.* quia verò de sancta Dei anima, & sponsa, seu Virgine Deipara, cuius interna, exterioribus erant consona, erat sermo, ideò ibi subditur: *absque eo quod intrinsecus latet*; hìc verò: *absque occultis tuis.* erat verò color hic in piæ animæ vultu non adscititius, & fucis elaboratus, sed naturalis, vel etiã ex virtute modestiæ, & pudoris procedens: propterea Nazianzen. aduersus mulieres se ornantes: *vnicus*, inquit, *color in mulieribus amabilis est, rubor nimirum ille, quem parit pudor à Pictore nostro pingitur.* E contra vana mulier, & compta picturis, & coloribus se ornat, & fucat, faciemq; pulchram, & speciosam in cortice, & superficie reddit: *& exterminat faciem suam vt appareat hominibus*, in sensu, quem innuimus; sed aliud est, & pessimũ *quod intrinsecus latet*, seu *absq. occultis suis*, & quidem si ipsummet materiale corpus inspiciamus, licèt *cortex*, seu *facies* veluti *punicum malum*, lepido colore artificiosè tincta sit: emarcida tamen, ac fætida intrinsecus est: sic experimento probant amasij, & docet Innocent. de vilit. condit. humanæ: *absit*, inquiẽs, *vt adulterinus color comparabilis sit natiuo, quinimò cùm facies adulterino colore fucatur, os abomina*

bili

Marginal notes: Plin. | Ornamen. mulierum carnificis munus obeunt | Alex. ab Alex. | Eccli. | Prouerb. | Tertull. | Iudic. 16. | Malum punicum, hypocritæ hieroglyphicum. | Horat. | Psalm. | Malum punicum, vanæ mulieris typus. Pier. Val. Cãt. cant. | Pulchritudo externa B. V. & piæ Animæ, interiori consonat. | Pudor feminarum commendatur. Nazianz. | Fœditas corporalis, cõptæ mulieris. | Innocent.

bili sator corrumpitur. Et S. Cyprian. lib. de disciplin. & habit. virgin. *Cōpta*, inquit, *turpitudinem, fœditatem meruerunt*. Et Tertull. lib. de cultu feminarū: *decorum putāt quod inquinant &c. quis decor cum iniuria? quæ cum immunditijs pulchritudo?* Si de moribus comptæ, vanæq; mulieris loquamur, putredinem, marcoremq; quàm maximum in illa reperiemus. sic tradit Sapiens, Prouerb 12. ℣. 4. *mulier diligens, corona est viro suo: & putredo in ossibus eius, quæ cōfusione res dignas gerit*. porrò per *mulierem diligentem*, casta, honestaque mulier intelligitur; hinc Hebraicè: *mulier virtutis*: Chaldaicè verò: *mulier honesta* traducitur. mulieri huic, illa opponitur, *quæ cōfusione res dignas gerit*, suis inquàm prauis actionibus, & viuēdi licentia non honesta, *in cuius* meritò *ossibus putredo* distenditur: clariùs ex Hebræo: *& velut putredo in ossibus pedore afficiens*; quæ verba etsi de *ossibus*, ac *putredine* morum intelligātur, e iā de putredine materiali, gallico fortasse morbo contracta, exponi posse nō dubito.

Tertull. Mulier se componēs mores cō taminat.

Prouerb.

Mulier compta, hypocritæ cōparatur

Ierem.

7 De feminis hoc modo se ornantibus, & quæ facies pingunt suas, *vt appareant hominibus*, quibus placeant: sub hypocritarum figura loquitur Ierem. cap. 2. cùm enim meretricis metaphorā assumpsisset ℣. 20. *in omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix*, eandem retinens loquendi rationem, subdit ℣. 33. *quid niteris bonam ostendere viam tuam, ad quærendam dilectionem?* ex Hebræo: *quid niteris pulchras facere vias tuas, vt quæras dilectionem?* quasi (in sensu morali) velit dicere: tu quidem deformis es, à natura pulchritudinis dotem minimè consequuta, ad quid, & ob quē finem tanto conatu te crucias, vt te ornes, & componas, & pulchra fias, vt illud tandem assequaris, quòd ab amasijs turpiter diligaris? Addit: *insuper & malitias tuas docuisti vias tuas*, hoc est, malitia illa, & industria, quæ tot modis te ornare, & componere edocuit, etiam *vias tuas* contaminauit; idest, vanitas illa, & placendi hominibus turpe desiderium, gressus tuos, incedendi modum, seu incessum mollem, & quasi saltatorium ità deturpauit, & inhonestauit, vt vel ex hoc, sicut etiam ex nimio corporis cultu, vanitatis arguaris; sicut est illud Eccli. 19. ℣. 27. *amictus corporis, & risus dētium, & ingressus hominis enunciant de illo*. Complet intentum quod subdit ℣. 34. *& in alis tuis inuentus est sanguis animarum pauperum, & innocentum*. comparat mulierem comptam, & meretricem aui rapaci, vnde S. Tho. *loquitur*, inquit, *ad similitudinem auis rapacis &c.* neq; hoc nouum, aut insuetum, vt rapacibus auibus mulier comparetur; sic quoque legimus, & citatus S. Thom. adducit locum apud Zachar. Prophetam, de mulieribus, quę amphoram, in qua impietas condita erat è terra eleuauerunt, & in terram Sennaar adduxerunt. cap. 5. ℣. 9. *Et ecce duæ mulieres egredientes, & spiritus in alis earum, & habebant alas quasi alas Milui*. Est autem Miluus rapacissimum animal; propterea in rapacem hominē dictum est illud Plaut. in Pæn. *malè ego metuo miluos*. congruit quoque nominis Milui significatum *hypocritæ*, & mulieri cōptæ; dicitur enim *miluus* à molli volatu, qui lasciuarum mulierum gressum, & mollitiem imitatur, & fictitiam edit vocem hypocritis similem, qui aliud habent in ore, aliud in corde seruāt, iuxta illud Matth. 15. ℣. 8. *populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me*: aptè ergo ait Ieremias: *in alis tuis inuentus est sanguis &c.* rapax enim auis, dùm prædam discerpit, ac dilaniatur, non solùm os, sed & corpus, alas, vngues cruentat; Cui perassimilis est compta, & vana mulier, quæ aliorum bonis impletur, & tandem vitam ipsam adimit, propterea loquens de muliere meretrici ait Salomon Prouerb. 15. ℣. 9. *ne des alienis honorem tuum & annos tuos crudeli, ne fortè impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sint in domo aliena, & gemas in nouissimis, quando consumpseris carnes tuas, & cor-*

Mollis incessus mulieris, vanitatis indicium.

Q pus

pus tuum. Quod autem dicit Zacharias: *& ſpiritus in alis earum*, facit ſenſum, quòd hæ mulieres, *diabolum* habebant *in alis*, nam *ſpiritus* malus ille erat, vnde S.Gregor.Pap.lib.14.moral.cap.16 *ſpiritum*, inquit, *appellat*, *de quo in Euangelio: cùm immundus ſpiritus exierit ab homine &c.* in bona itaque conſequentia mulieres hæ, & quæ his ſimiles ſunt, *diabolum habent in alis*: cùm enim alæ ad hoc auibus à natura præſtitæ ſint, vt per aerem diſcurrere, vagarique valeant: non incongruè dictum putauero, vanas mulieres à diabolo excitari, & moueri ad diſcurrendum per vicos, & plateas Ciuitatis ad deceptionem, & ruinam hominum; Italicè dicemus: *hanno i diauoli alli piedi*, in quē ſensū à Sapiente credo dictū Prouerb. 5.℣.5.6: *pedes eius deſcendunt in mortē, & ad inferos greſſus illius penetrant. per ſemitam vitæ non ambulant, vagi ſunt greſſus eius, & inueſtigabiles.* ſedeant ergo in angulis, & abditis domus locis, fæminæ.

S.Greg. Pap.

Mulier vana diabolū habet in pedib.

8 Exoritur autem dubium, cur dicat Ieremias: *ſanguis animarum pauperum, & innocentum*, exſauciari nāque, & cruentari huiuſmodi mulieres ſanguine ſceleſtium peruerſorumq; hominum, illorumq; bonis impleri, ſcimus, & videmus; ſed quid commune impudicis, vaniſq; feminis cum pauperibus, & innocentibus? Dici poteſt, etiam *pauperum* exugere ſanguinem comptā mulierem, vel quia etiam pauperes, ſudores ſuos, & bona vnde victum tranſigebant, in mulierum impudicarum vſum erogāt, vel *pauperes* appellat, per ſuppoſitionem diſtractionis, eos, qui diuites cùm eſsēt, amore capti, ad pauperiem deuenerunt. Vel alia ratione: quia Principes, ac Domini vaſſallorum, & ſeruorum diripiunt bona, mercedes debitas nō ſoluunt, vt mulieribus elargiantur. Et ideò fortaſſe eadem ratione dicitur *Innocentum*, nam eorum quoq; qui in culpa non ſunt, nec malo conſentiunt, ſanguis exugitur, vt in mulierum laſciuarum commodum erogetur. Vel certè, *Innocentum*, eò enim vſque malitia, nequitia, & verſutia comptæ mulieris pertingit (adiuta tamen à nequiſſimo ſpiritu, quem *in alis* habet) vt *Innocentes* quoque, nocentiſſimos faciat, & ad ſcelera, conſumptionemque omnium perducat.

Vana mulier, diuites, pauperes facit.

Sanguis pauperū, & innocentum, in vſum vanæ mulieris erogatur.

9 Dat occaſionem, aliter, prædictā ſcripturam interpretandi Vatablus, qui ſic legit: *ſub veſte tua inuentus eſt ſanguis &c.* Et ferè eodem modo vertit Sanctes Pagninus: *in oris veſtimentorū tuorum*, ſumendo *veſtes* pro *alis*; & quidem rationabiliter, & pulchrè fit huiuſmodi alluſio *veſtium* ad *alas*; ſicut namque minimè aues euolarent ſine alis, ità nec mulieres vagæ, & quietis impatientes diſcurrerent, ſi prætioſis non induerentur veſtibus; ſicut autem ſi pennas, & alas auibus euulſeris, volatum adimis: ità ſi veſtium pompoſitatem, & ornamenta feminis ademeris, domi morabuntur, vt enim ſuam vanitatem, & pulchritudinem oſtentent domo egrediuntur, vt ſpectabiles appareant. Si verò quod dicit Ieremias: *ſub veſte tua*, ſeu *in oris veſtimentorum tuorum*, cum Zachariæ dicto conferas: *& ſpiritus in alis earum*, ſic legi poterit: *& ſpiritus*, ideſt, *diabolus in veſtibus earum*, aut *in ornamentis earum*; veſtiū namque pompoſitas, ornamenta muliebria, vultuumque fucationes, diaboli magiſteria ſunt: cōſonat S.Cypriani dictum lib. de diſciplin. & habit. Virgin. *Neque enim*, inquit, *diſtinctis auro capillis, & margaritis contexta ſerie, & numeroſa compage digeſtis, monilia Dominus inſtituit, quibus ceruicem, quam fecit, abſconderes, vt operiatur id, quod Deus in homine formauit, & conſpiciatur id deſuper, quod diabolus adinuenit:* dilucidiùs idipſum dixit S.Ambr. lib.1. de Virg. *mulier*, inquit, *ſic ornata, eſt domus omnium dæmoniorū infernalium.* Et Tertull. lib. de cultu feminarum: *quod naſcitur*, inquit, *opus Dei eſt, ergo quod fingitur, diaboli negotium eſt.* Alio ſenſu, *in veſtibus, & ornamentis mulierum inuenitur ſanguis animarum pauperum,*

Vatabl.

Pagnin.

Ornamenta sūt alæ mulierū impudicarum.

Diabolus eſt in ornamentis vanæ mulieris.

S.Cypr.

S.Ambr.

Tertull.

perum,

perum, & innocentum: quia ornamentorum, ac vestium pretia mercatoribus, & artificibus non exoluuntur; sunt autem pretia, sanguines illorū, cùm ex illis sui, suorumq; ac familiæ transigant victum, quem sudoribus, & sanguine ipso compararunt. Vel fortasse ideò, quia quod nimio cultui impenditur, & luxus nimietati tribuitur, pauperibus subtrahitur, iuxta decantatum illud S. Ambrosij dictum: *si non pauisti, occidisti*.

Ornamenta feminarum, sanguinē mercatorū, & artificum continet.

Loquens Spiritus sanctus de primæ mulieris efformatione, ait Genes. 2. ℣. 22. *& ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem*: quo loquendi modo, vt ait Lyran. *formationem mulieris exprimit per modū ædificationis (vt dicit Rabisa.) & verum est*, similem exponendi rationem habet S. Chrysost. homil. 15. in Genes. vbi Deum, in formationæ Euæ, Architectum appellat: *quanta*, inquit, *optimi architecti Dei potentia, quæ ex tantilla particula* (nimirum ex Adæ costa) *tàm elegantia membra concinnauit, tantos formauit sensus &c.* Non sic dicitur de formatione hominis, sed dicitur Genes. 1. ℣. 26. *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, &c.* & ℣. 27. *& creauit Deus hominem ad similitudinem suam, &c.* similiter mulierem domui, & ædificio comparat Salomon Prouerb. 19. ℣. 13. *tecta iugiter perstillantia, litigiosa mulier*, & cap. 27. ℣. 15. *tecta perstillantia in die frigoris, & litigiosa mulier comparantur.* Igitur vetustate quasi diruto ædificio, collapso, & denigrato, mulier à Sapiente comparatur: sicut autem reficiuntur domus, & ædificia huiusmodi, & noua quodammodo apparent si calce incrustentur, ac dealbentur; plus verò si picturis, & coloribus decorentur, & illustrentur; ità & mulieres, quæ fortè ætate vetustæ, infirmitate quasi dirutæ, natura indecoræ, ac deformes, dum facies suas, totumque corpus componunt, medicamina quædā superponunt, quibus vultus incrustant; dūq; his colores etiam addunt, veluti se pingunt, veluti vetustam reficiunt, dealbant, colorantque domum, *vt appareant hominibus.* Hanc loquendi metaphoram assumpsit Dominus in hodierno Euangelio, dixit enim: *exterminant facies suas*, vel vt Sanct. Hieronym. transtulit: *demoliuntur facies suas*, inquam, quas à natura, & à Deo acceperunt, & quæ veræ sunt; has *demoliuntur*, & quasi vetus, & præexistens ædificium diruunt, nouūmque ædificant, & construunt, non tamen verum, ac reale, sed apparens: *vt appareāt.* Ex quibus colligo, seuerè à Deo puniēdas vanas mulieres, quæ hoc modo facies componunt; Namq; Textus in l. hi qui ædes ff. ad legem Iul. de vi publica, inquit, *hi, qui ædes alienas effregerint, expugnauerint, capite puniuntur.* Dei opus, & ædificium mulier est, vt diximus; hoc diruit mulier fucis se componens, & colorans: *demoliuntur facies suas*, inquit S. Hieronym. Nec non etiā impugnant, & expugnant opus, & ædificium Dei, sic S. Cyprian. lib. de discipl. & habit. virgin. *quod*, inquit, *ornari te putas, quod putas comi, impugnatio est diuini operis*: reliquum ergo est, vt pæne per legem statuta huiusmodi mulier, *capite*, scilicèt, *puniatur*, æterna vita priuetur.

Genes. Mulier, ædificio comparatur. Lyran.

S. Chrys. Deus architectus in formatione mulieris.

Genes.

Prouerb.

Mulier indecora, quasi diruti ædificium.

Incrustat se, dealbat & colorat mulier, vt domus noua appareat.

S. H[ieron.]

l. q[ui] ff. a[d] Iul[.] pub[l.]

S. C[ypr.]

P[æna] lier[um] com[...] us.

11 Quantum mulieres hoc modo se ornantes, delinquant, ex eo colligitur, quòd contra Deum peccant; quapropter dicebat Tertull. lib. de cultu feminarum: *in illum*, puta Deum, *delinquunt, quæ cutem medicaminibus vngunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt, &c.* Pænam verò gehennæ æternam, sibi, suis ornamentis, cōparare, imò etiā præsagire, docet idem Tertull. loco citato his verbis: *malè, ac pessimè sibi auspicantur flammeo capite*, quasi flammeis, seu croceis capillis, inferni præsagium portendant: nam croceus, ac flammeus color, idem dicitur. Hunc locum imitatus S. Cyprian. Martyr lib. de discipl. & habit. virg. dixit: *audaci conatu, & sacrilego contemptu, crines tuos inficis, malo præsagio futuro-*

C[...] m[...] ra[...] del[...] Te[rt.]

Or[namen]ta g[...] næ p[...] giu[nt] Ter[t.]

S. C[ypr.]

rum: capillos iam tibi flammeos auspicaris. Idipsum confirmat S. Hieronym. ad Lætam de institutione filiæ: *nec caput,* inquit, *gemmis oneres, nec capillum irrufes, & ei aliquid de gehennæ ignibus auspiceris.*

12 Dei indignationem maximam, & pænam grauem peccatoribus infligendam, describit Propheta Amos cap. 2. ℣. 13. *Ecce ego stridebo subter vos, sicut stridet plaustrum onustum fæno.* Idest, vt exponit Theodor. *tantis vos onerabo supplicijs, vt lugeatis, & gematis, sicut plaustrum graui onere pressum, interea dum trahitur, gemebundo stridore concrepat.* Et S. Hieronym. *vltra,* inquit, *non sustinens peccata, quibus diù prægrauatus sum, sicut plaustrum stipula, vel fæno; tradam vos incendio sicut stipulam, & clamabo, &c.* tanti autem excidij, & pænarum causa, quæ fuerit, explicat idem Propheta, eò quòd Nazaræis, quibus in lege vetitum erat vinum bibere, pocula porrigebant, & ad bibendum inuitabant; Italicè diceremus: *faceuano brindisi*, ideò dicebat Amos: *propinatis Nazaræis vinum*, hoc est, vina ostendentes, & exhibentes, ad bibẽdum Nazaræos, quibus vinum bibere vetitum erat, pellicebatis, quo allecti Nazaræi, contra legem, & Deum peccabant, quia verò sic agebant & peccandi occasionem porrigebant, minatur Deus: *stridebo subter vos, sicut stridet plaustrum onustum fæno.* Huic rei simile prorsus est, quod mulier suo vano ornatu, & compositione vultus agit: quapropter eandẽ Dei indignationem, & pænam non absimilem sibi comparare, cõgruum esse, non dubito. mulier, eiusque pulchritudo vino, per allusionem, & metaphoram comparatur, Prouerb. 23. cùm enim dixisset ℣. 27. *souea profunda est meretrix, & puteus angustus aliena, &c.* subdit, ℣. 31. *ne intuearis vinum quando flauescit*, quando, inquàm, mulier captioso artificio flauos, croceos, seu flammeos reddit capillos, ac crines, & vultum colorat, & pingit, vnde subdit statim *cùm splenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut Regulus venena diffundet; oculi tui videbunt extraneas &c.* De hoc vino epotari, & alienis poculis inebriari prohibitum est, Deuteron. 5. ℣. 20. *non concupisces vxorem proximi tui.* Matth. 5. ℣. 28. *omnis, qui viderit mulierem ad concupiscẽdum eam, iam mœchatus est eam in corde suo:* quando ergo se componit, & ornat mulier, quid aliud facit, nisi eos ad bibendum, & ad inebriandum allicere, quibus mæchari cautum est, qua dicendi metaphora vsus est etiam Ierem. cap. 2. ℣. 25. mulieri meretrici loquens: *prohibe pedem tuum à nuditate, & guttur tuum à siti*, idest, vt exponit etiam ex Recentioribus, Pineda in Iob cap. 31. ℣. 10. num. 81. ne crura discooperias amasijs tuis, & os vuluæ, quod numquam exsaturatur, ne tradas ad libidinem alijs, in cuius expositionis comprobationem, subdit statim Ierem. *& dixisti, desperaui, nequaquam faciã: adamaui quippè alienos, & post eos ambulabo.* Neque simpliciter vinum, sed mixtum venenum propinat, & porrigit ad exitium; ideò præallegato loco dicebat Sapiens: *in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut Regulus venena diffundet.* totum hoc quod dicimus, elegãter sanè (vt assolet) tradit S. Hieronym. ad Nepotianum: *si vir,* inquit, *vel mulier se ornauerit, & vultus hominum ad se prouocauerit: & si nullum inde sequatur damnum, iudicium tamen patietur æternum, quia venenum attulit, si fuisset, qui biberet:* inuitat ergo, allicit, & quodammodo, vt Italicè dicam: *fa brindisi*, cùm pulchritudinem, quam fucis super inductis ostentat, propinat, ac porrigit vana mulier nimio ornatu, dùm hominibus apparere vult, sicut etiam viri feminis. In quem sensum, dixit quoque Tertull. lib. de cultu feminarum: *Non de integra conscientia venit tibi studiũ placendi per decorem, quem naturaliter inuitatorem libidinis scimus: quid igitur in te excitas malum istud? quid inuitas, cuius te profiteris extraneam?* Et

Deuteron.

Ierem.

Pineda.

Vinum, & venenum propinat mulier se cõponens.

S. Hiero.

Tertull.

vult dicere mulierem suo vano ornatu, & fucis, se, & alios *inuitare, & excitare ad libidinem*, quam verbis tantùm cauere ostendit, re tamen, & opere profitetur.

13 Execrandum sanè facinus illud extitit, quod ex Iudæis aliqui perpetrarunt, dùm in domo Chaiphæ Principis Sacerdotum, & Præsidis colaphis Christus cæditur, vnde dicit Euangelista Matth. cap. 26. ℣. 67. *Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum cæciderunt &c.* & Ioan. 18. ℣. 23. *vnus assistens ministrorum dedit alapam Iesu*, quod opprobrium maximum, & omnibus præcedentibus illusionibus grauius extitisse, haud incongruè dici poterit. Cæteras namque omnes perpessas in passione ignominias, libēter pertulit, nihilq; respondit: hoc autem alapæ opprobrium, & si patienter sustinuit, respondit tamen Ioan. 18. ℣. 23. *si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem benè, quid me cædis?* sitiuit, esuriuitq; semper Christus passionem, & opprobria crucis; numquam tamen ad satietatem illa pertulit; incendebatur patiendi ardor, quanto magis patiebatur, & tormenta ipsa, esuriem parturiebant tormentorum, vnde morti proximus in Cruce, inter duos latrones pēdens, tot completis passionibus, & ignominijs, adhuc famelicus, & sitiens, non expleta cupiditate, clamat Ioan. 19. ℣. 29. *sitio*, noua, scilicèt, tormentorum genera, & maiora. Vnū tamen est, quod ad satietatem vsque suffecisse, & infinitam patiendi Christi famem, & ignominiarum sitim adęquasse quodammodo, & explesse videtur, ita vt quid vltra exoptare Christus potuisset, non appareat, nimirum cæsionem vultus, faciei percussionem per alapas, vnde dicitur Threnor. 3. ℣. 30. *dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobrijs, opprobrijs*, inquàm, quæ ex maxillæ percussione resultabunt (copulatiuè enim illa duo sunt intelligenda) his igitur *opprobrijs saturabitur*, ac explebit sitim, ac famem, quasi sufficiat hæc vna tantùm ignominia ad explēdum infinitum illum patiendi ardorem. Hanc eandem Christo inurunt ignominiam mulieres, quæ se ornant, & componunt; quot faciei superimponunt medicamina ad vanæ pulchritudinis ostentationem, tot Christo dant alapas, & in Dei faciem manus mittunt. satis aptè, & apertè id tradit S. Cyprian. lib. de habit. virg. *feminæ*, inquit, *manus Deo inferunt, quando id, quod ille formauit, reformare, & transfigurare contendunt: nescientes quia opus Dei est omne, quod nascitur, diaboli quodcumque mutatur.* Immò ad ignominiam maiorem, ipsemet diabolus manus Deo inijcit, faciemq; cædit, cùm vana mulier se componit, faciemq; pingit, & colorat; hinc Tertull. lib. de cultu feminarum: *quis*, inquit, *corpus monstraret mutare, nisi qui & hominis spiritum malitia transfigurauit?* idest diabolus, qui primos parentes, mutata in serpentem effigie, decepit: *ille*, subdit Tertull. *indubitatè huiusmodi ingenia concinnauit*, vt mulieres faciem componere suam, & vultum mutare, & transfigurare discerent; quid autem hac concinnatione agāt mulieres, immò diabolus in eis, addit: *vt in nobis quodam modo manus Deo inferret.*

14 S. August. de serm. Domini in monte ipsam facierum compositionē, & fucos vultuum, picturæ comparat, ait enim: *quanta amentia est, effigiem mutare naturæ, picturam quærere &c.* quod etiam probauimus numer. 1. Ex quo colligimus, quàm grauiter errent mulieres sic se ornantes, quaq; vltione dignæ fiant; tali namq; colorum, fucorumque super faciem additamento, in diaboli supellectilem transeunt, dùm quod Dei est, & manuum illius opus (picturis super inductis) in dæmonis dominium, & ius transferunt. Sancicitum legimus §. si quis in aliena tabula Institutionibus de rerum diuisione: *si quis in aliena tabula pinxerit, quidā putant tabulam picturæ cadere: alijs videtur picturam, qualiscumque sit, tabulæ cadere. Sed nobis videtur, melius esse,*

Matth.

Ioan.

Ignominiosa quā fuerit Christi percussio in facie.

Ioan.

Ardor patiendi in Christo numquā expletus.

Ioan.

Faciei percussio famem, sitimq; patiendi explet.

Thren.

tabu-

tabulam picturæ. Ridiculũ est enim picturam Apellis, vel Parrhasij in accessionem vilissimæ tabulæ cadere. Hic est casus mulieris se componentis, faciemque coloribus, fucisque pingentis. Dei opus, & res mulier est. deformem, & nullius æstimationis dignam se iudicat; idcirco pingit se; immò per eam, pingit faciem eius diabolus exquisito artificio, ait namque Tertull. lib. de cultu feminarum: *ille* (scilicèt diabolus) *indubitatè huiusmodi ingenia concinnauit.* Additque, *displicet illis plastica Dei: in ipsis redarguunt, reprehendunt artificem omnium: reprehendunt enim, cùm emendant, cùm adijciunt, vtique ab aduersario artifice sumentes additamenta, idest, à diabolo.* Et S. Cyprian. de habit. virgin. *opus Dei est omne quod nascitur, Diaboli quodcumque mutatur:* quid ergo reliquum est iuxta legis præscriptum, nisi quòd vilis tabula faciei mulieris, sic aptè, & perbellè ornata, & picta, in pictoris diaboli bona computetur, & picturæ tabula cædat, & in diaboli dominium transferatur, quæ Dei opus extitit, sicque mulierem totam diabolus possideat?

Diabolus pingit facies feminarum.

Tertull.

S. Cypr.

Mulier se fucans in diaboli dominiũ.

15 Quia verò, in picturæ similitudine sumus, recolo quod refert Plutar. in Demetrio; *Demetrius*, inquit, *Rex cùm Rhodum obsideret, & in suburbio cepisset tabulam quandam, Protogenis clarissimi Pictoris opus, in qua pinxerat Ialysum, idest, Bacchum; Rhodijs per caduceatores obsecrantibus, vt tabulæ parceret, respondit: se citius patris imaginem, quàm eam picturam abliturum; tantùm honorem habuit arti Rex.* Simile quid est, quod traditur lib. 6. apophtegmat. *Arato destinanti tyrannorum communi odio, abolere tabulam insignis artificij, quæ Aristratum in curru victorem habebat: Neacles supplex intercessit, vt opus incolume seruaretur, dicens: cum tyrannis, non cum tyrannorum imaginibus belligerandum esse.* Mulier pictura Dei est, opificis Dei manu elaborata, imò Dei ipsius imago, & simulachrum; inde dicitur Genes. 1. ℣. 27. *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. &c. Et creauit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creauit illum: masculum, & feminam creauit eos &c.* vana mulier, faciem colorans, & pingens, Demetrio Tyranno sæuior, non Dei Bacchi, sed veri, & summi Dei effigiem in se ipsa efformatam, manuum Dei opus, & picturam, naturæ, & arti, imò artifici diuino minimè parcens, deturpare, imò abolere non veretur, dum candido, rubicundoque colore linit faciem, fucat vultũ, vtq; *hominibus appareat, faciem suam exterminat*, & Dei picturam delet. Satis pulchrè, & falsè totũ, quod dicimus, eandem similitudinem retinens, docuit S. Ambros. præfatum Genesis locum expendens lib. 6. Hexamer. cap. 8. *pictus es*, inquit, *homo, & pictus à Domino Deo tuo; bonum habes artificem, atque pictorem. Noli bonam delere picturam, non fuco, sed veritate fulgentẽ, non cera expressam, sed gratia. Deles picturam mulier, si vultum tuum materiali candore oblinas, si exquisito rubore perfundas.* Quàm verò grauiter delinquat, seque alios, Deumque offendat mulier sic se componens, ostendit S. Ambros. subdens: *illa pictura vitij est, non decoris: illa pictura fraudis, non simplicitatis est: illa pictura temporalis est, aut pluuia: aut sudore tergitur: illa pictura fallit, & decipit, vt neque illi placeas, cui placere desideras, qui intelligit non tuum, sed alienum esse quod placeas: & tuo displiceas auctori, qui videt opus suum esse deletum.* Eleganti similitudine, idipsum sequitur S. Ambros. explicare: *Dic mihi*, inquit, *si supra artificem aliquem inducas alterum, qui opus illius superioris, nouis operibus obducat, nonne indignatur ille, qui opus suum adulteratum esse cognouerit? noli tollere picturam Dei, & picturam meretricis assumere, quia scriptum est 1. Corinth. 6. tollam ergo membra Christi, & faciam membra meretricis? absit. Quòd si quis adulterat opus Dei, graue crimen admittit; graue est enim crimen, vt putes quòd melius*

Plutar.

Auctor apopht.

Homo, Dei pictura est.

Genes.

Mulier se componẽs Dei picturã delet.

S. Ambr.

Homo, Dei pictura, quam delet mulier se colorans.

Quæ mala in picto vultu feminarũ.

Graue crimen faciem coloribus immutare.

te

te homo, quàm Deus pingat, graue est, vt dicat de te Deus, non agnosco colores meos, non agnosco imaginem meam, non agnosco vultum, quem ipse formaui, reijcio ego quod meum non est, illum quære, qui te pinxit, cum illo habeto consortium, ab illo sume gratiam, cui mercedem dedisti: quid respondebis? Hæc S. Ambros. quæ quoniam satis dilucida sunt, lectori ponderanda remittimus. Interim hoc solùm noto in Ambrosii sententia, dæmoni remitti, Deoque incognitam fieri mulierem, quæ sic se ornat, vnde idem Ambr. lib. 3. de virgin. explicans illa verba Cantic. 5. ℣. 7. *tulerunt pallium meum custodes murorum*, postquam exposuit per *custodes murorum*, Angelos custodes nostros debere intelligi, subdit: *tulerunt pallium meum, quia sine integmento, quis in illam cælestem Ciuitatem debet introire; nulla secum deferens integmenta fucorum:* ergo extra Dei domum, & patriam cælestem fiunt comptæ mulieres.

Ambr.

Ambr.

Cantic.

Mulieres comptæ, extra patriam cælestem.

16 Mira quidem feminarum versutia, & præsumptio; audent namque facere quod Deus vetuit, & possibile æstimant, quod veluti impossibile omnium opifex dijudicauit. Verba Domini sunt Matth. 5. ℣. 36. *Ego autem dico vobis non iurare omninò, neque per cælum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum est pedum eius: neque per Ierosolymam, quia ciuitas est magni Regis: neque per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum album facere, aut nigrum,* Dei ergo est caput tuum, per quod tibi iurare non licet, eò quia ipse capillos tibi tradidit, tuque mutare non vales. Superba tamen, & vana mēs tua, quo capillos mutare posset, faciemq; mutare (quasi reuincens Deum) modū adinuenit. Notauit hoc Tertull. lib. de cultu feminarum, expendens adducta Matthæi verba: *hæ* (ad feminas inquit) *quæ reuincūt Deum. Ecce, inquiunt, pro albo, vel atro flauum facimus, gratia faciliorem: quā uis & atrum ex albo conantur facere, quas panituit ad senectam vsque vixisse, prob temeritatē, erubescit ætas exoptata votis, furtum confitetur, adolescentia, in qua delinquimus, suspiratur, occasio prauitatis interpellatur: absit à sapientiæ filiabus stultitia tanta.* Erubescere debemus, quòd filij huius sæculi prudentiores filijs lucis sint, dùm plùs cogitant quomodo appareant, & placeant hominibus, quàm nos Deo, id quod (vt legimus Eccles. histor. lib. 8. cap. 1.) doluit Pambo quidam apud Athanasium cùm Alexandriæ esset; vidissetq; mulierem maximo vestitus apparatu superbientem, fleuit: interrogatus verò, cur tantopere lachrymas effunderet? respondit: *Duæ res sunt, quæ me mouent, vna quidem est huius mulieris perditio, altera verò, quòd ego, qui nomen Christiani profiteor, non tantùm studeo placere Deo vitæ innocentia, quantùm hæc mulier, turpibus placere cupit hominibus.* Mutent, velim, hæc ornamenta, mulieres, & cultus quem circa corpus exhibent, *vt hominibus appareant*, & placeant, circa animam impendatur; & vt ait Tertull. lib. de cultu feminarum: *prodite vos iam medicamentis, & ornamentis extructæ Apostolorum, sumentes de simplicitate candorem: de pudicitia ruborem: depictæ oculos verecundia, & spiritus taciturnitate: inserentes in aures sermonem Dei; annectentes ceruicibus iugum Christi. Caput maritis subijcite, & satis ornatæ eritis. Manus lanis occupate: pedes domi figite, & plusquàm in auro placebūt: vestite vos serico probitatis: byssino sanctitatis: purpura pudicitiæ: taliter pigmentatæ, Deum habebitis amatorem:* hanc enim intrinsecus constitutam pulchritudinem Deus amat, hanc exquirit, non illam quæ foris hominum oculis visenda exponitur, *exterminando faciem, vt hominibus appareant*, vnde & B. Petrus Apostolus dicebat epistola 1. cap. 3. ℣. 3. *quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus: sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti, & modesti spiritus,*

Mulier se componens, temeritatis arguitur. Matth.

Tertull.

qui

S.Cypr.

qui est in conspectu Dei locuples, alioquì dici de ijs poterit, quod S.Cyprian. docuit lib. de habit. virgin. *ornamenta*, inquit, *ac vestium insignia, & lenocinia formarum, nonnisi prostitutis, & impudicis feminis congruunt, & nullarum ferè pretiosior cultus est, quàm quarum pudor vilis est.* Nota in verbis Cypriani ly *lenocinia formarum*, quæ verba in hunc sensum libet exponere, quòd scilicèt, compositus vultus, lenonis vices agat, dùm intuētes allicit ad libidinem; & si in l. palàm ff. de ritu nupt. dicitur: *lenocinium facere non minus est, quàm corpore quæstum exercere*; quasi maius est quod mulier se componens, agit, ait enim S. August. de serm. Domini: *quanta amentia est, effigiem mutare naturæ picturam quærere, tolerabiliora propemodùm in adulterio crimina sunt, ibi enim pudicitia, hìc natura adulteratur.* Vtinam mulieres hoc capiant: capiant etiam & viri, quibus vanus ornatus incongruentior; præcipuè capillorum nimietas, quæ hodie valdè in vsu est, contra Apostoli dictum 1. Corinth. 11. ℣. 5. *vir si comam nutriat, ignominia est illi*. Et audiant dicentem S. Cypr. serm. de ieiun. & tentat. Christi, *in domo huius Regis* (scilicèt diaboli) *sunt, qui paludamentis talaribus pauimenta verrentes, capillis muliebribus, se in feminas transfigurant, & dignitatem virilem, non sine naturæ iniuria dehonestant.* Diaboli ergo aulicus est, & familiaris vir ille, qui sic se componit.

Mulier se componēs lenonis officio fungitur.

l. palam ff. de ritu nupt.

S.Aug.

1.Corint.

S.Cypr.

Vir se cōponens, diaboli aulicus.

Sacer text.

Ne videaris hominibus ieiunans sed patri tuo, qui est in abscondito.

CAP. VI.

Opera bona, hominibus abscondantur, Deo tantùm pateant.

1 Erspicua satis, ac dilucida sūt adducta Saluatoris nostri verba, vt instruamur, quomodo à cōspectu, aspectuque hominum abscondi debeant opera bona quæ agimus, & soli Deo, qui nouit corda omnium, omniaq; nuda & aperta sūt oculis eius, reuelari. Nimirum vt non ex proposito, & intentione placendi hominibus operemur, cum alioquì scriptum sit: Matth. 5. ℣. 16. *Videant opera vestra bona, & glorificent*, non quidem te, quasi propriæ, & inanis gloriæ captatorem, sed *Patrem vestrum qui in cælis est*. Hanc exponendi rationem tenuit Sanct. Chrysolog. qui expendens verba illa Matth. 6. *attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, &c.* inquit, serm. 9. *quomodo iustitiam vult celare, cuius opera vult sic elucere? fratres, hìc præceptio cælestis vult iactantiam tollere, auferre pompam, vanitatem demere, summouere inanem gloriam: sic iustitiam vult celare. Iustitia, quæ per se sibi abundat ad gloriam, spectaculum populi, vulgi laudes, fauores hominum, mundi gloriam non requirit: à Deo genita, cælum spectat, in oculis agit diuinis, supernis virtutibus mixta, semper à Deo solo, vt glorificetur, expectat.* Huiusmodi occultationem bonorum operum expressam, habemus Eccli. 45. ℣. 14. *Corona aurea super mitram eius, expressa signo sanctitatis, & gloria ho-*

Matth.

S. Chrys.

Opera bona. Dei tātùm oculos requirunt.

Eccli.

noris

noris, & opus virtutis. loquitur hic Salomon de summo sacerdote Aaron, in cuius capite erat mitra, corona aurea redimita. At verò Vatabl. sic legit: *aurea super mitram eius corona, in modum sigilli, sanctè sculpturata*: cui versioni inhærens Iansenius, exponit: *in formam sigilli, insculpta erat forma sanctitatis:* quid verò sit *sanctitatem insculptam esse in modum sigilli*, non erit arduum exponere, cùm nota sit sigilli natura: vtimur namque sigillo ad claudendas litteras, ne cui pateant quæ scripta sunt, nisi ei, cui litteræ diriguntur, & sic sigillare, idem est quòd claudere, vnde illud Varr. *lex nimis impia est, ne filij patribus lucem sigillent*, idest, *claudant oculos*. Quando ergo dicitur, quòd *sanctitas*, seu *forma sanctitatis insculpta erat in modum sigilli*, sensus est, quòd clausa, & obserata erat sanctitas, ne cui innotesceret, nisi Deo tantùm, cui opera nostra, & sanctitas dirigitur, non sicuti illi, de quibus dicitur in Euangelio: *exterminant facies suas, vt appareant hominibus*, quod sequentibus verbis prohibetur: *ne videaris hominibus*, idest ne sitis quasi litteræ apertæ, & patentes, sigillo minimè obsignatæ; cùm è contra ità claudi debeant, vt Deo tantùm pateant, propterea dicitur: *ne videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo qui est in abscondito, &c.*

Mitra Aaron, quomodo efformata Vatabl.

Iansen.

Sigillare, claudere est.

Varr.

Opera bona, veluti litteræ sigillo obsignatæ, soli Deo pateant.

2 Verum quidem est, *sigilli*, nomine, *annulū* ēt denotari, vt tradit Pier. Valer. lib. 41. tit. de Annulo, propterea quòd signum aliquod in annulis gestabatur, quo litteræ obsignari consueuerūt; vnde Cicero ad Quint. Fratrem: *sit, inquit, annulus tuus, nō minister alienæ voluntatis, sed testis tuæ.* Et apud veteres, sicut & hodie, testamentorum tabulæ, septem testium signis annularibus muniebantur, quæ facti testamenti fidem facerent. Et Daniel. 6. ℣. 17. *Allatusq; est lapis vnus, & positus est super os laci: quē obsignauit Rex annulo suo, & annulo optimatum suorum, ne quid fieret contra* Danielē. Et cap. 14. ℣. 10. poterit propterea sic exponi adductus Ecclesiastici locus: *sanctitas*, vel *forma sanctitatis insculpta erat in modum annuli*, sumendo *annulum* pro *sigillo*, vt diximus; quia verò annulus in sponsalibus, & solemni die nuptiarum, sicut hodie, ità semper fuit in vsu, vt docet Alexand. ab Alex. genial. dier. lib. 2. cap. 19. Non erit incongruum dicere, sanctitate nos Deo desponsari, ideò *sanctitas in modum annuli*: cui expositioni fauet Ierem. 2. ℣. 2. *Recordatus sū tui, miserans adolescentiam tuam, & charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto &c. sāctus Israel Domino*: habes ergo apud Ieremiam *desponsationem*, & *sanctitatem*. Vel potius ipsa occultatione, absconsione, & separatione ab hominum aspectu, desponsata fuit Deo anima; annulus enim vtrumq; importat, nimirum desponsationem, & obserationem, seu clausuram; quod etiam importatur per ly *in deserto*, loco inquàm, oculis hominum inuiso, qui locus proprius sponsæ esse debet, & zelotypiæ sponsi accomodatus; sed de hoc plura dicemus infra, & cap. 9. circa illa verba: *vbi thesaurus tuus, ibi & cor tuum.* Nunc ad nostrorum operum occultationē redeamus.

Sigillum pro anulo sumptum Pier. Va

Cicero.

Daniel.

Alex. ab Alex.

Sanctitate Deo desponsamur.

Ierem.

Hebr.

In abscondito Deo desponsamur.

3 Elegantem huius rei figuram tradit Ezechiel, in illa celebri, nūquam tamen satis expensa visione quatuor animalium. quod ad rem nostram facit, est quod asserit Propheta cap. 1. ℣. 8. *& manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus.* Sole clarius est, per manus opera denotari, & à nobis pluries explicatum, & dicemus num. 6. Præterea multis ex Patribus, & Expositoribus placet, per hæc quatuor animalia, quatuor Euangelistas, vel perfectioris vitæ homines denotari, quorum contemplatio, & progressus in vita spirituali, & perfectione per animalium pennas, & volatum exprimitur. Habebāt ergo hæc animalia *manus sub pennis*; quia operando proficiebant, vel habebant *manus sub pennis*, idest opera obtecta, & obuoluta pennis, non aliam puto ob causam, nisi vt recta eo-

Ezech.

Volatu spiritu progressus typ…

Man… abscon… qui be… operāt…

rum facta laterent, oculisque mortalium celarentur, quàm verò operationibus, rectisque factis intenta fuerint hæc animalia, sic explicat Maldonat. *Et manus hominis, idest, brachia similia brachijs humanis erant sub pennis eorum: manus vocauit brachia per synechdochē: in quatuor partibus eorum animalium, idest respondentia quatuor eorum vultibus, vt vni vultui duo brachia subijcerentur; essentq; vnicuiq; animalia brachia sexdecim:* ad ostendendam infatigabilem, perennemq; operationem, multitudine brachiorum erant prædita, idest sexdecim brachia habebat vnūquodq; animal, sicut etiam totidē alas vt Rabbi Salomon, & Chaldæus Paraphrastes interpretantur, ne actiua contemplatiuæ esset inferior, & quæ mente illa animalia cogitabant, opere implerēt, vt autē cautè custodirent quod agebant, sub pennis obuoluebant: *& manus hominis sub pennis eorum:* ne alijs paterent, aut quoquomodo innotescerent pro viribus occultabant.

Maldonat. Rabbi Salomon. Chald. Actiua contēplatiuæ respondens.

4 Ne hominibus, ad inanem vulgi gloriam captandam, propalanda, proclamandaque sint opera, docet Salomon Prouer. 16. ℣. 2. *omnes viæ hominis*, inquit, *patent oculis eius: spirituum ponderator est Dominus: Reuela Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ*. Per, *vias*, intelligi, *opera*, patet ex Septuag. Interpretum versione, qui legunt: *omnia opera:* innumera quoque sunt Sacræ scripturæ loca, in quibus, *viæ*, pro *operibus* ponuntur. Hoc posito, sunt qui ex Hebræo sic vertunt: *omnia opera hominis vitrea in oculis eius*, seu *chrystallina*. Quæ versio egregiam sanè innuit similitudinem ab ijs desumptam, qui in sella, vel ferculo, aut curru gestantur, vitreis, seu chrystallinis speculis circumcirca appositis, qui in illis gestatur, etsi latere videatur, quia tamen diaphanis, & transparentibus circundatur vitris, & chrystallis, in occulto esse nequit, sed omnibus cognitus, noscit omnes. Ità aliquorum opera veluti diaphana sunt, & trāsparentia, quasi vitris, & chrystallis obtecta, dum enim celare extrinsecus videntur, magis elaborant, vt magis pompaticè, & gloriosiùs appareant; & ex ipsa palliata occultatione, quam simulant, humanam gloriam maiori studio venantur; propterea benè dicitur: *omnia opera hominis vitrea in oculis eius*. Ideò subdit: *spirituum ponderator est Dominus*, idest, vt aliqui exponunt: animi intentionem perpendit Dn̄s, quo scilicèt fine id operatur monitū deinde Euangelico simile subdit Salomon: *reuela Domino opera tua*, idest cæteris veluti velata tege, & absconde; *ne videaris hominibus &c.* Deo autem, semoto velo nota fac. Sic namque, vt idem subdit: *dirigentur cogitationes tuæ*, idest, in Dei gloriam erunt, & quæ agis prospera-buntur, meritisq; cumulabuntur quàm maximis.

Prouerb. Viæ, idest opera. Septuag. Hebr. Vitris, aut chrystallis quasi obteguntur opera, vt magis appareant. Opera veluti velamine tegenda.

5 Memorandum de re hac præstitit nobis exemplum Abraham cui, cùm præcepisset Dn̄s Genes. 22. ℣. 2. *Tolle filium tuum quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum*; prōptè paruit, studuitq; singulare hoc opus, hominum oculis abscondere; vnde ait Scriptura ℣. 3. *Igitur Abraham de nocte consurgens*, congruè *de nocte, ne quis eum ad sacrificandum pergentem videret*. Nec Saræ vxori, neque seruis rem aperuit, sed ait ℣. 5. *dixitq; ad pueros suos: expectate hic cum asino: ego & puer illuc vsque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos*. in quæ verba S. Ambr. lib. 1. de Abraham cap. 8. *captiosè*, inquit, *loquebatur cum seruulis, ne cognito negotio, aut impediret aliquis, aut gemitu obstreperet, aut fletu:* duo ergo præstitit Abraham, opus abscondit, & occasionem ademit omnem, ne quis impediret, quod perficere iam firmiter statuerat, etsi occasio leuis ad impediendum: quem enim vnici filij præsentia, & immolatio non retardabat, quomodo seruulorum gemitus impediret? Tandem ex loco in quo sacrificiū perfici oportebat, collige quàm

Genes. Abrahæ sacrificiū multis modis occultum. S. Ambr. Occasio, etsi leuis fugienda.

anxius

anxius fuerit Sanctus Patriarcha, vt Deo tantùm notum fieret proprij filij holocaustum, ait namq; ℣. 14. *Appellauitq; nomen loci illius, Dominus videt: vnde vsque hodie dicitur in monte Dominus videbit:* tentata ergo immolatione filij, & oblato in holocaustum ariete, tunc dixit Abraham: *Dominus videt*, quasi diceret, Dei tantùm oculis exposita volo, quæ facio: *Dominus videt*, quæ verba affinia sunt ijs, quæ in Euangelio ponũtur, & nos exponimus *& pater tuus, qui videt te in abscondito reddet tibi:* quàm magna propterea reddiderit Deus Abrahæ, ibi recensentur.

Abraham Deo tantũ sacrificiũ manifestat

6 Nouerat hoc spõsa, seu anima Iusti, ideò Cantic. 5. ℣. 5. inquit, *surrexi vt aperirem dilecto meo: manus meæ distillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima pessulum ostij mei aperui dilecto meo &c.* quibus verbis veram conuersionẽ piæ animæ ad Deũ per pœnitentiam, & bonas operationes intelligimus, vt optimè adnotauit Pater Ghisler. noster explicans adducta verba, in tertia expositione, & in appendice ex Antiquis Patribus. Nam quando sponsus *misit manum suam per foramen*, vocauit per gratiam excitantem, & præuenientem. Quando sponsa ait: *surrexi*, recessum significat à cœno peccatorum, secundùm communem Sacræ scripturæ phrasim. Per *manus*, & *digitos distillantes myrrham*, operationes bonas piæ animæ intelligimus, vnde S. Ambros. lib. de Isaac cap. 6. *Ipsa ministeria*, inquit, *operationum, idest manus, & digiti, quibus comprehenditur Christus, mortificantur: quos digitos velut eminentia factorum nostrorum opera possumus æstimare* Religiosissimus Rex Matthæus Cantacuzenus, nouissimè è græco in latinum translatus a Patre nostro Vicẽtio Riccardo, & eruditissimis Notis illustratus sic legit: *surrexi vt aperirem Nepoti meo: manus meæ distillauerunt myrrham, digiti mei myrrham plenam, contendens ad claustrum*. Cui versioni consentire videtur S. Ambr. lib. 3. de virginib. legens: *manus meæ distillauerunt myrrham, & digiti mei in manibus clausuræ*. Idemq; repetit lib. de Isaac, & anima cap. 6. Quid verò importetur per ly: *contendens ad claustrum*, vel *in manibus clausuræ* expendendum est.

Cãt. cant.

Ghisler.

Manum mittere, est pergratiam excitare.

Manus operationũ hieroglyphicum. S. Ambr.

Matth. Cãtacuz.

S. Ambr.

7 Dici potest, vocatã iam animam, & sponsam illis verbis Cant. cap. 5. ℣. 2. *vox dilecti mei pulsantis: aperi mihi soror mea, amica mea &c.* Insuper ℣. 4. *dilectus meus misit manum suam per foramen &c.* etsi negligens, & torpore plena, tamen: *surrexi*, inquit, *vt aperirem dilecto meo, pessulum ostij mei aperui dilecto meo*, non reperto sponso quia vt subdit: *at ille declinauerat, atq; transierat*, benè vertitur: *contendens ad claustrum*, quia namque sponsum suum quæsitura surrexerat, isque morari solebat non in sæculi tumultibus, & delitijs mundanorum hominum, sed in claustralium, & Religiosorũ hominum conuentibus, & sanctarum monialium domibus; ideò benè dum ad quærendum pergit dilectum, dicitur: *contendens ad claustrum*, eritq; optima interpretatio, si *contendere*, sumatur pro *pergere*, seu *proficisci* q̃ est contra tendere.

Deus in claustris Regular. inuenitur.

8 Cassiod. S. Gregor. Pap. Philo Carpathius, Beda, & alij existimant, asserere hic sponsam, se omnibus ijs, quæ in hoc sæculo sunt, renũtiasse, & soli Deo cor suum cõsecrasse, ideò ostium, pessulo obseratum mundo tenebat, quod sponso tantùm Deo aperiebat, vnde & dicebat: *surrexi, vt aperirem dilecto meo &c. pessulum ostij mei aperui dilecto meo:* veluti enim claustro inclusa, & ostio pessulo obserato custodita extabat pia anima Dei sponsa, ne aliquibus mundi oblectamentis, diaboli tentationibus, & sæculi huius vanitatibus alliceretur.

Cassiod. S. Greg. Pap. Philo. Carp. Beda.

Mundo clauditur Deo aperitur cordis ostiũ.

9 Matthæus Cantacuzenus supra citatus totum hunc versum intelligit de Beata Virgine Deipara, ait propterea: *Inculpata Virgo, cùm faustam, felicemque audisset Angeli vocem: surrexi ego, dicit, vt aperirem meo nepoti, dicens: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secun-*

Matth. Cãtacuz.

Incarnationis prædictio.

dùm verbum tuum. Manus mea distillauerunt myrrham, videlicèt, assensione præstita, Incarnatio pariter facta est. Per myrrham itaque mortalem significat carnem, per manus, virtutem partui cooperantem. Digiti mei myrrham plenam: idem ferè, diuersis vocibus dicit. plenam verò ait, quò demonstret perfectam, veramq; assumpsisse carnem, non autem per speciem, & spectrum. Si autem quæras quid intelligat hic Auctor per ly: *contendens ad claustrum*, vel *in manibus clausuræ*, seu *super manus claustri*, de sanctissima explicat virginitate Mariæ, quæ post partum etiam virgo permansit, vnde ait: *virtutes quidem operariæ, ex natura lege deseruiunt partui: virginis verò claustra, supra naturam, illæsa fuere seruata.* Erit ergo sensus, quòd quando Beatæ Virg. in ipsa, & ex ipsa Verbi incarnandi, & partus, ab Angelo facta est vox, maximè elaborauit, decertauit, desudauit, dum in illo quasi conflictu, in Angeli alloquutione fuit, vt immaculatam virginitatem ante partum, in partu, & post partum etiam seruaret; ideò *contendens ad claustrum*, vel *super manus claustri*, seu *pro claustro* quasi de hoc tantùm fuerit cogitabunda, anxia, & custos.

Mariæ virginitas illibata.

B. V. M. solicita de custodia virginitatis.

10 Sed ad rem nostram; quoniam omnes supradictæ versiones, & expositiones illò tendunt, vt summam clausuram, & custodiam, seu obserationem animæ ostendant, non erit incongruum explicare, animã a Deo expergefactam, euocatamque a cœno peccatorum, refertam bonorum operum fructibus, & virtutibus, quæ denotantur per *manus, & digitos plenos myrrha probatissima* (vt diximus) illicò *ad claustrum contendisse*, vel *super manus clausuræ*, cæteris namque obserato aditu, vt incognita iaceret, & quæ in ea cumulata erant Sancti spiritus dona, non oculis hominum, sed soli Deo innotescerent; ideò *ad claustrum, & ad clausuram contendit*; vnde benè in vulgata etiam legitur: *surrexi vt aperirem dilecto meo &c. pessulum ostij mei aperui dilecto meo*, nõ alijs, sed tantùm *dilecto meo*. Nisi dicere etiam velimus, & ad rem, de qua agimus, consonat; quòd videns se pia anima de peccatis ad Deum conuersam, emendatioris vitæ viam ingressam, *contendit ad claustrum, ad clausuram*, mundum videlicèt derelinquens, claustralem, regularemque vitam excolere statuẽs, monasticam vitam amplectitur. aduerterat namque, & experimẽto probauerat, quàm facilè sæcularis status vitijs, & peccatis implicetur, dæmonis tẽtationibus, & incursibus pateat, à quibus omnibus solitarium claustrum, veluti fortissimum Castrum defendit, ac tutatur.

Mæsti spiritus dona ... spiritus claudit ... omnibus innotescat

Religionis claustra petit anima, vt Deo vacet.

11 Eadem sponsa, alio argumento idipsum confirmat Cant. 5. ℣. 6. *Inuenerunt me*, inquit, *custodes, qui circumeunt Ciuitatem; percusserunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi custodes murorum*. S. Greg. Nyssen. S. Ambros. tres Patres, & Psellus per *custodes &c.* sanctos Angelos intelligunt, qui in hac vita nos custodiunt, percutiunt; & vulnerãt, dum nos flagellari permittunt, vt resipiscamus, vel *vulnerant* charitatis iaculo, eo modo quo dicitur Cant. 4. ℣. 9. *vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum &c.* quẽ exponendi modum latè prosequuntur Ambros. & Nyssen. maior difficultas est, quid sit, aut sibi velit sponsæ *pallium*, & quam ob causam sublatum illud ab Angelis dicatur *tulerunt pallium meum mihi custodes murorum*. Existimo piam hanc animam, Dei sponsam, quippè quæ à Dèo dilecto suo iam audierat ℣. 2. *aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea*, quibus verbis, & alijs similibus supra adductis, summa perfectio, virtutumq; omnium ornatus exprimitur, præcipuè illis: *immaculata mea*, idest nullam peccati labem admittens; omnem adhibuisse curam, vt dona, & bona omnia, quibus se refertam audierat, & viderat, humilitatis *pallio* cælaret, & absconderet, ne mortalium oculis tanta perfectio innotesceret. Igitur

Cãt. cant.

S. Gregor. Nyssen. S. Ambr. Tres Patres. Psellus.

Angeli custodes tribulant nos, & charitate vulnerant.

Humilitatis pallio, virtutes tegit anima.

pallium

pallium, hoc loco, humilitatis indumentum intelligo, quo dona Dei, & virtutes animæ cooperiuntur, ne hominibus pateât. Quia verò, quę nos ob humilitatem abscondere desudamus, Deus mundo notas facere studet, mittit Angelos, destinat ministros, qui *pallium* auferât, merita appareant, decus animæ fulgeat. Meam hanc expositionem, firmat perpulchrè S. Ambros. lib. de Isaac cap. 7. inquiens: *Non otiosè pallium eius sublatum intelligis, vt aperta meritis, & nuda fulgeret.* Et in eundem sensum dixit Nyssen. homil. 12. *aufertur à custodibus pallium, vt pulchritudo desiderata videatur.* Habes ergo *pallium* sponsæ, quasi cooperculum fuisse virtutum, quod minimè dimisisset, nisi violenter, Angeli Dei ministri surripuissent, ad hoc vt illius merita, per humilitatem abscondita, mundo toti nota fierent.

Quæ nos humilitate tegimus, detegit Deus.

S. Ambr.

Nyssen.

12 In cõfirmatione adductæ expositionis, id recolo, q̃ gestum legimus 3. Reg. 19. quo loco præcipit Deus Eliæ Prophetæ, vt in Prophetam vngeret Eliseum. ℣. 16. *Eliseum autem filium Saphat, qui est de Abelmeula, vnges Prophetã pro te.* Paruit Elias, & subdit Scriptura ℣. 19. *Profectus ergo inde Elias, reperit Eliseum filium Saphat &c. cumque venisset Elias ad eum, misit pallium suum super illum, qui statim relictis bobus, cucurrit post Eliam.* Iterum, sciens Elias, quòd Dominus rapturus eum esset in cœlum, ait sacer texus 4. Reg. 2. ℣. 9. *Elias dixit ad Eliseum: postula quod vis, vt faciam tibi antequam tollar à te. Dixitque Eliseus: obsecro vt fiat in me duplex spiritus tuus, qui respondit si videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petisti.* Cumque eleuatus fuisset Elias in cœlum subdit scriptura ℣. 13. *Et leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei.* Obserua quæso mecum ingeniosè lector; prophetiæ spiritu imbui debebat Eliseus; & Elias *pallium* expandit super eum. Orat supplex Eliseus Eliam, vt spiritum suum duplicem in eum infunderet, & se facturum pollicetur, si vidisset quando in cœlum conscenderet; aliud

3. Reg.

Prophetię spiritus pallio traditur.

4. Reg.

Pallium, signũ spiritus duplicis.

tamen Eliseo ab Elia traditum non legimus nisi *pallium: & leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei:* quæ connexio est hæc, & permutatio *spiritus duplicis*, & *prophetiæ*, cum *pallio*, vt per *pallij* traditionem, *spiritus duplex, & prophetiæ* donum tributum intelligeretur? Non esset incongruum exponere, Prophetas, Sanctosque viros certaminibus exponi, cum diabolo, & ministris eius, etiam in humanis membris, pugnaturos. loco armaturæ est illis Dei verbum, iuxta Apostolũ ad Hebr. 4 ℣. 12. *viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti &c.* digladiatorum autem mos est, pallium brachio obuoluere, quo aduersarij ictus reprimat, & scuti loco sit: ità spiritus, virtutes, & Dei dona sunt, quibus nos ipsos defendimus, aduersarijs resistimus; eaq; sunt, quæ inimici impugnãt, vt nos expugnent. Illud nimirum hostes nostri siue inuisibiles, siue visibiles contendunt, vt vel reuera spiritum in nobis extinguant, aut sanctitatis opinionem auferant: propterea dicebat S. Greg. Pap. in Registro: *habet proprium antiqui hostis inuidia, vt quos in prauorum actuum præparatione, Deo sibi resistente, decipere non valet, opiniones eorum, falsa ad præsens insinuando dilaceret.* Vel ideò per, *pallium, spiritus*, denotatur, quia *pallium*, Regni est typus; vnde 3. Reg. 11. ℣. 30. *Apprehendensque*, inquit, *Abias pallium suum nouum quo coopertus erat, scidit in duodecim partes. Et ait ad Ieroboam: tolle tibi decem scissuras: hæc enim dicit Dominus Deus Israel: ecce ego scindam Regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus.* Viri autem Sancti, & Prophetæ veluti Reges in honore, decoreque habentur, iuxta Matth. 13. ℣. *Amen dico vobis, quia multi Prophetæ, & Iusti cupierunt videre quæ videtis &c.* Eam verò Domini sententiam referens Lucas ait cap. 10. ℣. 24. *Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ, & Reges &c.* quos ergo Matthæus, *Iustos*, hos Lucas *Reges* vocat: quod ex Beda annotauit

Ad Hebræos.

Virtutes quasi pallium brachio obuolutum, aduersariorum ictibus exposita.

S. Greg. Pap.

Pallium Regni typus. 3. Reg.

Sancti, Reges sunt. Matth.

Luc.

S. Thom in catena in Lucam, inquiens: *Matthaus apertius Prophetas, & iustos appellat, ipsi enim sunt Reges magni.* Vel ideò, quia si qui sunt defectus corporis, pallio cooperiuntur, & ab aeris incõmodis defendimur. Et si qui sũt defectus naturales, patriæ, originis, ingenij &c. spiritu, donoq; Dei honestantur, & ab incõmodis, ac oppressionibus contutantur. Sed melius, & ad rem nostram. *Pallio*, spiritus Elisei tamquam signo externo, & sensibili præsignatur; & *pallium* datur ei qui spiritu imbuitur, vt habeat quo se operiat, Dei dona abscondat sub pallio humilitatis, vt Dei tantùm aspectui, & non hominum oculis nuda, & aperta sint bona, quæ agimus, ad sponsæ, piæq; animæ instar, vt paulò ante exposuimus: Dei namque spiritus, non sine *pallio* datur; signumq; accepti, manentisque in nobis spiritus, Dei *pallium* est: propterea imbuendus spiritu Dei Eliseus, & spiritu duplici Eliæ decorandus, *pallium* semper accipit. Vt hoc signo externo sensibili intelligeret, quid in anima spiritualiter gerendum foret.

13 Simile quid est, quod legimus Cantic. 1. ℣. 4. *Nigra sum, sed formosa, filia Hierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Aponius, Theodorit. Psellus, & alij sermonem hic esse putant piæ animæ ad Angelos, aut perfectos viros, quos sub nomine, *filiarum Hierusalem*, nuncupat. Qualis autem sua sit interior pulchritudo virtutum, explicat illis verbis: *Nigra sum, sed formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut* Pelles *Salomonis*; quæ verba exponens Religiosissimus Rex Matthæus Cãtacuzenus, inquit: *contenta, feruentiq; voce dicit: ò filia Hierusalem, pulchra sum, quamuis adhuc incomprehensa decumbam, id enim significat: Nigra sum.* hæc Cantacuz. iuxta quam expositionem pia anima suam internam pulchritudinem, nigredini comparat, vnde apud Cantacuzenum, idem importat: *Nigra sum, & pulchra sum*, seu *obscura*, vel *incognita, incomprehensa, non agnita, & inuisa*, quod idem est, ac quod in Euangelio præsenti dicitur: *ne videaris hominibus, sed patri tuo, qui est in abscondito, & pater tuus, qui videt te in abscondito &c.* Namque pulchritudo animæ, virtutes, internus splendor, & gloria, seu fama, & honor, ab oculis hominum supprimendus est, & in tenebris collocandus, & in abscondito; vnde Seneca de remedijs fortuitorum inquit: *bonum quod est, supprimitur, sed nequaquam extinguitur: bona fama, in tenebris proprium splendorem tenet.* Confirmãt hunc sensum verba adiuncta: *sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*, in quæ verba, idem Cantacuzenus: ait: *non secus ac Dux in tentorijs, & in Aulais Salomon.* Si quæras quid per *Aulæa* intelligat Cantacuzenus? explicatio erui potest à Seruio in illud Virgil. lib. 1. Aeneid. *Aulais se iam Regina superbis.* dicens: *Aulais velis pictis, quæ ideò aulæa dicta sunt, quòd primùm in aula Attali Regis Asiæ, qui populum Romanum scripsit haredem, inuenta sunt.* Vsus autem *aulæorum* fuit præcipuè, vt ad ostia domorum penderent, ad occultandos qui in aulis degebant, vnde Plutarchi de Artaxerxe: *ipse*, inquit, *parietem post lectum suum effodit, ostiumque in eo effecit, idque aulao occultat.* Ex quibus hic eruitur sensus verborum piæ animæ: *pulchra sum*, sed *nigra*, idest in obscuro, nulli patens, est mea pulchritudo; inuisa, & adhuc incomprehensa decumbo: in penetralibus intimis domus, & in secretioribus aulis dego, quarum aditus aulæis occlusi, omnibus accessum arcent, & intuitum. Ideò *pulchra*, quia *nigra*, ideò formosa quia in obscuro; ideò virtutibus, & sanctitate refecta, quia cæteris inuisa, soli Deo in scondito videri, & placere studeo. Eandem exponẽdi rationem reperio apud S. Bernard. in sermone quodam cui titulus est, Declamationes, quo loco, inquit, *Nigra sum, sed forma filia Hierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut* pelles Salomonis; *ac si manifestè spiritualis quispiam dicat, teneras, & infir*mas

Homil. Catena Beda. | Spiritus naturalis defectus cooperit. | Humilitatis pallium, spiritus Dei accep signum. | Cant. | Apon. Theodorit Psellus. | Matth. Cantacuz. | Pulchritudo nigredini comparatur, idest inuisa | Seneca. | Cantacuz. | Seruius in Virgil. | Aulæorũ vsus ad occultationem. | Plutar. | S. Bernar

mas mentes exhortans: Quid laboriosa quæq; & humilia conuersationis nostræ, tàm sedulæ numeratis? Saga cilicina sunt, & pelles arietum rubricatæ, quibus interior ille splendor, & interna tegitur gloria, vt illesa à pulueris, & imbris iniuria conseruetur: intelligens per *imbrem*, & *puluerem*, exteriorem hominum plausum, inanemq; gloriam, qua sordescunt, & maculantur interiores animæ virtutes.

Cāt. cant. 14 Confirmant hunc sensum, quæ sequuntur verba ℣. 5. *Nolite me considerare quòd fusca sim, quia decolorauit me sol.* Matthæus Canta uzenus, qui supra, sic vertit: *Non intueamini, quòd ego nigra sim; quoniam non est intuitus me sol.* Sic etiam legunt Septuaginta Interpretes, vnde quod Vulgata per effectū, isti per causam exprimunt; abscessu nāque solis, decolorata, & nigra apparēt, vel potius non apparent corpora, vnde Virg. Aeneid. 6.

Math. Cā tacuz. — Septuag. — Virg.

Rebus nox abstulit atra colorem.

Sic itaq; licebit exponere: ne me intueamini, qui enim fieri potest vt illius pulchritudinem conspiciatis, quam sol suo splendore non illuminat, solares non affulgent radij, & in tenebris iacens, fusca, & nigra est. Collige ergo quàm studiosa pia anima, Dei sponsa fuerit, ne opera, virtutes, & dona oculis paterent hominum, quæ nec soli permisit, vt se aspiceret, italicè diceremus: *ne pur il sole hà permesso che la miri.* Hoc docet Sāct. Bernard. sermone citato, sic inquiens. *Nolite me considerare quòd fusca sum quia decolorauit me sol, nolite pauere nolite mirari. Neque enim tristitiæ, aut necessitatis est exterior iste neglectus, & nigredo forinseca, sed occulti splendoris, & exultationis internæ.* Idem intelligit per decolorationem à sole, subdens: *decolorauit me sol, lux interior, exterioris impatiens; nimirum ignis est, & inania folia non admittit: alioquin aut exuri folia, aut certè si præualuerint, ignem extingui necesse est.* intelligens per *folia*, vanam vulgi auram, quam si internus amor non absumit, ab illa vtique consumatur. *Nota tamen verba illa: lux interior, exterioris.* Sed de hoc redibit sermo iterum.

Neq; soli se ostēndit pia anima ne videatur.

S. Bernar

¶ 15 Adeò hoc verum, vt si quæ agimus, intentione placendi Deo tantùm fieri debent, alioquì non solùm mercede digna non erunt, imò verebuntur ad Dei conspectum accedere. Eccli. 29. ℣. 15. *conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Nota ly, *conclude*, idest quasi ostio, & claui obseratam claude, & abscon de, nō sicut illi, de quibus dicitur Matth. 6 ℣. 2. *cum facis eleemosynam noli tuba canere &c.* tūc enim, & non alias, vel aliter ipsa *pro te oxorabit*, vt *libereris ab omni malo*.

Eccli. Opera b[...] na, qua[...] clauibu[...] obseran[...] ne pate[...] Matth

16 Apostolus Paulus epist. 1. ad Corinth. cap. 11. præcipit velato capite orare, & prophetare mulieres in Ecclesia, non ità viros. ℣. 4. *omnis*, inquit, *vir orans, aut prophetans velato capite, deturpat caput suum: omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum*; ex quo obiter colligo, & si sancta sit mulier, ita vt prophetet, & Religionis agat opera: velet se semper, modestiam induat, ne sibi, & aliis perditionis sit causa. Reddit rationem Apostolus, cur mulier velato capite, vir verò non velato oret, & prophetet, ℣. 7. *Vir quidem non debet velare caput suum: quoniam imago, & gloria Dei est, mulier autem gloria viri est.* Quam rationem paulò ante idem Apostolus tetigerat, nimirum ℣. 3. *volo autē vos scire, quòd omnis viri caput Christus est: caput autem mulieris vir: caput autem Christi Deus.* Habes ergo ex ratione quam Apostolus adducit, ideò mulieris caput velandum, quia gloria est viri, non velandum caput viri, quia gloria Dei est. Rectè itaq; infertur, nostram gloriam occultandam, & obuelandam esse; ideò velandum caput mulieris, quia gloria est viri: Dei verò manifestandam, propalandamque, ideò nō velandum viri caput. Cogitent hæc, qui ad comparandam vanam mundi gloriolam, Deo seruiunt, de quibus dici-

1. Corin[...]

Mulie[...] etsi sanc[...] modesti[...] induat [...] perditi[...] nis sit o[...] casio.

Propri[...] gloria n[...] quæren[...] ex oper[...] bus, se[...] Dei.

tur

tur: *exterminant facies suas, vt appareãt hominibus*, qui apparere volunt, nõ velant se, sed discooperiunt, vt oculis hominum noti fiant: velant autẽ, qui intra modestiæ confines se occultãt, vt *patri suo, qui est in abscondito*, tantùm innotescant, dicit aũt benè Paulus: *caput viri Christus, caput verò Christi Deus*, nã nec Christus, vt homo, suam gloriam, ex operibus in hac vita quæsiuit, sed Dei, sicut ipsemet dixit Ioan. 8. ℣. 50. *ego gloriam meam non quæro &c.*

Ioan.

17 Hinc factum, vt statim ac anima Dei spiritu imbuitur, cælestibusq; replетur virtutibus, & ad sanctas operationes manus admouet: custodia, præsidioque munitissimo Deus illam vallat, & circumquaq; cingit validissimis muris, ac turribus, ne manibus diripientiũ, aut oculis intuentium aliquo modo pateat, imò quæ operatur, intra septa parietum occlusa maneant, nemini nota, soli Deo cognita. probat quod dicimus Isai. cap 49. ℣. 16. *ecce in manibus meis descripsi te: muri tui coram oculis meis semper*. Septuag. quos sequitur S. Ambros. legunt: *pinxi te*, per hanc verò *descriptionem, & picturam*, virtutum ornatum, & sanctarum operationum cumulum intelligit idem Ambros. lib. 6. Hexam. cap. 6. *illa enim*, inquit, *à Deo pingitur, quæ habet in se virtutum gratiam renitentem, splendoremque pietatis, illa anima benè picta est, in qua elucet diuinæ operationis effigies.* Animam sic ornatam, muris cingit: *muri tui coram oculis meis semper*; quasi dicat: statim ac virtutibus, & operibus decoram sic te efformaui, quomodo te custodirem, sedulus cogito: de muris tuis, quibus circundaris, cura maxima mihi est; muros hos, & custodiam, & secretum tuarum virtutum, & actionum rumino semper. firmat hanc expositionem idem S. Ambros. citato lib. 6. Hexam. cap. 8. *huius*, inquit, *viri animæ dicit: ecce ego Hierusalem pinxi muros tuos, non dicit: pinxi ventrem tuum: pinxi inferiora tua, sed dixit pinxi muros tuos: valida se asserens homini dedisse murorum præsidia, vt si peruigil speculator in portis sit, obsidionis possit periculum propulsare, vnde in Canticis habes dictum: ego murus, & vbera mea turres.* Nota in verbis Ambrosij eũ, qui *speculator* dicitur, idest, curiosus prospector, simul etiã hostem vocari: *si peruigil speculator in portis sit, obsidionis possit periculum propulsare*, quasi is, qui te benè operantem curiosè cõspicit, obsidere ẽt dicatur, & insidiari.

Animæ virtutes, & opera occlusa, et vallata.

Isa.

Septuag. S. Ambr. Pingit Deus animam, quã virtutibus & operibus ornat. S. Ambr.

S. Ambr. Hostis animæ qui opera nostra curiosius intuetur.

Et pater tuus, qui videt te in abscondito, reddet tibi.

Sacer textus.

CAP. VII.

Iustorum bona opera, in abscondito facta, publicè Deus detegit, & exaltat.

1 Anct. Thom. in Catena, adducta Christi Dñi verba põderãs, addidit hãc particulã *palàm*, ità legens: *& pater tuus, qui videt te in abscondito, reddet tibi palàm.* Quam particulam desũpsisse videtur hic Sanctus Doctor, ex S. Chrysost. qui supra Matth. cap. 6. legit: *Et pater tuus, qui videt te in abscondito, reddet tibi in aperto, & in propatulo:* quem modum loquendi desumpsit etiam S. Chrysost. ex aliquibus Græcis Codicibus, qui ità habent ἐν τῷ φανερῷ, idest *in aperto, & in propatulo*; licèt tempore S. August. non legebant ità Græci Codices, sed tantùm Latini, vt ipsemet S. Augustinus testatur lib. 2. de sermone Domini in monte, in caput 6. Matth. in hæc verba: *Multa latina exemplaria sic habent: & Pater tuus qui videt te in abscondito, reddet tibi palàm: sed quia in Græcis, quæ priora*

S. Thom.

S. Chrys.

Quod in secreto fit, Deus palàm remunerat.

S. Aug.

sunt

sunt, non inuenimus (palàm) non putauimus hic aliquid differendum esse. hæc August. Inhærendo tamen tot Patrum, & Doctorum versioni, qui legunt, *reddet tibi palàm, in aperto, in propatulo*, colligimus, quantùm Deus iustorum bona opera, in abscōdito facta, ad inanem vulgi gloriam fugiendam, propalet, ampliet, proclamet, ac per omnem orbem prædicari faciat.

2 Aptissimus (ad hoc probandum) adest locus Matth. 25. vbi loquens de Iudicij die, congregatis omnibus in publico, iuxta illud Matth. 25. ℣. 32. *& congregabuntur ante eum omnes gentes*, reuelabit Dominus multa opera bona, quæ Sancti, & Iusti fecerunt in abscondito, & in tenebris, fugientes hominum conspectum, ne in uanam inciderent gloriam. Simul etiam reuelabit multa opera mala, quæ peccatores, vel in publico scandalosè, vel in abscondito perpetrarunt. Sed notandum discrimen inter commemorationem operum bonorum, quæ iusti egerunt in abscondito, & praua facta iniquorum, quæ vel in abscondito, vel palàm fecerunt. Tūc, inquit sacer textus ℣. 34. *Dicet Rex his, qui à dextris eius erunt: Esuriui, enim, & dedistis mihi manducare; sitiui, & dedistis mihi bibere; hospes eram, & collegistis me; nudus eram, & operuistis me; infirmus, & visitastis me; in carcere eram, & venistis ad me*. Quibus verbis distinctè, & profusè prædicat, probat, atque ostendit Iustorum opera: at non ità de ijs, qui à sinistris erunt, *tunc dicet & his*, inquit textus, *qui à sinistris eius erunt: Esuriui, & non dedistis mihi manducare, &c. infirmus, & in carcere, & non visitastis me*, & sic citiùs se expedit Dominus in narrādis iniustorum malis operibus, quod benè aduertit S. Thom. in Catena: *nam*, inquit, *loquens ad Iustos per singulas species eorum benefacta dinumerat: ad iniustos autem præcidens narrationem, adunauit vtrumq; dicens: infirmus, & in carcere &c*. Huic quæsito acutè respondet idem S. Doctor, rationem esse; *quoniam*, inquit, *Misericordis Iudicis erat, benefacta quidem hominum (supple inabscondito) largiùs prædicare, & ampliare: malefacta verò eorum, transitoriè memorari, & abbreuiare*. Nota ly *prædicare, & ampliare*: his enim verbis ostenditur publica proclamatio bonorum operū Iustorū, amplatione oratoria exaltata, & eloquentiæ luminibus detecta, quæ in obscuro, & abscondito humilitatis, gesta erant. Confirmat, quod dicitur S. Chrysost. in cap. 6. Matthæi: *vnusquisq; vbi seminat, ibi metet. vnde qui propter homines orant, non propter Deum: ab hominibus, non à Deo laudantur*: ergo a Deo laudatur, & præconijs diuinis extollitur, qui propter Deum operatur.

3 Quod verum non solùm est per ordinem ad aliam vitam, in die resurrectionis, vt probare videtur prædictus Sacræ scripturæ locus: sed etiam in hac vita, morem Dei esse, ea propalare, quæ Iustus quærit abscondere. Ad quod probandum adest locus Psalm. 44. ℣. 11. *Astitit Regina à dextris tuis in vestito deaurato, circundata varietate*. Hic vtique Propheta describit Reginæ gloriam, iam mundo, & in publico manifestatam. *Regina* autem hæc, *anima iusti* est, quæ per gratiam, Dei sponsa effecta, veluti Regina coronatur, & ad Dei regnum possidendum euocatur, quòd huiusmodi Reginæ gloria publicè manifestetur, probatur clarè ex his verbis: *Astitit Regina à dextris tuis*: nā, vt legitur 3. Reg. 2. vers. 19. volens Salomon in publico gloriam matris suæ manifestare, eam sedere fecit a dextris suis; *positusque est thronus*, inquit sacer textus *Matris Regis, quæ sedit ad dexteram eius*. Sed difficultas est non parua in præsenti text. orta ex verbis, paulò post prolatis a Psalmista: *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus*; si *ab intus gloria* est Reginæ, quomodo *astitit gloriosa à dextris* in publico throno, & in omnium conspectu? si *intus* celatur gloriosa, ergo foris despecta; si foris despecta, quomodo *astitit gloriosa*?

Marginalia (left): Matth. — Iustorum bona opera amplificat Deus, peccata iniquorū breuiat. — S. Thom.

Marginalia (right): Proclamat Deus Iustorū opera. — S. Chrys. — Psalm. — 3. Reg. — Sessio in throno a dextris gloriam ostendit. — Opera i[…]na, q[…] in absc[…]dito fi[…] in pub[…]co ma[…]festant[…]

S.Greg. Papa.

Sed huic difficultati egregiè occurrit S. Gregor. Papa 8. moral.cap. 37. *filia Regis*, inquit, *gloriam intus habet; quia hoc, quod agit, in ostentationis iactantiam non habet: ideo ea, quæ non ostentat, sed abscondit opera sua, à dextris publicè ponitur in gloriæ throno*. Dei enim mos est, ea, quæ iustus in abscondito facit, & humanis oculis celat, publicè detegere, & magnificare: propterea dicitur, *qui videt te in abscondito, reddet tibi palàm*, vt, quam fugis, gloriam assequaris.

Iustus, arbori comparatus. Psalm.

4 Hoc idem satis apta similitudine explicat Propheta, dum iustos arbori, seu florum virgæ comparat Psal. 91. vers. 14. *Plantati in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri florebunt*. Mirum certè dictum, quòd plantatum est in domo, floreat in atrio: arbor enim vbi plantatur, ac radices figit, ibi floret, quia ibi est, indeque humorem trahit: quomodo ergo verum est plantatam arborem in domo Domini, florere in atrio, & nō in ipsa domo? Iusti, inquàm isti sunt, qui *in domo Domini*, idest, in Ecclesia orantes, veluti *plantati* videntur, dum iugiter oraturi morantur, & genibus in terra flexis, & fixis quasi plantatæ in terra arbores permanent, ac solo adhærent, aquarum lachrymis irrigati à Deo sole, & solo, quem aspiciunt, irradiari. *plantati* isti dicuntur, sed *in domo*, idest *in occulto*, iuxta illud Matth. 6. ℣. 6. *tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito, & pater tuus qui videt te in abscondito, reddet tibi*. Florent tamen isti per bona opera quæ agunt, non tamen *in domo*, sed *in antrijs*, idest, non in occulto, & in secreto, vbi Deum precantur; quia necesse est eos postea *in atrijs florere*, idest in publico manifestari, ac flores suorum operum, simul atq; bonæ famę odorē palàm profundere. Vnde egregiè Vgo de S. Victore, *mirum*, inquit, *quod plātatur in domo, floreat in atrio: sed fortaßè per fidem plantatur iustus intus, per exemplum boni operis floret exterius*, desumpta meritò est similitudo a flore; flos enim antequam aperiatur, suam pulchritudinem celat, vt patet in rosa; quæ deinde cùm floret, ac aperitur, suam in publico pulchritudinem ostēdit: sic iusti pulchritudinem operum bonorum *in domo*, idest *in secreto* claudunt, quæ postea *in atrijs florent*, idest in publico manifestantur. Porrò sub florum figura ad sensum nostrum loquitur Spiritus sāctus Cāt. 2. vers. 9. *En*, inquit, *ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos*. In quæ verba P. Ghisler. noster ex Rabbi Dauid, & Legionensi, & ex verbo *ziz* quòd propriè *florere* significat, metaphoram a floribus desumptam putat, qui intra folliculos inclusi, paulatim ex ipsis folliculis in modum cancellorum, seu retium quarundam sese aperientibus erumpunt.

Orantes, quasi plātati in Ecclesia.

Matth.

Bonorum operum in abscondito factorum fama peruagatur.

Vgo de S.Vict.

Operum occultatio & ostensio, floris comparatur.

Cāt.ca.

Ghisler. Rabb. Dauid. Legionens.

5 Patebit hoc manifestè, si ponderabimus, quę Isaias adnotauit cap. 6. vers. 2. *Seraphim*, inquit, *stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri; duabus velabant faciem eius*, siue *facies suas*, vt legit S. Chrysost. *& duabus pedes eius*, siue, *suos*, *& duabus volabant*, & sic, dum velabant facies, & pedes, interim volabant. Ex quo obiter colligimus, quòd iustus magis laborat, vt id, quod habet, abscondat, quàm vt operetur. Sex enim habent Seraphim alas, ex quibus duas adhibent, vt faciem cooperiant, *duabus velabant faciem*; alias duas, vt absconderent pedes, *& duabus velabāt pedes eius*. En alas quatuor: *duabus* ergo tantùm *volabant*. Igitur quatuor alas impendunt, vt se, suaq; dona occultent: duas verò, vt volitent, & ad profectum pergant, quia & ipsa occultatio proficere est, & volare: meritum enim per humilitatem adipiscimur. Interim verò, dum per humilitatem se abscondunt, *volant*; quia peruagatur fama sanctitatis, quam Sancti abscondunt; illam enim intra propriæ modestiæ fines degere, non permittit Deus, sed veluti *alis* per orbem duci-

Isai.

S.Chry.

Iustu maxim laborat vt oper abscond

Opera na absc dere, c ratio e

Volat m... fan tat.. ab scon...

tur

Alæ, famæ hieroglyphicū. tur vniuersum. Porrò, *alas*, famæ velociter currentis esse hieroglyphicum, sine controuersia est; vnde decantatum

Virg. illud Virg. Aeneid. 4.

Extemplo Lybiæ magnas it fama per vrbes,
Fama &c.
Illā terra parens ira irritata Deorū,
Extremam, vt peribent Cœo, Enceladoq; sororem
Progenuit pedibus celerem, & pernicibus alis,
Monstrum horrendum, ingens: cui quot sunt corpore plumæ
Tot vigiles oculi subter (mirabile dictu)
Tot linguæ, totidem ora sonant, tot subrigit aures.
Nocte volat &c.

Pier. Val. Cuius rei meminit etiam Pier. Val. lib. 4. ergo volatus Seraphim, manifestationem, & diuulgationem sanctitatis famæ, & gloriæ quam abscondebant rationabiliter exprimit.

6 Quòd si ex his quatuor Seraphim Isaiæ, ad quatuor animalia, quæ

Ezech. vidit Ezechiel gradum faciamus; idipsum expressissimum videbimus. Inquit Propheta cap. 1. ℣. 8. *& manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus.* Diximus capite præcedenti numero 3.

Fama, opera comitatur. *manus* fuisse operum figuram. Addimus modò, rectè opera *pennis*, & *alis* jungi, *manus sub pennis eorum*, quia fama, opera comitatur, & nusquam in gloriosa opera. vnde S. Hieronym. in

Matth. illud Matth. 4. ℣. 24. *abijt opinio eius in totam Syriam*, inquit, *opera salutis sine fama boni odoris, non satis relucent auditoribus: nec fama sine opere proficit, sine quibus forma veri sacerdotis non commendatur.* In hunc sensum (vt re-

Epictetus Philosop. fert Stob. serm. de virtut.) interrogatus Epictetus Philosophus, quo pacto assequi quis posset bonam famam, & gloriam, respondit: *Si cupis benè audire, disce benè dicere. Doctus autem benè loqui, da operā, vt rectè agas, atque sic*

Cassiod. *perfrueris bona fama.* Et Cassiod. lib. 1. epist. 24. *laborem*, inquit, *non refugit, qui virtutis gloriam concupiscit*. congruè igitur quatuor illis animalibus datæ sunt *alæ*, famæ, & gloriæ typus; & adiunctæ *manus* quæ sunt *operum* hieroglyphicum, vt vtrorumq; inseparabilis connexio monstraretur.

7 Expendamus, quod legimus *Matth.* Matth. 26. factum nimirum a Magdalena in Christi Domini obsequium ℣. 6. *Cùm autem*, inquit, *Iesus esset in Bethania in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum vnguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis.* hoc pietatis officium Christo Domino exhibitum, adeò gratum extitit, vt propterea omnem per orbem proclamari, & æternitati adscribi, notumq; fieri Dominus demandarit ℣. 13. *Amen*, inquit, *dico vobis, vbicumq, prædicatum fuerit hoc Euangelium, in toto mundo, dicetur & quòd hæc fecit in memoriam eius*, idest, *in eius* (scilicèt Magdalenæ) perpetuam cum laude memoriam. Ingerit autem hoc factum admirationis rationem. Reperimus enim aliàs maius fuisse quod si mili obsequio eadem Magdalena ipsimet Christo præstiterit. dicitur namque Luc. 7 ℣. 37. *Et ecce mulier, quæ erat in Ciuitate peccatrix, vt cognouit qd Iesus accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti, & stans retro secus pedes eius, lachrymis cæpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* maius inquam est, quod hoc loco, in Christi obsequium, hæc mulier gessit, quàm quod ex Matthæo supra narrauimus; ibi namq; præter vnguenti effusionem, aliud fecisse non apparet; hìc verò similiter, *alabastrum vnguenti attulit*, quod effudit: *& vnguento vngebat.* Et præter hoc, maximā exhibuit humilitatē; & verecundiā: *stans retro secus pedes eius.* Cōpunctionē: *lachrymis cæpit rigare pedes eius.* Vanitatis detestationem: *capillis capitis sui tergebat.* Charitatem eximiam: *osculabatur pedes eius.* Quæ omnia in Pharisæum calumniatorem, tamquam extrema pie-

Magdalenæ obsequium Domino exhibitū in domo Simonis, in laudē illius proclamatur per Orbē.

Non inducitur proclamatio obsequij Christo exhibiti a Magdalena, in domo Pharisæi

tatis obsequia obiecit Dominus, vt eo loco Lucas narrat. Quid ergo in causa est quòd effusionem vnguenti, in domo Simonis leprosi totum per orbem, & per totam æternitatem, in Magdalenæ laudem præcipit proclamari, non autē eam, quæ in domo Pharisæi gesta est?

8 An fortasse quia in Bethania, quæ *domus obedientiæ*, interpretatur, & in domo Simonis, qui etiam *obediens* dicitur, hæc gesta sunt. vnde S. Thom. in Catena ex S. Hieronymo ait: *moratur in Bethania, in domo obedientiæ, quæ quondam fuit Simonis leprosi. Simon quoque ipse obediens dicitur.* Et quidem ob hanc causam rationabiliter, magis enim Deo placent, & (cæteris paribus) maioris meriti, maiorisq; præconij digna sunt, quæ per obedientiam, & in domo obedientiæ, idest in Religione fiunt, vbi solemne est obedientiæ votū, quàm quæ in domo *Pharisæi*, hoc est, in sæculo ex propria fiunt voluntate. *Pharisæus*, interpretatur *Diuisus*, typus diaboli, & mundi, iuxta Lucæ 11 ℣. 17. *omne Regnum in se ipsum diuisum desolabitur: si autē & Satanas diuisus est, quomodo stabit Regnum eius?* de claustralibus autē, charitate compaginatis dicitur Psalm. 132. ℣. 1. *ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum.*

S. Thom. in Catena

Opera per obedientiā facta, maiori laude, & præmio digna.

Luc.

Psalm.

9 Non esset præter rationem si ēt exponeremus tanti fecisse Dominum exhibitum sibi officium in domo Simonis, magis quàm in domo Pharisæi (etsi hoc excellentioribus factis sit refertum) tunc enim illud exhibitum fuit, quādo iam Iudas eum traditurus erat, de quo cogitabat. omnes discipuli in fugam conuertendi: Matth. 26. ℣. 59. *tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt* à Patre derelictus cap. 27. ℣. 46. *Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* proximus iam morti, & Cruci, quod & aduerterat Magdalena, frequēter enim audierat Dominum de sua iam imminente morte loquente, & quia metuebat, ne fortè mortuo non posset debitam vnctionem impendere, prout mos erat Iudæis, voluisse eam viuo exhibere: propterea dicitur ℣. 12. *mittēs enim hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit*, quia tamē ea, quæ gerimus in obsequium eorum, qui omni auxilio destituti sunt, qui morti sunt proximi, nullam proprij commodi admixtam habere videntur speciem, sed totum ex amore in eū cui beneficium exhibetur, procedere videtur, ideò id quod Magdalena circa Christum iam moriturum operatur, toti mundo ad eius laudem proclamandum mandatur.

Matth.

Beneficia amici tantùm commodis, necessitatis tempore collatis, laude digna.

10 Aptius ad rem de qua agimus. Hoc ideò factum putamus, quia in domo Pharisæi, satis patenter, coram multis gestū erat opus Magdalenæ in vnctione Domini; erant enim (præter cæteros) multi etiam conuiuantes cum eis, vnde ait Lucas 7. ℣. 49. *& cæperunt qui simul accumbebant dicere intra se: quis est hic qui etiam peccata dimittit?* At verò in domo Simonis leprosi, cum Domino, discipuli tantùm duodecim erant, collaterales, & indiuidui comites Christi, cum quo quasi vnum quid erant, & separari minimè poterant ab inuicem quasi domestici. Illud ergo ex se patens opus, coram multis perpetratum, non ità proclamandum iubetur: hoc autem quod multorum latuit aspectū, in immensum ad Magdalenæ præconium prædicari præcipitur. Quē sensum cogitasse videtur S. Thom. in Catena in citatum Matthæi locum ex S. Chrysost. inquiens: *Et Regum quidem multorum, & Ducum victoriæ silentur. Et multi qui ciuitates construxerunt, & gentes multas seruituti subegerunt, neque ex auditu, neque ex nomine sunt cogniti. Quoniam autem hæc mulier oleum effudit in domo leprosi cuiusdam, duodecim viris præsentibus, hoc omnes concinunt per orbem terrarum.* Et paulò post ex Origen. subdit: *qui autem castitati studet, in ieiunijs, & orationibus permanet, & cæteris quæ tantùm ad Dei gloriam proficiunt, hoc est vnguentum quod vngit Domini caput, & hoc est vnguentum pretiosum, ex cu-*

Luc.

Opus bonum in publico factum reticetur, in abscondito patratum proclamatur.

S. Thom. in Caten.

Ex Orig.

ius

ius odore, tota repletur Ecclesia. vbi notandum quod dicitur: *quæ tantùm ad Dei gloriam proficiunt*, quibus verbis excluduntur opera, quæ ad nostri gloriam in conspectu hominum operamur, & agimus, vt appareamus hominibus. Dicit autem quòd *tota repletur Ecclesia odore &c.* quia fama, & gloria in abscondito operantis, per totum orbem diffunditur.

Psalm.

Viarum nomine, intelliguntur opera.

11 Regis Dauid monitum habemus Psalm. 30. ℣. 5. *Reuela*, inquit, *Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet*. pluries exposuimus per *viam*, *opera* denotari, quod hoc loco præcipuè exponi potest ritè ad litteram: eandem namq; sententiam proferens Sapiens, ait Prouerb. 16. ℣. 3. *Reuela Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ.* igitur sensus est: *Reuela Domino opera tua*, hoc est: Deo tantum manifesta, & aperta fac, si quæ iustè operaris; cæteris quasi vela, absconde, cooperta fac, & quasi velo quodam humilitatis, & modestiæ cooperi, ac tege; Deo tantùm aperi, & quasi sublato velo discooperta fac. *Et spera in eo*, mercedis spem, & meriti retributionem à Deo expecta: *& ipse faciet*. dando quidem retributionem, solitam præstari ijs, de quibus in præsenti Euangelio dicitur: *ne videaris hominibus, sed patri tuo, qui est in abscondito, & pater tuus qui videt te in abscondito reddet tibi.* Deo tantùm reuelāda sunt opera, quia vt ait Hugo de S. Vict. annot. in Psalm. cap. 44. *in abscondito est virtus intentionis.* Quomodo verò hæc à iusto viro in abscondito facta, & in obscuro, ad operantis gloriam, in lucem proferat Deus, totiq; mundo manifestet, explicat Psalmista cùm statim subdit ℣. 6. *Et educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tamquàm meridiem.* Idest, luce clarius, & ipso meridiano sole patentius, mundo patebit *iustitia*, hoc est, *bonitas, sanctitas tua.* Et *iudicium tuum* sanum, rectum, & prudens de rebus agendis, quod idem est, ac quod in Euangelio dicitur: *& pater*

Prouerb.

Opera bona, quasi velo tegenda hominibus, Deo verò reuelāda qui mercedē dat.

Hugo de S. Vict.

Opera bona in abscondito facta, ad operantis gloriam, solis claritati exponit Deus.

tuus, qui videt te in abscondito, reddet tibi palàm, seu *publicè*, & *in propatulo:* idest quæ in obscuro gesta sunt, in luce publicè deteget. Et nota non quolibet lumine illustranda fore promittit benefacta iustorum in abscondito, sed in meridie: *& iudicium tuum tamquam meridiem*. Idest, opera tua bona de tenebris humilitatis, & modestiæ eruet, vt tamquàm lux appareant ijs, quibus celare nixus es, lumenq; erit *tamquam meridies*, quo tēpore lux ad summum splendoris gradum peruenit, & vmbra nulla est, sed lucida, ac splendida omnia, ita vt nulla sit vmbra prauę opinionis, aut susurrationis, quæ obumbrare valeat opinionem sanctitatis.

12 Diximus cap. præcedenti præcipuè num. 13. & 14. quali, quantaque custodia munierit se pia anima, Dei sponsa, ne internæ, supernæq; virtutes, quas Dei dono conquisierat, hominum paterent obtutibus, ideò se *absconsam*, in obscuro positam, *aulæo occultatam* proclamarat; imò & soli ipsi suum denegauerat aspectum Cant. 1. ℣. 5. iuxta Septuag. versionem: *non intueamini quòd ego nigra sim, quoniam non est intuitus me sol:* quæ ibi diximus videat lector, breuitati enim consulo. Quod hoc loco adnoto est, quomodo vices animæ rependat Deus, & quæ illa secretò, & in obscuro operatur, ad lucē, vt omnibus pateant, euocet Deus; vt verè dici possit: *& pater tuus qui videt te in abscondito, reddet tibi palàm, in publico, in propatulo.* In illo cap. 1. Canticorum, *pulchram*, *& formosam* se appellauerat sponsa, sed *inuisam*, *& incomprehensam: nigra sum, sed formosa*, sed aulæo occultata, & obserata; id enim importari diximus per *pelles Salomonis*; neq; sol ipse illam fuerat intuitus, vt diximus. verùm cap. 6. eiusdē libri Canticorum, satis video proclamatam, & oculis omnium expositam cernendam sponsæ pulchritudinem laudat, exaltatque Deus ibi piæ animæ sponsæ suæ pulchritudinem: *pulchra es amica mea, suauis, & decora, sicut Ie-*

rusalem

rusalem. &c. pluribus illam commendat, à capillis ℣.4. *capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad.* à dentibus ℣. 5. *Dentes tui sicut grex ouium, quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis* à genis ℣.6. *sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ, absque occultis tuis &c.* quapropter inter electas, & veluti infinitas mulieres, speciosiorem, & veluti vnicam laudat huiusmodi sponsæ venustatem ℣. 7. *sexaginta sunt Reginæ & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. vna est perfecta mea, columba mea, vna est matris suæ, electa genitricis suæ.*

13 Sed numquid passus est sponsus Deus, hunc virtutum ornatum, & animæ decorem eximium, infra humilitatis, & modestiæ velum, sub obscuro, suis tantùm oculis fieri notum, reliquis verò inuisũ manere? minimè quidem, imò quòd pro viribus in obscuro, & occulto abscõdere solicita fuit anima, Deus ad lucem, & ad hominũ conspectum protulit; subdit propterea ℣. 8. *viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt, Reginæ, & concubinæ, & laudauerunt eam.* apertum, laudatumq; ab omnibus factum fuit animæ decus. Et quæ in obscuro, etiam solis splendori inuisa, in domus penetralibus occlusa iacuerat, in lucem prodire cogitur. ℣.9 *quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castorum acies ordinata?* in illo cap. 1. Canticorum exaltata fuerat pulchritudo sponsæ, quia *nigra*, idest *in obscuro* erat, pulchritudo abscondita; nunc eo modo quo sol, dum de tenebris ad nos reuertitur, paulatim impertitur lucem: ita & sponsæ pulchritudo, *progreditur*, prius *quasi aurora consurgens*, deinde *pulchra vt luna postea electa vt sol.* nõ amplius pulchritudo tenebrarum, sed solis. Et quæ militibus, in tabernaculis, & in tentorijs clausis, residentibus, comparata fuerat, cap 1. ℣.4. *Nigra sum sed formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* modò exercitui iam ordinato, & in cãpum aduersus hostes dimicaturo, tubis, tympanisque resonantibus, in publico progredienti, comparatur: *pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.* & iterum ℣. 3. *pulchra es amica mea, & decora sicut Ierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata.* vt inquam, quæ in abscondito, hominum conspectum declinans, virtutis opera fecerat anima, Deus omnibus manifestaret.

14 De qua re, Christi Domini habemus doctrinam, & exemplum Ioa.8. quo loco traditur, suspicatos Iudæos, Saluatorem signa, & doctrinam in publico tradere, vt mundi gloriam captaret, vnde ait Sanct. Thom. in Catena ex Origen. *quòd fictè, ad placendum Iudæis, de resurrectione, & æterna vita tractaret.* Cui conuitio, apertè respondit ibidem Dominus ℣. 50. *ego honorifico patrem meum. ego gloriam meam non quæro,* quasi diceret: non vt vobis placeam, vestramq; ineam gratiã, sicq; mundanos honores acquiram, signa facio, Deiq; verbum annuntio: *non quæro gloriam meam;* sed omnia, vt in Dei gloriam cedant, operor: *sed honorifico patrem meum.* Porrò hanc Saluatoris humilitatem, qua nihil sibi tribuebat, sed omnia ad Dei laudem referebat intra modestiæ, & occultationis cõfines degere, quomodo Deus nõ permittat, ostendit apertè; cùm enim dixisset: *ego gloriam meam non quæro,* subdit statim: *est qui quærat, & iudicet,* quasi sit sensus: *quia ego gloriam meam non quæro,* neque vobis grandis videri desidero, sed Dei tantùm gloriam in omnibus requiro, ideò *est qui quærat, & iudicet,* vel vt græci codices habent: *est qui quærit, & iudicat:* eorum enim gloriam, & famam Deus exactè quærit, qui omnia sua faciunt vt in Dei, & non in sui laudem cedant. Nec tantùm *quærit,* sed *& iudicat,* idest seuerè tanquam Iudex exigit iustorum gloriam, quam fortè maledictis, & conuitijs, falsisq; calumnijs peruersi homines deturparũt.

Ioan.

S. Thom. ex Orig. Iudæi suspicantur Christum ad inanẽ gloriam signa facere.

Glo-

15 Gloriæ, & famæ longè, latèque diffusæ hieroglyphicum, priscis temporibus, fuit fulmen, seu fulgur. hinc Pier. Valer. lib. 43. ait: *Aegyptij sacerdotes, gloriæ amplitudinem ostendere si vellent, fulminis describebant imaginē.* Qua metaphora suum omnibus, cum claritate, & maiestate, innotescendum in iudicio aduentum, vsus est Christus Dominus: Matth. 24. ℣. 27. *sicut fulgur exit ab oriente, & paret*, idest *apparet*, seu *patet vsque ad occidentem. ita erit aduentus filij hominis*. Similibus, imò clarioribus verbis idipsum tradit Lucas cap. 17. ℣. 24. *sicut fulgur coruscans de sub cœlo, in ea, quæ sub cœlo sunt, fulget: ita erit filius hominis in die sua.* Et quidem rationabiliter proclamata fama, fulmini, seu fulguri comparatur, sicut enim fulgur splendorem, & tonitrum habet admixtum, ita & fama splendorem, decusque addit homini, quod omnium oculis fit clarius; & tonitrum, seu rumorem efficit qui vniuersorum implet aures. vnde Seneca in prouerb. dixit: *fama, honestius est rumor*. Et si fulgur multos tonitru, & splendore terret, quorum aliquos occidit; etiam fama, aliorum gloriæ inuidos percutit, Iob 5. ℣. 2. *paruulum occidit inuidia*, quæ ex æmuli fama oritur. Miranda certe illa fulminis proprietas, vt quandoq; intacto permanente exterius corpore, interiora absumat; Ensem consumat illæsa theca: vinum ebibit, dolio integro &c. ità aliqui, proximi splendore, & fama quasi fulmine icti, etsi exterius gratulari videātur, roduntur per inuidiam interius, inde est illud Virg. in poemate de liuore.

Liuor tabificum malis venenum
Intactis vorat ossibus medullas,
Et totum bibit artubus cruorem.

Ad quam similitudinem fortasse respexisse videtur Salomon Prouerb. 14. ℣. 30. *putredo ossium inuidia*, quasi exhauriat, & exsuccet ossium medullas inuidia, ipsis ossibus, & corpore illibatis. Nec desunt aliæ similitudines inter famam, & fulgur: præcipuam tamen (alijs prætermissis) quæ ad rem nostram facit, ex origine colligimus; vt enim ait Arist. lib. 2. meteor. & docet Albert. Magn. 9. meteor. tom. 3. cap. 34. causa materialis, ex qua fulmen progignitur, sicca exhalatio est, tenui vapore ad mixta, quæ non in terra sistit, à qua oritur, sed sursum rapta in nubibus implicita in secunda aeris regione, vi exitum sibi parat, contrario obsistēte inflammata per antiperistesim; sicque flammatione fulmen, collisu, & tractu, tonitrui sonitum facit; eo modo quo ignis in lignum humidum agens, strepitum & ipse causat, & scintillas elicit. De fama fabularunt Poetæ, è terra progigni, sic Virgil. 4. Aeneid. *illam terra parens, progenuit pedibus celerem &c.* Verū tamen est famam, gloriæq; splendorem, ex humili oriri principio, quo quis sua abscondere hominibus, Deoque tantùm placere studet. hic, quæ operatur bona, & virtutis exempla, in terra sistere non permittit, nec ad oculos hominum dirigit conspicienda, vt in terra tandem marcescant, sed ad Deum sursum per intentionem, mentemque eleuat, cuius est, quæ ad ipsum abscondita, secretò dirigūtur, toti mundo nota facere, is enim apud omnes gloriam consequitur, qui soli Deo notus esse vult; vnde Seneca alludens ad similitudinē fulguris, cum fama, dixit in Prouerb. *honestus rumor, alterum est patrimonium. Vis omnibus esse notus? prius effice vt neminem noueris.* Id quod & Saluator docuit Matth. 6. ℣. 6. *tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito: & pater tuus qui videt te in abscondito, reddet tibi*; idemque eodem capite docet de ieiunio, eleemosyna, cæterisque operibus, addit verò S. Chrysost. & S. Tho. vt diximus initio huius capitis, *reddet tibi palàm, in aperto*, & *in propatulo.* Quòd autem oratio hæc in abscondito facta, & per humilitatem oculis hominum abscondita (ad siccę, & calidæ exhalationis instar) cælum petat, tāquam locum in quo fulgura, & fulmina pro-

Fulgur, proclamatæ famæ hieroglyphicum. Pier. Val.

Matth.

Luc.

Fama coruscat, & sonat, vt fulmen.

Seneca. Fama quasi fulmen, aliquos terret, aliquos occidit. Iob

Proximi gloria, inuidi interiora consumit.

Virg.

Prouerb.

Arist. Alb. Mag. Fulminis natura exhal. Fulgur & tru... mod...

Virg.

Ope... ... scon... fact... fu... nan... clar...

Sen.

Ma...

gene-

cli.

generantur; explicat Sapiens Eccli.35. ℣.21. oratio humiliantis se, nubes penetrabit: & donec propinquet, non consolabitur, & non discedet; donec Altissimus aspiciat.

16 Facit ad hoc Ezechielis visio c.1. quo loco, quatuor vidit animalia, quæ iuxta multorum, præcipuè Sanctorum Hieronymi, & Gregorij sententiam, sancti viri, aut Euangelistæ sunt. de his igitur ait ℣.13. hæc erat visio discurrens in medio animalium, ignis, & de igne fulgur egrediens. & animalia ibant, & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis. Sed viri isti iusti, qui veluti fulgura splendore micabant, veluti absconditi prius in nube extiterant ℣.4. Et vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, & nubes magna, & ignis inuoluens, & splendor in circuitu eius, & de medio eius quasi species electri. & in medio eius similitudo quatuor animalium: ergo animalia hæc prius in nubilo, seu in nubium abscondito, & occultatione per humilitatem fuerunt, deinde vt fulguris claritas, per orbem vniuersum, fama, & honore coruscarũt. Sic legimus, cùm Pater Aeternus Christum Dominum per Incarnationem, & passionem humiliatum in terris glorificare decreuisset, voce fulguri, seu fulmini simili hoc fecit, Ioannis 12.℣.28. Pater clarifica nomen tuum. venit ergo vox de cælo: & clarificaui, & iterum clarificabo. Turba ergo, quæ stabat, & audierat, dicebat tonitrum factum esse. Iterum clarificare voluit Pater filium suum, per resurrectionem à mortuis, destructa morte, & inferno, & hoc mũdo notum facere, ideo de Angelo, qui hoc mundo mittebatur nunciare, ait Matth.28.℣.2.3. Angelus autem Domini descendit de cælo &c. erat autem aspectus eius sicut fulgur. qui & timore, & terrore, Christi hostes exterruit: præ timore autem eius, subdit Euangelista, exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui, vt in hoc, omnes fulguris conditiones agnosceres.

Hiero. Greg.

Ezech.

Absconditi in nube humilitatis, vt fulgura coruscant.

17 Dubitaui sæpius, cur Ioannes Baptista dictus sit vox, Ioan.1.℣.23. Ego vox clamantis in deserto &c. Et quidem multorum sanctorum Patrum, & Doctorum reperi congruentissimas rationes, quas (si opus esset) adducerẽ. Placeat, vt illam ego afferam, quæ ad assumptam propositionem probãdam, satis accomodata est. Supremo silentio custoditas reperio Ioãnis Baptistæ enascituri prærogatiuas, & dona. Oraturus accedens Pater eius Zacharias, Templum solus ingreditur, populo extra Templum consistente. Lucæ 1.℣.10. ingressus in Templum Domini, & omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi &c. ait autem ad illum Angelus: ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, & vxor tua Elisabeth pariet tibi filiũ &c. Aliud sequitur silentium, ex eiusdem Zachariæ mutilitate, qua, quæ gesta fuissent, & euentura forent, reticere cogeretur ℣.22. egressus autem non poterat loqui ad illos. Conceptus sequitur, & hic occultatur. ℣.24. post hos autem dies, concepit Elisabeth vxor eius, & occultabat se mensibus quinque, dicens: quia sic fecit mihi Dominus &c. Dei inquam donũ silentio celans. Quid ergo mirum, si silentium vocem parturit? si incognitum manifestatur? si velatum detegitur, & obscurum profertur ad lucem? & Ioannis præconia muta, clamanti voce diffusa enunciantur? & vox, Ioannes declaratur? Dei namque mos est, quæ nos humilitate, & silentio dona tegimus, tubis resonantibus proclamare. quàm acutè, & lepidè, vt assolet, dixit hoc S. Chrysolog. serm. 92. ò quanta silentio vox nascitur: ò quanta taciturnitate tuba sæculis inclamatura generatur: ò quod secretum, diuini Iudicis dat præconem. Et nato Ioanne ait Lucas ℣.65. factus est timor super omnes vicinos eorum: & super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc, dicentes: quis, putas puer iste erit? etenim manus Dñi erat cum illo &c. Ioannis præconia diu reticita, tuba inclamantur, & in vocem totã, silentium transmutatur.

Ioan. Quare Ioannes Baptista dictus est vox.

Luc. Ioannis natiuitas silentio præsagitur.

Luc. De dona silentio custodiuntur.

Ioannis præconia abscõdita proclamãtur.

S. Chrys.

Deus quasi mores mutat, vt iustorum opera pateant.

18 Admirabiles planè Dei adinuentiones, in elucidandis, propalandisque iustorum operibus, & virtutibus, ità vt videatur quodammodo Deus suam mutare naturam, consuetamque agendi rationem renouare, dūmodo iustorum benefacta, virtutesq; sub obscuro incognita non lateant. Rogat Centurio Saluatorem Matth. 8. pro paralytici salute, differt salutem, sed offert se domum Centurionis aditurum; esto quòd mors imminebat, Lucæ 7 ℣. 2. *Centurionis seruus malè habens, erat moriturus*, & hoc fecit, vt dilationis terminos, in curatione serui in longum extēderet. Rogat Cananæa mulier pro filia à dæmone vexata, quam sæpius repellit, qui vltro exhibere curationis miracula nouerat, quod ideò factum puto, vt & Centurionis, & Cananææ merita, virtutesque dignoscerentur. Sic docet S. Chrysost. homil. 27. in cap. 8. Matthæi. *Cur Dominus*, inquit, *quod nusquàm ante fecerat, hic peragit? nā, cùm vbique voluntati tantummodò supplicātium obtemperaret, hic non curaturum se solùm, sed domum quoq; Centurionis se profecturum pollicetur. certè id ità facit, vt quanta sit Centurionis fides per discamus: nisi enim ità fecisset, sed illius puerum statim sanasset, syncera illius, feruensq; fides ignota nobis fuisset. Idipsum in Phanissa muliere quamuis contrario modo perfecit. In Phanissa negauit se facturum, quod petebat, & illā constanter iterum, atque iterum petentem perterruit. Ità hic vltrò se iterum offerendo, Centurionis; ibi verò prorogando quasi renitendo, mulieris fidem cunctis aperuit:* vt inquàm vtriusque virtutes educerentur conspicuæ ad lucem. Confirmat Euthym. Zigabon. expositione in historiam Centurionis: *quare*, inquit, *non vocatus, in domum, sua sponte, venturum se dicit? quia præcognouit illum iam credere, quòd Deus esset: & ità voluit magnā eius fidem ijs etiā, qui sequebantur, detegere; propter hoc ergo dixit Christus: ego veniam, & curabo eum: vt dicat Centurio non sum dignus &c. & ità manifestetur omnibus magna fides eius; nisi enim Christus illud dixisset, nequaquam hoc Centurio respōdisset, & eos, qui sequebantur, omninò latuisset, quanta erat viri fides.* Consentit iterū expositio Euthymij Zigaboni: *Deinde*, inquit, *Christus volens amplius manifestari fidem eius: respondit: ego veniam &c.* & post pauca: *vt cognoscatis quid iste sit, vel qualis in eo fidei thesaurus habeatur occultus.*

Luc.

S. Chrys.

Cēturioni & Cananeæ differtur gratia vt virtutes appareant.

Euthym.

Euthym. Occulti thesauri virtuti aperitio

Genes.

Hospitalitas Lo

Charitas Loth publicè à Deo detegitur.

19 Euulgatam, sed ad sensum, quē intendimus, minimè ponderatam habemus historiam Genes. 29 ℣. 1. *venerūtque duo Angeli Sodomam vespere, & sedente Loth in foribus Ciuitatis.* hos vt ad se diuerterent, & hospitarentur, rogauit Loth, ℣ 2. *obsecro, Domini, declinate in domum pueri vestri, & manete ibi &c. ingressisque domum illius fecit conuiuium, & coxit azima, & comederunt.* Quo completo hospitalitatis, & charitatis in peregrinos officio, subdit Sacer textus ℣ 4. *priùs autem quàm irent cubitum, viri Ciuitatis vallauerunt domum à puero vsque ad senē, & omnis populus simul.* Dices, & ad sensum litteræ erit expositio, ad domum Loth pergisse viros Ciuitatis, vt peregrinis, Sodomorum vitio abuterentur. vnde subdit Scriptura ℣ 5. *vbi sunt viri qui introierunt ad te nocte? educ illos huc, vt cognoscamus eos.* Hoc quidem excogitauit Sodomorum malitia, illud verò diuina prouidentia, quæ absconditā iustorum opera inuisa esse non patitur, vt inquam, tāta Loth hospitalitas, & charitas in peregrinos non lateret. numquid enim verisimile est, vt tota simul Ciuitas, ad abutendum viris illis ad domum Loth cucurrerit? præcipuè cùm & senes, & pueri inter hos numerentur, imò tota penè Ciuitas: *à puero vsque ad senem, omnis populus simul.* Iam dixi aduocatos omnes simul etiam scelestos viros, vt omnibus, perditis quoq; hominibus hospitalitatis, & charitatis detegeretur secretum, & quod occultè Loth gesserat, cunctis fieret manifestum. non auderem tàm seriò

Chryf. hoc asserere, nisi S. Chrysostomi me fulci et aucto itas:is enim auream, ore aureo dignam tradit expositionem ho mil. 27. in Matth. *qui ad Loth*, inquit, *missi erant; ingredi ad ipsum volebant, vt inaudita ipsius hospitalitas non lateret.* Idem Chrysost. ad hunc Dei morē (in propalandis iustorum operibus) confirmandum, adducit historiam de Abraham Genes. 18. quo loco, & hospitalitas Patriarchæ commendatur, & charitas erga Sodomitas ostenditur maxima, dùm pro illis Deum rogauerit ne pæna mulctaret, lege historiam. Zelus autem hic vt innotosceret prouidit Deus. vnde Chrysost. exponens verba illa ℣. 17. *Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum*, inquit, *mulieris, idest, Cananeæ fidem cunctis aperuit, sic ad Abraham quoq; facit, dicens: non celabo puerum meum Abraham, vt nos summam eius charitatem percipiamus, & quanta vel erga sodomitas vsus prouidentia fuerit.*

Genes. *Occulta opera Abraham propalat Deus.* *S. Chrys.*

20 Hoc & sanctus Dauid asserit Psalm. 93. ℣. 14. *Non repellet Dominus plebem suam, & hæreditatem suam non derelinquet*, idest (vt omnes exponũt) sups Deus tribulatos protèget à falsis iudicijs Iudicum, & à calumnijs iniustè illos opprimentium, & infamias irrogantium; neque hoc facere desinet, aut ab incepto desistet opere: *quousque iustitia conuertatur in iudicium*, idest, vt exponit P. Agell. noster: *donec iustum iudicium fiat, iusti homines vindicentur, vt eorum iustitia omnibus appareat*. ex oppressione namque veritatis, iustorũ fama deturpata erat, eorum benefacta occultata, & abscōdita; quousque igitur iudicium, ad verum iudicium, & lumen veritatis propaletur, nō cessabit Deus à vindicando, & eruenda veritate, quæ omnibus fiat conspicua. ità Susannæ factum legimus Daniel. 13. & alijs: etsi enim Deus seruorum suorum bona, & vitam in sui obsequium erogari sinat: quæ æternitatis diuitijs, & Beatitudine cōpensat: famam tamen, & honorem protegit. Quòd si ad tempus obscurari illam permittit: diutiùs latere non patitur, sed in vita, & post mortem, quandocumque illi placuerit, & opportunum duxerit, ad lumen veritatis ducit, & hominum oculis prodit.

Psalm. *Iustos calumniis oppressos Deus honorat.* *P. Agell.*

Sacer textus.

Vbi enim est Thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

CAP. VIII.

Amorem nostrum ad se euocat Deus.

1 

Hanc colligit ex præmissis Christus Dominus cōclusionem, per modum causalis: *vbi enim thesaurus tuus, ibi est & cor tuum:* quæ quomodo deducatur; non ita facilè apparet: dixerat namque; *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra:* huiusq; propositionis rationem reddit; quia æruginis, & tineæ rum subiaceat corrosioni, furumque surreptioni: *vbi ærugo, & tinea demolitur, & fures effodiunt, & furantur.* Ostendit deinde vbi thesaurizandum, inquiens; *Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, vbi neque ærugo, neq; tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur:* qua ratione optima redditur causa, cur in cælo potius, quàm in terra sint thesauri recondendi. Quod verò difficultatem parit, est; quonam modò ex dictis hanc inferat Dominus propositionem; *Vbi enim thesaurus tuus, ibi est, & cor tuum:* inferri verò manifestũ est; nam vtitur causali, *enim*. *Vbi enim est thesaurus &c.* idque non solùm hic, sed etiam Luc. 12. ℣. 33. vbi idem licèt alijs verbis, repetit, *facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis, quò fur non appropiat, neque tinea*

Deum, cor nostrum ad se uocare quomodo inferatur *Luc.*

corrum-

corrumpit; vbi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.

2 Sed huius illationis eam existimo esse rationem. Hominis cor ad cumulandos thesauros, natura sua valdè procliue est, à quibus plusquàm à magnete ferrum attrahitur; quare monebat Dauid Psalm.61. ℣. 11. *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere*; perinde ac si diceret: nisi diligenter caueas, diuitiæ cor rapient. Immò diuitias cor suũ appellauit Labã, Genes.31. ℣.26. iuxtà Hebræi textus lectionem, vbi enim Iacob generum clàm è domo fugientem, & opes asportantem, castigat ijs verbis; *quare ita egisti, vt clàm me abigeres filias meas quasi captiuas gladio?* In Hebræo est, *quid fecisti? & furatus es cor meum, & abduxisti filias meas*, idest, vt exponit Caietanus: *furatus es diuitias meas, quæ mihi instar cordis erant*: pluris faciens aurum, & diuitias, quàm filias, quia aurum ablatum, *cordis instar erat*. Auidus ergo, & zelotes nostri cordis Deus, illud è terra ad cælum euocat, ne terrenis implicatum, terrena diligat; nè vè fur aliquis in hoc mundo sit, qui illud soli Deo debitum, furetur, aut nè qua praui affectus tinea maculet, vel corrodat; ideò in cælo, & non in terra thesaurizandum; vt in cælo, & nõ in terra cor hominis collocetur, vt ad Deum, & non ad mundũ noster conuertatur amor: vnde Gloss. *ad munditiam*, inquit, *cordis, terrena erogari præcipit*. Hinc in hodiernæ diei sacra veteris testamenti lectione, per Ioelem cap.2. ℣. 12. clamat: *Conuertimini ad me in toto corde vestro*: & iterum, *scindite corda vestra &c.*

Psalm.

Genes.

Diuitiæ cordis instar, auro sunt.

Caietan. Supra filios, aurũ diligitur.

Dei zelotypia de corde hominis colligitur.

Gloss.

Ioel.

3 At verò cur statim Quadragesimæ initio amorem ad se nostrum exposcit Deus? magnum sanè in hoc latet arcanum. Ex multis tamen, quæ dici possent, hæc breuiter excipe. Tres hoc die refrænari præcipit Dominus concupiscentias, cibi, pecuniæ, & humanæ gloriæ, quæ alijs vocibus appellantur; crapula, auaritia, & inanis gloria: Aduersus crapulam, ieiunium instituit: *cùm ieiunatis &c.* Aduersus auaritiam, thesaurorum præcipit contemptum; *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*: Aduersus inanem gloriam, hypocrisim prohibet; *Nolite fieri sicut hypocritæ tristes &c.* Quoniam verò huiusmodi passiones, seu cõcupiscentiæ originem ducunt ex inordinato amore, quo quis seipsum diligit, vt docuit S. Maximus de charit. cent. 3. 56. hunc autem amorem, Dei amor extinguit; *quantò enim magis quis Deum diligit, tantò minus seipsum amat*, vt docet sanctus Augustinus: meritò igitur amorem in Deum præcipit ad concupiscentias refrænandas; *Vbi enim thesaurus tuus, ibi est, & cor tuum; & scindite corda vestra &c.*

4 Huic altera accedit ratio ad rẽ, de qua agimus, magis accommodata. Primum, quod in homine, imò in quolibet animali generatur, est cor, teste Aristotele, & reliquis omnibus rerum naturalium indagatoribus; est enim cor fons, & principium vitæ: in spirituali igitur noui hominis regeneratione, & reformatione, quæ hodie in Ecclesia initium sumit; spiritualis indicitur efformatio cordis, dum à Dei amore exordium sumitur; nam sine amore vita esse non potest, iuxta Ioannis sententiam Epist.1.cap.9.℣.14. *Qui non diligit manet in morte.* Atque hoc fortasse est, quod docuit S.Thomas 2.2.quæst. 122.art.2.in corp. vbi sic habet: *Oportet præcepta legis ordinari secundùm ordinem generationis, qua scilicet fit homo bonus; in ordine autem generationis est attendendũ, quòd prima pars primò constituitur, sicut in generatione animalis generatur cor, &c.* & post pauca: *Et ideò in eo, qui erat per legem instituendus ad virtutem, primò oportuit quasi iacere quoddam fundamentum religionis, per quam homo debitè ordinatur ad Deum, qui est vltimus finis humanæ voluntatis*: hoc autem primum fundamentum, secundùm Apostolum, est amor in Deum, ad Ephes.5.℣.17. *In charitate radicati, & fundati*: Et ipse Dominus

Cra[p]... au[aritia] ... & i[nanis] glori[a] ... inor[dinato] ... to a[m]... proc[edunt]

S.M[aximus]

Dei ... prop... amo[r] ... extin[guit] S.A[ugustinus]

Cor prim[um] quod ... bon... gene[ratur] Ari[stoteles]

In s[piri]tuali ... mini[s] ... gene[ratio]ne co[rdis] ... num... mò ... man[et] 1.Io[an.]

S Th[omas]

Ad ... pes.

Matth. 22. ℣. 38. *Hoc est primum, & & maximum mandatum, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

5 Hoc se expertam fatetur sponsa Cant. 1. ℣. 4. *trahe me, post te curremus &c.* tracta iam ad Deum per conuersionem, quò introducatur, subdit; *introduxit me Rex in cellaria sua*, ideſt, *in domum amoris*, vt alij legunt; vix ad Deum perrexerat, & ad domum amoris sistitur. Hebræi, ex voce *Chadar*, locum intelligunt, in quo amori vocatur: ideo legerunt alij; *introduxit me Rex ad addiscendam charitatem.* Et cap. 2. ℣. 4. *introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* Vix ad fidem, ad legem, ad sponsalia vocata fuerat anima hæc (vt dicunt Origen. homil. 3. ex 4. & homil. 2. ex duabus. S. Ambros. serm. 5. in Psalm. 118. ℣. 1.) *& ad cellam vinariam* introducitur, ideſt, *ad amorem*, vt exponunt Cassiod. Beda, Anselm. & Vgo de S. Vict. Quod si Symmachum sequamur, qui legit deprecatiuè ex parte Dei ad animam: *introducite me in domum amoris, ordinate in me charitatem.* iam inde patet, initio cõuersionis, ad hominis cor possidendum, Deum introduci expostulare, quod in confirmationem redit eius quod dicimus.

Matth. | Cãt. cant. In domũ amoris statim ducitur, ad Deum cõuersus. | Cant. | Orig. | S. Ambr. | Cassiod. Beda. Ansel. Vgo. Symmac | Deus cor hominis primò petit.

6 Et sanè adeò conueniens est humano cordi in cælo thesaurizare; seu (quod in idem recidit) adeò consentaneum cordi est cælum, & amor in Deum, vt cæli hieroglyphicum sit cor, quod à subiacente igne succenditur, vt testis est Pier. Val. lib. 34. Quare idem erit cælum, ac cor, cui diuinus ignis subiectus est; Quapropter aptè hæc simul nectuntur: *vbi thesaurus tuus, ibi & cor tuum*: & *thesaurizate vobis thesauros in cælo*, ideſt cor, amor, & cælum. Hinc B. Laurentius statim ac cor eius inflammato corpore, Dei amore exarsit, in cælum euectus est: vnde in Psalm. 25. ℣. 2. *Vre renes meos, & cor meum*, inquit Dauid: quæ verba de B. Laurentio interpretans S. Augustinus; *Duplici*, ait, *se postulat igne comburi; nam si de solo mundi igne loqueretur; sufficeret renes tantùm exurendos, incendijs obtulisse: cor autem nisi flamma Christi non vrit.* Quòd verò B. Laurẽtij cor diuino igne succensum, iam à cælo non distet; testatus est ipse, inquiens: *Gratias ago tibi Domine; quia ianuas tuas ingredi merui.* Vides tunc cæli ianuas ingressum Laurentium, cùm Dei amore exarsit: imò ipsemet Dauid postquam aduri cor sibi, quod à Deo postularat, sensit, cælum votis petijt, vnde subdit: *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ*, ideſt, vt explicat Pater Agellius noster: *Neque decorem modò domus tuę, sed ipsum etiam locum, & solium, seu ianuas gloriæ tuæ dilexi, adeò ardenti amore, ac desiderio tui sum incensus.*

Cæli hieroglyphicum est cor igne succensum. Pier. Val | Cælo proximat, Dei amore succensus. | Psalm. | Aug. | Cor Dei ardens amore cælo est proximum. | Psalm. | P. Aggel.

7 In cælò igitur thesaurizandum, in Deo noster figendus amor, non in terra cor statuendum, vbi mortifero repletur veneno. Recolo propterea, & adduco quod legi, videlicèt, Pomum Persicum, in Perside, vbi prius natum, venenosum fuisse, sed ad nos in Italiam delatum, mutato solo, mutasse etiam qualitates, & naturam; vnde Columella à Pier. relatus lib. 54.

Pomis, quæ barbara Persis
Miserat, vt fama est, patrijs armata venenis.
At nunc expositi paruo discrimine Lethi
Ambrosios præbent succos, oblita nocendi.

Quod idem docuerat Plinius lib. 15. cap. 15. Hinc hominem qui in patria flagitiosus, aliò profectus, mutasset animi prauitatem, per pomum Persicum Veteres significabant, cum inscriptione *in alieno cælo melior*, vt videre est apud Pier. lib. 54. Porrò hoc Persicũ cordis hieroglyphicum esse, præter figuram ipsam, quam pomum persicum habet cordi similem, & vim cordi amicam: docet hoc idem Plutarchus lib. de Iside, dum ait; *arborem Persici Isidi fuisse dicatam, eò quòd folium eius linguæ: pomum verò cordis figuram præseferat:*

Pomum Persicum in Perside venenosum: in Italia suauissimum Columella à Pier. relatus. | Plin. | Pier. Pomum Persicum cordis hieroglyphicum. | Plutarch Cor & lingua iũguntur.

sunt

sunt autem cor, & lingua sibi inuicem nexa, vt quãdo cor cogitat, lingua proferat, & explicet. Et sanè cor nostrum in huius vitæ solo plantatum; venenatũ est; ideò venenatos producit fructus, peccata (inquam) quæ animam periment, iuxtà illud Matth. 15. ℣. 19. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes &c.* huiusmodi venenatos fructus cor nostrũ ferre dicitur. Deuter. 32. ℣. 32. 33. *De vinea Sodomorum, vinea eorum, & de suburbanis Gomorræ: vua eorum vua fellis, & botri amarissimi: fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* sermo hic est de Israelitici populi peccatis: ex multorum, & præsertim P. Agelij sententia: ità inquit Agellius: *insita in illis nequitia esse videtur, & cùm pessimam radicem in animis fixerint, fructus non nisi pessimos faciant:* & per *fel draconum*, & *venenũ*, cordis, scelera intelligenda, idem dixit Agell. & Psalm. 139. ℣. 34. *cogitauerunt iniquitates in corde*: ecce venenatam arborem; quid inde, nisi venenatos fructus expectabimus? subdit: *venenum aspidum sub labijs eorum.* Cùm igitur in hac terra cor nostrum venenatum sit; meritò illud in cælum transplantãdum præcipit Dominus; *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: thesaurizate autem vobis thesauros in cælo*, si enim *vbi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum*; inde fiet, vt cor in cælo firma fixum radice, non venenatos amplius, sed cælestes afferat fructus Diuini amoris, iuxtà illud Apostoli ad Galat. 5. ℣. 22. *fructus autem spiritus est charitas &c.* Et huc fortasse respexit S. Fulgẽtius, dum in quodam sermone dixit; *Vis scire vbi thesaurizas? attende quid cogitas; ità fiet, vt thesaurum ex tuo amore cognoscas, & amorem tuum ex iudicio tuæ cogitationis intelligas.* si cælum, Deum cogitas; in cælo, & Deo thesaurizas: si terrena, vtique in terra: vult aũt Deus te semper cælum aspicere, cogitare, & diligere; quia summopere tuum quærit amorem, & cor.

Cor in terra venenatum. — *Matth.* — *Deuteron.* — *P. Agel.* — *Per fel, & venenum, peccata intelliguntur.* — *Psalm.* — *Cor in cælo transplantatũ venenatũ esse deserit.* — *Galat.* — *S. Fulgẽt.*

8 Id quod significauit Christus Dominus Matth. 12. ℣. 40. inquiens; *sicut fuit Ionas in ventre Cati, ità erit filius hominis in corde terræ.* Vbi notandum, quòd, vt similitudinis paritas, & proportio seruaretur, debuit dicere; *ità erit filius hominis in ventre terræ, sicut fuit Ionas in ventre Cati*; quia (& est expositio Theodoreti) *Dei habitaculum est cor, in quo sibi complacet inhabitare*: Quare Vgo lib. 1. de anima. *in omni* (inquit) *creatura, quæ sub sole vanitatibus mundanis occupatur, nihil humano corde sublimius, nihil nobilius, nihilq; Deo similius reperitur; quapropter nihil aliud quærit à te, nisi cor tuum.*

9 Imò vsque adeò humani cordis auidus est Deus, vt erga illud semper exardeat, sitiat eius amorem ingiter, & postquam multum acceperit, feruentius semper exoptat. de Maria Magdalena suo ore fatetur Christus Luc. 7. ℣. 47. *dilexit multùm.* est nè hoc *multùm*, Christo satis? minimè; ad feruentiorem amorem excitat Ioan. 20. ℣. 15. *dicit ei*, scilicèt Magdalenæ, *Iesus: mulier quid ploras:* in quæ verba S. Thom. in sua Catena ex Gregor. *interrogatur*, inquit, *doloris causa, vt augeatur desiderium, quatenus eum nominans, quem quæreret, in amorem eius ardentius extuaret*; numquam enim amor noster Deo satis, sed nec sufficit.

10 Nihil mirum igitur, si tãquam magnus artifex operis sui amator, in humano corde delicias suas statuit; certè non alibi festos dies agit (si S. Chrysol. credimus) nisi in corde hominis, serm. 65. in illa Io. 11. ℣. 24. *Iam die festo mediante ascendit Iesus in tẽplum, &c. Quod templum*, inquit S. Chrysol. *nescitis, quia templum Dei estis vos: & spiritus Dei habitat in vobis*: imò in illo, quasi in excelso amoris throno sublimis residet; subdit Chrysol. *quòd autem ascensus Dei fit in humani cordis excelso B. Propheta asserit, vnde cantat: Beatus vir cuius est auxiliũ abs te, Domine, ascensus tui in corde eius.* Ibiq; festos, & lætos dies nobiscum agit: *quia nobis*

Matth. — *Cor, Dei habitaculum.* — *Theodor.* — *Vgo.* — *Nec feruentissimus amor Deo satis.* — *Luc.* — *Ioan.* — *S. Thom. in Catena.* — *Deus in corde festos dies agit.* — *S. Chrysol. Ioan.* — *Festos dies cum Deo agimus in corde nostro.*

(pergit Chrysolog.) *erat perfectū diem festum præstaturus*, & quod Italicè dicere solemus: *vt fa festino*: certè festiuas choreas, & saltationes nuptiales in illo videtur exercere: hæc enim est illa Ierusalem, in qua se exultaturum pollicetur Deus. Isa. 65. ℣. 19. *exultabo in Ierusalem, & gaudebo in populo meo.* sanè *Dei pacem exultantem in cordibus humanis*, agnoscit Paul. ad Colos. 3. qui idem alibi Ephes. 2. *Christum Dominum pacem nostram* esse declarat. vnde rectè colligis Christum amatorem, & sponsū in humano corde, tamquam in nuptiali cubiculo choreas lætissimas ducere, & exultare.

Isai.

Ad Colos. 3. Ephes.

11. Neque malè illud quoque addes, videri sibi eum in cordibus nostris quodāmodò reuirescere, & reflorere, vt dicere solemus de ijs, qui animi relaxationi operam dederunt, quòd quasi iuuenescant; nām ipsum *exultandi* verbum, aliquando in Scripturis accipitur pro *reuirentia*, & vt ità dicam *reflorentia*. sic Lucæ 1. ℣. 47. *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*, cecinit B. V. quo loco P. Agell. noster exposuit: *refloruit spiritus meus &c.* sicut etiam illud Psalm. 95. ℣. 12. *exultabunt omnia ligna siluarum*, dixerat Dauid; *& florebunt siluestres arbores*, exponit idē Agell. *cùm excultis terris, & frugiferis certabunt, & blanda foliorum allisione plausum imitabuntur, & exultabunt.* sicut etiam cecinit Anna 1. Reg. ℣. 1. *Exultauit cor meum in Domino*. exponit idē Agell. *cor meum quod prius mæroris æstu quodammodò exaruerat; iam refloruit, & exhilaratum est.* Isai. 35. ℣. 1. *exultauit solitudo, & florebit quasi lilium. germinans, germinabit, & exultabit &c.* eodem ergo modo, veluti in deserto sterili, infrugifero, solitario videtur sibi Deus, cum sine hominis corde est, & quasi exaruisse ipsemet videtur. reuirescit, floret, germinat, & exultat, cùm diligitur; ideò benè ait: *exultabo in Ierusalem, & gaudebo in populo meo.* Quid ergo mirū si cùm alibi quodammodò esset Deus, & ageretur, in humani cordis terra stet, neque inde diuelli posse videatur?

Deus in corde hominis quasi refloret.

Exultare pro florere, aliquando sumitur. Luc. P. Agel. Psalm.

Reg.

Isai.

12. Vsque adeò cor hominis diligit Deus, & nobiscum habitare delectat, vt etiam cùm a Patre expectetur post resurrectionem, videatur non posse se à terris disiungere. sensit id S. Chrysol. serm. citato. *Id namque est*, inquit, *quòd Christus quadraginta diebus residet, & remoretur in terris, & si dici fas est, patris occursum differt, patris suspendit amplexum.* Et quid mirum? si vt idem Chrysol. subdit: *quicquid sublime, quicquid ad cælum tendens, in cordibus habetur humanis*. veluti cælum alterum, ac Paradisum, amor facit cor humanū. Hinc factum vt Diuina Sapientia dicat Eccli. 24. ℣. 8. *gyrum cæli circuiui*, quasi *di passagio*, sed *in terra steti*, quasi *di assiento*, hic enim habet delicias suas, iuxta illud Prouerb. 8. ℣. 31. *deliciæ meæ esse cum filijs hominum.* Quid ergo dicemus ad hæc? non dabimus cor, cordis opifici, & amanti? propterea *Homo*, inquit Chrysol. serm. 70. *redi ad Deū, sic amatus à Deo.* Cor sanè nostrū; quia condidit, eius est, & tamen non quasi Dominus, illud nobis eripit, quod posset; sed quasi amās, illud petit; quæ maior benignitas? idem Chrysol. serm. 65. inquit: *qui de suo petit, quod petit, non necessitatis est, sed amoris. Cor nostrum Dei est, ipsi nos Dei sumus & tamen dicit; præbe mihi cor tuum.* Equidem nescio quid alij sentiant; Ego dum ita cor nostrum à Deo amari intelligo, suauissima quadam necessitate rapi cor meum ad Deum sentio; nā *non amare*, vt olim S. Ambros. dixit, *fortasse licet, non redamare, omninò non licet.* Et quoniam vnus hic visus est diabolo esse aptus aditus ad inimicitias serendas, inter primos parentes nostros, & Deum, facili cèt persuaderet se nō satis amari à Deo: ideò vt ad Dei contemptum, & præcepti præuaricationem excitaret, dixit Genes. 3. ℣. 1. *Cur præcipit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno Paradisi*, quòd aduertit Vgo Victor. Elucid. in Genes. eod. *caute*, inquit, *se fingit dubitare*,

Christus difficilè à terris disiungitur S. Chrys.

Cor hominis Christo quasi Paradisus.

Eccli.

Prouerb.

S. Chrys.

Redamare Deum tenemur. S. Chrys.

S. Ambr. Amari se noscēs amantis mandata, & amorē seruat.

Genes.

Vgo Vict.

tare, vt Deum, qui tàm boni ligni fructum prohibuit, ostendat, non tantùm eos diligere, quantùm oportebat; quoniam, inquàm, hic aditus diabolo visus est opportunus, vt primorum parẽtum corda in Dei amorem perfrigeraret; erit vtique valdè consentaneum, vt ex maximo æstu Diuinæ charitatis in nos, perfrigidissima etiam corda, in Deum amore ferueant, certò credendo, nos à Deo ante omnem nostrum cogitatum intensissimè amari, 1. Ioann. 4. ℣. 19. *diligamus Deum; quoniam ipse* non modò *prior*; sed etiam infinitè *dilexit nos*.

1. Ioan.

13 Vt autem vel ex ipsa constitutione cordis nostri agnoscamus, quàm iustè illud amori, & charitati reposcat Deus: aduertat curiosus lector apud Aegyptios sacerdotes, quod refert Pier Valer. lib. 18. cor humanum per duas inuicem vnitas drachmas significari, ea de causa, quòd cor infantium anniculorum, duas drachmas ponderet, augeatur autem per annos singulos drachmis itidem duabus, vsque ad annum 50. inde autem eodem decrescat æquilibrio. Per drachmas autem duas, amorem Dei, & proximi intelligimus; drachma enim amorem, & charitatem denotat, vt ex S. Bernardo discimus lib. de gratia. & liber. arbitr. Sanct. Greg. homil. 34. S. August. tract. 17. in Ioann. viuimus igitur, & crescimus spiritaliter Dei, ac proximi gemina charitate, non minus, quàm (vt diximus) crescit cor nostrum corporaliter drachmas duas. Et hoc est, nisi fallor, incrementum illud, quo Iob tantoperè gloriabatur, tamquàm beneficẽtiæ suæ erga omne miserorum genus fonte, & radice; cùm enim dixisset cap. 31. ℣. 16. & 17. *Si erogaui, quod volebat, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci; si comedi bucellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea*: & alia his similia; protinus, tamquàm huius sanctæ munificentiæ causam adiungens, addit ℣. 18. *Quia ab infantia mea creuit mecũ miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum*. In vtero igitur duabus his drachmis cor carnale in sancto Viro crescebat, & ad amorẽ proximi, & Dei spiritualiter proficiebat, eadem retenta mensura: & quidem id se Dei amore, non inclinatione quadam naturali, fecisse testatur: *semper enim timui Deum*; timore scilicèt filiali, qui charitati arctissimè colligatur; quare Catena Græca inquit, *quòd hæc pietatis viscera à conditoris sui gratia sit consecutus, innotescit; quia sicut suo opere ab vtero prius fuit, miseratio enim etsi eius fuit arbitrij, & cum illo proficeret, tamen eius arbitrij non fuit, vt cum illò exiret de vtero*.

Pier. Val Cor, per duas drachmas significatur, & quare.

Drachma amoris figura.

S. Bernar. S. Gre. Pap. S. Aug.

Dei, & proximi charitate viuimus.

Iob.

14 Confirmat hoc, quod dicitur Matth. 5. *si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, &c. vade prius reconciliari fratri tuo &c.* quibus verbis charitatem proximi ex sui amore commendat; quòd si renuas, pœnam subdit; *nè fortè tradat te aduersarius Iudici, & Iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris: amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem*: quod explicans S. Chrysost. in Matth. *angustiæ mundi huius*, inquit, *vocantur carceres, in quos plerumque peccantes mittuntur à Deo*. Vel secundùm S. August. quem in sua Catena citat S. Thom. per *carcerem* intelligitur pœna æterna, accipiens, *donec*, pro, *semper*, in hunc modum, *in hoc autem quod dictum est, soluas, significatur pœna æterna, sicut positum est, donec, vbi dictum est, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos sub pedibus tuis; non enim cùm fuerint inimici sub pedibus positi, desinit regnare; ita & hic accipitur, non exies inde, donec soluas nouissimum quadrantem, semper non exiturum; quia soluet semper nouissimum quadrantem, dùm sempiternas pœnas peccatorum luit*; siue ergo de temporali pœna, siue de æterna intelligatur carcer iste: semper tamen est verũ propter quadrantem non persolutum dari: *donec reddas nouissimum quadran-*

*tem.*S.Hieronym. inquit; *quadrans genus nummi est, quod habet duo minuta*; per quæ amorem Dei, & proximi denotari dicimus, iuxta S.August.sententiam tract.17.in Ioan.qui duo minuta, quæ vidua illa obtulit, Dei, & proximi charitatem exhibuisse asserit: quæ exhibere negligens, vel in hac vita temporali pœna quousque resipiscat, vel in alia æternis supplicijs, per omnem æternitatem rependet, semper soluēs, & semper debens. Sequitur ergo, quòd sicut duabus drachmis viuimus, & crescimus temporali vita; itá gemina Dei, & proximi charitate proficimus, & incrementum sumimus in vita spirituali.

Vbi thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

Cap. IX.

Amor Dei, in Zelotypiam transit.

1 Eruentissimi amoris effectus, Zelotypia est, *quam* (vt ait Sanct. Greg. Naziā. ora.23. *amor parit*. Et vt ait Chrysippus Philosophus: *est æmulatio quædam, ne adsit alteri, quod cum nemine vult habere commune*. Hac Zelotypia se teneri Christus Dominus fatetur, dùm amorē suum erga nos ostendit, nostrumq; cor, quod sibi soli seruandum præcipit. Cùm enim dixisset: *nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*; cur hæc præcipiat, reddit rationem: *vbi enim thesaurus tuus, ibi est & cor tuum*. non de thesauris cura est illi, qui sine peccato acquiri, & possideri valent; sed de corde nostro fit solicitus, ne in illis collocetur. numquid de thesauris cogitare potest Deus ne æruginum, & tinearum corrosioni, & furum surreptioni subiaceant, qui diuitias contemni præcipit? minimè quidem. Sed quia diuitiarum appetentia cor secum trahit: *vbi enim thesaurus tuus, ibi est cor tuum*: igitur cura est illi, ne ærugo, neque tinea cor maculent, & mundus rapiat. vnde S. August. de ser. Domini in monte, hæc exponens, ait: *eo corde quisque operatur aliquid, vt terrenum commodum adipiscatur; non erit cor mundum, quod in terra voluta tur. sordescit enim aliquis cùm inferiori miscetur naturæ, quamuis in suo genere non sordidetur, quia etiam de puro argento sordidatur aurum, si misceatur; itá & animus noster terrenorum cupiditate sordescit, quamuis terra in suo ordine munda sit.* altioris enim ordinis, ex fine suo, supra terrena cor nostrum est, ideoque non terræ miscendum, sed in cælo collocandum, ideò dicitur: *thesaurizate autem vobis thesauros in cælo.* Rabbanus ait: *ærugo significat superbiam, quæ decorem virtutum obfuscat. Tinea, quæ vestes latenter rodit, inuidia est, quæ bonum studium lacerat, & per hoc confractionem vnitatis dissipat. fures sunt hæretici, & dæmones, qui semper ad hoc sunt intenti, vt spiritualibus nos spolient.* ne ergo ab his aliquo modo cor, sinistri quid patiatur, ait Christus: *nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo, & tinea &c.* hoc.n. zelotypia non patitur, qua mouetur ad id præcauendum; propterea in confirmationem, & declarationem adductæ sententiæ, subdit: *nemo potest duobus Dominis seruire, aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit, & alterum contemnet &c.*

S.Aug.

Sordescit quod inferiori miscetur.

Rabbanus. Aerugo superbia est, tinea inuidia.

Fures hæretici, & dæmones

2 Inspice, si placet, totam hodierni Euangelij historiam, ad Dei, de corde nostro zelotypiam dirigi. *Cum ieiunatis*, inquit, *nolite fieri sicut hypocritæ tristes &c.* Glossa: *postquam docuit*, inquit, *quommodò orandum sit, docet de ieiunio, quod iterum pertinet ad munditiā cordis, nè non sit simplex ad Deum, dùm ad exteriora rapitur.* Et post pauca: *necesse est, vt ieiunans sic ieiunet, vt ei placeat,*

Gloss. Ieiunium ad munditiā cordis ordinatur.

Orig. Ex amare ieiunandum.

quem in pectore portat. Et Orig. homil. 4. in diuer. *Cùm ieiunatis, ex dilectione Dei ieiunate*. Idem colligitur cùm ait: *nolite fieri sicut hypocritæ tristes; exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus.* hominum conspectum vult zelotypus Deus, cauere animam, ne uè facies inanis gloriæ lineamẽtis, ad cordis profusionem concinnent: vnde paulò superiùs Euangelista dixerat; *tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum.* quod & hìc repetit: *nè videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo, qui est in abscondito, & pater tuus, qui videt te in abscondito, reddet tibi*. & quasi parum sit, *te in abscondito* esse, etiam ipse veluti in abscondito est: *sed patri tuo, qui est in abscondito*. quasi solus, & ex sodalibus cum eo nullus, qui animam sibi alloquentem intuetur. Dùm ait: *faciẽ tuam laua*; etiam zelotypiam commendat: Origen. homil. 4. in diuers. *aspectũ*, inquit, *cordis tui laua, munda ab omni contaminatione, ab omni caligine, ab omni erroris obscuritate, ab omni infidelitate, ablue cor tuum*. Hæc zelotypia est, quæ præcipit *in cælo, non in terra thesaurizandum*. Glossa inquit: *si in terra cor volutatur, quomodò mundum est: si ergo cor est in cælo, mundum est.* quod & reliquæ Euangelij partes probant, vt dicemus. Expresse tandem de corde solicitudinem ostendit: *vbi enim thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.*

Zelotypia Dei, hominum cauet aspectum.

Orig. Zelotypia, cordis quærit munditiam. Zelotypia in cælo corcolocat. Gloss.

3 Neque verò cor nostrum, nostrumq; amorem ità ad Deum debemus conuertere, vt etiam diabolo, aut alicui creaturæ, vel mundo concedamus; zelat .n. hoc, & auersatur maximè Deus, nec zelotypia illius id patitur. Antiquos Idolorum cultores (refert Alexander ab Alexandro lib. 6. cap. 13.) numquam consueuisse vnum Templum pluribus Dijs, sed vni tãtùm Deo dicare, ex quo proloquium illud: *vna cella, vni Deo sacra.* Cor nostrũm Dei Templum est, iuxtà Apostolum 1. Corinth. 3. ℣. 16. *Templum Dei estis vos*, & quidem iure, quòd si in Templo diuinæ concinũtur laudes, ità & in corde; ad Ephes. 5. ℣. 19. *In Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus, & psallentes in cordibus vestris, Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi, Deo, & Patri.* In Ecclesijs sanctorum Imagines asseruantur: & de corde dicitur 1. Corinth. 15. ℣. 49. *sicut portauimus imaginem terreni; ita portemus imaginem cælestis.* In Ecclesia religio colitur per adorationem, & Deum in cordibus nostris glorificandum, dixit Apostolus 1 Corint. 6. ℣ 20. *Glorificate & portate Deum in corpore*, idest, *in corde vestro.* Atqui si vni Deo, vnum Templũ dicabant Gentiles, numquid nos gentibus nequiores, Deo, simulque diabolo, & creaturis, cordis nostri templum dicabimus? Absit hoc à Christi populo; sed iuxtà ipsius præceptum, toto corde ipsum diligamus, alioquì discedente Deo, totum cordis templum diabolus possidebit, vt dixit S. Augustinus. *Væ duplici corde; de suo partem faciunt diabolo, iratus Deus; quia fit ibi pars diabolo, discedit, & totum diabolus possidet*: nequit enim Deus in eodem corde, quasi in templo eodem, cum diabolo habitare.

Cor soli Deo consecrandũ.

Alex. ab Alexan.

Templum vni tantũ Deo sacrum.

1. Corint

Tẽpli, & cordis similitudines. Ephes.

1. Corint

1. Corint

4 Et meritò sanè Dominus discedit, cùm cordis nostri domicilium diabolo patet; quomodò enim domum diabolo, cæterisque creaturis communem incolet Deus, si iuxtà Salomonis sententiam: Prouerb. 21. ℣. 9. *Melius est sedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigiosa, & in domo communi?* Cùm ad aliquod domicilium commune; puta ad cauponam aliquam perueniunt multi, vbi angustus sit habitationis locus, in quo omnes habitare commodè nequeant; necesse est inter eos iurgia esse, ac dissensiones; quòd si quis ibi sit iurgiorum inimicus, domo illa procul dubio abscedet, vt iurgia, rixasq; euitet. Cor nostrum veluti commune quoddam est domicilium; illud illecebris suis affectat caro, affectat mundus vanitatibus, affectat diabolus, omnium

Deus, cor quod alter incolit, non habitat. Prouerb.

maximè affectat Deus, vt liquet ex dictis. inter hos iurgia esse oportet, ideò iurgiorum inimicus Deus, abscedit, & hoc sibi volunt relata Augustini verba, & Salomonis sententia. Diabolo igitur ac creaturis à corde expulsis; soli Deo pateat, qui habitare in illo ardentissimè concupiscit.

Cor nostrum, ab ipso ortu Deus exposcit. Ezech. Septuag.

5 Mirum ergo non est, si etiam ab initio nostri ortus, cor sibi reseruari cupiat Deus. Hoc significant illa ipsius verba apud Ezechielem 16. ℣. 4. *In die ortus tui non est præcisus vmbilicus tuus*. quem locum Septuaginta, & D. Hieronymus vertunt: *non alligauerunt mammillas tuas*, idest, *cor*. vt exponit idem Hieronymus, iuxtà Sacræ scripturæ consuetudinem, quæ & *pectus*, & *mammillas* quandoque ponit pro *corde*. Vult ergo Deus *ligari cor*, etiam ab initio ortus, ne alteri, inquam, pateat. Hinc fit, quòd cùm primum ad rationis vsum peruenimus, actū dilectionis Dei super omnia edere debemus, iuxtà Angelici Doctoris sententiam. Præscinditur autem, seu præciditur vmbilicus statim creaturæ in lucem editæ, ea quidem ratione; quousque enim fœtus in vtero matris est, per vmbilicum nutritur; quod, præter Medicos, docet Plinius lib. 10. cap. 52. Vmbilicus ergo hic, qui ligamentum est intestinorum, enato fætu, præciditur, & ligatur: vnde obstetrices vmbilicos infantium desecantes, *vmbilisicæ* quasi *vmbilicum secantes*, dictæ sunt; fiebat autem hoc, sicut & nunc quoq; fit; quia non amplius inde creatura alimētum est exceptura, ideò via illa præcluditur. Sumitur ergo à Spiritu sancto hæc metaphora, vt intelligamus omnem fore præcidendam, præcludendamque viam nobis, ne terrenorum aliquid in nos, nostrumque cor intret, sed à Deo omnia expectanda, vt in eum tantùm amorem nostrum conuertamus, & Christo per fidem, & charitatem nati, à sæculo excidamur. Scio in citato Ezechielis loco, ad litteram, sermonem fieri de Hebræorum populo, ex Aegypto, in promissionis terram pergente, diemque illam exitus ab Aegypto *diem ortus* vocat, qua die eorum *cor præscindi, & ligari* præcepit: Ex quo intellige eos, quos hodie à mundo tamquam ex Aegypto euocat per pænitentiam ad Ecclesiā, & ad Cælum, suum cor præscindere, atque ligare, arctissimo nimirùm charitatis nexu, quæ iuxtà Apostolum Coloss. 3. ℣. 14. *est vinculum perfectionis*, seu perfectæ cum Deo vnionis, vt S. Thomas exponit: hinc præcipit per Prophetam, *conuertimini ad me in toto corde vestro*. iaculatus autē fuit iurè Deus indignationis sententiā in Hebræos illos, quos de Aegypto educebat, aptata illa similitudine *vmbilici non præcisi*: de Aegypto enim excisi, & à barbarica seruitute liberati, cæpas, & cibos Aegyptiacos exposcebāt, quasi si præter omnē naturæ ordinē, enatus puer, per vmbilicum nutriri exoptaret: quod & faciunt, qui è mundo ad Deum euocati, etiam mūdi commoda, illecebras, delitias, honores, atque diuitias perquirunt.

S. Hieron.

Pectus & mammilla, amoris typus. Cor alligari sibiq; seruari Deus præcipit.

Per vmbilicum fætus in vtero nutritur. Plin.

Cor, omnibus præterquàm Deo præcludendū.

Ad Deū conuersi mundum non esuriant.

Coloss.

S. Thom.

6 Quid quod speciale quoddam ius in corda hominū habet Deus, tamquàm proprius eorū effector? scio equidem, & fateor totius hominis plasmatorem Deum esse, iuxtà illud Iob. 10. ℣. 8. *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu.* Et Dauid ferè iisdem verbis Psalm. 118 ℣. 73. *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me*. Verùm illud quoque nō ignoro, perhiberi ab Hebræis, Deum solum sua manu cor hominis primùm finxisse; cætera deinde membra Angelis mediantibus, quasi primi opificis adiutorijs ministris, & veluti instrumentis formasse. Id verum sit necne, non disputo: illud aio in Scripturis voluisse Deum hoc proprio titulo insigniri, auctoris scilicèt, & opificis humani cordis; quare S. Chrysost. in illa verba 2. Paralip. 6. *tu enim solus nosti corda filiorum hominum*; sic ait: *soli humanorum cordium cognitio est, qui formauit ea*, sicut ergo solus Deus cordium scrutator est, ità solus opifex. Docet hoc etiā

Iob

Psalm.

Deus solus, cor primi hominis efformauit.

S. Chrys. 2. Paral.

Dauid

Dauid Psalm. 32. ℣. 15. *Qui finxit singillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum*, eandem retinens dicēdi rationem, vt ille cordis operationes, & volita dignoscat, qui cor ipsum finxit, scilicèt Deus. Aliqui apud P. Agellium hoc loco, *finxit*, à verbo Hebr. *iozzer*, dicunt significare idem, quod *reponere*, & *recondere*. *Sed si*, subdit Agell. *intelligunt ità esse in eius manu, & potestate corda hominum, vt quæ in alicuius diuitis hominis thesauris reposita sunt opes, concedi potest*. Et hic erit sensus: Cor hominis quolibet pretiosissimo thesauro Deo gratum est: dùm illius amorem erga se possidet, quolibet diuite locupletiorem se æstimat, ac veluti rem prætiosissimam, ne furum surreptioni pateat, *reponit*, & *recondit*. Sed ad rem nostram magis accommodatus erit sensus, quem idem Agell. innuit, & recipit, vt idem sit: *finxit singillatim*, ac *seorsim efformauit corda eorum*, idest, vt subdit Agell. *nullo adiumento, aut subministrantium, aut adiuuantium Angelorum, quod Basilides putauit solus, nullius alterius adminiculis. hanc expositionem probauit Isidorus Pelusiates. Non altero adiuuante indigens, fecit*. hæc Agellius. se se offert propterea statim dubitandi ratio, cur in cordis tantùm efformatione, Angelorum ministerio Deus vsus non sit, cùm in aliarum partium constitutione, Angelos vt adiutores, & instrumenta adhibuerit. Neque id factum dices ob eximiam cordis, difficilemq; structurā, soli diuinæ omnipotentiæ manibus reseruatam: nam corporis partium aliqua si, difficilior erat efformatio, præcipuè oculorum (vt optimè norunt Anotomici) & nihilominus Angelorum sapientiam, & artificium hæc minimè excedebant, quin minus illos operis adiutores, Deus assumeret. Igitur rationis diuersitatem, ex Dei zelotypia petendam existimo: ea namq; cordis, & amoris nostri tenetur Deus zelotypia, vt ne in ipsa etiam eius ex luto efformatione, Angelorum manu contrectaretur, aut dependentiam aliquam ab eis, veluti ab Authore, aut efformatore quoquo modo mente peruolueret. quantò minus feret Deus hominum corda, mundanis sordibus inquinari, terrenis obiectis applicari, impuris manibus attrectari: hæc enim non patitur amoris zelotypia, & ideò quia *vbi thesaurus, ibi & cor*, congruè subdit, *thesaurizate vobis thesauros in cælo, & non in terra &c.*

Psalm.

P. Aggel

Amor hominis, vti thesaurus recōditur & custoditur.

Angelorum ministerio, non est vsus Deus in cordis efformatione.

Dei zelotypia nec Angelo cor tangere pmittit

7 Quæ si ità sunt, debet omninò quæuis anima ad Deum conuersa, illiq; per dilectionem desponsata Deum toto corde diligere, & cor à creaturis reuocans, totum tradere Creatori. Sponsas ad sponsi domos, antiquitùs obuelatas duci consueuisse, testis est Pierius Valerianus lib. 40. § quod &c. cuius rei hanc fuisse dicit rationem, vt viam ignorarent ad parentum domum redeundi: vt enim dicitur Genes. 2. ℣. 24. *relinquet homo patrem suum, & matrē, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*. Sed audi quid de desponsatione inter animam, & Deum dicat Regius vates, Psalm. 44. ℣. 10. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate*. clarum est de huiusmodi sponsalibus sermonem fieri; quare in Hebræo textu legitur; *astitit coniux*: vocatur autem *Regina*; quia Regis coniux, vtique Regina est; sed attende quod subdit: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui*. ad Reginam, & sponsam conuertit orationem, monetque, vt omnia obliuiscatur, & ne viam quidem sciat redeundi ad domum patris; hinc sequitur: *& concupiscet Rex decorem tuum*; *decorem* animæ, *dilectionem* intellige; *charitas* enim inquit Sanct. Augustinus tract. 32. in Ioannem. *est anima decor*. ex quo illud in Canticis aduerte, statim atque sponsa ità amando incaluit, vt elangueret, & exclamaret cap. 5. ℣. 8. *nunciate dilecto meo; quia amore langueo*; audit à spōso: *tota pulchra es amica mea &c. pulchra vt Luna, electa vt*

Pier. Va[...] Sponsæ velatæ a[...] domum sponsi d[...] cebantur ob zelot[...] piam.

Genes.

Anima Dei sponsa, viam mundi, & parentum ignoret.

Charitas animæ decor. S. Aug.

Cant.

Sol &c. nimirùm diuinus ille amoris calor, vbi integrè, ac penitus animã peruasit, & calorem, & formam, & speciem, qua pulchriorem, nè cælum quidem videt, inducit, Deumque ipsum ad sui laudem trahit. Et quoniam macies etiam pulchritudini obstat, hanc quoque tollit charitas, dùm illam interiore quodam succo, & quasi adipe pinguefacit; docet id Gloss. in illa verba Genes 40. ℣.4. *Abel obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum*, sic enim loquitur; *quia iustus in omnibus quæ agit per fidem, & charitatem, de quibus cæteræ virtutes oriuntur, & sine quibus nihil possunt Deo placere contendit, quod significatur in adipibus oblatis. Vnde Psalm. 62. sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea: sine charitate macilenta est anima, & languida, & in nullo Deo placitura: concupiscet* ergo *Rex decorem tuum*, idest tuã erga ipsum dilectionem, concupiscet quidem, & nimis concupiscet, & decora eris, si amaueris; sed ad Dei zelotypiam reuertamur.

Charitas imp in... macies... [margin]

8 Propterea ipsemet Deus fasciæ vices gerit, & veluti fascia circa amantis pectus, ipsius cor, & amorem custodit, licèt enim multa sint fasciarum genera, & ad nonnullos varios vsus humani corporis accommodata: fascia tamen quæ pectoralis dicitur, ea est, quã mãmas, pectus, & cor mulieres tegunt: Hinc huiusmodi fasciç se cõparat Deus Ierem. 2. ℣. 32. inquiens: *numquid obliuiscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ, populus verò meus oblitus est mei diebus innumeris*: quæ similitudo vt procedat, Deus *fasciæ* cõparatus intelligẽdus est, cuius populus oblitus est, cùm è contra *sponsa fasciæ pectoralis suæ nõ obliuiscatur.* Hic Deus vtitur metaphora, & allusione, vt dignoscamus quanta illi de humano corde cura sit, vt summa illud sibi seruet custodia; eoque modo, quo vt diximus fasciarum pectoralium vsus, ad occultandas mammas, & pectus seruandum, & cor custodiendum ne alteri pateat, adinuentus est, & semper circa pectus, & cor est; ità & Deus, vt maximã amoris ad se nostri zelotypiam ostendat, se *fasciæ pectorali* comparat.

9 Iam verò, idcircò postquam ipse cor hominis ingressus est, illud sigillo præcipit obserari, nè alijs pateat accessus, aut intuitus. Cant. 8. ℣. 6. *Pone me* inquit, *vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuũ; quia fortis est, vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio* non modò amantẽ, sed riualis impatientem, & zelotem se esse his verbis fatetur; quapropter postulat, poni *vt signaculum super cor, vt signaculum super brachium*; eo fortasse modò, quo Daniele in lacu leonum posito, ait Scriptura Daniel. 6. ℣. 17. *allatusq; lapis vnus; & positus est super os loci, quem obsignauit Rex annulo suo, & annulo optimatum suorum, ne quid fieret contra Danielem*. Sic postquàm Deus in cor nostrum descendit, signaculum poni præcipit, nè quis alius ingredi audeat. *Pone me, vt signaculum super cor tuum*; eo tamen discrimine, quòd nullius alterius annulo obserari cor hominis permittit Deus, si ut Danieli factum legimus, sed suo tantùm, ideò: *pone me vt signaculum super cor tuum* non quidem alios, sed *me* tantummodò.

10 Id ipsum aliter (ad rem tamen nostram) explicat S. Hieronymi versio: *pone me, vt vmbraculũ super cor tuum, vt vmbraculum super brachium tuum; quia fortis &c.* Vmbraculi vsus ad hoc inuentus est, vt solis, & ex eo manantis caloris incendia reprimat, nè viatorem quoquomodò incendat, denigret, aut offendat. Zelotypia itaque stimulatus Deus, præcipit vmbraculum super cor poni; *pone me vt vmbraculum super cor tuum*. vmbraculum super cor poni, nè qua mundi affectio cor nostrum petat, nè quo mundi calore succendamur, omnisq; mundani amoris calor reprimatur. Sed fortasse vt ad rem aptius, ità ad sententiam arctius dicemus, si ideò Deũ *vmbraculi* vice, cordi super-

poni

poni velle dicamus, quòd nihil inter se, humanumq; cor medium patiatur, sicuti nihil est inter vmbraculum, & eũ, qui ipso adumbratur medium: proptere a aduerte quòd non dicit: *pone vmbraculum*, sed *pone me vt vmbraculum &c.* vt nulla creatura inter Deum, & cor hominis medium sit, quod Dei intuitum, amoremq; impediat, seipsum vmbraculum facit, & immediatè creaturæ suæ nectitur. quid ageret Deus si peccatum, aut peccati occasionem inter se, & animam cerneret, dùm adeò vmbraculum zelat, nec vllo modo patitur?

Zelotypia Dei, nec a Sole inspici animam patitur.

11 Imò, & singularis inde colligitur Dei erga animam, nostrumq; cor zelus; nã sicuti de nimis zelotypo marito falsè Italicè dicimus, *non vuol che sua moglie sia veduta ne men dal Sole*, Ità Deus, nè terrenarum rerum lux, & oculus, quasi quidam sol dilectam aspiciat, se se vt vmbraculum interponit, & quidem iure. primò quidem, quia illa, quæ sine hoc vmbraculo vagata aliquando fuerat, fassa est tandem se à sole terrenarum cupiditatum denigratam, Cantic. 1. *nolite me considerare quòd fusca sim, quia decolorauit me sol*; ideò benè dicit Deus: *pone me, vt vmbraculum &c. quia fortis est, vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* Secundò, quia nimium nostræ animæ procliues sunt ad adulterãdum. Ierem. 2. ℣. 20. *sub omni ligno frondoso prosternebaris meretrix, fornicata es cũ amatoribus multis*; quare iure Deus ei vmbraculum apponit, & prospectum negat; rectè enim S. Chrysost. homil. de suo regressu in Asiam, *vir*, inquit *quando impudicam vxorem habere se nouit, nec prospicere ei de domo permittit*. Et si pudica sit, aliquando: idem euenit, vt de Caio Sulpitio refert Auctor apophtegm. lib. 6. qui vxorem suam repudiauit, eò quod aperto capite ædes egressa esset, inquiens: *lex tibi meos vnius oculos præfinit, quibus formam tuam approbes, his ornamenta comparato, his esto speciosa, non aliorum oculis placens.* Et ita prorsus in hodierno Euangelio suæ sponsæ, cuius cor, & amorem petit, ait: *vbi thesaurus tuus, ibi cor tuum*, & in Epistola ex Ioele: *scindite corda vestra &c.* vt eã tandem per amorem sibi copulet, iuxtà illud Ier. 2. ℣. 2. *& charitatem desponsationis tuæ.* Sed vt nulli appareat, omnibus sit inuisa, præcipit illis verbis: *ne videaris hominibus, sed patri tuo &c.*

Cant.

Ierem.

S. Chrys.

Auctor Apoph. Repudiatur vxor aperto capite, domo egressa.

Cor, ... cut litt... ræ, ob... gnatum clausũq... omnibu... Deo no...

12 Quamquam video aliter etiã, sed eadem omninò sententia, similitudinem hanc *signaculi* (si vulgatam sequamur) exponi posse: *pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum &c.* cor nostrum scilicèt clausum, & Dei sigillo obsignatum esse debere, nè alteri quàm Deo eius penetrale pateat, non aliter, ac litteræ, quæ si regio, aut alterius sigillo obserantur, aperire, ac legere nefas est. Idem dicendũ de operibus bonis, quæ per brachium denotantur, cui tamquàm sigillum superponi se Deus mandat: *pone me vt signaculum super brachium tuum.* obserata enim & clausa oculis hominum esse debent bona, quæ agimus, veluti obseratæ litteræ, quarum apertio, & introspectio illorum tãtùm propria est, quibus diriguntur. Deo autem, & non hominibus opera diriguntur, ideò dicitur *nè videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo, qui est in abscondito, & pater tuus, qui videt te in abscondito &c.* sed de hac re diximus plura supra cap. 6.

Opera ... na Deo... tantum... pateant.

13 Nisi velis dicere his verbis, nõ zelotypiam magis Dei significari, quàm nobis ipsum Deo amorem imperari: qui amor, signaculũ est animæ, & cordis: sed signaculum similitudinis, quo scilicèt vera Dei effigies in animo, & corde repræsentatur. Theodor. in illa Ezech 28. ℣. 12. *Tu signaculum similitudinis.* de sapientia, & amore intelligi ait, vnde subditur: *plenus sapientiæ, & perfectus decore, in medio lapidum ignitorum ambulasti.* Et verò nulla rè magis, quàm amore similes Deo sumus; quare amore diuino in nobis inspecto, quasi eius effigie signati, ab omnibus,

Amor signacul... animæ, ... Dei ima... go.

Theodo... Ezech. ...

Ex amo... re tanqu... ex effigi... similes Deo dignoscimur.

pro

pro diuinis cognoscimur Ioann. 13. ℣. 35. *In hoc cognoscent omnes, quòd discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Neque sanè absurdè quis diceret, si ita diceret, aliud esse, aliquē esse imaginem, aliud illam imaginem esse prototypo similem; fieri enim potest, vt imago alicuius eiusmodi sit, vt nihil minus quàm eum, cuius est imago repræsentet. Ita ergo nos ad imaginem quidem Dei omnes sumus secundùm naturam, sed non omnes similes secundùm gratiam, quæ vel charitas est, vel numquam à charitate diuellitur. Hanc ergo Deus sui similitudinē cordi nostro iubet apponi, cùm ait: *Pone me, vt signaculum supra cor tuum.* Quo referenda sunt moraliter præcepta illa, quibus rei cuiuscumque siue in cælo, siue in terra existentis, imagines fieri prohibentur: ijs enim earum amor rectè significatur; nam qui amat, imaginem amatæ rei pingi, aut fingi sibi plerumque curat, Exod. 20. ℣. 2. *Non habebis Deos alienos coram me.* nota: *coram me*, idest *meos*, quasi dicat, *riuales oculos: non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum &c.* prudenterq; Clemens Alex. 5. stromat. *Deorum imagines annulis insculpendas negat.* nēpè vnus est amor noster Deus, qui iubet: *Pone me, vt signaculum super cor tuum &c.*

14 Vsus apud Veteres obtinuit, & vtinam apud nos quoque non deuenisset, in annulis eorū imagines fieri, & insculptas deportare, quo si memoriam colerent, & obseruarent, sicque ostenderent, eos præcipuè sibi cordi esse, quos ita gestarent: vnde Plin. lib. 32. cap. 3. *iam verò*, inquit *Harpocratem, statuasq. Aegyptiorum Numinum, in digitis viri quoque portare incipiunt.* Et Marbodæus imitatus Solinum cap. 11. sic ait:

Rex Pirrhus digito gessisse refertur Achatem,
Cuius plena nouem signabat Musicas,
Et stans in medio cytharam tangebat Apollo,
Naturæ non artis opus, mirabile dictu.

Igitur in hunc sensum: *Pone me vt signaculum super cor tuum: vt signaculum super brachium tuum*, idem importat, ac me pinge, me insculpe in corde tuo, in voluntate tua, & in brachio, idest in operibus tuis, vt mei solius imaginem in oculis, & in mente semper feras, neque tantùm aspicias semper.

Dei imago, ante oculos, sēper habenda.

15 Scio equidem celeberrimum hunc Canticorum de sigillo cordis, & brachij locum, alijs etiam, ijsque elegātissimis expositionibus illustrari posse: enim verò nomine *brachij* opera designari, notum est, iuxta illud Lucæ 1. ℣. 51. *fecit potentiam in brachio suo.* Quare dùm opera Deo tamquam proprio bonorum operum sigillo obsignamus, rectè significatur illi soli in dominium cedere; sicuti qui calicibus aureis, aut argenteis vasis, sua insignia apponunt, sui illa iuris esse contestantur. *Pone me*, ergo, *vt signaculum super brachium tuum.* idē erit ac dicere, opera tua mihi vni offer, mihi vni dona, ac dica. Quod Psaltes egregius faciebat, vnde Psalm. 44 ℣. 1. *Dico ego opera mea regi:* nec mirum si obsignatum habebat Rex Serenissimus etiam cor, cuius fructus illa erant opera, quæ dicebat; *Eructauit cor meum verbum bonum.* Si ergo à signo Principis, quæ ad illius supellectilem pertinent dignoscuntur; quæ Dei sunt, & opera quæ fiunt, an Deo dirigantur, & in eius ærario condi debeant, ex apposito signo æstimanda sunt; ideò; *Pone me, vt signaculum super brachium tuum*; alioquin extra numerum cælestis supellectilis erunt.

Luc.

Opera nostra, Dei imagine obsignentur, in signum dominij.

Psalm.

16 Quamquam nè illud quidem à vero aberrat; posse opera *signaculo* impressa dici; hoc est sub *sigillo* clausa, hominibus occulta, soli Deo nota, vti dicitur Matth. 6. num. 6. *clauso ostio ora patrem tuum & pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi.* de qua re plura supra. Neque verò mirandum, si præter

Matth.

brachij

Cor & opera iungenda.

brachij signaculum, etiam signaculum cordis exposcat; nã profectò: brachium sine corde apud Deum nõ datur; idest opera sine amore, sicuti neque è contra cor sine brachio; idest amor sine operibus, quia vt rectè Gregorius *probatio dilectionis exhibitio est operis*, ideò: *pone me vt signaculum super cor, vt signaculum super brachium.*

Dei cum anima spõsalia, per annulum denotata.

17 Acutius etiam dicetur, ijs verbis; Dei cum anima sponsalia designari. *signaculum* enim nomine annulum significari, maximè conueniens est, cùm annulo sigilla imprimere præter recentiores, etiam veteres consueuerint; itemq; annulo sponsas subarrare: idem ergo erit dicere *pone me vt signaculum &c.* ac si diceret, me in sponsam accipe: quem tamen annulum nõ in corde solùm, sed in brachio etiam poni vult; quia non solùm cor, idest amorem, sine brachio infructuosum, & desidem, sed cum brachio; hoc est cum operibus vegetem, & actuosum requirit; operibus enim medijs, & quasi pronubis animæ desponsatur Deus, & iis quidem non paruis, aut leuibus, quæ digito, aut vngue fiant; sed magnis, & heroicis, quæ extenso, excelsoq; brachio indigeant: quod symbolum est operum verè magnorum, quæq; ad portentum, quasi ac miraculum accedant; vnde illa in Sacra scriptura sæpius: *in manu potenti, & brachio excelso* & similia &c.

Amore, & operibus Deo desponsamur.

18 Cogitet ergo anima, qualem se gerere debeat, vt dignam se tanti sponsi vxorem exhibeat. Debet enim veræ nuptę leges obseruare, & primùm omnium cogitare, quomodò placeat sponso, & nihil præter ipsum in corde gerere. Refert Pieri. Valer. lib. 58. cùm nuptiarum sacra facienda essent, antiquitùs consueuisse coronari sponsas corona verbenæ floribus contextæ: id qđ ideo factum esse existimo, vt indicarent sponsas tunc sponsalium vota Dijs oblaturas, cùm Deos, & non alia tãquam coronas gestarẽt; nã per fasciculos florum verbenæ, Deos, Antiqui significabant. Ideò Aaron sacerdoti pręceptum fuit, vt coronam capite gestaret, in qua Dei nomen insculptum esset, Eccli. 45. ℣. 14. *Corona aurea super mitram eius, expressa signo sanctitatis, & gloria honoris &c.* in quæ verba Glossa, inquit, *corona aurea &c. in qua erat nomen Omnipotentis Dei, & significat honorificentiam Diuinæ Maiestatis, quem super omnia statuere debemus, vt in omnibus actibus nostris, & sermonibus honorificetur Deus.* Dei igitur sponsa tunc veræ nuptæ leges obseruabit, cùm non alium, nisi Deum in capite tamquam coronam gestabit, & in illum suarum cogitationum obtutum figet: quod videtur indicasse cælestis sponsa, cùm dixit Cantic. 1. ℣. 16. *Dilectus meus mihi, & ego illi*. quorum verborum sensus est, vt exponit Glossa: *Dilectus meus mihi; non alteri cuilibet gratiam præstabit, & fructum rependet; & ego ei, non alteri cuiquam, non in alia turba hominum integra obedientia, & deuotione conglutinabor*. Dei namque zelotypia, aliorum consortia nõ patitur, sed animam solam, sibi soli vacare vult.

Pier. Val.

Deus solus capitis nostri corona.

19 Et si amore, & charitate Deo desponsamur, vt diximus, vtique quæ videri hominibus vult, non amat, virgo, & sponsa Dei non est, sed adultera, rationabilis ergo Dei zelotypia ostenditur, dum ait: *ne videaris hominibus, sed patri tuo, qui est in abscondito &c.* namque velle hominibus videri, & Dei seruare amorẽ, sponsumq; habere Creatorem, quomodò cohereant, non video. edocemur hoc Cantic. 1. ℣. 3. *adolescentulæ dilexerunt te.* verba sunt sodalium sponsæ ad sponsum; seu Angelorum, aut piarum animarum ad Deum. In quibus verbis, in sensum, quem iam intendimus, noto, per *adolescentulam* intelligi *absconditã*, & erit sensus: *abscondita dilexerunt te.* Certè quæ oculis hominum abscondita sunt, Deum diligunt; quæ verò hominibus videri cupiunt, Deum diligere minimè possunt. Colligo hanc exponendi rationem ex S. Hieronymo quęstionibus in Genesim; sicut & Genes.

24. ℣. 33. ex Hebræo: *Ecce ego stans supra fontem aquæ, & erit adolescentula, quæ egredietur &c.* ait itaq; Hieronym. *pro adolescentula in Hebræo legitur alma; sicut in Esaia, vbi in nostris Codicibus scriptum est. Esai. 7. Ecce virgo concipiet &c. in Hebræo legitur: ecce alma concipiet. Notandum ergo, quòd alma, semper virginem significat, & habet etymologiam à verbo, alam, quod abscondere significat. ergo, alma; quod interpretatur abscondita, idest, virgo nimia diligentia custodita, maioris laudis videtur esse, quàm virgo. Nam virgo potest esse corpore, & non spiritu, siue mente; quæ verò abscondita est, epitasin virginitatis habet, vt & virgo, & abscondita sit; & quæ abscondita est, iuxta idioma Hebreæ linguæ, consequenter & virgo est, quæ autem virgo est, non statim abscondita.* hæc Hieronym. Ex quibus, vt diximus, patet Canticorum verba, ita vertenda: *absconditæ dilexerunt te*; ideò benè dùm amorem nostrum exposcit Deus: *vbi thesaurus tuus, ibi cor tuum.* Et *scindite corda vestra &c.* ait, ac præcipit: *ne videaris hominibus:* vt enim præallegatis verbis dicebat Hieronymus; *alma interpretatur: abscondita, idest, virgo nimia diligentia custodita.* Deducitur igitur hic sensus: *adolescentulæ*, idest, *almæ*, seu *virgines nimia diligentia custoditæ, dilexerunt te.* Collige ex his quàm maiori in Deum amore ferueant, quæ in claustris obseratæ degunt, quàm quæ in domibus suis resident; & ex illis quæ in monasterijs sub claustrali disciplina viuunt, spiritu, & charitate quantùm emineant supra cæteras, quæ cratis ferreis vndique obseratis, absconsæ omnibus iaceant impossibile conspici, audiri difficile.

Adolescētula, alma, & virgo nimia diligentia custodita interpretatur.

Moniales obseratæ eo ferventiores

20 Benè igitur, dùm Deus animã zelat, & amorem: & per charitatem, & cordis exhibitionem sibi copulat, adducta in hodierno Euangelio nectit verba: *ne videaris hominibus, sed patri tuo, qui est in abscondito; & pater tuus, qui videt te in abscondito &c.* ad ostendendam Dei zelotypiam, & virgines, sponsasque seruandi priscum morem, & difficultatem. Hinc de illa quæ iam in publico progredi, à cæteris conspicienda foret, nuptiarum tempore, dicitur Cant. 8. ℣. 9. *Quid faciemus sorori nostræ in die, quando alloquenda est:* idest, eo tempore, quo nuptiæ solemni ritu, pompaticè, maximoq; hominum concursu celebrãdæ erunt: subdit quid agendum erit: *si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea; si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.* & quidem rectè; nam ante nuptias, cautè, absconditè, ac semotæ ab hominum oculis custodiebantur virgines, priusquam matrimonio iungerentur; cùm ergo noua nupta hominum oculis exponitur, propugnacula ædificanda, domus muris cingenda, & validissimis tabulis portæ sunt obserandæ, ne quod oculis intuentium exponitur, manibus quoq; sit in promptu, & ne quod oculi vident, manus palpent. In quem sensũ, Tacitus de moribus Germanorum: *Dotem*, inquit, *nõ vxor marito, sed vxori maritus offert. munera non ad delitias muliebres quæsita, nec quibus noua nupta comatur, sed frænatum equum, & scutum cum framea, gladioq; in hæc munera accipitur, ergo septa pudicitia, agunt.* hæc Tacitus. Itaq; *equus frænatus*, non effrænis, qui impetu concitus, per omnia indomabilis vagatur, dono sponsæ datur, in typum vt se domi recipiat; *& scutum cũ framea*, vt sibi bellandum cum hostibus pudicitiæ certò sciret. Vir mulieri hæc subministrat arma, quia mulieri pugnandum, vt honestatem seruet, non viro; propterea exuit se armis vir, & mulieri subministrat; quando verò mulier se non custodit, tunc mulier viro arma porrigit, vt in ipsam, & in amasium iaculetur, ideò quoque adducta similitudine de *propugnaculis, ostijs, & tabulis*, vsus est Spiritus sanctus in adducto Cãticorum loco. Quod cõfirmat S. Chrysost. lib. 3. de sacerdot. *oportet*, inquit, *virginem, vndequaque tamquam muro*

Mulieres hominum oculis expositæ, difficilè custodiũtur. Cant.

Virgines ante nuptias, omninò absconditæ.

Tacit. Dotē vir vxori offert Frænatus equus, scutum, & framea sponsæ dono datur.

Mulieri pugnandũ pro pudicitia.

S. Chrys.

circum-

circumseptam esse. Obseruo autem obiter in Taciti dicto, non *equum* simpliciter, sed *frænatum*, nouæ nuptæ dono dari; nam effrænatus equus, ferociæ, frænatus verò, domitæ ferocitatis fuit apud veteres hieroglyphicum, teste Pier. Valer. lib. 4. & adducit illud Virgilij.

Effrænis equus ferociæ, frænatus edomitæ ferociæ hieroglyphicũ. Pier. Val ex Virg.

Sed tamen ijdem olim curru succedere sueti
Quadrupedes, & fræna iugo concordia ferre.

Eccli.

Quoniam verò, vt dicitur Eccli. 25. ℣. 22. *non est ira super iram mulieris, commorari leoni, & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam.* Et Prouerb. 21. ℣. 19. *Melius est habitare in terra deserta, quàm cum muliere rixosa, & iracunda:* ideò *frænatus equus,* nouæ nuptæ dono datur, in signum, vt furorem compescat, iram f ænet, concordiam cum marito, & domo vniuersa seruet, nec eueniat, quod subdebat Ecclesiasticus loco citato ℣. 25. *Ingemuit vir eius, & audiens suspirauit &c.* quis enim non ingemiscat, & ad cælum suspiria attollat, à litigiosa muliere stimulatus? sed hoc obiter.

Prouerb. Mulieris ferocia cõpescenda.

Eccli.

21 Addimus tamẽ, ad exactiorem adducti loci Canticorũ explicationem, statim ac Deus cor, & animã sibi sponsat, zelotypia percitus, de illius custodia cogitat: *ædificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis &c.* idest, vt omnes ferè commentãtur, ad vbera, amoresque sponsæ custodiendos, non solùm excelsa extollantur mænia, vndique vallantia, sed & propugnacula, idest, turres, ac castella fortissima, in quibus non vnus, sed plures sint strenuissimi milites, ad pugnandum parati, & ad propugnandum, expugnandũq; pro amoris custodia; & vt securitas maior sit, vna tantùm porta collocetur, eaque obserata, & detrusa tabulis ex cedro. Consonat Hebræorũ expositio: *si se,* inquiunt, *amasijs alijs aperiat, si se gesserit vt porta versatilis, & cunctis exposita, compingamus illud ostium tabulis cedrinis; muniamus eam durissimis, ac fortissimis tabulis, nè videatur.* Paulò aliter interpetrantur Titelman. Genebrard. & Martinus del Rio: *tamquam,* inquiunt, *firmissimum ostium, me solum intra cor suum admittat, cæteris amasijs vniuersis aditum præcludẽs.* Ad ostendendam verò feruentiorem zelotypiam, *tabulis cedrinis,* vult compingi ostium, idest, vt ait S. Ambros. serm. 22. in Psalm. 118. *ea materia, quam non vermis, non tinea corrumpat.* nam ne vermiculum quidem patitur zelator Deus, aut tineam, quæ cor hominis corrodat, pũgat, vel tangat. ideòque (vt initio etiã adnotauimus) thesaurizandum vetuit *in terra, vbi ærugo, & tinea demolitur,* quia re vera: *vbi thesaurus, ibi & cor,* quod à vermibus, & tineis vult omninò custodiri, sibique soli integrum seruari, nec vllo pacto maculari. Quis non videat ex his, quasi maiorem Deo esse curam de corde seruãdo, quàm de Paradiso Terrestri, aut Cælesti? de custodia Terrestris dicitur Genes. 3. ℣. 24. *collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.* vnus ergo Angelus positus est ante portam ad custodiam. De Cælesti dicitur, quòd duodecim habet portas, totidemq; Angeli ante eas ad custodiam; insuper & murum eminentem, Apocal. 21. ℣. 12. *& habebat murum magnum, & altũ, habentem portas duodecim.* pro cordis verò custodia non plures portæ sũt, sed vna, propugnacula verò multa, & turres; & militum strenuissimorum multitudinem copiosam adhibet, vt diximus.

Cant. Maxima adhibetur custodia cordis seruando.

Hebræorum expositio.

Titelm. Geneb. Mart. del Rio.

S. Amb.

Maior adhibetur custodia seruando cordi, quam Paradiso Terrestri aut cælesti. Genes.

22 Adumbratũ hoc legimus per figuram in veteri testamento, in ipsa mulieris efformatione. inquit Sacer textus Genes. 2. ℣. 21. *immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cumque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & ædificauit costam, quam tulerat de Adam in mulierem.* Vt autem ait Apostolus ad Ephesios 5. ℣. 30. *membra sumus corporis eius, de carne eius, & de*

Genes.

Ephes.

ossibus eius: propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia. Sancta ergo Ecclesia Christi sponsa, ex Christi latere: sicut & Eua Adæ sponsa, ex Adæ costa sumpta, & efformata est, vt Sancti Patres fatentur. Similiter in recta consequẽtia, omnis anima, quam sibi Deus in sponsam assumit, etiam è Christi latere formata dicenda est. Cur autem ex Adæ costa potius, quàm ex alia corporis parte Eua illius sponsa sumpta fuerit, plures adduci possent conuenientiæ rationes. Sed illis prætermissis, eam adducimus; est namque costa quædam corporis pars, quæ brachijs semper tegitur, protegitur, ac seruatur, quod propriè viri munus erga vxorem est, vt inquam amore, ac zelotypia cæteris abscondat, sibi seruet. eruo hanc expositionem ex Rabbi Iosue, qui ait: *ex ea parte, qua brachijs tegitur, factam esse mulierem, in signum verecundiæ, vt se se viro subiectam meminerit, & eam sub suo tegat præsidio, ac veluti sub vmbra alarum suarum conseruet, & protegat.* quomodo Deo despõsata anima dicebat Psal. 16. ℣. 8. *sub vmbra alarum tuarum protege me.* ea enim est Dei zelotypia, vt sub ascellis, & brachiis suam seruet, abscondat, & protegat desponsatam sibi animam.

Ex Adæ costa formatur Eua ad custodiam & occultationem.

Rabbi Iosue.

[illegible] Animæ quomodo Deus seruet.

23 Ex his clarè patet, quàm cupidus, amansque, ac zelotypus sit nostri cordis Deus. reliquum igitur est, vt Apostolo obtemperemus præcipienti 1. Petr. 3. ℣. 15. *Dominum Iesum Christum sanctificate in cordibus vestris.* dies festos sanctificare, tunc dicimur, quando nihil seruile in eis exercemus, nec alteri, quàm soli Deo vacamus: hoc enim importat: *sabbata sactifices.* quid ergo est: *Dominum Iesum Christum sanctificate in cordibus vestris?* nisi hoc: alteri locus non sit in cordibus vestris: alteri ne seruiatis, nisi soli Deo: nil aliud operamini, nisi quæ Dei sunt, Deum ipsum ex toto corde diligentes: tunc autem Deum ex toto corde diligimus, cùm nihil eius delectioni æquamus. Quod nisi præstabimus, Deo frui non poterimus, & cælestis gloriæ participes minimè erimus: vnde S. Chrysolog. serm. 65. expendens verba illa Ioann. 11. *Die festo mediante ascendit Iesus in Templũ &c.* inquit, *quod Templum? nescitis quia Templum Dei estis vos &c.* & post pauca: *in cuius ergo*, inquit, *Templo*, idest, *in corde non ascenderit Christus, cælum non ascendit ille cum Christo*; quasi à cælesti Regno eum reuocans, qui à suo corde Dei amorem repulerit. Itaque non in terra, sed in cælo thesaurizandum, vt Dei amori, & ferventi zelotypiæ illius, per omnia conformemur: *vbi enim thesaurus, ibi & cor.*

1. Petr. Deum sãctificare in cordibus, est, solũ Deũ amare.

Deum nõ diligens, à Cælesti Regno excluditur. S. Chrys.

Cum ieiunatis nolite fieri &c.

Sacer textus.

Cap. X.

Colliguntur fragmenta ex Euangelio.

1 
HOC eodem cap. 6. Matth. Euangelista docet, Christũ Dominũ, priùs de eleemosyna doctrinam tradidisse discipulis, ℣. 2. *Cùm ergo facis eleemosynã &c.* & ℣. 3. *te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, vt sit eleemosyna in abscon dito.* Secundo loco eosdem instruit de oratione, ℣. 5. *& cùm oratis non eritis sicut hypocritæ &c.* & ℣. 6. *tu autẽ cùm oraueris &c.* & ℣. 7. *orantes autem &c.* Tertio loco ieiunium suadet, ℣. 16. *cùm autem ieiunatis &c.* & ℣. 17. *tu autem cùm ieiunas &c.* Hoc ordine, & methodo hæc tria tradit, vt orationis maior dignitas inter ipsa ostendatur

Matth.

Oratio vt dignior inter eleemosinam & ieiunium collocatur.

tur

Auctor. Imperf.

tur, dum oratio in medio, inter eleemosynam, & ieiunium collocatur. Auctor Imperfect. in Euang. *Ex his tribus bonis*, inquit, *prima est oratio, quia eleemosyna quidem de rebus exit, ieiunium autem de corpore: oratio autem nec de corpore, sed de anima procedit, & de corde: ideo quasi prima & dignior è duobus, media ponitur inter duas: prima eleemosyna; secunda oratio; tertia ieiunium:* tātò enim maius est ieiunium eleemosyna, quantò corpus rebus, seu bonis, & eò excellentior oratio vtroq; quò anima, cor, & mens, è quibus oratio procedit, rebus, & corpore ipso.

Eleemosyna, medium ad impetrandum. *Exod.* *Exod.* *Auctor Imperf.*

2 Vel præmittitur eleemosyna orationi, tamquam dispositio ad illam, & medium ad impetrandum facilius. Ideò dicitur Exod. 23 ℣. 15. *non apparebis in conspectu meo vacuus*, quando scilicèt ad orationem veneris; quod iisdem verbis repetit Exod. 34. ℣. 20. ait autem Auctor Imperfect. in Euangel. *vacuus autem intrat ante Deum, qui veniens ad orationem, nullam eleemosynam facit.* Additq; Imperfect. *Item dicit Salomon Eccli.* 18. *ante orationem præpara animam tuam. ille præparat animam suam ante orationem, qui faciens eleemosynam, venit ad orationem.*

Eccli. *Eleemosyna est præparatio ad orationem.* *Matth.* *Luc.*

Quid ergo mirum, si citò, laudabiliter, & quod voluit Centurio per orationē: Matth. 8. ℣. 5. *accessit ad eum Centurio rogans eum &c.* impetrauit à Domino ℣. 13. *vade, & sicut credidisti, fiat tibi, & sanatus est puer in illa hora?* se nāq; eleemosyna præparatum, dignumque reddiderat prius; vnde dicitur Lucæ 7. ℣. 4. *rogabant eum sollicitè, dicentes: quia dignus est vt hoc illi præstes; diligit enim gentem nostram, & Synagogam ipse ædificauit nobis*, suis videlicèt sumptibus. Vel ideò ab eleemosyna incipit Christi doctrina, quia vt ait S. Thom. in Catena ex S. Ambros. in cap. Matth. 5. *omnis sententia disciplinæ Christianæ, in misericordia, & pietate est, & ideò ab eleemosyna incipit, dicens cùm ergo facis eleemosynam &c.*

S. Thom. in Catena

3 Statim post doctrinam de oratione, prædicat ieiunium, *quia*, vt ait S. Thom. in Catena ex S. Chrysostom. *oratio illa fortis est, quæ fit in spiritu humili, & corde contrito: qui autem delitijs fruitur, spiritum humilem, & cor contritum habere non potest. Manifestū est, quòd oratio sine ieiunio, gracilis est, & infirma, & ideò quicumque pro aliqua necessitate voluerunt orare, ieiunium cum oratione iunxerunt, quia ieiunium adiutorium est orationis.* Corpus infirmum, gracile, ac macilentum, optimis cibis nutritur, vt sanum, pingue, ac forte reddatur. è contra verò gracilis anima, & oratio; ieiunio roboratur, & pinguescit. Oratio, & anima, quæ quasi *gracilis* cadens, & curua debilitate est, ieiunio quasi baculo nititur, ne corruat, & pereat. Imò ieiunio quasi validissimo cibo nutritur, ac firmatur; S. Chrysost. homil. 1. in Genes. *Ieiuniū, animæ alimentum est.* & S. Leo Papa sermon. de ieiunio decimi mensis: *semper virtuti cibus, ieiunium fuit.* Quid vniuerso, & procreationi hominū contulisset Adæ creatio, si Dominus adiutorium sibi simile non produxisset? Genes. 2 ℣. 18. *non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adiutoriū simile sibi*, qꝫ vt faceret aliquam partem è corpore Adæ abstulit. ℣. *tulit vnam de costis eius &c.* & aliquam partem etiam carnis illius, vnde dixit Adam vers. 23. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea:* quibus verbis significatur, aliquid de carne etiam Adæ fuisse abscissum, vt multis Expositoribus placet. Benè ergo dicitur: *ieiunium est adiutorium orationis*, quia indissolubili nectuntur vinculo; & vt sit ieiuniū, aliquid de corpore, de cibo, & de carne ipsa abscindi necesse est. Ex quo quasi connubiali vinculo, & quasi ex parentibus, tota virtutum series progignitur. S. Hierony. ad Demetriadē: *Ieiunium*, inquit, *virtutum omnium est fundamentum.* & S. Leo Papa serm. de ieiun. 7. mens. inquit, *de abstinentia prodeunt castæ cogitationes, rationabiles virtutes, salubriora consilia &c.* præmissa

ergo oratione, statim adiutorium illius facit, videlicèt ieiunium: *cùm ieiunatis &c.*

4 Diebus Quadragesimæ, pœnitentiæ, & moribus componendis institutis, primum omnium ieiunium suadetur: *cùm ieiunatis*; virtutes namque congregare ei qui non ieiunat, difficile est. S. Thom. in Catena Ioan. 6. ex Sāct. Chrysost. inquit: *vide autem quanta est gulæ virtus, non vltrà eis Sabbati trāsgressionis cura est, non vltra zelant pro Deo, sed omnia remota sunt, ventre repleto.*

...ui non ...iunat, ...fficilè ...irtuosus. ...Thom. ...i Caten...

5 Certè ipse epularum vsus, seruitus quædam corporis est; vnde Beatus Petrus Apostol. Epist. 1. cap. 2. cum dixisset vers. 13. *voluptatem existimantes diei delicias: coinquinationes, & maculæ delicijs affluentes, in conuiuijs suis luxuriantes &c.* subdit vers. 19. *libertatem illis promittentes, cùm ipsi serui sint corruptionis: à quo enim quis superatus est, huius & seruus est.* Volens autem Deus in libertatem filiorū Dei nos adducere, à ventris seruitute per ieiunium arcet; quod vt facilius exequamur, mortis memoriam per sacrorum cinerum impositionem capitibus nostris hodie obijcit, illis verbis: *memento homo quia cinis es &c.* vt enim ait Seneca Epist. 71. *vis aduersus corpus tuum liber esse? præpone tibi quandoque hoc contubernio carendum.* corporis, & animæ vnione fit contubernium, caret verò separatione per mortem.

...gluuies ...ruitus ...t corporis. ...Petr. ...pist.

...Mortis ...emoria ...bertatē ...tribuit.

...ca.

Nolite fieri tristes.

...acer ...extus.

6 
Onsentaneum est, vt dùm cor ad se aduocat Deus: *Thesaurizate vobis thesauros in cælo, vbi enim thesaurus tuus, ibi & cor tuum.* & in epist. Ioel. 2. *scindi te corda vestra*: vt tristitiā penitus propellat: *nolite fieri tristes*, nam tristitia vulnerat, & confodit cor hominis, quod sibi dari expostulat hodie Dominus. Prouerb. 25. vers. 20. *sicut tinea vestimento, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi.* Itaque tristitia vermi, & tineæ comparatur, quæ cordi infesta sunt. vnde S. Nilus Abbas in tractatu aduersus vitia cap. 4. *animi*, inquit, *vermis, tristitia est, qui parentem*, idest, *cor exedit*: quapropter sicut ne corrosioni alicui cor subiaceat, à thesaurizando in terra inhibetur: *nolite thesaurizare vobis in terra, vbi arugo, & tinea demolitur.* ità à tristitia simili ratione abstinendum: *nolite fieri tristes.*

...esti amā ...tristitia ...abijciē ...a.

Prouerb.

7 Rectè ieiunanti, tristitia abijcienda est, ait namque S. Hieron. in Ioāne: *nulla res ita inebriat, vt animi perturbatio, idest, tristitia, quæ ducit hominem ad mortem: hæc abominanda ebrietas est.* ad quid ergo ieiunare, & inebriari tristitia? igitur prædicato ieiunio, *cùm ieiunatis*, benè dicitur: *nolite fieri tristes.*

S. Hiero. Tristitia inebriat.

8 Tristitia hypocrisi iungitur, quia mala tristitia, peccato copulatur, sicut lætitia virtuti: hinc Vgo lib. 3. de anima: *vis*, inquit, *numquam esse tristis? benè viue; bona vita semper gaudium habet*, iuxta Apostolum ad Galat. 5. vers. 22. *fructus autem spiritus est pax, gaudium &c.* ergo dùm hypocrisis, & peccatum inhibetur hoc pænitentiæ tempore, tristitia quoq; socia propulsatur: *nolite fieri tristes.*

Tristitia hypocrisis Vgo.

Galat.

9 Suasurus erat Dominus abdicationem rerum temporalium: *nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* Hæc autem abdicatio, tristitiam affert diuitiarum possessoribus, vnde dicitur Matth. 19. vers. 21. 22. *Si vis perfectus esse, vade, & vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cœlo: & veni, & sequere me. Cùm audisset autem adolescens verbum, abijt tristis, erat enim habens multas possessiones.* Benè ergo antequàm thesaurorum neglectum prædicet, præmunit auditores;

Matth. 19.

Diuitiarum contemptus, tristitiā affert possessori.

res;

res; *nolite fieri tristes.* ait enim S.Nilus Abbas in tractatu aduersus vitia: *qui mundum diligit, sæpè tristitia afficietur: qui autem contemnit ea, quæ in mundo sunt, in perpetua lætitia versabitur.*

Sacer textus.

Vt appareant hominibus.

10 Ongruit vt postquam ieiunium suasit: *cùm ieiunatis &c.* Et hoc Quadragesimalis ieiunij tẽpore, ad humilitatem, per inanis gloriæ contemptum excitet: *nolite fieri &c. vt appareant hominibus*, & post pauca: *ne videaris hominibus ieiunans.* Namque ex ieiunio, inanis gloriæ, mundique cõtemptus oritur, & hæc duo ab inuicem separari nequeunt. vnde benè S. Cyprianus sermo. de ieiunio, & tentationibus Christi: *Ieiunium*, inquit, *si humilitate ornetur, seruos Dei, mundi efficit contemptores.* & S. Hieronym. ad Celant. *quid prodest*, inquit, *tenuari corpus abstinentia, si animus intumescit superbia.* Et S. Isaacus lib. 1. de contemptu mundi: *abstinentia, & retractio sequuntur humilitatem.*

Ieiunium mũdi suadet contemptum. *S Cypr.* *S. Hiero.* *S. Isaacus*

11 Post ieiunium, inanis gloriæ vitium fugiendum ostendit, quia ad ieiunium, sicut ad omnia opera bona, præcipuè quæ in actibus externis consistunt, sequi solet inanis gloriæ titillatio, & vt ait Glossa Matth. cap. 5. *appetitus gloriæ propinquus est virtuti.* & S. Tho. in Catena eo loco, ex Sanct. Chrysost. *Sola vana gloria*, inquit, *de bono procedit, & ideò non destruitur per bonum, sed magis nutritur.* Et iterum: *vbi res agitur gloriosa, ibi facilius inuenit locum gloriationis occasio. & ideò intentionem gloriæ primò Dñs excludit.* Ipso ergo Quadragesimæ initio, quoad opera virtutis peragenda excitat, & instruit fideles Ecclesia, contra inanem gloriam nos armat; ne inanis gloria virtutes destruat: ait enim S. Nilus Abbas tractatu aduersus vitia cap. 7. *hedera sic arborem complectitur, vt cùm altiùs se se sustulerit, radicem eius arefaciat: inanis gloria sic iuxta virtutes nascitur, vt non recedat, priusquam vim illarum exciderit.* Hinc, *oportuit ergo*, ait S. Chrysost. homil. 19. in cap. 5. Matth. *prius inserere virtutem, & tùm demum noxium illi, istius passionis germen necare. & considera vnde ipsũ sumat exordium ab eleemosyna, scilicèt, oratione, & ieiunio: in his enim maximè solet gloria cohabitare virtutibus, nam Pharisæus quoq; hinc fuerat inflatus, atque dicebat: ieiuno bis in Sabbato &c.* Et S. Hierony. in epist. *Sint moderata, & sancta, in omni mentis humilitate ieiunia, quæ ita attenuẽt corpus, non mentẽ eleuent, ne res humilitatis, gignat superbiam, & vitia de virtute nascantur.* Et S. August. in serm. de ieiunio: *ieiunium*, inquit, *superbiam spernit humilitatem commendat.* Et S. Cyprian. eleganter satis totum expressit, serm. de ieiunio, & tentatione Christi: *Nulli Religionis exercitio, fraudulentiùs inanis gloria adulatur, nulli virtuti, fauor ità blanditur: ieiuniorum sudoribus laus importuna se ingerit, & subtilissimis aculeis penetrans animã, dùm extollit, emollit, & pungit cùm vngit. virtutem in hypocrisim vertit, & simpliciter inchoata peruertit. Castigatio carnis spiritum inflat, & macies corporis, extenuatũ, arrogantem impinguat. contemptus venerationem venatur: fames, & calamitas, laudibus saturatur.* ideò dùm suadet ieiunium, inanem gloriam contemnere prædicat.

Inanis gloria, bonis operibus iungitur. *Glossa.* *S. Thom.* S. Nilus S. Chr. S. Hie. S. Au. S. Cyp

12 Cauendus valdè est propriæ inanis gloriæ quæstus, quo Deus adeò offenditur. qui *apparere vult hominibus*, Creatorem mundi despicit. qui suam quærit inanem gloriam, Deo ignominiam quàm maximam inurit, & veluti sanctissimam Christi faciem colaphis cædit, idemq; efficit, quod & illi, de quibus dicitur Matth. 26. ℣. 67. *tũc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt.* & Ioan. 18. ℣. 23. *vnus assistens ministrorum dedit alapam Iesu.*

Suã gloriã quærens, D. faciem colaphis cædit. Matth. Ioan.

quod

quod quàm graue sit facinus, diximus supra cap.5.num.13. Hoc docet Sanct. Thom. qui exponens ad ducta Matthæi verba: *tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis &c.* inquit: *sed propriè colaphizat, qui caput manui supponit, & tales sunt, qui magis dignitatem suam inquirunt, quàm Christi honorem.* Cõfirmat S. August. de quæst. Euangel. dicens: *colaphis eum cædunt, qui ei honores suos præferunt*; tales sunt, qui bona agunt, vt ab hominibus videantur, à quorum aspectu inanem quandam gloriolam consequantur.

Thom.

Aug.

Receperunt mercedem suam.

Sacer textus.

13 

IN Hypocritas, laudis humanæ amatores, & inanis gloriæ mercatores, adducta iaculãtur verba: *receperunt mercedem suam.* sed *quam mercedem? vt appareant hominibus.* dignam planè mercedem operi. ficta, & apparentia fuere ieiunia: *exterminãt facies suas, vt appareant hominibus.* sic & præmia apparentia, pro apparentia rependitur. S.Thom. in Catena ex Remigio: *fructus autem,* inquit, *ieiunij hypocritarum manifestãtur, cùm infertur: vt appareant hominibus ieiunãtes: amen dico vobis, receperunt mercedem suam, quam desiderauerunt.* Et Origen. homil.4. in diuersa: *receperunt,* inquit, *mercedem suam, illam breuissimam ab hominibus laudem, illam temporalem à mortalibus adulationem.* Benè dicitur: *mercedem suam,* vendit enim opera sua inanis gloriæ cupidus; audi Sãctum Nilum Abbatem tractatu aduersus vitia cap.7. *tu verò labores tuos ne vẽdas humanis laudibus, nec futili fama proijcias futuram gloriam. laus enim humana in puluere domicilium habet, & gloria eius extinguitur super terram. Vera autem & solida virtutis gloria manet in sempiternum.*

Pro fictis operibus, apparens tribuitur merces.

Thom.

Origen.

S. Nilus Hypocrita vendit opera.

14 Qui ex Dei amore, & charitate non operatur; quæ agit, veluti musici instrumenti sonus in aerem vanum, vanè diffunditur, iuxta Apostolum. 1. Corinth.13. ℣. 1. *si linguis hominũ loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.* similem pro mercede accipit sonum, laudem, scilicèt, illam vulgi. Auctor Imperfect. *delectatio,* inquit, *illa laudis tãdiù sentitur, quamdiù auditur. mox autem vt aures transierit; transit & delectatio laudis*; quasi diffusus in aërem sonus.

Simulata opera, sonus in aerem diffusus. 1.Corint.

Merces hypocritarum, sonus transiens. Auctor Imperf.

15 Et si breuis, & exigua sit merces hæc inanis gloriæ: æstimatur tamen magis ab ambientibus, quàm copiosæ diuitiæ datæ pro præmio. Cassian. lib. 2. epist. *Gloriosis,* idest, *superbis gratiosiora sunt præconia, quàm tributa: quia stipendium & tyranno impenditur, laudis autem prædicatio non nisi bono Principi debetur.* est autem *laudis tyrannus,* qui laudem non meretur, sed exigit, & quærit, qualis est hypocrita, *qui exterminat faciem, vt appareat &c.* Princips verò legitimus, qui ad Dei laudem operatur.

Laus humana supra diuitias æstimata. Cassian.

16 Nulla profectò merces, fructus nullus datur ambientibus, & inanis gloriæ piscatoribus. Docet hoc S.Thom. in Catena Lucæ 5. expendens illa verba: *& ipse stabat secus stagnum Genezareth &c. Præceptor per totã noctem laborantes, nihil capimus.* ait itaque ex Beda: *Porrò Genezareth, à Laci ipsius natura, quæ crispantibus aquis, de se ipso, sibi excitare auram perhibetur, græco vocabulo, quasi (generans sibi auram) dicitur. neque enim in stagni morẽ sternitur aqua, sed frequentibus auris spirantibus agitatur.* quid ergo mirum si in *Genezareth,* quæ, *generans sibi aurã,* interpretatur, & *auris spirantibus agitatur,* ambientium, & inanis gloriæ piscantium symbolum, nulla fit piscatio? *nihil capimus.* ideò benè dicitur: *receperunt mercedem suam,* illam, scilicèt, vanam populi auram.

S.Thom. Luc. Inanis gloriæ piscatores, nihil capiunt. ex Beda.

Genezareth, generans sibi aura dicitur.

Vatabl.

17 Optima Vatabli versio: *abstulerunt mercedem suam*, idest, illã, quam habuissent, si ex vero corde, & non fictè ieiunassent. quia tamen hanc neglexerunt, temporalẽ, fugacemq; acquisierunt: *receperunt mercedem suam.* Beati Andreæ nostri Cler. Regul. ab Vrbano VIII. in Beatorum numerum relati, fuit frequens, dùm viueret, proloquium loquens de inani gloria: *chi vole la vana, non haurà la vera.* audi S. Chrysolog. expendentem verba illa Matth. 6. *attendite, ne iustitiã vestram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis.* serm. 9. *iustitia*, inquit, *quæ se humanis oculis locat, diuini Patris non potest expectare mercedem. voluit videri, & visa est. voluit hominibus placere, & placuit. habet mercedem, quam voluit: præmium quod habere noluit, non habebit.* Cui sententiæ adstipulatur S. Isaacus Syrus lib. 1. de contemptu mundi: *qui fugit*, inquit, *gloriam, hic in anima sua futuram gloriam tàm præsentit.*

B. Andr.

Vera gloria, vanã quærentibus non datur.

S. Chry.

S. Isaacus

18 Mercedem quærit hypocrita, humanam gloriam ex labore suo: aliorum malo ambientes enascuntur. Roterodamus comparat hypocritam humanæ laudis auidum, ei qui nascitur pedibus primùm emergentibus: propterea in lib. similium: *hi enim*, inquit, *malis auspicijs in vitam ingredi creduntur, magnoq; humani generis malo, vt Marcus Agrippa, & Nero.* qui & ambitiosi, & scelestissimi fuerunt, & mundo exitiosi. Possessio, pedum positione acquiritur, & ideò ambiens, hypocrita pedibus primùm emergentibus nascitur, quia primum quod intendit, possidere est: ad lucrum, & honorem operatur, & ad mercedem inhiat; ideò: *receperunt mercedem suam.*

Hypocrita, homo inuersus, exitiosus.

Roterod.

Marcus Agrippa & Nero, inuersi nati.

19 Fortassis, merces, quam hypocritę receperunt: *receperunt mercedem suam*, destinata iam gehennæ pæna intelligitur. Sic S. Augustin. de sermone Domini in monte: *tales autem*, inquit, *qui simulatione peccant, ab inspectore cordis Deo, mercedem non capiunt, nisi fallaciæ supplicium, & ideò subditur: receperunt mercedem suam.* simile quid habet S. Chrysol. ad hypocritã loquẽs, serm. 7. *non comparasti*, inquit, *lucrum sed mercatus es vanitatem, qui de Dei credito, humanum negotium perfecisti. hinc est quòd Deo redditurus es rationem, qui ab hominibus percepisti miseræ fraudis vsuram.*

Merces hypocritæ gehenna.

S. Aug.

S. Chr.

20 Hæc est Hypocritarũ, ambientium merces, de qua dicitur Lucæ 3. ℣. 17. *cuius ventilabrum in manu eius, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* leuia, vento agitata, è vẽtilabro, & è manu cribrantis eijciuntur, solido frumento remanente. qua similitudine illi notãtur, qui opera sua inani auræ, & vento humanæ laudis exponũt, quæ meritò in aerem depelluntur, & ignem. aduertit hoc S. Thom. in Catena ex S. Ambros. propterea ait: *per hanc comparationem Dominus ostendit, quòd iudicij die, solida merita, fructusque virtutis ab inanis iactantiæ infructuosa leuitate discernat: perfectioris meriti viros locaturus in mansione cælesti.* Arridet S. Chrysostom. hoc loco: *quod*, inquit, *propter homines fit, in uentũ effunditur.*

Luc.

Hypocritæ opera ambitionis ve tollun[tur].

S. Tho.

S. Chr.

21 Planè, quod honoris medium putant, oneris grauamen non leue est, operari *vt appareant hominibus*: quo pergrauati, ad inferos inglorij descendant, opus est. S. Chrysolog. sermon. 9. *ergo*, inquit, *Homo daturus Deo, da secretò: vt quod dederis, non sit oneris, sed honoris.* fitque, vt dùm honorem quærunt, onerati laboribus, honorẽ amittant.

Hon[or] appete[ns] onere [gra]uatus, glori[a] prosle[rni]tur.

S. Chr.

22 Gloriosiorem æstimo, Christo, in passione, à Iudæis inolitam ignominiam, quàm exquisitam ab hypocritis superbis comparatam gloriam. id quod & ipsemet Christus edocuit, & Sanct. Gregor. exposuit 10. moral. exponens verba illa Lucæ 23 ℣. 9. *interrogabant eum multis sermonibus, & ipse nihil illi respondebat. Inquisitus*, inquit, *Redemptor tacuit, magis eligens apertè à superbientibus despici, quàm à non credentibus vacua voce laudari.* Crucis ig no

Christi passion[is] ignomi[nia], gloriosior [ho]m[i]na de.

S. Gre[g.] Papa.

miniam,

miniam, passiones, & opprobria sustinuit libentiùs, quàm hominum laudem, & gloriolam fugacem mundi tulerit.

23 Sic & iusti, dùm vulgi vocibus laudari se conspiciunt, flagellari, & cruciari se sentiunt, sed iustificantur. Impij dùm honorari se credunt, reprobi demostrantur. Ignat. in epist. *vir sanus sim in his, quæ ad Deum pertinent, vehementius verendum mihi est, & cauendum ab ijs, qui me temerè instant: laudantes enim me flagellant.* In quam sententiam venit quoque S. Gregor. Papa: *laus sua iustos cruciat, iniquos exaltat: sed iustos, dùm cruciat, purgat: iniquos dum lætificat, reprobos monstrat.*

24 Benè, hypocritam, qui mercedem operibus debitam, vacuam vocē æstimat hominum: militi, qui contra Deum, imò etiam contra se pugnat, cōparat Dauid, Psalm. 52. ℣. 7. *Deus dissipauit ossa eorum, qui hominibus placēt.* quo loco S. Cyrill. vertit: *hypocritæ*; Et ex Hebræo: *eorū, qui castrametati sunt.* Veritatem probat S. Chrysol. sententia expendentis verba illa Matth. 6. *cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te.* serm. 9. *Benè*, inquit, *tuba, quia talis eleemosyna hostilis est, non ciuilis: non misericordiæ dedita, sed clamori: seditionis vernula, non alumna pietatis: ostentationis nundinatio, non commercium pietatis.*

...isti, laudes huma... flagel... pensant & crucia... *Ignat.* *Gregor. Pap. Laus iniquorum, reprobationis signum.* *Ambitio ius cōtra Deum, & se pugnat. Psalm.* *S. Cyrill.* *Hebræ.* *S. Chrysol* *Opus tuba proclamatum, hostile.*

Sacer textus.

Tu autem cùm ieiunas.

25 IN plurali supra dixerat: *cum ieiunatis &c.* Nunc in singulari subdit: *tu autē cum ieiunas.* quia consuetum est Hebræis mutare numerum pluralem in singularem, & ab vno ad alium descendere; ità Maldonat. super Matth. cap. 6. num. 18. Vel quia in concionando maiorem vim habet conceptus, si ità loquamur, quasi secundam personam in singulari corrigamus, ideò: *tu autem*

Hebræi pluralem numerū, in singularem mutant. *Maldon. Imprimitur auditoribus, quod in 2. persona loquimur*

cum ieiunas &c. ità S. Chrysost. Vel ideò, quia dùm in plurali locutus est, hypocrisim detestatus est: *cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes*; vt autem ait Sanct. Hieronym. *Hypocrisis macula pauci carēt.* Vel ideò quia initio Quadragesimæ plures sunt qui ieiunāt, & ieiunia Ecclesiæ inchoant, ideò in plurali incipit: *cum ieiunatis*; paucissimi (sicuti & in cæteris bonis operibus) perseuerant: proptęrea de plurali ad singulare deuenitur: *tu autem cum ieiunas.* Vel, quia pietatis opera, multi sunt qui exercent, sed mæsto quidem animo, non lætanter, præcipuè si macerationis sint opera, sicuti ieiunia, ideò: *cum ieiunatis nolite fieri tristes.* Vnctio autem capitis, lætitiæ erat signum Palestinis (vt diximus, & versu sequenti redibit sermo) quæ lætitia, quia paucorum est, & in hilaritate Deo est inseruiendum, iuxta Eccli. 35. ℣. 11. *in omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas.* 2. Corint. 9. ℣ 7. *hilarem datorem diligit Deus.*) ideò dùm dicitur: *vnge caput tuum, & faciem tuam laua*, idest: hilarem te exhibe, in singulari proloquitur: *tu autem ieiunas &c. vnge caput tuum &c.*

S. Chrys. *S. Hieron Hypocrisi, pauci carent. Opera bona multi incipiunt pauci perseuerant.* *Pietatis opera, pauci lætanter peragunt.* *Eccli.* *2. Corint.*

26 Priùs, omnibus discipulis in cōmuni viuentibus, in plurali ieiunium prædicauit: *cum ieiunatis*, deinde in singulari: *tu autem cū ieiunas*: vt Religiosis, & ijs qui in communi vitam agunt, exemplo esset, neminem ieiunare, & singularem vitam instituere debere, & communitati adducere molestiam sua singularitate, quæ & particulares cibos parare, & à communi vita separare cogit. Docet hoc S. August. ad Ianuarium, & habetur in Decretis distin. 12. Canon. Illa autem, §. mater, his verbis: *Mater mea Mediolanum me secuta, inuenit Ecclesiam Sabbato non ieiunantem, cæperat fluctuare quid ageret; tunc ego consului de hac re beatissimæ memoriæ Ambrosium Episcopum. At ille ait: cùm Romam venio, sabbatum ieiuno; cum Mediolani sum, non ieiuno.*

Singulariter viuere, communitati adsueto, quomodo non deceat. *S. Aug.*

sic

S. Ambrosij digna sententia.

sic & tu, ad quamcunque Ecclesiam fortè veneris, eius morem serua, si cuiquã non vis esse scandalum, nec quemquam tibi: hoc cùm matri renunciassem, libenter amplexa est. Vetui propterea ego, semper ac se præbuit occasio, in monasterijs, addicta peculiaribus diebus, & temporibus particularia ieiunia, quæ communi vitæ detrimento sunt, & non sine incõmodis, & inquietudinibus fratrum, aut sororum exerceri possunt.

Sacer textus.

Vnge caput tuum, & faciem tuam laua.

Caput vngere, & faciem lauare, lætitiæ signum.

27 

LÆtitiæ fuisse signũ, caput vngere, & faciem lauare, diximus supra cap. 1. nu. 8. & S. Heron. ait: *loquitur iuxta ritum Prouinciæ Palestinæ, vbi diebus festis, solent vngere capita.* Et S. Chrysost. homil. 21. in Matth. *mos iste apud veteres fuit, vt lætitiæ suæ tempore, sæpius vngerentur, quod facilè & S. Dauid, & Danielis docetur exemplo.* cur autem ceremonia hęc nobis hodie seruãda proponitur, dùm extremæ mæstitiæ objicitur forma, quæ mors est; *memento homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris?* quia non plangenda mors est, & de mortis nuntio, non dolendum, sed lætandum. Ideò Christus morti proximus, caput sibi inungi voluit, Matth. 26 ℣. 7. *accessit ad eum mulier habens alabastrum vnguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius.* Asserit autem Dominus, in signũ mortis eius hoc factum fuisse, ℣. 12. *mittẽs enim hæc vnguentũ hoc in corpus meũ, ad sepeliendum me fecit:* propterea Gregor. Pap. VII. Salerni exulans, ob Henrici III. persecutionem, morti proximus, in hæc erupit verba: *dilexi iustitiam, & odi iniquitatem, propterea morior in exilio:* quasi vertens: *vnxit te Deus oleo lætitiæ,* in *morior in exilio,* summum hoc æstimans gaudium, mori, & pro Christo mori. Confirmat S. Chrysol. qui explicans verba illa Lucæ 12. *ne terreamini ab his, qui occidunt corpus.* serm. 101. inquit, *Homo, quando te Auctor tuus fecit ex puluere, non vidisti: nam si te vidisses factum, num quàm te moriturum sic desteuisses:* vt ergo caput vngat, & faciẽ homo lauet in lætitiæ signum, se ex puluere factũ, & in puluerem resoluendum per pulueris impositionem repræsentat, illis verbis: *memẽto homo quia puluis es &c.* Hoc paucis verbis dixit S. Isaacus Syrus lib. 1. de contemptu mundi: *dilige,* inquit, *castitatem, vt non confundaris tempore orationis tuæ: & in memoria mortis accendatur lætitia in corde tuo.*

S. Hiero. — *S. Chrys.* — *De morte lætandũ.* — *Matth. Christus in signum lætitiæ caput sibi in morte inungi voluit.* — *S. Chrys.* — *S. Isaacu.*

28 Reges, capitis vnctione consecrabantur, Exod. 29. ℣. 6. *& oleum vnctionis fundes super caput eius, atq; hoc ritu consecrabitur:* vt ergo ostenderet Regium esse, per ieiunium, carnẽ subiugare, ideò inquit: *tu autem cum ieiunas vnge caput tuum:* & in confirmationem S. Ambros. in illud Psalm. 118. *anima mea in manibus meis &c.* inquit, *quicumque proprium corpus subegerit, is bene, regia quadam potestate se cohibens, Rex dicitur.* Et S. Chrysolog. ser. 7. *Ieiunium,* inquit, *est inuictus Christianæ militiæ Principatus.*

Exod. — *Regium est, carnem per ieiunium subiugare. Ambr.* — *C. Chrys.*

29 De consuetudine priscorum temporum scribit Laert. lib. 1. cap. 9. *Athletæ non pugnant, nisi vncti, putant enim corpus fieri robustius.* Certè ieiunium, lucta quædam cum dæmone est, bene ergo dicitur: *tu autẽ cum ieiunas, vnge caput tuum.* Ideò Christus de Baptismo in desertũ ieiunaturus, & cum inuisibili humani generis hoste pugnaturus ascendens, oleo licèt spirituali perunctus est. Actorũ 10. ℣. 38. *Iesum à Nazareth: quomodo vnxit eum Deus Spiritu sancto, & virtute,* quod licèt ab instanti suæ immaculatæ Conceptionis factum fuerit, ostensum tamen est, & significatũ, cùm post Baptismum descendit sicut Columba Spiritus in

Laert. — *Ieiunans luctaturus cum dæmone, vngitur.*

eum, deinde statim in desertum ductus est. Ipsemet Christus post baptismum, Ieiunium, & tentationē in deserto Lucæ 4. ℣. 18. de seipso intelligit scripturam Isai. 61. 1. *Spiritus Domini super me; propter quod vnxit me &c.*

Luc.

30 Lætitiæ oleo vngendum esse eum, qui iustitiam seruat, & iniquitatē odit, docet Dauid Psalmo 44. ℣. 8. *dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ.* in quæ verba S. August. *propterea* inquit, *vnxit te Deus, ob hanc ipsam causam vnxit te Deus, vt diligeres iustitiam, & odisses iniquitatem.* Deum diligere, quod præcipitur in Euangel. *vbi thesaurus tuus, ibi & cor tuum,* iustitia est: odisse iniquitatem, ad fugam hypocrisis pertinet, benè ergo ait: *vnge caput tuum,* dùm amor suadetur, & hypocrisis inhibetur.

Vngitur, iustitiam seruans. *Psalm.* *S. Aug.*

31 Cordis scissionem, & contritionem præcipit hodie in Epistola ex Ioel. 2. *scindite corda vestra;* cuius vulneris medicamentum est vnctio, ideò *vnge caput tuum.* Et Christus in Euangelio Lucæ 4. ℣. 18. *propter quod vnxit me, sanare contritos corde.*

Vnctio, scissi cordis, medicamentū. *Luc.*

32 Vngebantur, & lauabantur sponsæ, desponsationis tēpore, Ruth. 3. ℣. 3. *lauare igitur & vngere, & induere cultioribus vestibus, & descende in areā &c.* dicitur feminæ Ruth, quæ desponsanda erat. Amore, & charitate nos Deo desponsamur, Ier. 2. ℣. 2. *charitatem desponsationis tuæ:* dùm ergo per amorem nos sibi hodie Deus desponsat: *scindite corda vestra:* & *vbi thesaurus tuus, ibi & cor tuum,* rectè dicitur: *vnge caput tuū & faciē tuā laua.*

Vt Dei sponsæ vngimur & lauamur. *Ruth.* *Ierem.*

33 Hypocrita, Vulturi, & Scarabæo rectè comparatur: Scarabæo quidem, animal enim hoc (vt inquit Pier. Valer. lib. 8.) dùm pillulas quasdam orbiculares conficit, sua industria orbis rotunditatem sibi elaborat. Vultur verò vt idem Pier. ait lib. 18. rapacitatis est hieroglyphicum: vtrumque autem hypocritæ consonat, qui mundi gloriā quærit: *nolite fieri sicut hypocritæ, exterminant enim facies suas, vt appareāt hominibus:* prædam semp er sequitur: *receperunt mercedem suam:* quia verò animalia hæc, vt idem Auctor dicit, odore necantur, ideò ad hypocrisim extinguendam, spiritali vnguento vngi, & virtutibus ornari præcipimur: *nolite fieri sicut hypocritæ tristes: vnge caput tuum.*

Hypocrita, Vultur, & Scarabæus. *Pier. Val.*

Hypocrisis, vitium odore necatur.

34 Terrena omnia odisse, nobis mandatur hodie in Euāgelio, præcipuè illis verbis: *nolite thesaurizare vobis thesauros in terra,* ideò spirituali vnctione, gratia, & virtutibus inungendos nos fore, præcipit Saluator; nam vt dicitur Canticorum 5. ℣. 1. *Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata,* quę verba vertit Philo in Catena: *Odor vnguentorum tuorum, superat terrena cuncta,* ideò bene: *vnge caput tuum.*

Cuncta creata despicit Dei gratia repletus. *Cant.* *Philo.*

35 Vera est Plinij sententia lib. 2. cap. 7: *odorati sapor, rarò vlli non amarus, è contrario dulcia, rarò odorata,* quæ enim odorem emittunt, amara sunt, & consequenter palato, & gustui inimica: ne ergo mundanis hisce rebus impleri, & exsatiari appetamus, ieiuniumque seruemus, aromatibus deliniri præcipimur, vt amara nobis sapiant, nec deglutiamus, propterea: *vnge caput tuum &c.*

Plin. Odorata gustui amara.

36 Sanct. Thomas explicans verba illa Iob. 41. ℣. 10. *de ore eius lampades procedunt, sicut tedæ ignis accensæ,* inquit: *Considerandum est, quòd teda est quodam lignum, quod accensum suauem odorem emittit. Dicitur autem de Ceto, quod quando multum esurit, vaporē odoriferum ad modum odoris ambræ ex ore suo emittit; in quo pisces delectati os eius ingrediuntur, & sic ab ipso deuorantur. Huiusmodi vapores ergo missi ab ore Ceti, lampades dicuntur, propter magnitudinem caloris, qui ex interioribus eius egreditur: tedæ autem accensæ comparatur, propter redolentiā, ut dictum est: per hoc autem designatur, quòd diabolus ad concupiscentiam peccati, homines incendit per ostentationē alicuius boni, quasi per redolentiam quā-*

S. Tho. Iob

Cete esuriens odorem emittit.

dam. Hanc colligit S.Doctor ex loco adducto moralitatem. Illam ego, quòd esuriens, ac ieiunans suauem redolet ex ore odorem: ieiuniũ, & odoris fragrantia nectuntur adinuicem, ideò bene: *cùm ieiunatis &c. tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum.* Hunc sensum firmat locus Cant. 3. ℣.6. *quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pygmentarij:* maxima ex anima odoris fragrantia, sed inde, quia *per desertum,* locum, inquam, ieiunijs aptum, vnde & Dominus in deserto ieiunauit 40. diebus, & 40. noctibus; & Moyses in monte diebus totidem; similiter & Elias. Et Dauid vbi suam sitim, ac famem expertus sit, tradit Psalm. 60. ℣. 2. *sitiuit in te anima mea quàm multipliciter tibi caro mea: in terra deserta, inuia, & inaquosa.* Et de ieiunio Domini loquens S. Chrysost. homil. 15. operis imperfect. *Dominus,* inquit, *contra gulam pugnauit in Eremo.* Vel dicas, simulatorum, & hypocritarum describi à S. Iob mores, eorum patri diabolo similes, vt docet Beda lib. 3. cap. 10. hi, inquam, dùm famescunt, & indigent, suauiolentia habent ora, iuxta decantatum illud prouerbium: *Rosas loquitur,* in illos dici solitum, qui laudant, adulãtur, extollunt, magnifaciũt eorum facta, à quibus aliquid expectant. Hinc monet Glossa *mens non debet inungi oleo adulationis, aliter vana sunt ieiunia.* Et Psal. 140. ℣. 5. *oleum autem peccatoris, non impinguet caput meum;* idest, verba adulationis ficta, & dolosa, vt exponit Agell. quod in Hebræo est: *vnguentum primum,* idest, *perfectissimum,* hoc est, *summa adulationis:* propterea quoque horum redolentia verba, S. Iob, lampadibus comparat: *de ore eius lãpades procedunt,* quæ tamdiù splendent, ac lucẽt, quamdiù oleum beneficiorum, & spei futuræ remunerationis infuderis.

Ieiunans suauem emittit odorem.

Cant.

S. Chrys.

Simulator ambitiosus, laudat, dùm petit.

Beda.

Adag.

Gloss.

Psalm.

P. Agel.

Lux laudis, retributionis oleo nutritur.

37 In Quadragesima, pœnitentiæ tempore, inungenda sunt capita in lætitiæ signum, ad ostendenda festiua gaudia, quæ in cælis aguntur; & quòd pœnitentia lætitiam admixtam habet, Lucæ 15. ℣. 7. *gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente.* Et vt dicit Gloss. *vnge caput tuum, spirituali lætitia mentem refice diebus abstinentiæ. ergo caput vnge, idest, festiuum, & hilarem te exhibe.* Et post pauca: *quia à sæculo auerteris, coram Deo gaude.* Vel quia fructus spiritus, qui per pænitentiam, & amorem in Deum suadetur in Epistola, & in Euangelio, lætitia est: ad Galat. 5. vers. 22. *fructus autem spiritus est gaudium &c.*

Pænitentia, letitiã habet.

Luc.

Lætitia, spiritus fructus. Galat.

38 Charitatem suadet hodiè Saluator in Epistola: *Conuertimini ad me in toto corde vestro.* Et iterum: *scindite corda vestra.* Et in Euangelio: *vbi thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Congruè igitur, capitis addit vnctionem, *vt dilectationis odor,* inquit Gloss. *flagret in operibus misericordiæ.* Et post pauca addit: *de spiritu amoris eius, mens debet inungi:* quasi copulãs amorem in Deum, & proximum.

Vnctio, charitatẽ denotat, in misericordia.

Gloss.

39 Deum, desponsare sibi hodie animam, diximus, cuius rectè attendit pulchritudinem, & tenetur zelotypia: ad augendam autem maiorem pulchritudinem, dixit: *faciem tuam laua,* idest, lachrymis speciosiorem te exhibe, addunt enim lachrymæ animæ decorem. S. Ephrem lib. 1. de compunctione cordis: *si vis,* inquit, *lauare faciem tuam, dilue eam lachrymis, & ablue eam fletibus, vt in conspectu Dei, & Sanctorum Angelorum eius, claritate refulgeat:* sint lachrymæ mulierum decus, sint ornamenta facierum: pro gemmis, & vnionibus computentur. sint & animarum lauacrum, vt sponsus Deus in illis delectetur.

Lachrymæ, decorem animæ addunt.

S. Ephrẽ.

Ne videaris hominibus ieiunans.

Sacer textus.

40  More animam Deo despon satur, iuxta Ieremiæ vaticinium cap. 2. ℣. 2. *& charitatem desponsationis tuæ:* sponsat ergo Deus sibi animam illis verbis in Epistola, ex Ioele: *scindite corda vestra, &* iterum: *conuertimini in toto corde vestro.* Et in Euangelio: *vbi thesaurus tuus, ibi est & cor tuum;* quia verò zelotypia, amoris est filia: sic desponsatam animam, ne suis actibus, hominum oculos ad se alliciat conspiciendam, imò inuisa, & incognita omnibus sit, ait: *ne videaris hominibus. Nolite fieri sicut hypocritæ tristes &c. vt appareant hominibus &c.*

Ierem.

Zelotypia Dei, inuisam reddit animam.

41 Quod, vt doceret apertiùs addidit: *sed patri tuo, qui est in abscondito,* quasi diceret: patrem tuũ imitere, quantùm tibi possibile est, vt enim ait Sanct. Ioannes Euangelista cap. 1. ℣. 18. *Deum nemo vidit vmquam,* imò nec videre potest in hac vita, nisi ex speciali Dei dono, cùm Beatorum in Patria, & non Viatorum hoc sit proprium, medio lumine Gloriæ, vt docet Sanct. Thom. part. 1. quæst. 12. ità (si possibile foret) te custodias, & abscondas, vt quasi inuisibilis euadas: *ne videaris hominibus, sed patri tuo, qui est in abscondito &c.*

Quasi inuisibilis fiat anima hominibus. Ioan.

S. Thom.

42 Quis dicere vetat, ad ostẽdendam hanc Dei zelotypiam, qua vult animam inuisam manere, cinerem capitibus nostris hodie superponi? mortuorum namque facies velari, puluereque cooperiri nouimus; in quem sensum, dixit Iob 7. vers. 7. *memento quia ventus est vita mea, & non vertetur oculus meus, vt videat bona: nec aspiciet me visus hominis.* Hodie quoq; hic seruatur ex S. Ecclesiæ, Clericis Regularibus nostris cõcessione Ritus, vt cùm defunctorum humantur corpora, terra in cadaueris proijcitur faciem, addũturq; adducta verba Iob: *nec aspiciet me visus hominis:* benè ergo cùm nobis hodie dicitur: *ne videaris hominibus,* nostræ mortalitatis cinere conspergimur, illis verbis: *memẽto homo quia puluis es &c.*

Ex Dei zelotypia cinere cõspergimur ne videamur

Iob.

Ritus in humatione cadauerum apud Clericos Regulares.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.

Sacer textus.

43  Xplosa iam inani gloria, diuitiarum prædicat Saluator contemptum, quia, vt ait S. Chrysost. hom. 21. in Matth. *Nihil ad amorem diuitiarum, vt gloriæ cupiditas inflammat: propter hanc namque homines, & seruorum greges, & Eunuchorum cateruas, & equos aureis phaleris, & insignes, & argẽteas mensas, & alia magna ridenda conquirunt, non vt expleant necessitatem, non vt capiant voluptatem, sed vt se se possint ostẽtare quàmplurimis:* vnde Sapiẽt. 5. vers. 8. diuitias cum superbia, & iactantia coniunctas reperies: *quid nobis,* inquit Sapiens, *profuit superbia? aut diuitiarum iactantia, quid contulit nobis?* Id quod etiam adnotauit Seneca, qui loquẽs de diuitijs lib. 6. de benefic. cap. 3. *omnia ista,* inquit, *quæ vos tumidos, & supra humana elatos faciunt: obliuisci cogunt vestræ fragilitatis.*

S. Chrys.

Gloriæ cupiditas diuitias quærit.

Sapient.

Seneca.

44 Diuitiarum contemptus, dùm ieiunium indicitur, suadetur: quia vt ait S. August. serm. de ieiunio: *ieiuniũ, diuitias superfluitatem iudicat,* quasi Iudex iustus, qui vera à falsis discernit, & quod necessarium est, tribuit.

S. Aug. Ieiuniũ, diuitias arcet.

45 Diuitiarum, ac thesaurorum contemptum meritò præcipit *nolite thesaurizare &c.* erat enim consequẽs hoc, post traditam doctrinam de oratione: pluries namque, hoc eodem 6. Matthæi capite, orare, & quomodo sit orandum docuerat vers. 5. *& cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ &c.* vers. 6.

Oratio, terrenorũ contẽptũ, & obliuionem tribuit.

Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum &c. ℣.7. *Orantes autem, nolite multùm loqui.* ℣.9. *Sic ergo vos orabitis: Pater noster &c.* Qui autem orationis studium sectatur, non solùm terrena non congregat, imò cunctorum obliuiscitur, quæ in mundo sunt, & ad sensum pertinẽt. Probatur hoc; primus enim qui orationem coluit, fuit Enos, sic dicitur Genes.4. ℣.26. *Sed & Seth natus est filius, quem vocauit Enos; iste cæpit inuocare nomen Domini.* Consultò autem, & speciali Dei prouidentia factum, vt primus qui orationẽ instituit, *Enos* vocaretur; vt enim ait Pater Agellius noster Hebræi sermonis eruditissimus, in Psalm.8 ℣.4. *Enos obliuiosus* vertitur, *Hebræorum*, inquit, *loquẽdi ratio, aptissima appellatione, Enos appellauit, quod obliuiosum significat: & pars rationalis per Enos indicatur.* Qui verò orationi vacat, omniũ obliuiscitur, Deum tantùm mente retinet, quem colit, & alloquitur & totum rationis, & virtutis est, quod in eo est. Ex his erat Paulus, qui dicebat ad Philippens. 3. ℣.13. *Quæ quidem retro sunt obliuiscens: ad ea verò, quæ sunt priora, extendens me ipsum:* benè ergo post doctrinam de oratione, ait: *nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, thesaurizate autem vobis thesauros in cælo.* Sic etiam Psal.44. ℣.13. *audi filia, & vide,* idest Deũ ausculta, ipsumq; *vide*, idest *alloquere* per orationem; indeq; fiet: *obliuiscere populum tuum, & domum patris tui,* idest, vt exponit Agellius: *Horum obliuiscere, vt non modò eorum conuersationem relinquas, sed & affectum, & memoriam ipsam abijcias*, quod totum orationis studium tribuit: vnde dicebat S. Nilus Abbas de oratione cap. 114. *Beata mens, quæ tẽpore orationis nihil rerum habet, nihil possidet.* Et cap. 15. *Abi, fac quod tibi dico: vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & accepta cruce, abnega te, vt possis sine impedimento orare.*

Genes. Enos orationis parens

P. Agel.

Nihil sensualitatis in animo orante.

Psalm.

P. Agel.

S. Nilus.

46 Facit ad hoc, quòd volẽs Deus aliquid à primo parente Adam auferre, nimirum solidissimam corporis partem, idest, costam, Genes.2. ℣.21. *tulit vnam de costis eius*; priùs spiritum orationis, & contemplationis tribuit: *immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cùmq; obdormisset, tulit vnam de costis eius &c.* per *soporem* autem, & *obdormitionem, spiritus contemplationis* intelligitur; ità S. Hieronym. inquiens: *alia litera habet, & misit Dñs ecstasim super Adam. pro ecstasi, idest, mentis excessu, in Hebræo habetur: tardema &c.* Et Rupert. *Sopor*, inquit, *quem Deus immisit, non claudere vigilias rationis debuit, sed obturatis quinque sensibus corporis, sensum mentis liberũ reliquit, vt scire posset, quid erga se ageret omnium artifex.* Quod etiam confirmat S.Greg. Pap.30. moral. explicans adducta verba Genesis: *immisit Deus soporem in Adam*, inquit: *culmen contemplationis non attingimus, si non ab exterioris curæ oppressione cessemus.* intelligens per *culmen contemplationis, soporem immissum in Adam*, vnde subdit: *quòd benè Adam dormiens figurauit, de cuius mox latere mulier processit: qui enim ad interiora intelligenda rapitur, à rebus visibilibus oculos claudit.* Igitur præcedit oratio ad rerum abdicationẽ, quæ infallibiliter sequitur, statim ac quis orationi, ac contemplationi se donat: ideò antequã aliquid de Adæ corpore Deus auferret, idest *costã & carnem, immisit soporem*, idest, ecstasim, & orationem.

Genes. Spiritus orationis immittitur, vt corporalia deseramus.

S. Hieron. Sopor, pro Ecstasi. Rupert.

S. Greg. Papa.

47 Diuitiarum contemptus: *nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* Et mortis memoria: *memẽto homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris:* simul iunguntur, vt mortem meditantes, faciles, ac prompti ad sui, diuitiarum, imò & omnium rerum abdicationem reddantur. Seneca de remedijs fortuitorum: *pecuniam*, inquit, *perdidisti &c. defleas, miserum te clamitas, quòd opibus excussus es: tuo vitio ista tibi iactura tàm tristis est: non tàm molestè ferres, si tamquàm perditurus habuisses* de amissis enim non tristatur, sed po

Mortis memoria, omnium abdicationem suadet.

Seneca. Tristatur de amissis qui mortem non ruminat.

tius gaudet, qui se mortalem cogitat: vnde quoq; est illud S. Chrysolog. ser. 101. *Homo*, inquit, *quando te Auctor tuus fecit ex puluere non vidisti &c. vidisti te perfectum, vidisti te viuentem, vidisti te decorum, Authori tuo te similem iam uidisti: unde esses, qualis esses, quia nec nascentem, nec morientem uideras, nesciebas:* quia verò suam originem ex puluere, & resolutionem in puluerem non viderat; *Hinc est* (subdit Chrysolog. *quòd naturæ dedisti totum, tibi te, Deo nihil*; iustè ergo dùm dicitur: *nolite thesaurizare uobis thesauros in terra*, additur: *memento homo quia puluis es &c.* vt mortis memoria omniū doceret, suaderetque contemptum, & Deo non *nihil*, sed omnia dicaremus.

S. Chrys.

S. Chrys.

Sacer textus.

Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo: vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur.

Diuitiarum cumulus, ad cælum nō leuatur.

48 
Rius non thesaurizādum in terra suasit: deinde ad thesaurizandum in cęlo cohortatur: nam terrenorū thesaurorū cupidus, cælū non aspicit; diuitiarum pondere grauatus, sursum non erigitur. Sic Sanct. Chrysolog. expendēs verba illa Matth. *Vidit Iesus hominem sedentem in telonio*, serm. 30. inquit: *uidit illum Christus sedentem, quia pressus cupiditatis pondere, surgere non ualebat*. Et serm. 29. *sedebat qui stare non poterat, pondere cupiditatis oppressus, & ipsa totus conscientia fraudis incuruus. aurum natura graue, grauius fit auaritia nimis. Hinc est, quòd plus habentem deprimit, quàm ferentem: & uehementius aggrauat corda, quàm corpora.* Nec sibi facilè

S. Chry.

cohærent terrenæ diuitiæ, & cælestes delitiæ; ideò prius dicitur: *nolite thesaurizare in terra &c.* deinde: *thesaurizate in cælo.*

49 Dùm ieiunium suadetur, *thesaurizandum in cælo* prædicatur, quia ipsum ieiunare thesaurizare, & ipsum ieiunium thesaurum est, & corpus per abstinentiam maceratum, deauratum, perfectissimumque aurum est. S. Basil. serm. de ieiunio: *puerorum corpora*, inquit, *apud Babylonios, illud ieiunio consequuta fuerunt, vt nulla possent vi inquinari, si quidem vehementi fornacis flamma, quasi natura fuissent aurei, ità apparuerunt innoxia, ut igni superiores: quoniā potius auro potentiores, declarati sunt.* Et quia ieiunium thesaurum est, & ieiunantes aurei, & thesauri nuncupantur: thesaurorum more abscondi mandantur: *Cùm ieiunatis nolite fieri &c. vt appareant hominibus &c. sed patri tuo &c. & pater tuus, qui videt te in abscondito &c.*

Ieiunium aurum est perfectissimum.

S. Basil.

Ieiunia, veluti thesauri abscondēda.

50 Legimus apud Alexandrum ab Alexandro Genial. dier. lib. 2. cap. 2. priscos Romanos, ærarium, thesaurosq; in Aede Saturni asseruare consueuisse; Aedem verò Saturni in Capitolio fuisse collocatā. Cur hoc factum, rationem reddit ibi Auctor; *Valerium Publicolam*, inquit, *qui Saturni ædem construxit, loci oportunitate ductum: quùm omni aditu persepto, vndique præruptus, & ab accessu munitus locus foret.* Sed quis magis munitus, & inaccessibilis locus, quàm cælum? ergo: *thesaurizate thesauros in cælo &c. vbi fures non effodiunt, nec furantur.* Vel ideò in Saturni Aede thesauri recondebantur, quia vt ait S. August. de Ciuitate Dei lib. 4. cap. 10. Tempus, per Saturnum denotatur; Et ait Ouid. *Tempus edax rerum.* consumit. n. omnia tēpus, nec saturatur, imò esurit magis sēper: & diuitiæ ipsæ consumuntur, etsi congestæ sint, nec possessorem exsatiant, iuxta illud Eccle. 5. ℣. 9. *Auarus non implebitur pecunia &c. vbi multæ sunt opes, multi & qui comedunt eas.*

Alex. ab Alex.

Thesauri in Aede Saturni, quia munitus locus erat.

S. Aug. Diuitiæ, tempore consumūtur. Ouid.

Eccle.

Vel

Diues, cælo pellitur. Vel ideò, Saturno dicantur thesauri, quia Saturnus à Ioue quem genuit, fabulantur poetæ, cælo fuisse pulsum, quod consonat ei, qui thesauros sibi auidè congregat, qui certè cælo pellitur, iuxta Saluatoris dictum Marc. 10. ℣. 25. *Iesus respondens ait illis: filioli quam difficile est, confidentes in pecunijs, in Regnum Dei introire. facilius est Camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in Regnum Dei.* Quod & edixit lepidè S. Chrysost. homil. 21 in Matth. his verbis: *Non exiguum patereris incōmodum terrenis rebus affixus, & seruus factus ex libero, & cælestibus bonis excidens, numquam de sublimibus cogitare: sed pecunias iugiter, & vsuras &c.* Locus autem, in quo Aedes Saturni extabant, erat Capitolium, in quo & triumphantes, Victores coronabātur, & Senatus, ac Principum sedes collocatæ extabant, aptus quidem locus thesauris, qui & de cunctis creatis triumphant, parentq; illis omnia, iuxta Sapientis dictum, Eccle. 10. ℣. 19. *pecuniæ obediunt omnia.* Nisi dicere velis, naturalem Saturni motum omnium Planetarum esse tardissimum, & non nisi tardè, lentèque ad diuitias possidendas peruenimus: quapropter in numis aliquibus testudinem, motu tardissimam, efformatam legimus apud Pier. Val. lib. 28. ideò thesauri in Aede Saturni, sed de hoc aliàs. Aut fortasse & hac etiam ratione, vulgatum est enim Saturnum vinculo ligatum effingi. benè igitur vbi thesauri, ibi Saturni Aedes, quia diuitiæ ligatos tenēt possessores: audi S. Chrysol. expendentem verba illa Domini ad Matthæum, Matth. 9. *sequere me.* serm. 28. *hoc est*, inquit, *sequere me, depone pondera, disrumpe vincula, solue laqueos.*

Marc. — *S. Chrysol* — *Diuitiæ, de cūctis triūphant* — *Eccli.* — *Diuitiæ tardè acquirūtur.* — *Pier. Val* — *Diuitiæ ligant homines.* — *S. Chrys.*

51 Quid mirùm si in Cælo thesaurizat, ad cælum erigitur, qui cor ad Deum habet? nescit enim ima amor. Refert Pelus. lib. 2. epist. 233. *Amorem, Pictores cum lampadibus, & pennis depingunt. De lampadibus*, seu *facibus* alibi. *Pennas*, Amori dabant, non vt illius inconstantiam tantùm exprimerent, vt nos diximus supra, & scribit Pier. Val. lib. 21. Sed aliquando, scimus, ità efformari solitum, quia suprema, & excelsiora semper petit. *Ea est enim*, inquit Plato in Phædro, *naturalis alarū, pinnarumq; vis, vt graue in sublime attollāt, & erigāt, vbi Deorum inhabitat genus.* *Pinnas habet Amor, quò tamquam Ales superna prospiciat, inferna despiciat.* Ideò dùm Deo cor nostrum hodie possidendum tradimus: *vbi thesaurus tuus, ibi cor tuum.* Et: *scindite corda vestra &c. conuertimini ad me in toto corde vestro*; benè dicitur: *thesaurizate autem vobis thesauros in cælo*; contemptis terrenis diuitijs, ad cælum nos aduocat. Experimentum probamus in Canticis Canticorum cap. 8. ℣. 6. *Pone me vt signaculum super cor tuum, quia fortis est, vt mors dilectio &c.* en amor intēsissimus, quē sicut retulimus, iuxta priscorū morē, effingere sequitur, alas, & lampades tribuendo: *lampades eius, lāpade ignis atque flammarum.* S. Ambros. lib. de Isaac cap. 8. legit: *Alæ eius, alæ ignis:* quid interim faceret anima, assumptis amoris alis, ac pennis, nisi terrenis abdicatis, cælum petere? quapropter subdit statim pia anima: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruēt illam.* libet per *aquas, diuitias* intelligere, iuxta illud Psalm. 61. ℣. 11. *diuitiæ, si affluant*, idest, iuxta aquarum morem fluant, *nolite cor apponere:* pennatum cor, cælum petens, detinere nō valuerunt terrenæ diuitiæ, quòd autem hic sit sensus adducti loci Canticorum, colligitur ex verbis, quæ statim subdit: *si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione; quasi nihil despiciet eam*, quasi mutuauerit hæc verba, dixit Plato, supra relatus; *superna prospicit, inferna despicit.* firmat quod dicimus S. Ambros. mox adductus, lib. de Isaac cap. 8. exponens præallata verba Canticorum: *Alæ eius*, inquit, *alæ ignis. sumamus igitur*, inquit, *has alas, quæ sicut flamma ad superiora*

Amor verus, cælum petit — *Pelus.* — *Amori tributa Penna, vt ad sublimia euolaret.* — *Plato.* — *Cant.* — *S. Amb. Amor cōtemnit diuitias.* — *Psalm.* — *S. Ambr.*

diri-

dirigunt. Exuat vnusquisque animam suam inuolucris sordidioribus. Igitur, & terrenis exuit nos charitas, & ad cœlũ dirigit; benè ergo amore prædicato, dicitur: *nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, thesaurizate vobis thesauros in cælo.*

52. Notãda Saluatoris verba: *thesaurizate vobis thesauros in cælo*. dixerat prius: *nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*; ne igitur crederes tuos velle Deum thesauros, & propterea vetuisse in terra thesaurizandum, vt cupidi homines facere cõsueuerunt, turpis lucri gratia, ideò addidit: *thesaurizate vobis*, non mihi, sed *vobis*, quia ego non vestros thesauros, sed vos quæro. audi S. Chrysolog. expendentem verba illa Matth. 9. *sequere me*. serm. 28. *Nõ dixit*, inquit, *affer ad me, quia Matthæum, non Matthæi sacculos requirebat*. ò quot sunt, qui potius *affer ad me*, quàm *Deum sequere* dicunt. imò potius *sequere te*, fac quod vis, dumodo tuos sacculos ad me afferas.

Deus te... non tuos quærit thesauros / *Chrys.*

Vbi thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

Sacer textus.

53 Eiunium dùm suadetur, & exercetur, cor nostrum, & cõuersionem ad se, exposcit Dominus in Euãgelio. Et in Epistola: *scindite corda vestra &c. & conuertimini ad Dominum Deum vestrum*: inquit enim S. August. serm. de ieiunio: *ieiunium purgat mentem, subleuat sensum, carnem spiritui subijcit, cor facit contritum, & humiliatum*. Et quasi ventus aquilo, *concupiscentiæ nebulas disperdit*. Et quasi aqua, *libidinum ardores extinguit*.

Ieiunium cordis cõuersionem tribuit. / *S. Aug.*

54 Appositè, dùm cor nostrum ad se Deus euocaturus erat, diuitiarum thesauros priùs vetuit, ait enim S. Chrysolog. serm. 29. *auri furor ardentius humano feruet in pectore, quàm caminus totus ignescit incendijs, violat affectum, adimit innocentiam, vulnerat charitatem.*

Aurum charitati inimicũ. Chrys.

55 Charitate, & amore, Deo anima desponsatur, Ierem. 2. ℣. *charitatem desponsationis tuæ*. Igitur sicut & supra quoque diximus, dùm Deus cor nostrum sibi tradi postulat, animam sibi desponsari cupit. Verùm charitatem exigit, quæ sponsam pulchram efficit, vnde Gloss. in cap. 4. Genes. *sine charitate*, inquit, *macilenta est anima, & languida, & in nullo Deo placitura*, vt ergo pulchra, Deo placeat, cor petit: *vbi thesaurus, ibi & cor.*

Ierem. / *Charitas addit animæ pulchritudinem. Gloss.*

56 Et si verum est, quòd hodie, Deo desponsamur: priscorum temporum Ritus inducitur, in quo, vt scribit Pier. Valer. lib. 46. Nuptiæ aqua, & igne consecrabantur. apponebantur verò hæc duo in limine domus, qua sponsus, & sponsa intraturi essent. Hæc non desunt animæ, quæ hodie desponsatur. Aqua quidem lachrymarum in Epistola: *plorabunt sacerdotes*. Et iterum: *in toto corde vestro &c. scindite corda vestra*. Verè hoc modo desponsata fuit Magdalena quæ vt dicitur Lucæ 7. ℣. 38. *lachrymis capit rigare pedes eius*. en aqua. Amoris autem ignem ostendit ℣. 47. *dilexit multum.*

Pier. Val. Nuptiæ aqua, & igne perficiebãtur / *Amore, & lachrymis Deo desponsamur.* / *Exemplificatur in Magdalena.*

57 Prædicato ieiunio: *cùm ieiunatis &c.* cor statim exposcit: *vbi thesaurus, ibi cor*, tamquam tutissimum castrum, in quo ieiunium collocatum, tamquam potentissimus exercitus diabolum, & vitiorum omnium agmina profligare valeat S. Chrysolog. serm. 7. *Ieiunium*, inquit, *quod contra vitia, prima virtus est nobis, in arce pectoris collocetur: quia illo in interioribus præsidente, vitia nos quatere in exterioribus non valebunt.*

Ieiunium in corde collocandum tamquam in arce contra inimicos. S. Chrys.

FERIA VI. POST CINERES
MATTH. V. ET VI.

Audistis, quia dictum est antiquis: Diliges proximum tuum: & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: & orate pro persequentibus & calumniantibus vos. vt sitis filij patris vestri, qui in cælis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super iustos & iniustos. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne & ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est. Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cælis est. Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis & in vicis vt honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis: receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua: vt sit eleemosyna tua in abscondito. Et pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

Caput I.

Explicatur sensus litteræ.

Proximi nomine quis intelligatur.

1 
VDISTIS, quia dictũ est antiquis: Diliges proximũ tuum. *Proximi* nomine in lege significabatur, non solùm consanguineus, amicus, socius &c. Sed etiam quiuis homo eiusdem naturæ, & ad eandẽ Dei similitudinem creatus, ita S. August. S. Hierony. Theophyl. imò quicumq; cum quo aliqua nobiscum intercedere potest conuersatio, vel societas; & qui quauis ratione nobiscum coniunctus est; quare extenditur etiam ad inanimata vt Genes. 15. de Abraham dicitur. *tollens, Vaccam, Capram, & Arietem triennes, diuisit ea per medium, & vtrasque partes contra se altrinsecus posuit*, Hebr. legit. *vnumquodque membrum posuit è regione proximi sui*. hoc est alterius medietatis. item Genes. 11. *dixitque alter ad proximum suum*, idest, vnusquisque socio suo, & alter alteri. oritur autem varietas translationum, quia hæc vox *proximus* ex Radice Hebr. *REACH*. vel *REHE*, qualemcumque coniunctionem, & nexum significat. sic Ionadab dicitur *Reach Ammonis*, siue quia amicus, siue quia consanguineus; erat enim filius fratris Dauid, sic dictus est *Rehe Dauid*, idest, *amicus*; Ratione etiam sodalitatis, Iudic. 14. sodales dati Samsoni dicuntur *MEREEHOV*, *idest, proximi eius*. Ratione vicinitatis Exod. 11. iubetur Hebræis petere vasa a proximo suo; Ita, qui inciderat in Latrones dicitur proximus Sacerdoti,

S. August. S. Hierony. Theoph.

Genes.

Genes.

Iud.

Exod.

Inimicus est proximus vinculo humanitatis.

& Leuitæ, eò quòd eis occurrerat. Hac ratione etiam inimicus est proximus, quia cum eo aliquod nobis est negocium, coniunctus enim est nobiscum vinculo Humanitatis; vult ergo Dominus per hæc verba legis vt omnes quauis ratione coniunctos, quiquè nomine proximi censeri possunt diligamus: explicant enim sancti Patres quemadmodū ad omnes homines pateat proximi nomen S. Augustin. serm. 59. de temp. *proximus*, inquit, *est omnis homo, omnes autem proximi sumus conditione terrenæ natiuitatis, & mortalitatis, & etiam spe cælestis hæreditatis* Mag. sent. in 4. *Proximus*, inquit, *vel dicitur conditione natiuitatis, & sic omnes homines proximi sumus, vel spe conuersionis, & sic infideles proximi dici possunt, vel propinquitate cognationis, & sic omnes de eadem progenie sunt proximi, vel ratione beneficij exhibiti, & sic omnes à quibus possumus beneficium accipere proximi nostri sunt.* Quo verò pacto in præsenti Euangelio sumi debeat explicauit S. Leo Papa serm. 1. de ieiun. *proximi nomine, non tantum diligendi sunt qui nobis amicitia, & propinquitate coniunguntur, sed oēs homines cum quibus nobis natura communis est, siue illi hostes sint, siue socij, siue liberi, siue serui.*

S. Aug.

Magist.

S. Leo Papa.

2 *Et odio habebis inimicum tuum.* An in veteri lege odium erga inimicos permissum fuerit, dubitant aliqui; quidam dicunt posse sustineri fuisse permissum ex verbis Diui Augustin. de serm. Dom. cap. 41. *nec quod in lege*, inquit, *dictum est oderis inimicum tuum, vox iubentis accipienda est, sed permittentis infirmo*; accedit etiam S. Hylar. in Matth. *amari*, inquit, *proximum lex eligebat, & in inimicum licentiam odij dabat*; nec renuit Chromat. Episc. Aquilegiens. serm. in hoc Euangel. qui Doctores quamuis hanc legis veteris permissionem interpretētur; nihilominus admittunt, quod vetus lex præcipiens dilectionem proximi, permitteret odium inimici. Cùm contra, S. Thom. in Cat. Gloss. Et alij plurimi, affirmēt nusquam

Odiū inimicorum videtur quidā dicere fuisse permissum in lege veteri.

S. Aug.

S. Hylar.

Chromat.

S. Thom.

in lege hoc inueniri, sed subdolā quandam fuisse legis interpretationem, quā Scribæ, & Pharisæi commenti fuerant. *qui* (ait S. Thom. in Catena) *putabant hoc forte addendum ex multis, quæ in lege dicta sunt; nam Deus præceperat illis, vt delerent Amalechitas, & Exod. 23. dicitur inimicus ero inimicis tuis.* comminiscebantur enim, vt obseruat Luc. Brug. proximi, siue socij nomine, quod est Hebraicè *Rebe*, *amicum* siue *socium* significatum, cùm quiuis alter homo significatus sit. Nam Leuit. 19. vbi habetur *diliges proximum tuum*; ipsi interpretantur *amicum tuum*. Ex quo inferebant licere tantundem odio prosequi inimicos, quantum lex de amicorum dilectione præcipiebat.

Falsum Scribarū commentum.

Luc. Brug.

Leuit.

3 Quæ secunda opinio cōmunior, & tutior, cum ij qui primam sustinent nullum assignent legis locum vnde erui possit, quòd expressè in Scriptura legatur: *odio habebis inimicum tuū:* imò vt Gloss. ordin. hic dicit; *sciendum est in toto corpore legis non esse scriptum odio habebis inimicum tuum. sed hoc dicitur quantum ad traditionem scribarū*, quod etiam apparet ponderando vim verborum Domini: *audistis, quia dictū est*; non ait *dictum est*, sed *audistis quòd dictum est*; ita edocti estis a vestris scribis; *audistis* dicit non legistis. imò oppositum habetur Exod. 23. *Si occurreris Boui inimici tui, aut Asino erranti, reduc ad eum: si videris Asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed leuabis cum eo.* quem locum hic adducēs Chromatius aptè, & acutè addit, *vt iam tunc in lege Moysi vnusquisque in animalibus disceret, quòd quandoque secundum Euangelium facturus erat in homine.* Nam Saluator; summum perfectionis, & iustitiæ culmen illud esse asserit, si abrogata illa traditione, & legis veteris peruersa interpretatione, inimici etiam diligantur: & vt Pharisæorum in hac lege exponenda falsitas arguatur, possumus ex aduerso sic illos conuincere. Iubet lex, etiam vetus, diligi proximum, ergo etiam inimicum, qui

Gloss.

Exod.

Inimicorum dilectio etiam in lege veteri.

Chromat.

proxi-

proximi nomine comprehenditur; neq; enim qua inimicus, excluditur a ratione, & qualitate proximi, siue enim illũ consideres ratione naturæ, siue ratione gratiæ, omnis homo nobis proximus est, vt probauimus.

Inimicorum dilectio aliquibus intolerabilis videtur.

4 Ego *autem dico vobis: diligite inimicos vestros*. Hoc est graue illud mundanis hominibus, & quouis duro iugo intolerabilius præceptum Euangelicum, cui ferendo nec Atlantis humeros pares esse posse affirmant ij, de quibus S. Hieron. Camm. in hoc Euangel. *multi*, inquit, *præcepta Dei imbecillitate sua, non sanctorum viribus æstimantes, putant esse impossibilia, quæ præcepta sunt, & dicunt, sufficere virtutibus non odisse inimicos; cæterum diligere plus præcipi, quàm humana ratio patiatur. sciendum ergo Christum non impossibilia præcipere, sed perfecta, quæ fecit David in Saul, & Absalon; Stephanus quoq; Martyr pro lapidantibus deprecatus est, & Paulus cupit anathema esse pro persecutoribus suis.* Vtitur Dominus in tradendo hoc præcepto verbo præceptiuo. *Dico* quod iubentis est, hinc obseruat S. Ioan. Chrysost. in 5. Cap. Matth. *Considera, inquit, legislatoris potestatem; nullus antiquorum ita locutus est, sed sic. Hæc dicit Dominus, quia illi vt serui, ea quæ sunt* Domini *annunciabant, hic ea quæ sunt Patris*, &c. Dum addit: *vobis* discipulis præsentibus, sed per eos cunctis in Ecclesia successuris fidelibus loquitur, ad Euangelicæ perfectionis fastigium adspirantibus. *Diligite inimicos vestros.* non ita que satis est non odisse, quia amare præcipimur: dicit hic mundanus, Quis potest eo peruenire, vt diligat inimicos? Huic respondet S. Augustin. serm. 6. lib. 50. Hom. *prius te dilexit impium* (quod est dicere inimicum infensissimum) *Deus tuus qui numquam fuit impius. tu itaque qui aliquando fuisti impius dilige inimicum iubente Domino, etiam si nunc sis prius* Auct. Imperfect. in Matth. *Non*, inquit, *est nouum, aut mirum si illis graue videatur inimicos amare, qui nec amicis suis synceram conscientiam seruant.* Qua verò ratione hominem simul, & odisse, & amare liceat docet S. August. lib. 19. contr. Faust. cap. 24. *Quoniam idem homo diligendus est propter bonũ, quod habet, & odio habendus propter peccatum, quo se commaculauit*, & serm. 59. de temp. *Sic diligendus est inimicus non in quantum inimicus, sed in quantum est, vt ei hoc velis prouenire quod tibi, idest, vt ad regnum euectus, reuocatusq; perueniat.* Et vt alibi discurrit idem Sanctus Doctor: *Homo & peccator duo nomina sunt, in ipsis duobus nominibus, quæ re quod fecit Deus, quære quod euertit Diabolus, Homo à Deo factus est, peccatum ab homine suadente Diabolo factum est, quis horum duorum te persequitur? si enim tuo bene viuis non persequitur nisi qui malus est, non ergo homo, sed peccator te insequitur, &c* & ita semper interpretatur S. August. sicubi in lege scriptum inueniatur: *odio habebis inimicum tuum.*

S. Hieron. — *S. Chrys.* — *Omnibus mandatur dilectio inimicorum.* — *S. Aug.* — *Auct. Imperf.* — *S. Aug.* — *In inimico, opus Diaboli, non Dei odio habendum.*

5 Qui verò hoc præceptum tantæ ad obseruandum difficultatis esse putant, velim ea diligenter examinent, quæ habet D. August. serm. 59 de tẽp. *in reliquis operibus bonis, interdum potest aliquis qualemcumq; excusationem prætendere; in habenda vero dilectione, nullus se poterit excusare; potest mihi aliquis dicere non possum ieiunare, nũquid potest dicere non possum amare? potest dicere propter infirmitatem corporis mei; non possum à vino, & carnibus abstinere, numquid potest dicere non possum diligere?* & paucis interpositis. *non dicitur nobis ite in Orientem, & quærite charitatem, nauigate in Occidentem, & inuenietis dilectionem, intus in corde nostro est, non in longinquis regionibus inuenitur.* similia etiam ij. habet S. Leo serm. de martyrib. *taxantur istis ij, qui ignota maria, & regiones remotissimas adeunt lucri causa, aut vindictæ, id interim impossibile reputantes quod facere in nobis ipsis situm est, & ad quod ob Domini iussum prompti esse omninò deberemus.*

S. Aug. — *A præcepto dilectionis nemo potest se excusare.* — *S. Leo.*

Operis exhibitio quasi cordis fenestra.

6 *Benefacite ijs, qui oderunt vos.* Benè Socrates in hominibus requirebat fenestratum pectus, nimis enim altè latent humana consilia, quibus incautis imponere facile possunt, & pro apparenti beneuolẽtia occultũ odium præstare; propterea, Dominus vult operibus ipsis, intima cordis secreta declarari; & quasi aperta cordis fenestra, aut detecto velamine per ipsa exhibita beneficiorũ opera manifestari; non quòd ipse scrutator cordi, cum ea non penetret, sed humano modo loquens, nostroq; captui se accomodans: ideo Genes.22. postquam Abhram, iuxta Dei præceptum, ad immolandum duxerat filium suum Isaac, extendisseq; manũ, ad Angeli vocem, & mandatum sistẽs, dixit ei Deus. ℣.12. *nunc cognoui quòd timeas Dominum.* S. Chrysost. homil. 47. in Genes. *quasi diceret*, inquit, *nunc omnibus declarasti quomodo sincero timore Deum colas. innotuisti nunc omnibus quòd timeas Deum.* quasi patuit cor tuum, & velut aperta fenestra innotuit, quod occultum erat, & incertum. Quoniam verò diligere; maximè spectabat ad animum, cuius probatio est operis exhibitio: ideo non satis habuit dixisse *diligite*, sed addidit *benefacite*; quemadmodum enim ad diuini præcepti complementum non satis est non odisse, sed oportet diligere; ita, neq; satis est non nocere, sed oportet benefacere. Voluit autem hoc præcepto beneficentiæ erga inimicos firmam inter Christianos concordiam stabilire ait enim Imperf. in Matth: *sciens enim quia carnis dilectio ex beneficijs carnalibus nascitur, vbi non erat prius; & enutritur etiam vbi prius fuit, ideò iubet nos benefacere inimicis, vt eorum odia nostris compescantur beneficijs, ergo benefacite odientibus vt ex vestra beneuolentia ipsi se iudicent quia iniustè vos odiunt.* pende tamen, & pondera verba illa: *carnis dilectio, ex beneficijs carnalibus nascitur, & enutritur.* quasi enim concipitur, & seminatur vt enascatur amor beneficijs; Natus verò vt infans beneficiorum operibus, veluti nutricis lacte nutritur. aliter à sterili nõ nascitur, neque concipitur, & si natus, beneficiorum defectu, veluti infans, deficiente lacte extinguitur. Græcè, pro *benefacite*, est, εὐλογεῖτε idest, *benedicite* addunt quidam codices Græci. *ijs qui imprecantur vobis*; est enim *benedictio*, & laus palàm de aliquo celebrata, argumentum dilectionis, & compensatio benedictionis pro imprecationibus. Verùm *benedicere*, ex Sacræ scripturæ more, pro cumulatione bonorum accipitur sic Psalm. 27. ℣. 12. *benedic hæreditati tuæ*, idest, vt exponit P. Agell. *bonis augeat, & cumulet Israelis populum.* sic etiã Psalm. 84. ℣. 1. *benedixisti Domine terram tuam*, idest, fertilem, fœcundam, fructibusq; redundantem fecisti; sicut è contra dicitur Genes. 3. ℣. 17. *maledicta terra in opere tuo*, idest, infecunda, vel labore maximo fructus dabit tibi. sic etiam Iob 1. ℣. 10. *operibus manuũ eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra.* Idem ergo est *benedicere*, ac *benefacere*, vt in vulgata, idest, beneficijs augere, ac cumulare inimicos.

Genes.

S. Chrys.

Beneficentia, cõcordiam firmat.

Auct. Imperf.

Amoris carnalis mater, & nutrix beneficentia

Benefacite, idest, benedicite.

Benedicere, est augere beneficijs.

Psalm.

P. Agel

Psalm.

Genes.

Iob.

7 *Et orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Particula, &, coniunctiua, denotat hæc superioribus ita cohærere, vt ij demum huius præcepti summã adimpleuerint, qui vtraq; coniunxerint. Videri poterat nihil esse supra beneficentiam, quam impendentes inimicis, eos nobis conciliemus; cũ ea maximè sit idonea deuinciendis hominum animis: tamen, quia, vt animaduertit Tostat. in 5. cap. Matth. quæst. 349. orare pro aliquo, aliquando maius est, quàm benefacere, ideo hoc ẽt pertinet ad charitatis officium. est autem maius] signum amoris orare pro aliquo, quàm ei benefacere; quia orare non potest esse nisi secundum veritatem animi, vnde quis semper diligit eũ pro quo orat, sed non semper diligit eum cui benefacit. imò pleruṁq; animo nocendi benefacimus, & propterea etiam orare pro persequentibus

Tostat.

Orare pro aliquo, aliquando maius est quam benefacere.

iube-

iubemur, vt vel hoc etiam signo probemus paratos nos alia etiam pro salute nos persequentium facere, pro salute enim eorum spirituali maximè orandum docet D. August. t. 10. serm. 59. de temp. *Quid aliud orandum est pro inimicis, nisi hoc quod ait Apost. 2. Timoth. 2. vt det illis pœnitentiam, & resipiscant à laqueis diaboli, à quo captiui tenentur?* Qui verò sint persequentes, melius colligitur ex significatione Græcæ dictionis ἐπηρεαζόντων, idest, *infestantibus*, significat enim ait Lucas Brug. infestationem illatam cum insultu, & ludibrio; quod grauissimum toleratu est, iniuria affici, & insuper irrideri. est autem iniuriæ genus duplex, vel enim verbis infertur, & appellatur calumnia; vel factis, & dicitur persecutio, vt ergo quauis iniuria lacessiti, inimicis dimittamus, ideo additur *orandum pro persequentibus, & calumniantibus*. Vel postremo orandum est pro inimicis, vt obseruat doctiss. Luc. Brug. *ne existimares*, inquit, *Deum te posse aduersus hostes interpellare, quo vindictam ille sumat, quam ipse nō potes, adnectit, & orate &c. nimirum vt ijs donentur bonis, quæ non est facultatis vestræ dare.* ideo postquam dixit: *benefacite*, addit: *& orate*, à quo nemo potest excusari.

S. Aug.

Persequētes, idest, infestātes cum ludibrio. Brugens.

Iniuriæ duplex genus.

Brugens.

8 *Vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est.* Vt nos ad obseruanda mandata alacriores redat, rationibus etiā pro illorū confirmatione adductis, & præmiis propositis, fideles ad eorum obseruantiam inducit. Prima ratio videtur sumpta ex relatiuis; summa enim est humanæ gloriæ meta, si se factis, & animi synceritate Dei filios esse probent; vt quemadmodum Deus summè bonus, omnibus bona sua communicat, ita etiam, qui se eius filios profiteri volunt, charitatem ad omnes extendant. Est autem huius argumenti robur in eo maximè positū, quia ex quo à Deo omniū conditore prodiuimus; omnes etiam quasi arctissimo quodam fraternitatis vinculo sumus inuicem adstricti, vt propterea non possimus sine graui Dei offensa personas acceptare, & cum amicis beneuolentiam, cum inimicis verò odium exercere, sed fraterna charitas æquè est ad omnes extendenda. In hoc enim ex opposito filij Dei distinguuntur à filijs Diaboli; quod isti cædibus, odiis, diffidijs innutriti, bella tantum, & prælia meditentur, cùm illi contra, amore, charitate, & æquali in omnes affectu, pacem, & concordiam expectant, & sint erga omnes humanissimi. Dicit itaq; *vt sitis filij Patris vestri.* Brugens. *gaudet*, inquit, *Iesus. Deum appellare Patrem suorum seruorum, quo eos eò adducat, vt Deo seruiant filiorum affectu, quorum est sollicitos esse, ne quid Patri in ipsis displiceat* hoc autem dictum: *vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est.* ait S. Augustin. citatus à S. Thom. in Caten. *ex illa regula intelligendum est, qua & Ioann. dicit: dedit eis potestatem filios* Dei *fieri; vnus enim naturaliter filius est, nos autem potestate accepta efficimur filij* Dei, *in quantum ea quæ ab eo præcipiuntur implemus, itaq; non ait facite ista, quia estis, sed facite ista, vt sitis.* Additur, *qui in cælis est*, vt mēte, & proposito ad sūmū illud bonū intenti; hæc mādata exequamur, quod si carni, & sanguini incōtrariū impellēti graue videatur, terrena potius natiuitas, qua ex carne sumus, exuenda est, & abneganda; & cogitandum per hæc reddi nos filios Dei, & hæredes diuinæ illius, & cum nulla alia comparandæ hæreditatis, cælestis inquam beatitudinis. Hanc propterea existimo causam, cur Iacob Patriarchæ cælestia, & diuina innotuerint, & cæli ipsi aperti sint; Angelos, & ipsum Angelorum Dominum, quantùm fas est homini, viderit. cùm enim Esau frater suus ad ruinam, & necem illum quæreret, Genes. 28. ℣. 12. *vidit scalā stantē super terram, & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ.* Iterum dicitur cap. 32. ℣. 1. *Iacob abijt itinere quo cæperat*

Fraternitatis vinculum à Deo ad nos deriuatum.

Brugens.

Filiorum affectu Deo seruiendum.

S. Aug.

Gloriæ æternæ cogitatio, ad amorem excitat inimicorum.

Genes.

Iacob visis cœlestibus, persequenti Esau pacis nuncios, & dona mittit.

perat. fueruntq; ei obuiam Angeli Dei, quos cùm vidisset ait: castra Dei sunt hæc. his ostensis Sancto Patriarchæ, misit statim nuncios, & dona ad Esau inimicum persequentem pacemque, concordiam ab illo exegit, vt pluribus narrat Sacra scriptura in illo cap. 32. quæ breuitati consulens, lectori videnda remittũtur. sic etiam Actor. ij. ℣. 55. *cùm autem esset Stephanus plenus Spiritu sancto intendens in cælum vidit gloriam Dei, & ait. ecce video cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis.* his visis exclamauit ℣. 59. *Domine ne statuens illis hoc peccatum.* petijt, & obtinuit pro Saulo.

9 *Quidem suum.* Dixerat diligendos esse inimicos, atq; ita fieri homines filios Dei, quòd autem Deus inimicos diligat his verbis ostendit cùm subdit: *Qui solem suum.* hæc vox tam de sole visibili, & radijs quotidie terram illustrãte, motu, ac influxu cuncta hæc inferiora fouente, accipi potest: quàm de inuisibili illo, & clarissimo Iustitiæ sole, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; ita S. Augustin. lib. 1. de serm. Domin. in monte. *siue solem suum non istum carneis oculis visibilem accipias; sed illam sapientiam de qua dicitur Sapient. 7. Candor est lucis æternæ, de quo item Malach. 4. ortus est mihi sol Iustitiæ, siue istum solem mauis accipere, non solùm hominum, sed etiam pecorum corporeis oculis prolatum, quod probabilius intelligi existimo, vt ille sol spirtualis, non oriatur nisi bonis, & sanctis;* & post pauca: *sed siue hoc,* inquit, *siue illud accipias, magna Dei bonitate fit, quæ nobis imitanda præcipitur, si filij Dei esse volumus.* Augetur diuinæ bonitatis expressio, dũ additur: *suum.* à Deo enim cuncta nostra procedunt. Gloss. *quasi dicat,* inquit, *quem de nihilo creauit; quid ergo nos faciemus de his, quæ de munere eius accepimus?* Vel appellando *solem suum,* auarorum insatiabilem habendi cupiditatem tacitè sugillat. Cùm enim Dei, sit, ideo minimè mirũ

Solis nomine, visibilis, & inuisibilis intelli potest.

S. Aug.

Gloss.

si non diuites tantùm possunt illum ad sua commoda proferre, sed etiam pauperes. Reseruauit sibi illum Deus, vt pauperibus æquè ac diuitibus communicaret. cætera omnia aurum, argẽtum, segetes, prætiosæ vestes, latifundia, &c. non communicantur pauperibus, quia cùm sint diuitum, ea quodammodo Deus sua non æstimat meminit autem potius *Solis* quam Lunæ, cùm hæc etiã Dei sit, & super nos oriatur, & splendeat nocte fortasse quia Luna, nunquã stabili, & vniformi, sed quotidie diuerso lumine splendet, ne hanc vicissitudinem in amandis inimicis imitari satis esse duceret: ad *Solem* nos reuocat, qui regulariter, & vniformiter quotidie ijsdem radijs totam terræ lustrat machinam.

Solẽ, suũ vocat, nõ diuitias, & quare

Solis vniformitatẽ non Lunæ vicissitudinẽ imitatur amor.

10 *Facit oriri super bonos, & malos, &c* Illi Dei amici, & familiares, isti verò inimici. prius autem meminit iustorum, deinde iniustorum, vt intelligamus, quòd diuina beneficia, malis communicantur propter bonos. Sanct. Chrysost. hom. 13. ex diuers. in Matth. locis, & Auctor Imperfect. hom. in hoc Euangel. *Cautè autem, dixit: super iustos, & iniustos; non super iniustos, & iustos; quia omnia bona Deus, non propter omnes homines dat super terram, sed propter paucos sanctos contentus est, magis vt peccatores contra meritum suum bonis Dei fruantur, quàm vt illi contrà meritum suum à bonis Dei fraudentur.* Eadem Dei benignitas, qua bona tribuuntur omnibus indistinctè, non habita ratione amicorum, vel inimicorum: Explicatur alio exẽplo, subdẽs *& pluit super bonos, & malos,* vtrorumq; scilicet, agros irrigans, fruges augens, immissis de cælo tempestiuis pluuijs, additum fuit hoc posterius exemplum, vt intelligant agricolæ, & in colenda terra assiduò desudantes, fruges, non tam à suis laboribus, vt illi existimant, quàm à Deo, & eius benignitate largiter, & affatim prouenire.

Diuina beneficia propter Iustos, dantur malis.

S. Chrys. Imperf.

11 *Si enim diligitis eos, qui vos diligunt quam mercedem habebitis? nonne*

& publicani hoc faciunt? Alia hic videtur subesse ratio ad damnādum odium inimicorum, & suadendum erga illos amorem. Vos ipsi, ait Dominus Apostolis suis, publicanos viros impuros, & exigendis Romanis censibus deditos nostis, & quantum à veræ virtutis perfectione deficiant; & tamen ij etiam amicos diligunt. quare qui se ad maiorem, & perfectiorem gradum eleuare volunt, amori amicorū addant amorem inimicorum. Nam amicos tantùm amare nullius est meriti, cùm hoc faciamus ob nostrum commodum, quo videlicet ab eis redamemur, vt etiam de ijs qui amicitiam propter vtilitatem contrahunt dicebat Arist. 8. Eth. cap. 7. & Auct. Imperfect. in Matth. *Qui amicos diligit, propter se diligit, & ideò nullam habet mercedem, delectat enim ipsa dilectatio; qui autem inimicum suum diligit, non propter se diligit, sed propter Deum.* erant aūt publicani, qui hic cōmemorantur, ex ipsa Iudæorum gente exactores vectigalium, quæ Pop. Romanus Iudæis à se deuictis imposuerat, quod genus hominum, priuatæ omnium quieti, & singulorum opibus infestū, omnibus etiam solet esse odiosum, adeo vt pro *peccatoribus*, eorum nomē acciperetur per antonomasiam. Euthym. *In doctrina, quæ in loco campestri data est, pro publicanis, dixit: peccatores, erant enim in extorquenda moneta, nimium seueri.* His vilibus, & odiosis personis fore illos similes dixit, si amicorum tantùm dilectione velint esse contenti; qui est maximus stimulus incitans nos, vt præuertere istis, & ad meliorum accedere vestigia, enitamur.

Merces promittitur diligentibus inimicos.

Auct. imperfect.

Exactores, per antonomasiam dicti peccatores.

Euthym.

12 *Et si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis? nonne, & ethnic hoc faciunt?* Dicebat Epictet. in enchrid. *in omni humana vita instituenda, & in actionibus componendis, ita nos profecturos, si optimos quosq; eorumq; actiones nobis proposuerimus, quorum & vita proba, ac laudata, & actiones secundum Dei legem, fuerint instituta*; Hoc idem videtur Saluator noster discipulis velle præcipere, dum dicit si diligitis fratres, quid amplius facitis quàm ethnici, idest, viles, abiectæ, & sine vero Dei cultu gentes? ergo Iustorum virtutem assecutos vos esse satis habebitis? non potius ad Illustres viros Abraham, Iacob, Dauid; aliosque respicietis. S. Chrysost. homil. 18. in Matth. *publicanos*, inquit, *& gentiles producit in medium, vt tales discipulis comparando personas, ad virtutem illos etiam pudore succendat, quod &* Paul. *fecit p. ad Thessal. 4. vt non sitis sicut, & cæteri, qui spem non habent, & sicut gentes, quæ ignorant Deum.* Cùm enim lex Euangelica alias leges dignitate, & excellentia superet, propterea etiam factis, & præceptis optimis cunctis antecellit; propterea ait, si tantūmodo fratres vestros salutaueritis, & comitatis officijs exceperitis, quid amplius facitis, quid eximium, quid supra cæteros gentiles, quid, quod vos spectabiles, & oculis Dei gratos reddere possit? & gentes hoc faciunt ex humano affectu. est autem inter ea dilectionis signa, quæ magis in aperto sunt posita; salutatio; cuius apud varias gentes, varios fuisse modos nouimus; quidam nudant capita, alij manum osculantur alij aliter salutant. ἀσπάζεσθαι, quo verbo hic vtitur Euangelista, vt notat Luc. Brug. est osculo, ac complexu salutare, siue excipere, ex more Græcorum, & Iudæorum quam osculi in salutando consuetudinem retinuerunt primi illi Christiani. Paul. 1. Corinth. 16. *Salutate inuicem in osculo sancto.* Et quidem de salutandi genere, quod fit detecto capite, & per osculum, scribit Alexand. ab Alex. genial. dier. lib. 2. cap. 19. de salutationis autem illo genere, quod fiebat dexteram iungendo dexteræ, & etiam de eo quod per osculum, idem Alexand. scribit lib. 5. cap. 24. & Pier. Valer. lib. 35. tit. manus S. erat, & S. neque verò: nomine autem *fratrum*, dum dicitur, *si salutaueritis fratres vestros*, Israelitæ omnes intelligun-

Epict. Aliorum probæ actiones proponendæ ad exemplum.

S. Chrys.

Varia salutationū genera.

Brugens.

1. Corint.

Alex. ab Alex.

Pier.

tur,

tur, vsitata apud Iudæos voce.

13 *Estote ergo & vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Eleuauit iam discipulos supra mediocria publicanorum, & Ethnicorum opera; ducit itaque illos ad veræ perfectionis metam, ad cælestem Patrem, cuius perfectio alias omnes in infinitum superat. Notat Luc. Brug. illud, *vos*, non sine emphasi additum, quasi dicat, *vos*, qui Publicanorum, Ethnicorumq; virtute nolitis esse contenti. Perfectum autẽ dicitur cui nihil deest, imperfecta esset, & mutila charitas, si erga amicos tantùm exerceretur. debemus itaque in ea participanda imitari perfectissimum illum Patrem cælestem, datorem omniũ bonorum. ideo dicit: *estote perfecti*, hac, inquam, dilectione neminem ab ea excludentes; *sicut & pater vester*; *sicut* in Scriptura quandoq; accipitur pro æqualitate, vt ibi *sicut fui cum Moyse, ita & ero tecũ.* aliquando autem pro similitudine, hic similitudinem significat, quam licet nõ possimus assequi, tamen conari debemus quantum possumus, vt ad eã quãto licet proprius accedamus. Incert. sub nomin. Euseb. emis. *non dicit*, inquit, *vt simus tantum perfecti, quantum Pater noster cælestis perfectus est, hoc enim impossibile est, sed dicit, vt simus perfecti sicut ipse est. Sic enim puer aliquis Homo est, sicut & iuuenis, quamuis viribus, & scientia non sit perfectus homo sicut iuuenis; simus ergo perfecti pro modulo nostro. ita vt*, inquit Beda, *Deus intelligatur perfectus tamquam Deus, anima tamquam anima*; quomodo hunc locum glossant, & interpretantur omnes Patres, & Doctores. Vt autem quantopere perfectus sit Pater innuat; locum tantummodo eius indicat: *Qui in cælis est*. quibus nihil pulchrius, nihil clarius, nihil ad spectãdum admirabilius. Vel vt voluit S. Chrysost. *sæpissimè cælorum nomen, ac fere vbique disseminat, ab ipso etiam præmiorum loco, eorum animos suscitando, adhuc enim infirmius quiddam crassius sapiebant*. quasi enim emortuos, vel dormientes ad se reuocat recordatio Beatitudinis.

Brugens.

Sicut, quot modis accipiatur.

Incert.

S. Chrys. Cælorum præmium animos suscitat.

14 *Attẽdite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* Multum operæ, ac curæ insumendum in humanæ imbecillitatis curandis affectibus, vel sedula hæc diuini Medici diligentia denotat: dixit enim hactenus quid faciendum vt ad perfectionem euadamus; nunc à quibus cauendum, in quo nostræ mortalis conditionis vices deplorare possumus, quibus etiam in bonis operibus sensim obrepunt malorum offendicula; & per viride, ac floridum pratum iustitiæ incedentibus, latet anguis in herba, & insidiatur. Quare sparsis in discipulorum animis virtutum seminibus, affectum illius, qui eis adnascitur, & molestus est, eradicationem, scilicet, inanis gloriæ suadet. S. Petr. Chrysol. serm. 9. *Hæc præceptio*, inquit, *vult iactantiam tollere, auferre pompam, vanitatem demere, summouere inanem gloriam*. qui affectus quantò se facilius bonis operibus immiscet, eò difficilius euitatur à iustis S. Chrysost. homil. 19. in Matth. *vbi enim res agitur gloriosa, ibi facilius inuenit locum gloriationis occasio, & ideo intentionem gloriæ primo* Dominus *excludit. cùm enim omnia mala seruos Diaboli vexent, concupiscentia vanæ gloriæ, magis seruos Dei vexat, quàm* Diaboli. *Attendite* itaq; ait, vel vt legit. S. Augustin. *cauete*, insinuans feram hanc latenter & clanculum in modum furis, aut serpentis *obrepere* dicit Euthym. vtitur autem verbo *attendite* in Scripturis vsitatissimo cùm quid cauere maximè iubemur. *attendite à falsis Prophetis*. est itaque horum verborum sẽsus vt explanat S. August. *Cauete hoc animo iustè viuere, & ibi constituere bonum vestrum, vt vos videant homines*. Particula enim, *vt*, dum dicitur: *vt videamini ab eis*, non sequelam denotat, sed finem, neque vetat Dominus conspici rectè facta, sed non vult hoc animo fieri vt spectentur ab hominibus.

Inanis gloriæ propulsatio.

S. Chrys.

Inanis gloria difficilè vitatur.

S. Chrys.

S. Aug.

Euthym.

S. Aug.

Finis in operibus sit Deus.

bus. Imperfect. in Matth. *Qui ergo non eò facit, vt ab hominibus videatur, & si coram hominibus fecerit, tamen, non videtur coram hominibus fecisse. ergo si sic facere eleæmosynam non est possibile, vt nemo videat, vel sentiat; tamen eo proposito facere, vt non ab hominibus videamur, possibile est; ergo non eleæmosyna ingrata est ante Deum, quæ hominibus visa fuerit, sed quæ ideo facta fuerit, vt ab hominibus videatur.* Græcè est, eleæmosyna, sed Vulg. vertit *Iustitiam* & sic D. Augustin. Iustitiam in genere vult hic accipi, per quam omne opus bonũ intelligitur. Possunt etiam hæc verba: *attendite, ne iustitiam vestram faciatis &c.* alium sensum recipere, quem producit Christianus Druithmarus. *Si volumus*, inquit, *possumus sic distinguere; attendite ne iustitiam, & postea inferamus, vestram faciatis, idest, eam iustitiam, quæ Dei est, nostram velimus facere, quia nullus iustè, vel iustitiam facit, nisi ex dono Dei*: opera ergo bona, quæ à Deo, & Dei sunt, sua facit, qui illa ideo facit, non vt Deo, sed vt hominibus appareat, quia ad sui gloriam facit: quasi ergo fur, rapit, ac furatur Dei dona, ac bona, dum sibi ea per inanis gloriæ cupiditatem, arrogat. Quæri solet, quomodo huic præcepto de occultandis iustitiæ operibus non repugnet illud, quod supra Matth. 5. dixerat Iesus discipulis. *Sic luceat lux vestra, coram hominibus, vt videant opera vestra bona.* Respondent concorditer omnes Patres, non esse repugnantiam; prohibet enim nos eo fine iustè agere, vt spectemur, sed non propterea debemus ab istis operibus cessare ne videamur ab hominibus; videant itaq; opera nostra homines, non vt nos, sed vt glorificent Patrem, non tamen nos ea ideo faciamus vt videant, & nos laudent. S. Augustin. homil. 50. de Temp. *Qui ideo facit eleæmosynam, vt ab hominibus se laudari desideret, etiam si occultè fecerit, publicè facit, quia laudem ab hominibus quærit; qui vero eleæmosynam pro solo Dei amore facit, vt ad opus bonum illum reliqui imitentur, & non ipse, sed Dominus collaudetur, etiam si publicè faciat eleæmosynam, absconse facit.* sed de hac re diximus non pauca in Commentarijs Feriæ 4. Cinerum, & aliqua etiam dicemus in Fragmentis, hoc est, postremo capite in hoc Euangelium.

Imperfect.

Christ. Drut. Opera bona, ex Deo & Dei sunt. sua facit, qui propter homines facit.

15 *Alioquin mercedem non habebitis, &c.* Non redditur vni operi duplex merces; ideò qui iustitiam facientes coram hominibus, vt ab illis viderentur, hanc humanæ laudis, quam optabant, sunt mercedem consecuti, non debent iam aliam expectare; & ideò discipulis dicitur, quod, si in hoc sæculo præmium consequi operum voluerint, mercedem non habebunt; in futuro, scilicet. S. Petrus Chrysol. *Iustitia*, inquit, *quæ se humanis oculis locat, diuini Patris non potest expectare mercedẽ; voluit videri, & visa est; voluit hominibus placere, & placuit; habet mercedem quam voluit; præmium quod habere noluit, non habebit.* Benè dicitur, quod isti non habebunt mercedem, quam enim mercedem possunt prætendere? cum nihil pro cælesti præmio, sed omnia pro terreno plausu fecerint? Imperfect. in Matth. hoc animaduertit. *Quid enim à Deo accipies, qui Deo nihil dedisti? nam quod propter Deum fit, Deo datur, & à Deo recipitur, quod autem propter homines fit, in ventum effunditur.* Aequum enim videtur, vt qui se nimium rebus caducis addixit, & apud homines gloriam desiderauit, illam pro hac amittat, quam consequi potuisset veram, & mãsuram in cælis. Sed considera interim hoc loco ineffabilem Dei erga homines charitatem, & affectum, qui præcepta nobis, & monita saluberrima dedit, vt disceremus modum, per quem ne alicuius leuis quidem operis mercedem, in conspectu eius amitteremus, si iustitiam debitis cum circumstantijs, fuerimus operati. vnde S. Chrysost. homil. 19. in Matth. *præceptum hoc*, inquit, *continet cautionem, & ineffabilem Dei erga homines curam: id vtique prouiden-*

Merces gloriæ non datur mercedẽ quærentibus in terra.

S. Chrys.

Imperfect.

De nostra mercede Deo est cura.

S. Chrys.

tis, ne cuius hi mercedem operis amittant. obseruat Luc. Burg. quòd in Græco, pro *habebitis*, est præsens ἔχετε *habetis*, quòd & si futuri loco possit accipi, tamen intelligi potest significatum, iam nunc repositam apud Patrem piorum operum, quæ ad illius honorem fecerimus mercedem, vt de ea securi in bonis operibus constanter perseueremus, ita enim certa, & infallibilis est retributio, vt eam, tanquam præsentem, & existentem polliceatur.

Brugens.

Præmiorum certitudo, tam quam præsens promittitur.

16 *Cum ergo facis eleæmosynam noli tuba canere ante te*. Quàm in operibus suis ostentandis deridenda esset Iudæorum iactantia, vel ex hac Christi exaggeratione clarissimè intelligitur; vel enim re vera populum, & multitudinem indigentium ad recipiendam eleæmosynam tuba in frequentiora loca conuocauerint, vt vult Gloss. ordinar. Euthym. & Luc. Brug. vel per hunc tubæ sonum conspectus ille, & celebritas populi significetur, quem sibi largientibus adesse optabant, vt S. Chrysost. Imperfect. & alij videntur accipere: nimium gloriæ cupiditati illos studuisse constat, vt merito hac reprehensione fuerint coercendi, & traducendi. Theophyl. *non*, inquit, *tubas habebant hypocritæ, sed animum eorum deridebat*. & S. Chrysost. *Non quia verè illi stipem ad signum erogant, sed maximam in eis volens notare ostentationis insaniam, opportunissima translatione verborum, vitij eorum redundantiam publicauit*. Est ergo *tuba canere* tempus, locum, ac personas quibus erogari debet eleæmosyna opportunè excipere, vt omnia cum gloria largientis conueniant. ita dicit Imperfect. *Qui quando videt aliquem facit eleæmosynam extra non, hoc tuba est; qui quando videt honestiorem personam, quæ poterit referre huic dat, obscuro minime, hæc tuba est, qui intercedente aliquo facit elemosynam, hæc tuba est.* Sed magis litteralis est alia expositio, cùm credibile sit, eius gentis insaniam eo prouectam, vt non erubuerint, cùm quid dare constituerant publicè pauperibus vt cōuenirent indicere, sicut enim modo campanis homines ad Ecclesiam conuocamus, ita prius tubis congregabantur, sicut est illud Ioel. 2. ℣. 15. *Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, vocate cætum, congregate populum &c.* signo ergo dato cum tuba, eleæmosynam recepturi congregabantur, & largientis persona proclamabatur, *sicut hypocritæ faciunt.*

Quid sit tuba canere, explicatur. Gloss. Euthym. Brugens.

S. Chrys. Imperf.

Theophyl.

S. Chrys.

Ioel.

17 Proprie nomen, Hypocrita, de ijs dicitur qui in spectaculis, tecta vel fucata, ac colorata facie, personam aliquam repræsentant in scena. Ita D. Augustin. lib. 1. de serm. Dom. in Monte. ab his translatum est ad eos, qui falso simulant, quod non sunt; & præsertim in Euangelio sæpius nominantur ad denotandos veræ sanctitatis fictos, & apparentes simulatores; qui propterea omnia ea imitari conantur, quæ veræ sanctitatis sectatores faciunt; sed non ob verum finem, non quærentes laudem Dei, sed propriam gloriam ambientes, quę opera nedum Deo grata, imò ingrata, & tamquam munera ab hostibus oblata, hostilia videtur. Sanct. Petr. Chrysol. hoc egregiè explicauit serm. 9. *Benè*, inquit, *tuba, quia talis eleæmosyna hostilis est, non ciuilis, non misericordiæ dedita, sed clamori; seditionis vernula, non alumna pietatis, ostentationis nundinatio, non commercium charitatis*. Sed de hac re plura diximus Fer. 4. Cinerum.

Quisnam hypocritæ nomine intelligitur. S. August.

Hostilia sunt opera facta ob inanem gloriam. S. Chrysol.

18 *Amen dico vobis receperunt mercedem suam*. Satis sibi abundè factum existimat histrio, si plausum illũ, quem in actionum fine à populo petit, recepit. Quare hypocritæ, qui in dandis eleemosynis histriones imitantur, mercedem sibi debitã receperunt, si, quod maximè voluerunt, ab hominibus visi, laudem ab ijs tulerint, quam tantopere expetiuerunt. S. Hieronym. *non Dei*, inquit, *mercedem, sed suam, laudati sunt enim ab hominibus, quorum causa exercuere virtutes*, nos autem si ad Dei gloriam eleæmosynam demus, nostram facimus mercedem, quam à Deo securè

S. Hieron

expe-

S. Chryſ.

expectare poteramus, ꝑpterea S. Chryſol. loco citato. *vult*, inquit, *in paupere ſibi dari, vult ſe debere, & qui vult ſe debere quod datum eſt, vult largientibus nihil perire*. ò magnum noſtrum lucrum, quibus tenuis pecunia creſcit in immẽſos theſauros; damus quæ accepimus, vt ea accipiamus, quæ noſtra non ſunt, & aliunde comparare non poſſumus; eleemoſyna cælũ attingimus, cùm quod pauperi datur, ſibi dari Deus prædixerit. idem S. Chryſol. *ob hoc* (inquit ſermone eodem) *ad te venit tuus ditator in paupere, vt ei non dubites accepta reddere, qui tibi gratis dedit habere, quod dares*. Quam igitur deridenda illorum ſtultitia eſt, qui cum paucis in hoc ſæculo erogatis, poſſint ſe maximis ditare in futuro; malunt & hìc erogare, quæ poſſident, nec futuræ mercedis ſpem retinere, quam hîc receperunt.

Eleemoſynæ damus quæ accepimus vt quæ noſtra non ſunt accipiamus.

S. Chryſ.

19 *Te autem faciente eleæmoſynam, neſciat ſiniſtra tua &c.* Huius loquendi formulæ, qua ſeruator cautionem adhibendam in bonis operibus ſignificare voluit, multæ circumferuntur expoſitiones. Chromat. per *dexteram* ſanctos, & electos, per *ſiniſtram* iniuſtos, & reprobos accipit; quaſi Iuſtus, ſi quod bonum opus facit, non iactet in conſpectu peccatorum, & infidelium. Alij de quibus teſtatur D. Auguſtin. lib. 1. de ſerm. Domin. in monte. per *ſiniſtram* inimicum intelligebant, qui ignorare debet opera bona, quæ facimus; ſed hanc ſentẽtiã improbat idem Aug. quia ipſemet Dominus coram Iudæis inimicis ſuis, multa miſericorditer operatus eſt. Commenti ſunt alij, eodem referente, *Siniſtræ* nomine vxorem ſignificari, & quoniam mulieres in dando ſolent tenaciores eſſe viris, ideò exiſtimabant ſignificari, quòd vir cælare debet vxorem ſuam, quando vult dare eleæmoſynam. ſed neque hæc expoſitio aptatur textui, quia hoc præceptum etiam fæminis datum eſt; *cui ergo*, ait Auguſt., *ſiniſtræ iubetur fœmina occultare opus ſuum*? Dicamus itaque, quòd hac verborum periphraſi non denotauit aliud

Per dexterã Sancti, per ſiniſtram peccatores.

S. Aug.

Siniſtræ nomine, vxorem aliqui intelligunt.

Saluator, niſi ſecretiſſimam eſſe debere quamcumque bonam noſtram operationem. Sunt manus membra, quibus inſtruxit nos natura ad exercẽdas operationes, & ſine quibus operari non poſſumus; itaque etiam manus ipſas (ſi fieri poſſet) vult hoc ignorare, quod facimus opus bonum. S. Chryſoſtom. Homil. 19. in Matth. *non manus voluit intelligi, ſed exaggeratum poſuit hunc ſenſum. ſi poſſibile eſt, te ipſum quoque ignorare, quod facis, ſit tibi hoc prorſus in ſtudio*; propterea dicit, *te autem*, vt fideles, hypocritis, de quibus meminerat, opponeret; vt quantùm illi opera ſua manifeſtare ſtudebant, tantùmdem ſuos occultare, & ad Dei gloriam referre iubeat. Quod eueniet, ſi abſque vlla oſtentatione, facta nos ipſos penè lateant, ſi fieri poſſit. Luc. Brug. ſubtiliter hic rem attigit: *ſit quaſi conſcia eleæmoſynæ manus, quæ ad erogandum adhibetur; quare ſi dexteram conſciam fieri ſufficiat, non adhibeatur ſiniſtra inquit; ad hæc oſtentationis genus eſt, vtraque manu porrigi; quod altera ſola exhiberi poteſt*. Ad hanc itaque fugiendam oſtentationem, quod vna manu fieri poteſt ambabus minimè faciendum eſt; ad ea, enim vtramque manum admouemus, quæ attentius, facimus; ita vt in ijs nobis complaceamus; *neſciat*, itaque *ſiniſtra, quod facit dextera*; abſit ab operibus complacentia, oſtentatio, inanis gloria. S. Chryſol. eod. ſerm. 9. *quàm vult neſcire alterum, qui te ipſum, qui facis, vult aliqua tui parte neſcire*? neſciat ſiniſtra quod facit dextera. ſicut ſunt nobis in dextera parte virtutes, ita pars vitiorum in ſiniſtra: ergo vt opus eſt dexteræ, quod facit tacitus dator, ita quod facit dator, garrulus hypocriſis eſt ſiniſtræ.

Non ſolũ opera, ſed & manus ſi poſſibile foret, abſcondãtur.

S. Chryſ.

Brugenſ.

Oſtentatio in operibus fugienda.

S. Chryſ. Quaſi diuidendus homo, vt opera ſint ſecreta.

20 *Et ſit eleæmoſyna tua in abſcondito, & Pater tuus, qui videt in abſcondito reddet tibi.* eſt concluſio ſuperioris mandati; repetit enim breuiter modum opera bona faciendi, & ſimul certam ingerit ſpem præmij. *ſit eleæmoſyna tua in abſcondito*. Beda, Aymo. S. Auguſt. & Gloſſ. Interlin. exponunt in bona

Bed. Haymo. S. Aug. Interl.

conscientia, vbi homo non videt. D. Augustin. de serm. Domin. in mont. *si præmium*, ait, *ab eo expectas, qui conscientiæ solùm inspector est, sufficiat tibi ad promerendum præmium, ipsa conscientia*. Bona enim conscientia est, in quam cùm intrinsecus bonorum operum lux luceat; diuinorum oculorum acies peruadit, quibus tantummodo nostrorum operum penetralia debent esse peruia. Imperfect. in Matth. explicans illud, *in abscondito; non tam in abscondito*, inquit, *loco, quam in abscondita conscientia, nam si anima intra claustra bonæ voluntatis inclusa sit; corporales actus nostros abscondere possumus, si autem anima per vanas cogitationes fuerit euagata, nihil prodest actus corporales abscondere*. His itaque verbis Domini monemur, vt vitantes hypocritarum ambitionem, eleęmosynam, & quæcumque alia Euangelicæ iustitiæ opera curemus alios celare, nostra bona conscientia, & Dei oculis contenti, cui si nostra studia probare, & manifestare satis habuerimus, non deerunt nobis deinde spectatores. S. Chrysostom. homil. 19. in Matth. *Quid desideras? nonne esse aliquos operum spectatores tuorum? igitur habes, non Angelorum, atque Archangelorum tantùm, sed etiam omnium bonorum Deum. Quòd si habere etiam homines spectatores concupiscis, ne hac quidem, quam præcipuè cupis mercede priuaberis. Sed cùm opportunum tempus aduenerit, quando cum maximo hoc tibi cumulo præstabit, quod requiris; cum te prædicabit Deus toto orbe præsente*. Subdit deinde præmium cum certitudine: *& Pater tuus, qui videt in abscondito*, idest, in abscondito cordis, non loci, *reddet tibi*, in futura vita: nam miseri essemus si merces in hac nobis vita deberetur, in qua etiam iniustis bona communicantur. Imperfect. *Iustitiæ merces in hac vita, manifesta non potest esse; cum omne bonum, quod est in hoc seculo desiderabile, inter bonos, & malos commune est: ideò si bonis datum fuerit, non apparet; illius autem sæculi bona, non sunt communia inter bonos, & malos, sed bonorum tantùm*. tunc ergo reddet tibi Deus. & nota quod in Græcis quibusdam codicibus legitur, *reddet tibi*, ἐν τῷ φανερῷ, *in aperto, in propatulo*, quod Lucas cap. 14. ℣. 14. explicat, *in resurrectione iustorum*, vbi *ante eum congregabuntur omnes gentes*; vt qui hìc opera sua occultarunt ad Dei gloriam; eadem manifestari sentiant, & gaudeant. Verùm enim verò manifestatio hæc operum, & proclamatio, in gloriam iustorum, etiam in hac vita à Deo fit, ad solamen iustorum, qui aliquando iniurijs, & maledictis lacessiti, ab hominibus deturpantur; & ad iniustorum excitationem ad bonorum operum studiũ. de qua re diximus non pauca fer. 4. Cinerum.

Audistis quia dictum est antiquis: diliges proximum tuũ, & odio habebis inimicum tuum: ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, &c. Sacer textus.

CAP. II.

Arguũtur legum falsatores.

1 

Qvàm graue crimen ij incurrant, qui temerè leges & ea fundamenta, quibus vniuersa Ciuium salus nititur, ac sustinetur; velut per cuniculos subruere, hoc est falsis interpretationibus labefactare conantur; earum sacra, & inuiolata apud omnes populos maiestas, ipsumq; venerabile legis nomen satis manifestat: quas tanti æstimatas fuisse etiam à barbaris certum est, vt earum originem ad Deos retulerint, Franc. Piccol. Moral. Philoso. Grad. 10. c. 27. ne uz eas, homines, tanquam res diuinas, immutare, aut pacto aliquo al-

terare

terare sese posse præsumerent. Quòd, si de prophanis, & vulgaribus legibus verum esse nouimus, quanto magis impietatis, & sacrilegij illi dammandi videbuntur, qui sacras etiam & diuinas temerare audent? Quid enim scirent, aut facrent homines sine lege, vel adulterata lege? nam *lex* hebraico sermone *thora* dicitur. quandocumque enim vt rectè aliquit fiat, docetur, id *lex* appellatur. vnde illud Psalm. 118. ℣. 33. *legem pone mihi Domine &c.* exponitur *doce me &c.* quid ageret puer absque magistro, aut falsis dogmatibus imbutus? viæ sæculi prauæ, obsidionibus obnoxiæ, præcipitijs plenæ. via ad cœlum inuisa; ne ergo errarent homines, sed tutò graderentur, *lex* veluti appositum signum in inuio, & in marmore insculpta manus, digito, qua iter tenendum sit, ostendit viatoribus. sic intelligitur illud Psalm. 24. ℣. 8. *legem dabit delinquentibus in via*, hoc est, *viam demonstrabit rectam, per quam delinquentes, ad iter rectum redeant*, vt exponit P. Agell. & Symmach. *demonstrabit peccanlibus viam*. sine lege, aut cum falsa lege, inferorum calcamus vias. lex veluti aqua, hominem vt arborem irrigat, vt fructum afferat. sine lege, inutile lignum, igni reseruatum. Ps. 1. ℣. 2. 3. *in lege Domini voluntas eius, &c. & erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Quod si*, vt ait Sapiens Prouer. 6. ℣. 23. *mandatum lucerna est, & lex lux*, qua pœna digni censendi sunt, qui tàm salutare lumen extinguunt? Hoc certè inexpiabili penè sacrilegio se obstrinxerant Pharisæi ante Saluatoris aduentum; nũquam enim, & nusquam legitur hanc legem à Deo fuisse latam: *odio habebis inimicum tuum*: sed est velut appendix addita a legis falsatoribus, qui suis cupiditatibus inseruientes, quo liberiores essent, soluerentq; legis rigorem, odium sibi aduersus inimicos permissum interpretati sunt; ideo dicitur: *dictum est*, quia ipsi dixerunt, tradiderunt, & commenti sunt hãc prauam, & adulterinam legis expositionem: Cùm potius vniuersa Dei lex etiam vetus, amorem, & charitatem erga quoscumque inserat. omnia Dei præcepta, quæ enumerantur præcipuè Exod. 20. ℣. 12. & seqq. ad charitatem proximi ordinantur, & Leuit. 19. ℣. 17. & 18. *Non eris criminator, & susurro in populo; non stabis contra sanguinem proximi tui; non quæres vltionem; nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum; diliges amicum tuum sicut te ipsum*, quibus isti addiderant: *& odio habebis inimicum tuum*. Christus itaque qui venerat adimplere legem, & ad eius perfectionem suos volebat reducere, reuocandam in eorum memoriam obliteratam illam erga inimicos dilectionem iudicauit; & vt hanc quasi extinctam lucernam, suæ charitatis igne rutilante accendat, edicit: *ego autem dico vobis &c.*

Lex docet | *Psalm.* | *Lex viam cõmostrat errãtibus.* | *Psalm.* | *P. Agell. Symmac.* | *Lex, aqua irrigans ad fructificandum.* | *Lex, lux.* | *Prouerb.* | *Falsũ cõmentũ Pharisæorum.* | *Omn. Dei præcepta a charitat ordinat.* | *Exod.* | *Leuit.*

2 Habemus huius rei expressam figuram in sacris litteris 2. Machab. cap. 1. ℣. 19. vsque ad 23. *Cùm in Persidem ducerentur patres nostri; Sacerdotes, qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari, occultè absconderunt in valle, vbi erat puteus altus, & siccus; & in eo contutati sunt, ita vt omnibus ignotus esset locus: Cùm autem præterijssent anni multi, & placuit Deo vt mitteretur Nehemias à Rege Persidis, nepotes sacerdotum illorum qui absconderant, misit ad requirendum ignem; & sicut narrauerunt nobis, non inuenerunt ignem, sed aquam crassam, & iussit eos haurire, & afferre sibi; & sacrificia quæ imposita erant. iussit Sacerdos Nehemias aspergi ipsa aqua, & ligna quæ erant superposita; Vtque hoc factum est, & tempus affuit quo sol refulsit, qui prius erat in nubibus, accensus est ignis magnus, ita vt omnes mirarentur*. Nemini dubium, quin ignis ille, quem super altare continuo sibi ardere volebat Deus (sicuti præcipitur Leuit. 6. ℣. 12. *ignis in altari meo semper ardebit.*) ignem illum repræsentarit amoris, quo in humano corde, Deo acceptissima sacrificia ado-

Machab. | *Ignis perpetuus in altari, amorẽ perennem importat.*

lentur

Mens prauorum puteus siccus, & profundus. S. Basil.

lentur. delituit hic ignis in penetralibus cordium Pharisaicorum, quasi in puteo alto, & sicco (sic enim humanæ mentis imperscrutabiles recessus appellauit S. Basilius in 1. cap. Isa. illis verbis: *in altum hunc puteum cogitatione descendite*) qui quamuis scirent secundum legem inimicos odiendos nō esse: tamen vt suis & popularium affectibus indulgerent, illum, superinducto odio erga proximum, contutati sunt. Christus itaque cùm hunc ignem, idest, hunc amorem, quem tantopere expetit ab hominibus, & quem a veteris etiam legis seruatoribus nequicquam expectauerat, requireret, extinctum inuenit; & pro eo turbidam, crassam, & lutulentam aquam; conuersa enim fuerat diuina lex, & immixta doctrinis gentium, Philosophorum dictis, & ijs dogmatibus, quæ scribę proprio ingenio comminiscebantur; quæ per aquas significari dicit Orig. homil. 4. super Exod. & 12. sup. Num. quod & exprobrauit illis Esaias cap. 1. ℣. 30. *vinum tuum mixtum est aqua*. idest syncera, & mera charitas falsis dogmatibus diluta.

Falsa dogmata per aquam figurata.

Origen.

3 D. Hieronymus explicans illud Cantic. 2. ℣. 4. *Introducite me in domum vini; sicut* inquit, *est quoddam vinum, quod de dogmatibus veritatis pressum, miscetur in cratera sapientiæ. ita est contrarium vinum, cùm inique inebriantur peccatores, & hi qui falsæ scientiæ dogmata peruersa suscipiunt, de quibus Salomon prouerb. 46. vino iniquo inebriantur. & Deut. 32. furor Draconum vinum eorum.* Hoc vinum, imò vipereum virus simplici, & malè prouidæ plebi, veteratores Pharisæi propinabant in suis Synagogis, quod illis per illa Isaiæ verba exprobrat. Dominus itaq; cùm odium inimicorum palam exerceri reperisset, tamquam splendidissimus sol, crassam aquam accendit, & amoto odij luto, charitatis feruorem restituit. Hic *sol*, nimirum Deus, prius erat in *nubilo*, ignotus, de quo Iob 22. ℣. 14. *nubes tabernaculum eius.* & Psalm. 96. ℣. 2. *nubes, & caligo in circuitu eius.* Hic in quam sol, Christus est, de quo Malach. 4. ℣. 2. *orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ*, qui affulsit mundo, & rutilantibus radijs doctrinæ, ac diuinitatis in hoc Euangelico textu, lutulenta hominum pectora expurgat; & crassam illam aquam, in lucidum charitatis ignē accendit; ad quod ipse visus est alludere, dicens in hoc eodem Euangelio: *diligite inimicos vestros, vt sitis filij Patris vestri, qui solem suum facit oriri super bonos, & malos.* & quemadmodum in sacrificio Nehemiæ *accensus est ignis magnus, ita vt omnes mirarentur*; ita ad Christi doctrinam, & prædicationem, mirabilis facta est hominum mutatio, & conuersio; Nam & Stephanus pro lapidantibus orauit, & Paulus pro persecutoribus. Hoc mysterium venturi Saluatoris Isaias Euangelicus Propheta vaticinatus fuerat cap. 64. ℣. 2. *vtinam disrumperes cœlos, & descenderes, aquæ arderent igni*; sup. quæ verba S. Hieron. *in persona*, inquit, *sua & omnium desiderantium Christum loquitur Esaias, præuidens aduentum filij: aquæ arderent igni, populi inflammarentur igne charitatis, vnde, ignem veni mittere in terram.*

S. Hiero.

Lex vini, falsa dogmata; aqua.

Deus vt sol fulgēs, aquā odij in ignem vertit amoris. Iob.

Psalm.

Malach.

Isai.

S. Hieron.

4 Possunt autem, isti legum deprauatores, comparari falsatoribus monetarum, & ijs, qui Principis monetas resecant, non æstimantes quantum in hoc Principis maiestatem, & publicam ciuium communionem lædant. est enim lex instar publicæ cuiusdam monetæ, vnde notat Arist. lib. 5. Ethicor. cap. 5. νομισμα dictū fuisse ἀπὸ τῦ νόμυ, idest, a lege, & refert Demosthenes in orat. cont. Timocr. quod *Solon apud Iudices dixit putare sese, argenti monetam priuatorum contractuum causa repertam inter ciues, leges autem monetam esse Reipublicæ; Iudices igitur oportere multo magis si quis eam, quæ Ciuitatis est monetam corrumpat, odisse, & punire, quàm si quis eam, quæ sit hominum priuatorum, atque vt intelligerent maius esse delictum corrumpere leges, quàm adulterare monetam.* Diuinæ legis pu-

Legū deprauatores, falsatores sunt monetarū.

Lex, publica moneta. Arist. Demosth.

Coercendi grauius falsatores legis, quā monetarū.

ram

ram monetam pleriq; vitiant, & vilium metallorum admixtione contaminant; non animaduertentes, Diuinæ Maiestatis læsæ crimine reos se fieri, dum quæ sensui placent, lege permissa, conantur adstruere, de quibus loquens Isaias cap. 1. ℣. 22. *Argentum tuum*, inquit, *versum est in scoriam*, quo loco Glossa, *Eloquia Diuinæ Sripturæ, in sordes prauæ doctrinæ Scribarum, & Pharisæorum*, qualis est hæc doctrina: *Dictum est antiquis, odio habebis inimicum tuum*: & S. Hieronym. in Comm. *Argentum illud, doctrina videlicet Scripturarum, de quo in Psalm. 11. legimus: eloquia Domini casta, argentum igne examinatũ, probatum terræ, purgatum septuplum, versum fuit in scoriam*. & clarius S. Basil. in Comm. super eundem locum; *argentum*, inquit, *reprobum, hoc est, sermo fidei vestræ, quasi adulterina moneta, reprobus est, nec retinet exactam, & incolumem figuram Regiæ imaginis. arcanos igitur recessus, & arcana cordium vestrorum solerti indagine perscrutemini, omnia mihi circumspicite, in retrusis, & abditis apothecis, in altum hunc puteum cogitatione descendite, ne qua forsan drachma adulterina sit, hoc est, necubi dogma ementitum, quasi à Spiritu sancto insignitum proprijs characteribus veritatis, quos per Prophetas, & Apostolos nobis gratuito delargitur, sed per viros insidiosos, qui suamet adinuentione clàm offendicula ponunt, difficilia deprehensu, ascititiam monetam, circumferentem formam inimici, thesauris regalibus superinducentes, corrumpant opes eximias*. Adnoto in verbis Basilij præcipuè: *adulterina moneta non retinet exactam, & incolumem figuram Regiæ imaginis*. quæ verba, si ad sensum quem inquirimus, applicemus; aboleuerunt, vel deturparunt Dei imaginem Pharisæi dicentes: *odio habebis inimicum tuum*, est enim charitas quasi Dei imago, à qua Filij Dei dignoscendi sunt: *diligite inimicos vestros, vt sitis filij Patris vestris &c.* & iterum, *estote perfecti sicut Pater vester cælestis perfectus est*, in hac forma Deo assimilamur, Io. 13. ℣. 35. *in hoc cognoscent omnes, quod Discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.*

Lex diuina, moneta versa in scoriã falsorum dogmatũ. Isai. Gloss. S. Hiero. S. Basil. Fides adulterina, non retinens Dei imaginem. Charitas, Dei imago.

5 Sed non prætereundum puto, quòd duo sunt modi falsandi monetas; alter cùm probo, & puro metallo, improbum, & impurum admiscetur; alter cùm ex numo aliqua pars demitur, ꝙ faciunt ij, qui vulgo, *taglia monete*, dicuntur. ad hunc tantum posteriorem modum allusit D. Basil. in supra adductis verbis, eos arguens, qui insculptam monetis publicis imaginem Principis, fœdè plerumq; mutilant. sed in Apocalypsi vtriusque modi fit mentio cap. 22. ℣. 18. *Contestor omni audienti verba prophetiæ libri huius; si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto*; hoc est si quis adulterinum stannum admiscuerit, hoc est, falsa dogmata. *& si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius: auferet Deus potestatem eius de libro Vitæ, & de Ciuitate sancta*. isti de lege Dei ea quæ aspera videntur, paulatim, interpretatiunculis insertis emollire solent, & deinde eadem à mandatis resecare. vtroque modo legem Dei falsauerant Pharisæi, *non solùm enim*, inquit, Irenæus citatus à Pier. Valer. lib. 38. *per præuaricationem frustrati sunt legem Dei, miscentes vinum aqua, sed etiam suam legem contrariam statuebant, quæ Pharisaica vocabatur, in qua, quædam quidem auferebant, quædam autem addebant, & ex libidine sua interpretabantur*.

Duo genera falsatrũ monetarum. Apocal. Addentes & minuẽtes de lege Dei. Iren. Pier. Val.

6 Vtuntur isti, legum falsatores, diuinis mandatis, tamquam *regula Lesbia*, legem enim moribus suis applicant; ita vt lex moribus accommodetur, & inseruiat: cùm potius debeant ad legis normam vitam emendare, atque componere. Arist. 5. Eth. de hac regula ita loquitur: *plumbea lesbiæ ædificationis regula, ad lapidis figuram transmutatur, neque manet regula*. Lesbij enim ad exigendam æqualitatem suorum ædificiorum, vtebantur in ijs construendis plũbeis regulis, quæ quoniam facilè flecte-

Regula Lesbia, quæ. Arist.

bantur

bantur, si inter ædificandum, lapis aliquis à recta linea excedens, extra parietem plus iusto prosilijsset, adhuc tamen applicata illi regulà suà, quæ se lapidi accomodabat, opus quidem in se & realiter imperfectum, curuum, distortum erigebatur, quia regula ipsa flectebatur, & structuræ commensurabatur. eiusmodi sunt, qui leges ita inflectunt, vt si quid vel præter, vel contra eas factum fuerit, ad regulam tamen illorum reuocatum, exactum esse contendant, quia legis verba deflectentes, interpretantes, eneruantes, vario sensu ad propriam intentionem ducunt. nec meminerunt illorum duorum Aristot. verborum quæ mox adduximus, quod *regula quæ transmutatur, non est amplius regula*. ita non est lex, quam isti falsis interpretationibus immutarũt, sed corruptela est, & abusus. Porro leges omnes, ac præcepta, quæcumque illa sint, regulas dici, satis perspicuum est. quapropter multorum statuta, Regulæ inscribuntur. vnde illud Cicer. 4. Acad. *hanc esse regulam totius philosophiæ, constitutionem veri, falsi, cogniti, incogniti &c.* præcipuè verò Dei legem sub *Regulæ* nomine tradi, ex eo colligimus, quòd aliquando sub nomine *iustificationis* explicatur, sicut Psalm. 118. ℣. 27. *viam iustificationum tuarum instrue me*, dicuntur autem iustificationes, Hebræo sermone *hukkim*, idest. certa, & definita regula P. Agell. noster in argument. Psal. 118. sic habet: *si originem hebrææ vocis indagemus, propriè dicuntur iustificationes, quòd tamquam circumscripti, definitique termini sint, quos egredi non licet. vnde Aquila: quasi præfinita quædam extrema, certæque mensuræ*. hoc innuere videtur Apostolus ad Galat. 6. ℣. 15. *In Christo Iesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura*: en legem subdit, ℣. 16. *& quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia*. Quod & clariùs, idem Apostolus tradit ad Philipp. 3. ℣. 15. 16. *quicumque perfecti sumus, hoc sentiamus: & si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus reuelabit. verumtamen ad quod peruenimus vt idem sapiamus, & in eadem permaneamus regula*. multi ergo, inter quos Pharisæi, non se ad regulam, seù legem aptant, concinnant, componunt; sed legem, & regulam suis accomodant passionibus: idcircò eorum ædificia, videlicet, mores, & opera semper distorta, inclinata, ruinam minantur. quam doctrinam latè prosequitur explicare S. Thom. par. 2. quæst. 90. art. 1. in corp. & in respons. ad primum, & art. 4. in corp.

7 Et hinc est, quod isti legem tamdiù obseruant, quamdiù eorum voluptatibus nõ repugnat; vbi verò aliquam experiri incipiunt difficultatem, vel repugnantiam, eam à sese remouent, cùm è contra viri sancti, & iusti diuinam legem firmo, & stabili nexu sibi obstringant, numquam dimittendam. in qua cogitatione defixum, crediderim Dauid de se dixisse Psal. 118. ℣. 111. *Hæreditate acquisiui testimonia tua in æternum*. ad quæ verba notat Pater Agell. quod *non idem est hæreditate acquirere, quòd possidere; nam rem possessam alienandi, ius erat in eo populo, hæreditatem alienandi ius non erat: ergo hæreditatis possessio perpetua est*. Lex ista de bonis, quæ alienari non poterant, habetur Leuit. 25. ℣. 46. *de aduenis, qui peregrinantur apud vos, vel qui ex his nati fuerint in terra vestra, hos habebitis famulos, & hæreditario iure transmittetis ad posteros, ac possidebitis in æternum*. & hinc idem psaltes Psal. 82. ℣. 13. *qui dixerunt hæreditate possideamus Sanctuarium Dei*. i. templum ipsum, per quod significantur census Ecclesiastici, redditus, beneficia, & prouentus sacris locis debiti, quos non solùm aliqui possidere, percipere, & frui satis habent, sed curant etiam, & contendunt ad filios, aut nepotes posteros transferre, & propterea dixerunt: *hæreditate possideamus &c.* est ergo sensus Psalmistæ in illo Psal. 118. legem tuã, & præcepta ita suscepi, ac si perpetuò habere, obseruare, & instar bonorum hæreditate

Psalm.

P. Agell.

Res possessa alienari potest; hæreditate acquisita, non potest.

Leuit.

Psalm.

Bona Ecclesiastica qui ad posteros trãferant.

Lex Dei, quasi hæreditario iure, perpetuò habenda.

acqui-

acquisitorum à Deo, Prophetis, Apostolis, Euangelistis, & ab Ecclesia ad nos deuolutorum, posteris etiam trāsmittere, per vitæ exemplum, & institutionem morum, omninò statuerim; neque accepi ad modicum tempus custodienda. P. Agell. *vt igitur*, inquit, *diceret se legis Dei possessionem ita obtinere, vt numquam dum viuit ea cadat, neq; iure possessionis vnquam cesserum, sed semper per illam abiturum, neque hanc hæreditatem patrum meorum successione ad me deductam, aut vendam, aut permutabo, vt dixit Naboth* 3. Reg. 21. *propitius mihi sit Deus, ne dem hæreditatem Patrum meorum tibi*. sed inimicus hominum diabolus, qui hanc legem è mundo tollere, quod in se est, vellet, circumit, & eis qui vænalem illi proponunt legem Dei, soluto prætio è diuinæ legis possessione extrudit, atque vtinam iustum prætium accepissent, sed miseri instar pueri, qui preciosam gemmam, inscius valoris illius, vili pomo commutat, vilibus & caducis rebus, delicijs, voluptatibus corporis, honoribus, cæterisque similibus, ab inæstimabili, & beato statu possessorum diuinæ legis detruduntur.

P. Agell.

Aliqui legem Dei, in possessione, venalem habent.

8 Alij verò qui specie tenus saltē iustitiam profitentur, legem hæreditate se habere dicunt, quia nullo se tempore ab ea possessione recessuros profitentur; sed hoc faciunt ad proprium commodum, quia in adeunda hæreditate, idest, in suscipienda lege, vtuntur benefitio legis & inuentarij, quia tādiù statuunt diuina mandata obseruare, donec suis rebus expedire intelligant. vbi ad aliquod ingens debitum soluendum vocantur, puta ad amorem inimicorum, ieiunia, continentiam &c. excipiunt se non teneri vltra vires, ex quo legem susceperint cum beneficio, ac legem transgrediuntur, cum veri illius & perpetui, ac legitimi possessores, & hæredes non essent, quam in suam perniciem deserunt, veluti rē onerariam, quæ ad multa soluenda obstringit, quę supra suas vires, falsus æstimator, iudicat, Dei gratiam non considerans, sed suo sensui tantùm consulens, non sic Dauid; *hæreditate*, inquit, *acquisiui testimonia tua in æternum* non ad tempus, sed *in æternum*, neque cum beneficio legis, & inuentarii, tanquam rem onerosam, litigijs, & debitis expositā.

Legē Dei, tanquam onerosam cum beneficio legis & inuentarij aliqui accipiunt.

9 Qui huiusmodi sunt, quantùm à recta via aberrent, & sibi ipsis officiāt, ostendunt verba illa Salomonis Prouerb. 3. ℣. 21. *Custodi legem, atque consilium*. in Hebræo, pro *lege*, ponitur *Essentia*, vel *subsistentia*. Et quidem *Essentiæ* nomen, iure imponitur legi, quæ homini præscribitur; sicut enim Essentia sumus id quod sumus, ita & lege. eoq; modo, quo per essentiam, seù rationalitatem in esse hominis constituimur, & à brutis distinguimur, ita & lege, quæ ad rectam rationē ordinatur, & sensibiles coercet appetitus inordinatos. hoc est quod dicit Salomon Eccle. 12 ℣. 13. *Deum time, & mandata eius obserua, hoc est omnis homo*, idest, inquit Salonius Viennensis Galliarum Episc. tom. 1. Bibliot. SS. Patrum: *hoc demonstrat in his verbis, quia non est homo qui Deum non timet, & mandata eius non custodit, quia non custodit modum, rationemq; suæ naturæ*, & Aristot. orat. contra Aristogit. *si leges*, inquit, *abrogentur, & cuiuis licentia data sit faciendi quidquid voluerit: non solum Respublica pessum ibit, sed nec quicquā intererit inter nostram, & ferarum vitam*.

Prouerb.

Lex. Essētia dicitur quia hominem quasi constituit.

Eccle.

Salonius.

Arist.

10 Neq; præter rē, dicitur quoq, *lex subsistentia*, nam subsistentia est ille actualis modus per se existendi, seù vltimus terminus naturæ substantialis, & facit rem per se realiter existentem. vt v.g. Natura humana in Christo, non subsistit subsistentia propria, sed subsistētia Verbi, per vnionem hypostaticā, & sine illa, realiter existens, & extra causas non esset, aut permaneret. Ergo *lex* siue naturalis, siue scripta, siue Dei, homini lata, veluti *subsistentia* illi est, quia illum quasi determinat, actuat, sistit, figit, consistentiam tribuit, qualis

Lex, subsistentia dicitur, quia facit res subsistere.

esse debeat præscribit, ne huc, illucque passionibus ducatur. dicitur enim Sapient.4.℣.12. *inconstantia concupiscentiæ transuertit sensum sine malitia.* consistentiam tribuit *lex*, dùm cuiq; quid agendum, quidue vitandum sit præscribit. Ipsis quoque Principibus, ac Regibus, quasi *subsistentia* quædam leges sunt; namque diffunduntur, & ad varia scelera prolabuntur populi non coerciti legibus; quique dùm perperam viuunt: Principes sui, & ipsum Imperium fluctuet, opus est; hinc Rex ille sapiens, & expertus dicebat Sapient. 6.℣.21.22. *concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum perpetuum, si ergo delectamini sedibus, & sceptris ò Reges populi, diligite sapientiam, vt in perpetuum regnetis.* Sic quoque Prouer. 16. ℣.12. *abominabiles* Regi, *qui agunt impiè: quoniam iustitia firmatur solium.* idest, dùm Rex eos, qui peruersè agũt secundum leges iudicat, & arguit, stat firmum, stabile suum imperium: nam sine lege corruit, Regnumque non stabit. hæc fuit sententia Heracliti, qui (vt scribit Laert. lib.9. cap.11.) *non minus,* dicebat, *oportet pugnare pro legibus, quàm pro manibus. quòd absque legibus, nullo pacto possit esse ciuitas incolumis, absque manibus possit.* Idipsum alia similitudine edocuit S. Theophilus Alexand. Episco. epistol. Paschali 3. *qui sui,* inquit, *curam gerunt, diuinorum dispensatione verborum quasi gubernaculo vtentes, occurrunt hæreticorum tempestati, & fluctibus: legem Dei pro arte retinentes; vt qui corruerunt, suscitentur; qui stant, firmo perseuerent gradu; quod enim gubernatori clauus, hoc animo est lex* Dei. Cui consonat Sapientis sententia Prouerb. 1. ℣.5. *audiens sapiens* (scilicet mandata, & doctrinam, de qua dixerat) *sapientior erit: & intelligens gubernacula possidebit.* ad formalitatem *subsistentiæ*, seù consistentiæ, magis in particulari alludit Cic. 3. de legib. *Nihil,* inquit, *est tàm aptum ad cognitionem naturæ, quàm lex, sine qua nec domus vlla, nec ciuitas, nec gẽs, nec hominum vniuersum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus, potest.* Quæ verò huius vitæ lubrica inconstantia, volubilia bona possidemus, vel acquirere auidè desudamus; si Dei legem abiecerimus, corruent, effluent, quasi nullam habentes subsisten tiam, cùm hanc omnem à Dei lege custodita, vendicent: sed de hoc aliàs.

Sapient. | Imperiũ ... ne lege, ... aud fir... tum. | Sapient. | Prouerb. | Laert. | S. Theoph | Lex Dei, ...auus fir...us. | Cic. | ...at mun ...s legib.

Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros, &c. — Sacer textus.

CAP. III.

Dominus per dilectionis præceptum, perturbatam legis Musicam restituit.

1 
Dmirabilis, & stupenda apparuit diuina virtus, tũ in cũctis quę molita est operibus, tũ præcipuè in huius Mundi-machinæ proportionata constitutione: in qua omnia ita congruè disposita sunt, ita sapienter contemperata, vt pondus, & mensuram suam seruantia, pulcherrimũ resonent melos, quo vnanimiter reddunt auctori creationis suæ quas possunt grates. Cœli regulari suo & vniformi motu, ac influxu, harmoniam illam suauissimam resonant, quam à se percipi dicebat Pythagoras; & quam significasse visus est Dauid Psalm. 18. dicens: *Cæli enarrant gloriam Dei, &c.* quem locum de hoc cælorum concentu interpretati sunt pleriq; & maximè P. Agell. noster exponens ℣. 3. eiusdem Psalm. *non sunt loquelæ, neq; sermones, quorum non audiantur voces eorum:* quam etiam harmoniam auditam à Moyse quadraginta diebus, quibus extra corpus raptus est, videtur tradidisse Philo Iudæus in

Mũdi machina concentum efficit. | Cæli armoniam resonant. | Psalm. | P. Agell. | Philo.

D. Ansel. lib. de somn. & D. Anselm. lib. 1. de Imag. Mund. cap. 24. apertè testatur, quod *septem orbes cum dulcisona harmonia voluuntur, ac suauissimi concentus eorum circuitione efficiuntur: qui sonus ideo ad aures nostras non peruenit, quia vltra aerem fit, &c.*

2 Quod si à cælesti, & æthereo ad elementarem mundum descendere libeat, in hoc pariter suauissimum exaudiri potest melos; nam ex dissidentium Elementorum à Deo ordinatorũ mirabili temperie concentus ille oritur, de quo Sapient. 19 ℣. 17 dicitur, *In se enim Elementa dum conuertuntur, sicut in organo qualitatis sonus immutatur, & omnia suum sonum custodiunt.* quem locum ita exponit Raban. *Sicut in organo diuersi soni ad concordiam melodiæ temperamento consentiunt, ita discrepantia elementa, seruato iure naturæ ad Creatoris voluntatem flectuntur.* de quibus ad litteram non repugnat locutum Dauid Psalm. 76. ℣. 18. *Vocem dederunt nubes*, quam vocem de tonitru intelligit D. Hieronym *sunt autem* (vt dicit Octauian. de Tufo in Ecclesiastici cap. 16. ℣. 18.) *tonitrus maris Musicæ voces, quæ Dei magnitudinē præcinant, ita vt non concentum modo cæli efficiant Deo suo, sed etiam vnda sub vnda labunda ruens, vt ille inquit, occursu, recursuque, Dei laudes, ac potentiam, elingui, sed diffuso per orbem terrarum sono, manifestat.*

Elementa musicum reddunt concentũ.

Sap.

Raban.

Psalm. S. Hiero

3 A magno ad paruum mundum idest, ad hominem descendamus, in cuius nobiliori parte, idest, anima, virium & potentiarum concordia admirabilem producit harmoniam virtutũ. Marsil. Ficin. in argumen. lib. 3. de Rep. *memento optimam omnium harmoniã esse animi temperantiam*; & paulò post. *plurimum in anima posse iudicat Plato harmoniam, siquidem harmonia quædã diuina fit animus, cælestique harmonia aliquando assuetus.* de qua harmonica animi compositione plura idem scribit comment. in Timæ. cap. 32. sunt autem virtutes quæ in animo concentum suauissimum resonant; vnde in 4. de Rep. *Iustitia est harmonia & consensio trium virium animæ, ex qua harmonia existunt homines iusti, fortes, temperantes, & alijs virtutibus præditi.* quod etiam ex eiusdem Platonis doctrina planius docuit Alcinous cap. 31. *Iustitia* (vniuersalis scilicet, & quæ ad omnes virtutes extenditur) *est consensio quædam omnium animæ partium, quippe vis quædam, qua tres animæ vires sibi mutuo consonant, & vnaquæq; pro dignitate suum explet officium.* Huc respexit D. Hierony. Comm. in cap. 16. Isai. exponens ea verba, *super hoc venter meus ad Moab quasi cithara sonabit. venter*, inquit, *meus Prophetæ, qui instar citharæ, musica arte compositus est, ita vt nulla sit chorda, quæ non reddat sonum suum, resonabit, &c.* & quia loquebatur de cithara animæ, propterea paulò infra subdit Hieron. *Hæc autem sunt viscera & interiora Prophetæ, de quibus & Dauid dicebat in Psalm. 102. benedic anima mea domino, & omnia interiora mea nomen sanctum eius.*

In homine virtutum armonia.

Marsil. Ficin.

Plato.

Iustitia est harmonia.

Alcino.

S. Hieron

Sancti viri sunt cithara Dei

Viscera. & cor hominis, citharæ cordæ.

4 In humano verò corpore, consentiens, & contemperata humorum proportio, sanitas est, optima corporis virtus; quæ etiam sanitas est veluti harmonia; vnde Hippocr. in lib. de natur. human. *Corpus*, inquit, *hominis sanum in primis est cùm hæc* (idest quatuor humores) *mediocriter tum viribus, tum multitudine, mutuo inter sese habuerint*, idest, cùm temperatam consensionem obseruant; vnde Galen. exponens dictũ Hyppocratis, *ex omnium*, inquit, *Philosophorum, & Medicorum sententia elementorum moderatio sanitatem gignit; sicut moderatio vocum producit harmoniam.*

Sanitas, est harmonia.

Hippocr.

Galen.

5 Ex hac insita creaturis cũctis ad harmonicum concentum propensione fit, vt cuncta creata, quasi chorum quẽdam Musicum constituere videantur, cùm quodlibet qua ratione potest munus suum explet, & Dei laudes recinit. Hanc Musicam admiratus Dauid dixit Psalm. 91. ℣. 3. 4. *in decachordo psalte-*

Psalm.

Omnis mundi cõstitutio cõcentum edit.

rio, cum cantico & cithara, quia delectasti me Domine in factura tua. delectatum se ex contemplatione creaturarum dicit Dauid, ex qua eam perceperit suauitatem, quam canticum, & cythara resonans reddunt. P. Agell. *exponit*, inquit, *quænam ea sint instrumenta quibus ipse Dei laudes concelebrat, ea inquit, non alia esse, quàm ipsas res conditas, ipsaq; Dei opera, quorum spectaculo sic oblectetur, vt ex horum instrumentorum sonis, atque concentibus, aures voluptatem captant, nam & singula creata præclarè habent, & cuncta ita inter se consentiunt, vt concentum quodammodo longè admirabiliorem edant, & Creatoris artificium, ac sapientiam prædicare videantur Hanc sententiam adiuuat verbum positum εὐφράνα de lectasti, quod verbum de lætitia sonorũ, & cantuum dici solet: In hoc itaque concentu rerum creatarum tamquam in fidibus, ac lyra ad Musicam rationem aptissima consonantibus me delectasti.* subscribit huic expositioni Lorin. affirmans quod creaturarum inter se concentus adeo aptus est, vt animum afficiat incredibili voluptate; cum conditarum rerum vniuersitas suauem, & admirabilem auribus intelligentiæ modulationem subministret, tamquam vel voces bene compositæ, vel fides aptè pulsatæ. Ipse vero conditor Deus, instar Coriphæi, omnium creaturarum voces regit, singulis cantuq; modum assignans. ideo enim scribitur Psalm. 17. ℣. 15. *intonuit de cælo Dominus, & altissimus dedit vocem suam.* ad cuius nutum omnia suauissimè modulantur, vt propterea Sapient. 1. ℣. 7. dictum fuerit: *spiritus Domini repleuit Orbem terrarum, & hoc quod cõtinet omnia scientiam habet vocis.* seu vt legit Ceruantes; *scientiam habet vocalem, quia illo Magistro vice vtimur ad laudes Dei texendas.* & D Basil. ad illa verba Psal. 95. ℣. 1. *cantate Domino omnis terra de omnibus*, inquit, *Creaturis melodiam Deo offert.*

P. Agell.

Lorin.

Deus magister musices.

Psalm.

Sapient.

Ceruant.

Spiritus instruit ad Deum laudandum. D. Basil.

6 Ad hanc creatarum rerum harmoniam respexit B. Iob dum cap. 38. ℣. 37. dixit. *Concentum cæli, quis dormire faciet?* hoc est quis legem harmoniæ imponit creaturis, vt vel conticescant quasi consopitæ, vel excitatæ laudes annuncient creatoris canendo. Pineda exponens hæc verba, non solum alios adducit qui ea de vniuersa cælorum ratione, influentia, figura, magnitudine, ac concentu interpretantur, quorum ipsa materia laudandi concentus quidã suauissimus sit; sed etiam addit, *quod cùm iubet Auctor naturæ concentus ille, quem elementa efficiunt, & qui consurgit ex pluuia tonitruis &c. tamquam ex proportione numerorum musicorum omninò conticescit.* cãtus enim cælorũ, & melos, est influxus in hæc inferiora per lumen, & virtutem. recinunt inferiora, dum ex influxu herbas, plantas, & fructus producũt; quapropter dicebat Dauid Psalm. 64. ℣. 13. 14. *pinguescent speciosa deserti, & exultatione colles accingentur. induti sunt arietes ouiũ, & valles abundabunt frumento; clamabunt, etenim hymnum dicent.* quo loco præclare (vt assolet semper) adnotat P. Agell noster, quæ, quoniam ad alia properamus, hic ommittimus, hæc omnia fiunt ad nutum Dei, musicum hũc chorum regentis.

Iob.

Mundi concentus

Pineda.

Cantus cælorum, est influxus in inferiora. Recinunt inferiora cùm germinant. Psalm.

7 Proposuit itaque Deus cunctis creaturis in hunc chorum coeuntibus, tamquam canticum, in quo exerceantur, diuinas virtutes, omnipotentiam, bonitatem, maiestatem, & legem quam singulis præscripsit seruandam; νόμος *nomos* enim & legem significat, & musicum modum; idque tunc præstitit, *quando* Prouerb. 8. ℣. 27. *præparabat cælos, quando certa lege, & gyro vallabat abyssos, quando æthera firmabat sursum, quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis.* vt & homo aliarum creaturarum exemplo permotus diuinarum laudum magnitudinem resonaret, & diuinæ legis modum cunctis suauius concineret; de quo dicitur Eccli. 17. ℣. 11. *& magnalia honoris eius vidit oculus illorum, &*

Lex Dei canticum.

Prouerb.

Cuncta creata Dei legem accipiunt.

Eccli.

honorem

Dei legem seruans musicus.

honorem vocis audierunt aures illorum cunctis videlicet creaturis hunc honorem celebrantibus, voluit Deus homines excitari, *vt magnalia enarrent operum eius*, vt ibidem dicitur ℣. 9 & subditur; *addidit illis disciplinam, & legem vitæ*; in qua lege seruanda, & canendo cantico, summam apud Deum, & homines laudem consecuti sunt probi, & iusti, de quibus dicitur Eccli. cap. 44. ℣. 1. *laudemus viros gloriosos &c.* & ℣. 5. *in peritia sua requirentes modos musicos, & narrantes carmina scripturarum* Hugo Card. *non ad delectationem aurium*, ait, *vt illi de quibus dicitur Esai. quinto, cythara, & lyra, & tibia, & tympanum, in conuiuijs vestris, & opus domini non respicitis; sed ad laudem Dei, vt in se deuotionem excitarēt.* hæc Hugo.

Eccli.

Hugo.

8 Ab diuina lege, seu concentu, primus omnium desciuit Diabolus, qui vocem, & spiritum nimis intendens, & extollens, dissonanter cecinit, cùm dixit Isai. 14. ℣. 13. *in cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo.* constitueerat illi Deus sedem altam, maluit esse altissimus, & Dei musicam perturbare, ideoq; illum summus Coriphæus meritò compescuit, & pro altissimo quem affectauit locū, ima illi tartara assignauit. Factus itaq; Dei æmulus, assiduo meditatur hanc creaturarum musicam peruertere; a primum hominem pellexit ad diuinæ legis præuaricationem, & concentus dissonantiam; nam illi maiora viribus promittens, & ad altiora eum quam par erat eleuans, Genes. 3. *eritis*, inquit, *sicut dij*. plerumque eundem infra humanā dignitatem depressit, quando Isai. cap. 2. ℣. 9. *repleta est terra eorum idolis, opus manuum suarū adorauerūt, quod fecerunt digiti eorum & incuruauit se homo, & humiliatus est vir.* Vitiatam itaq; naturæ legē, & diaboli astu deprauatam, per Mosen in lege scripta restituit Dominus, proponens populo in tabulis legē quasi canticum modulandum, quod iterum diabolus, perpetuus diuinarum laudum insidiator corrupit; & cū in lege scriptum esset: Leuit. 19. ℣. 18. *diliges proximum tuum sicut te ipsum* Pharisæi hoc canticum immutantes, per proximum *amicum* interpretabantur, addiderantque: *& odio habebis inimicum tuum*.

Isai. Diabolus, primus omnium, Dei musicam perturbauit.

Excitat diabolus hominē ad dissonantiam.

Genes.

Isai.

Leuit.

9 Descendit itaque summus Coriphæus, & inter homines cōuersatus, verum legis sonum aperuit; descendit inquā egregius hic cantor, *non Terpandri*, vt egregiè dicit Clem. Alexandr. in præfat. Hortat. ad Gent. *modum, non Capitonis canens, sed neq; Phygium, vel Lydium, vel Dorium, sed nouæ harmoniæ æternum modum, qui à Deo accepit denominationem. Canticum nouum*, idest, Euāgelium, quod non tā nouum quam renouatum ex veteri lege canticum dici potest. nam pro superbia, & elatione, quam diabolus Adamo suaserat, *eritis sicut dij*, humilitatem prætulit Matth. 11. ℣. 19. *discite à me quia mitis sum, & humilis corde*, & Paul. ad Philipp. 2. ℣. 8 *humiliauit se metipsum*; ac fidelibus suis edixit; Luc. 14. ℣. 11. quod *qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur*; pro falso idolorum cultu, verum Deum proposuit adorandum, Luc. 4. ℣. 8. *Dominum Deum adorabis, & illi soli seruies*; & Io. 4. ℣. 22. *venit hora & nunc est, quando veri adoratores, adorabunt Patrem in spiritu, & veritate.* & pro eo quod dictum fuerat antiquis: *odio habebis inimicum tuum*; intonat canticum, & præceptum nouum: *Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros, benefacite ijs qui oderunt vos, & orate pro persequentibus &c.* Neque enim poterat deprauatam legem ferre, qui in id venerat, vt hoc canticum bene homines concinerent; Matth. 5. ℣. 17. *non veni soluere, sed adimplere legem.* nam quemadmodum ex inæqualium, & dissimilium vocum consensu, concētus oritur; ita si inimicos diligamus, dissimiles, & diffidentes affectus, in

Clem. Alex.

Christus harmoniā docet.

Matth.

Philipp.

Luc.

Luc.

Ioan.

Matth.

suauis-

ſuauiſſimam, ac diuinis auribus gratiſſimam harmoniam conſpirant.

10 Contendit pluribus oſtendere Plutar. in q. Conuiual. lib. 3. q. 3. Quod amor *muſicam docet*; quia nemo non Amori profano addictus, aliquid Poeticũ pangit, vel modulatur; ideo Amorem Plato omnium molitorem appellauit; *ſi quidem* ait Plutar. *reddit taciturnos linguaces; prudentem blandum; ſupinum, & ignauum, acrem, & induſtrium; & quod in primis mireris, homo parcus, & ſordidus, quando in amorem delapſus eſt, ſicut quando in ignem ferrum, remittitur, & molleſcit: ita ſoluitur, fluit, & hilarior redditur*. Sed Chriſtus verus Amor, & ignis conſumens; veriùs muſicam homines docuit, & quos duros, ac ferreos inuenerat, molles, & mites reddidit, *ego autem dico vobis diligite inimicos veſtros*. propterea acutè dixit Clem. Alexan. loco allegato; *Vide*, inquit, *quantùm potuerit canticum nouum, homines ex lapidibus, & homines fecit ex feris*; verè enim mutato odio inimicorum in amorem, lapidea corda molleſcunt, & ferina pectora cicurãtur; nam ſi *ὁμόνοια concordia* eſt, & *ὁμονέω concordo*, à qua voce *homo* dictus eſt, vt pleriſque viſum fuit, qui diſcordes conciliat, hominem ſibi reddit, & homines facit ex feris.

Plutar.

Amor muſices Magiſter

Amoris effectus varij.

Christus amorẽ vt muſicam docet.

Clem. Alex.

Homo, concordia dicitur.

11 Hoc itaque eſt ſuauiſſimum canticum, quod Dominus noſter propoſuit in Euangelio; de quo illud Pſal. 95. ℣. 1. *Cantate Domino canticum nouum*, intelligens S. Auguſtin. vertit: *Amorem nouum*, vt idem ſit canticum, & Amor: quaſi dicat, diſſonum eſt canticum illud, & inconditum, atq; agreſtè *dictum eſt antiquis: odio habebis inimicum tuum*, ſubdolum, & ab inimico vitiatum, & propterea obliterandum, & antiquandum, eiuſque loco canticum nouum, ideſt, amor nouus ſubſtituendus: *ego autem dico vobis cantate canticum, & amorem nouum, diligite inimicos veſtros*. & hoc eſt quod alibi Io. 13. ℣. 34. dicitur; *mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem*. Quod clarius ſic explicauit idem S. Auguſtin. ſerm. 256. de temp. *Quod ibi dixit canticum nouum, hoc Dominus dixit mandatum nouum; quid enim habet canticũ niſi Amorem nouum? Cantare amantis eſt, vox huius cantoris feruor eſt ſancti Amoris*. hæc Auguſt.

Pſalm.

S. Aug. Canticum nouũ eſt amor inimicorum

Ioan.

S. Aug.

12 Neq; mirum eſſe debet, quod diximus, per hoc præceptum homines ex inhumanis, & feris immutatos; cùm maxima ſit vis Muſicæ, in humanis affectibus commouendis, & quocumq; libeat flectendis; quod maximè docuit factum Alexandri de quo Plutar. in libell. de Muſic. & Dio. Chryſoſt. orat. 1. de Regn. *Timotheum*, inquit, *ferunt, cùm primum Alexandro artis ſuæ ſpecimen exhiberet, ceciniſſe iuxta illius mores, non mollem, neque remiſſam cantionem; ſed ipſum rectum, qui Mineruæ appellatur nomum, & Alexandrum confeſtim exiluiſſe ad arma*. tantopere bellicoſum pectus concitauerat egregius cantor; *qui* (ſubdit optimè philoſophatus Dio) *ſi quemadmodum bellicum nouerat nomum percurrere, ſic etiã nouiſſet iuſtam cantionem, animum prudentem, temperatum, atque humanum reddere valentem, neque ſolùm ad arma ruentem, ſed etiam ad pacem, atque concordiam, dignus erat, qui verſatus eſſet apud Alexãdrum*. Nomum, ideſt, legẽ odij canebat diabolus quare homines cædes, & homicida meditabantur, ac bella, ab hoc cantu exciti: *odio habebis inimicum tuum*; ſed longè melior cantor Ieſus, hanc legem mutauit, & ad pacem, atque concordiam inducentem *nomum* proponit: *diligite inimicos veſtros*. qui proinde dignus eſt qui verſetur apud Alexandrum, ideſt apud cunctos verè magnanimos, qui hoc præceptum in primis colunt. dignum quippè eſt, vt qui cantu diaboli pellecti odij, & inimicitiarũ ſumpſerunt arma; nunc Dei voce excitati amoris arma induant, & exerant.

Plutar. Dio. Chry.

Cantu, Alexander excitatur ad arma

Diabolus, cantu ad rixas excitat homines.

13 Optimus huius modi Cantor fuit Dauid, vnde cum Saul à maligno ſpiritu exagitabatur, manſuetum, &

Dauid, cantu dæmonem fugat.

mite

mite aliquod præcinebat canticũ, quo Dæmonem abigebat. Ioseph. lib. 6. Antiq. cap. 9. *Dauid*, inquit, *ad Saul recenti Dæmonum incursu exagitatum accersitus est, vt cantu demulceret æstuantem mentis furorem, id quod præstitit.* Cui non absimilis Christus, agitata à maligno spiritu hominum corda, & in mutua odia concitata, per hanc legem amoris, tamquam optimum canticum, sedauit, exegitq; ab humanis cordibus agitantem ea spiritum nequitiæ. Propterea crediderim gloriatũ fuisse Deũ, quòd inuenisset hominem secundum cor suum, videlicet Dauid, quòd is hãc Musicam optimè caneret, nusquam voce aberrando, Quare Psal. 38. hunc titulum posuit. *Canticum* Dauid *pro Idithũ.* agitur in hoc psalmo de Amore inimicorum, propterea appellatur Canticum; suaue enim & iucundum, non ipsi tãtum Dauid, sed etiam Deo, audire homines de dimittendis iniurijs canentes. *Posui*, inquit, *ori meo custodiam, cum consisteret peccator aduersũ me*, ideſt, inimicus me persequens, vt exponunt Hesychius, Dydimus; per antonomasiam enim *inimicus* dicitur *peccator*, quòd omne moliatur peccatum, qui de vindicta sumenda cogitat. Vel quia in hoc vindicatiuus similis est *diabolo*, qui *inimicus*, & *peccator* dicitur. *obmutui*, ideſt os non aperui, vt maledicentibus, & iniurias ingerentibus rependerem. *in meditatione mea exardescet ignis.* quasi dicat, dum meditarer, & recolerem inimicorum iniurias, nedum ad iram contrà illos commouebar, quin potius ardebam erga eos igne charitatis; Quem horum verborum sensum amplexus est etiam P. Agell. *in ipsa*, inquit, *recordatione, & cogitatione eorum, quæ inimicus contra me egit, exarsit* (futurum posuit pro præterito Vates iuxta morem Sacræ scripturæ) *æstuauit bilis, furor, & feruor contra inimicum* sicut est illud Ps. 88. ℣ 47. *exardescet sicut ignis ira tua.* de quo sensu plura diximus in paraphrasi psalmi, dum de mortis memoria c. 10.

Ioseph.

Lex amoris corda sedat.

Psalm.

Inimicus, per antonomasiam dicitur peccator.

Inimicus, diabolo similis.

P. Agell.

Hoc est canticum, quo Deum propitiabat Dauid, quo malignum spiritum abigebat, *canticum pro Idithum*: fuit enim *Idithum* vt dicitur in lib. Deuter. vnus ex cantoribus, cui Dauid Psalmos à se compositos cantandos in Templo tradebat, vt loco præallegato nos exposuimus. Ergo charitatis feruorem, & inimicorum dilectionem, *Canticum* psaltes nominat, & concinit.

14 Neque mirum, aut insuetum videri debet, vt is quem diximus canere, profiteatur tamen, se ponere ori custodiam, & obmutescere, *posui ori meo custodiam.* Nam etiam in Choro, vnus aut alter Musicorum inter canendum plerumq; iubente chori Magistro pausant, & silent; interim dum reliqui canunt, mox & ipsi canticum repetituri. Quod & faciebat, qui insultantibus inimicis tacebat. *posui custodiam ori meo, cùm consisteret peccator aduersum me*; qui paulò post eiusdem Psalm. ℣. 13. canticum reassumit: *exaudi orationem Domine, & deprecationem meam*; vel vt legit D. Hieronym. *audi orationem meam Domine, & clamorem meum exaudi* quod eo petebat securius, quia pro inimicis orabat; quod & factum à sese etiam testatur Psalm. 108. *pro eo vt me diligerent detrahebant mihi, ego autem orabam.* id est quod in Euangelio dicitur: *orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Vel obmutisse se dicit cantor iste, quod hæc orationis Musica magis corde quam ore personet. cum ipse chori Magister Matth. 6. præcipiat orandũ esse Patrem *in abscondito, & clauso ostio*, ideſt, vt exponit S. Hieronym. *inclusa pectoris cogitatione labijsque compressis.* sic sancti viri etiam tacentes apud Deum clamant. S. Ambros. serm. 19. in Psal. 118. *clamat*, inquit, *os tuum, & cùm tacet, sicut & Moyses, cùm taceret voce, clamabat spiritu, ab hominibus non audiebatur, apud Deum personabat:* & propterea eidem Moysi, vt obseruat Sanct. Chrysost. *cum nihil voce resonaret, Dominus tamẽ, quid inquit clamas ad me?*

Amor Canticũ.

Pausat in cantu, qui calumniãti non respondet.

Canit, qui pro persequentibus orat.

S. Hieron.

Psalm.

Corde orandum.

Matth.

S. Hieron.

S. Ambr.

S. Chrys.

vt habetur Exod.14.℣.15. huiusmodi voce Dauid ore tacens corde vero clamans gratas Deo pro persecutoribus, & inimicis preces offerebat, quas etiã nos personare iubemur, quibus dicitur *orate pro persequentibus, & calumniantibus vos*, vt in hoc concentu, ab harmonia non discordemus.

15 Et benè nomine cantici designatur Amor erga inimicos, nam cum similem amorem expeteret, canticum exigebat sponsus à spõsa Cant.8.℣.12 *Quæ habitas in hortis amici auscultant, fac non audire vocem tuam*. Verba sunt Dei alloquentis animam, quam inimici persequuntur, & ly *amici* ironicè ponitur, idest, *inimici, æmuli*, ita Rabi Abraham, & Rabi Abenezdra; igitur ab hac petit Deus canticum: *fac me audire vocem tuam*, illam nimirum vocem, qua mandatum istud impleas; *orate pro persequentibus, & calumniantibus vos*, quod præstitit Paulus, qui scribebat 1.Corinth.4.℣.12 *maledicimur, & benedicimus, blasphemamur, & obsecramus*. Hanc vocem Deo gratissimam in Cruce edidit Christus. *Pater ignosce illis*; & Stephanus inter lapides clamãs: *Domine ne statuas illis hoc peccatum.*

Cantic.

Vocem orantis pro inimicis, audire poscit Deus.

R. Abraham.

R. Abenezdra.

1.Corint.

16 Hæc vox est, quam auditam à sese refert Ioan. Apocal.14.℣.2. *vocem quam audiui sicut citharædorum citharizantiũ*, nã teste Pier.lib.47. per *citharã* significatur discrepantiũ voluntatum concordia. ideo statuebatur in Mercurij manibus lyra; idq; hieroglíphycũ ostẽdebat, concentum omnem, ex vocum inæqualitate constare; concentus verò hominum est, cùm variæ volũtates inter se dissentientes, in vnum cõsensum contrahuntur; audiuit itaque Apostolus *vocem citharædorum*, qui discrepantibus voluntatibus, ad diuinorum mandatorum obseruantiam, in vnum concentum conueniebant. hoc & Christus facit in Euangelio, dum dissonam illam vocum discrepantiam: *odio habebis inimicum tuum*, ad perfectissimum consensum, concentumq; reuocat: *ego autẽ dico vobis diligite inimicos vestros.*

Apocal.

Pier.

Cõsensus & concẽtus diuersarum voluntatum.

Erant verò Cytharæ illæ Cytharedorum, quos vidit Ioannes, decem vinctæ chordis Ioseph. lib.7. cap.10. *cythara decẽ vincta chordis, plectro pulsatur, & in hoc similis est psalterio, de quo in Psalm.32.℣.2. in psalterio decem chordarum psallam tibi*, & sic denotant decem legis præcepta, quorum si vnum ab obseruatione dissentiat, dissona erit vita hominis. sunt autem duæ præcipuè huius cytharæ cordæ, amor, scilicet, Dei, & proximi; quæ si rectè resonent, tota cythara concors est. id quod scribit Hugo Cardin. exponens illa verba Psalm.107. *paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo, & psallam in gloria mea, exurge psalteriũ, & cythara. per psalterium*, inquit, *decẽ chordarum intelligitur impletio decem mandatorum*, & quia in duabus chordis, idest, in amore erga Deum, & erga proximum tota lex continetur, propterea inquit *paratum cor meum Deus, paratum cor meum*; bis paratum, quia duplici hoc amore resonare didicisset; vnde subdit Hugo: *paratum tibi Domine vacare, paratum proximis ministrare*, vt per dilectionem, & concordiam voluntatum, omnia fiant consona.

Ioseph.

Psalm.

Psalm.


Hugo.

Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros.

Sacer textus.

CAP. IV.

Amoris inimicorum præceptum, maximè nobilitat amantem, eo quòd Deus est, qui præcipit.



1 PRæcipuum motiuum, quod homines secundum carnem ambulantes, ab inimicorum dilectione maximopere retrahit, esse solet, dedecoris

nota,

nota, quam ex huiusmodi dilectione, atque iniuriarum remissione resultare, asserunt. Contra hos non vacat multis contendere, sed apertissimè ex eo sanguinarij isti homines conuincuntur, quod Deus est, qui dilectionem præcipit inimicorum: *Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros, & benefacite ijs, qui oderunt vos.* Deus inquam, qui hominis honorem, & gloriam ita semper in mente habuit, vt illum Angelis nobiliorem, se ipso paulò inferiorem, imò simillimum crearit Genes. 1. ℣. 26. *faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*. Quamobrē admiratione captus Dauid exclamauit: Psalm. 8. ℣. 6. *Quid est homo, quòd memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulò minus. ab Angelis gloria, & honore coronasti eum*. Quæ verba sic legenda sunt, vt punctus ponatur post ly *paulò minus*, non autem post ly *ab Angelis*; & sic particula, *ab*, non cum antecedentibus sed cum sequentibus nectenda est in hunc modum: *minuisti eum paulò minus*, à quo? à Deo inquam, dicunt S. Chrysost. S. Hierony. & Pagninus. comparans autem hominem ad Angelos, subdit: *ab Angelis*, idest, *præ Angelis*, vel *supra Angelos; gloria, & honore coronasti eum*, idque S. Chrysostomi firmat versio, quæ sic habet: *Minuisti eum paulò lò minus; vltra Angelos, seù præ Angelis; gloria, & honore coronasti eum*, audi eundem Chrysostomum hom. 8. in Genes. in illa verba: *faciamus hominem ad imaginem &c. quare*, inquit, *tardius creatus est homo, si omnia dignitate præstat? meritò, nam, vt ingressuro in aliquam Ciuitatem Rege, opere pretium est præmittere satellites aliosq; omnes, vt bene adornatis palatijs, Rex honestius ibi agat, ita etiam simili modo, quasi Regē in rebus terrenis præfecturus, prius omnem hunc ornatum fabricauit, & tandem præficiendum hominem formauit, declarans factis ipsis, quanto honore animal hoc prosequatur.* Summo ergo honore Deus humanum genus decorauit, si ipsius creationem inspicias.

Honorem hominis Deus curat.

Genes.

Psalm.

Explicatur Dauid

Homo præ Angelis honoratur S. Chrys.

Homo mūdi Rex à Deo constituitur.

2 Iam verò Iustorum hominum vitam, quantis cumulet honoribus, explicat Dauid Psalm. 138. ℣. 17. *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est Principatus eorum*; ac si dicat Propheta: amicos suos Deus maximo in honore apud omnes esse voluit, ideoque eorum dominium, ac Principatum *ampliari nimis, & dilatari* (hoc enim significat verbum illud *confortatus*, vnde alij legunt: *Multiplicatus*) sicut in Psalm. 70. ℣. 21. *Multiplicasti magnificentiam tuam*, iuxta P. Agelliū nostrum: *Regnum tuum auxisti. Dilatauit* ergo Deus suorū seruorum imperium, ac dominium, vt eo aucto, ipsorum etiam honor augeretur, ad mensuram namq; dominij, dominantis honor excrescit. Prærerea vult Deus seruos suos honorari, sicut semetipsum. Luc. 10. ℣. 16. *Qui vos spernit, me spernit, qui autem spernit me, spernit eum, qui me misit*. Quo in loco illud obseruādum est, quod quasi hominis æquè, ac æterni Patris honorem Christus Dominus æstimat, sicut enim in honore se ipsum Patri, ita hominem sibi comparat. Si ergo Deo tantæ curæ est hominis honor, quis audeat dicere inimicorum dilectionem, quam adeo districtè Deus homini præcipit, illi dedecoris notam, vel minimam allaturam. accedit quod præcepta Dei non solum ignominiam nullam, sed potius honorem maximum nobis cōferunt, hoc est quod Regius ille vir dicebat Ps. 18. ℣. 12. *etenim seruus tuus custodit ea*, scilicet, *præcepta ea, ac mandata* quorum primum, ac præcipuum illud est: *diliges Dominum Deum tuum, &c. secundum autem simile huic, & proximū tuum sicut te ipsum*. Geneb. ex Hebr. pro *custodit ea* legit: *Nizhar bahem*, idest, *clarus fit*, & est sensus qui custodit præcepta, fit *clarus*, idest, *nobilis*, Venetorum more, quorum nobiles, ac Reipublicæ præcipui *clarissimi* dicuntur; cùm ergo audis præceptum de ini-

Psalm. Honores hominis à Deo.

Psalm. P. Agell.

Luc.

Hominem sibi in honore comperat Deus.

Psalm. Genebr. Ignoscens inimicis fit clarissimus

micorum dilectione: *ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros &c.* ne ignominiam timeas, neque ignobilitatem, & dedecus suspiceris.

3 Perspicuum de re hac habemus testimonium Exod. 34. ℣. 29 *scripsit in tabulis verba fæderis decem, cùmque descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonij, & ignorabat quod cornuta esset facies sua, ex consortio sermonis Dñi*; nulli dubiũ est cornua Regũ esse insignia, sic Ps. 111. ℣. 8. *cornu eius exaltabitur in gloria*; Daniel. 10. *decem cornua, decem Reges terra sunt*, & sæpè aliàs. imò coronam à cornu dictam, ait Pierius lib. 61. ti. corona. cornua ergo ista, quæ in Moysis facie impressa, ac conspecta fuerunt, post susceptionem legis: absque dubio, insignem honorem Moysi collatum præseferunt; sic Interlin *facies Moysi*, inquit, *glorificata*; sic etiam Isidor. *descendente Moyse*, inquit, *cum tabulis, facies eius glorificata videtur*, & Origen. *scriptum est*, inquit, *quia vidit Aaron, & omnes filij Israel Moysen, & erat glorificata facies eius*. Accedit, quòd non simpliciter *cornua* in Moysi capite apparuerunt, sed ex radijs, & splendoribus efformata. porrò Regiæ Coronæ apud priscos, radiorum referunt similitudinem, vnde in Apollinis capite duodecim capillos pro corona composuerunt, qui splendore suo fulgentes, caput vniuersum radijs illustrarent, & quod legis de muliere in Apoca. 12. ℣. 1. *in capite eius corona stellarum duodecim*, duodecim gemmæ intellige, quæ radiantes, nimio splendore, in stellarum morem conspiciebantur; & apud Virgilium.

Quadriiugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radij fulgẽtia cingunt
Solis aui speciem

Cornuta ergo, ac radiata Moysis facies Regiũ præferebat insigne; sed ne iactes ex sola, & præcisa alloquutione cum Deo, prærogatiua hac ditatum fuisse Moysen; nam pluries eundem cum Domino loquutum legimus, nusquam verò insignitã diademate faciem nouimus, nisi hoc loco, cum legis Diuinæ tabulas accepit; vt indecolligas ex legis, & præceptorum Dei susceptione eam gloriam Moysi collatam, vnde Interlin. *cornutam*, inquit, *Moysi faciem, duobus, scilicet testamentis, vetus, scilicet apertè, nouum occultè*; ergo duo cornua, quæ sunt coronæ, & regna, ex Dei lege sunt, vel lex ipsa. Cõfirm. Isidor. *descendente Moyse cum tabulis, facies eius glorificata videtur, sed tamen velamine tegitur, in quo significat legem mystico velamine esse coopertam &c.* imò quia *primum, & maximum mandatum in lege est, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; secundum autem simile huic: diliges proximum tuum sicut te ipsum*, & secundum Apostolum ad Rom. 5. *plenitudo legis est charitas*, summum fidelium honorem, gloriam, & coronam ex præceptis præcipuè de Deo, & proximo diligendo exoriri intellige.

4 Idipsum quod intendimus, per pulchrè, & lepidè adnotauit. S. Chrysolog. qui põderans quod Deus Abrahæ præcepit Genes. 17. ℣. 11. *Circumcidetur ex vobis omne masculinum, & circumcidetis carnẽ præputij vestri, vt sit in signum fæderis &c.* inquit, ser. 55. *Abraham vbi Deum patrem credidit, mandatorum formas non attendit asperas & acerbas: circumcisionem recipit verecundam, & quæ Cælestis pater iubet non discutit, sed iudicat gloriosa*; erat enim humanis aspectibus verecũdum circumcisionis signum, quia verò Deus præcipit, vt pater, *& Abraham Deum patrem credidit*: non potuit animo concipere, rem verecundã, patrem filio præcipere, ideo *circumcisionem* minimè *verecundam, sed, quæ cælestis pater iubet, iudicat gloriosa*. Similiter, & inimicorum dilectio iniurias non vindicare, percutienti aliam maxillam præbere; & si dedecus aliquod afferre humanis oculis videatur, quia tamen Deus, pater Cœlestis est, qui præcipit:

Exod.
Cornu, Regis insigne Psalm. Daniel.
Pier. Corona, à cornu dicta. Exodi locus explicatur. Interlin. Isid. Origen.
Gemmæ stellarum in more m fulgent. Apoca. locus explicatur.
Virg.
Lex Dei, mmos honores confert suscipientib.
Romm.
S. Chrys.
Dei præcepta iucunde, & gloriosa.
Dilectionis inimicorũ præceptũ gloriosum.

Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros, vt sitis sitis filij patris vestri, qui in cælis est; totum debemus credere gloriosum, quis enim pater filio præcipit, quod infamiam adducit? quantò minus Deus. Vel ergo dicendum est Deum temere hoc præcipere, legemq; eius esse iniustam; vel hoc præceptum: *diligite inimicos vestros*, nullam infamiæ, aut dedecoris notā inferre obseruatoribus, primum asserere est impium; ergo secundum verum.

5 Inter cætera nomina lex Diuina, & præcepta Dei *iustitia* appellantur, sicut Psalm. 118 ℣. 142. *iustitia tua iustitia in æternum, & lex tua veritas*, ea ratione, quia iustissimè promulgata sunt, vel vt ait Theodoritus Psalm. 18. *Dicitur lex, iustitia, vt quæ ius doceat, & iniuriam prohibeat*; Iustissimum ergo est mandatū de dilectione inimicorum; & si alijs præcipit ne iniuria inferatur, multo minus iniuriosum te reddit sua lege Deus, cùm inimicum præcipit ne offendas, alioqui, quod tibi præcipit obseruādum, Deus ipse non custodiret, & iniuriam quam alijs præcipit non inferendā, tibi Deus inferret.

Psalm. Lex, iniuriosa non præcipit. Theod.

6 Sed si firmiùs, ac dilucidiùs id quod dicimus probare volumus, explicandus erit locus Prouerb. 1. ℣. 8. 9 *audi*, inquit, *fili mi, disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ; vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* de lege, præceptis, & eruditione in vniuersum hic sermo est; præcipue de lege Dei, vt aiunt Lyran. Beda, Hugo, & alij in specie tamen de abstinendo à vindicta, & sanguine inimicorum; nam subdit statim ℣. 10. 11. *fili mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis, si dixerint: veni nobiscū, insidiemur sanguini, abscondamus tendicula contra insontem frustra: deglutiamus eum sicut infernus viuentem, &c. pedes illorum ad malum currunt, & festinant vt effundant sanguinem.* hanc ergo legem de non vindicando, neque fundendo inimicorum sanguine, præcipit Sapiens seruari. quænam verò bona inde subsecutura sint, illis verbis ostendit: *vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* Priùs dicendum est, quænam sit *gratia* addenda *capiti* suscipientis legem, præcipue dilectionis proximi. Septuaginta Interpr. per *gratiam, coronam* intelligūt, & est sensus: fili mi suscipe, & obserua legē, vt addatur corona capiti tuo. Noto obiter, coronam, gratiam dici, quia gratiam init apud homines; vnde Rabbi Leui Ghersomites, *has ergo*, inquit, *institutiones laudibus euehens subdit: eas esse tamquam additamenta quædam capitis, hoc est, pulcherrimum ornamentū, quod cùm humano capiti concessum fuerit, miram apud spectatores gratiā conciliabit.* quis enim est qui suam non exhibeat gratiam ei, cuius redimitum caput corona, gratiarum omnium, & vitæ fons est. Prouerb. 16. ℣. 15. *in hilaritate vultus Regis vita: & clementia eius quasi imber serotinus.* pergimus ad assumptum. Corona ergo quæ addenda erit capiti, moràliter, intelligi potest ea, de qua Apostolus Petrus epistol. 1. cap. 5. ℣. 4. *Cùm apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam*, quæ dicitur corona gratiæ, scilicet, consummatæ, quæ est gloria æterna in cælis. Sed ad rem nostram aptiùs. Additur corona capiti eius, qui legem Dei recipit, & opere implet, vt quanta sit legis dignitas ostendatur; & quo terreno etiam honore decoretur is, qui legem recipit; quippè qui corona redimiri dignus censetur. Hinc idem Salomō dicebat Prouerb. 4. ℣. 1. *principium sapientiæ posside sapientiam & c arripe illam & exaltabit te: glorificaberis ab ea, cùm eam fueris amplexatus, dabit capiti tuo augmentum gratiarum, & corona inclyta proteget te.* semper autem coronæ, & leges simul in Regum capite iungebātur 4. Reg. 11. ℣. 12. *produxitque*, videlicet Ioiada sacerdos, *filiū Regis*, idest, Ioas, *& posuit super eum diadema, &*

Prouerb.

Lex de nō fundendo sanguine

Sept. Interp. Per gratiam, corona significatur, & quare. Ra. Leu. Gher.

Gloriæ æternæ corona datur diligētibus inimicos. 1. Petr.

Corona tēporalis gloriæ honoratur parcens inimicis.

Prouerb.

Psalm. *testimonium*, hoc est, *legem*, iuxta illud Psalm. 18. ℣. 8. *lex Domini immaculata conuertens animas: testimonium Domini fidele &c.* quo loco Theodoritus: *testimonium*, inquit, *dicitur lex, vt quæ peccantes obtestaretur, & transgressionis supplicium subindicaret.* Quo ergo loco Regia ponebatur corona, eodem & lex iungebatur, quod adeò verum est, tantusque est nexus *legis, & coronæ*, vt pro eodem sumantur, nimirum vt *lex, corona, & corona, lex* dicatur. quapropter S. Hieronym. lib. 3. contra Rufin. *corona*, inquit, *minimè carpenda est*, idest, *leges vrbiũ conseruandæ*. Et Pier. Valer. lib. 41. tit. corona S. ad coronarũ &c. *coronam*, inquit, *legum dicimus indicium esse*. vide ergo si à Deo latæ leges, præcipuè, de inimicis diligendis, aliquam continere possunt dedecoris notam, quam iniuriam condonantibus inurant; cùm potius honorem eum, quem ostendimus secum ducant.

Lex, idem quod corona importat.
S. Hieron.
Pier. Val.

7 Hoc ipsum est, quod colligitur ex adiunctis verbis: *& torques collo tuo.* non solum enim (ad honorem) corona ornando capiti additur; sed & torques collo apponitur, vel appenditur, dubiũ autem non erit ei, qui Sacrarum scripturarum, & veterum temporum nouerit mores, *torquem*, honoris, eiusque summi fuisse insigne. legis propterea Genes. 41. ℣. 40. 41. 42. *Dixit Pharao ad Ioseph: tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium, cunctus populus obediet. vno tantum regni solio te præcedam. vestiuitq; eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit &c.* Et Daniel. 5. ℣. 29. *iubente Rege indutus est Daniel purpura, & circundata est torques aurea collo eius, & prædicatum est de eo, quòd haberet potestatẽ tertius in Regno suo.* Rabbi Salomon Isacides, sic exponit: *gargherothecha, gutturi tuo, seù humeris tuis.* Et Rabbi Leui Ghersomites; *addit*, inquit, *præterea esse tãquam torquem, qui summo collo adhibeatur, quo etiam humeros exornari solemne sit*. Reliqui etiam Hebraizantes, eam corporis partem, *torque*, dicũt ornari, quæ proxima collo est. similem omninò hunc puto ornatum ei, quem hodie milites aurei uelleris ab Hispaniarum inuictissimo Catholico Rege accipiũt; auream, inquam, catenam, aureis circulis efformatam, & ex ea pendentem agnum. quam proximè à collo appendunt ad pectus descendentem, in cuius medio agnus ille aureus collocatur, quasi ornamentum eius, qui coram tondente, arguente, insultante, imò occidente inimico, nec manus extendit, sed nec os aperit ad calumniam. hoc igitur decore, & honore dignatur, qui Dei legem suscipit, & proximi sanguini non inhiat, imò indulget, & condonat libenter iniurias, & pro persecutoribus orat.

Torques, præcipuè honoris insigne.
Genes.
Daniel.
Ra. Sal. Isa.
Ra. Leu. Gher.
Condonantes iniurias, quasi Milites aurei velleris.

8 Decus hoc, & honoris insigne, quod Dei lex suis cõfert seruatoribus iterum explicatur Prouerb. 7. cũ enim dixisset Sapiens ℣. 1. *fili mi, serua mãdata mea, & legem meam*; subdit ℣. 2. *liga eam in digitis tuis, & scribe illam in tabulis cordis tui*. affinia sunt hæc verba, illis Deuteron. 6. ℣. 8. *eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo, & ligabis ea quasi signum in manu tua.* Sunt qui existimant, idem esse: *liga eam in digitis tuis*, ac in annulis tuis, quibus digiti ornantur, insculpe. redduntque inde rationem, quia moris fuit apud veteres, eorum, quos amore maximo prosequebantur, nomen, aut formam, in annulis impressam gestare. sic exponunt illud Ierem. 22. *si fuerit Iechonias filius Ioachim Regis Iuda annulus in dextera mea: inde euellã illum*, idest, si adeò dilexerim Iechoniã, vt illum annulo impressum gestem, nihilominus inde euulsum, abijciam. Isai. 62. ℣. 3. *eris corona gloriæ in manu Domini*. ex Hebr. *circulus gloriæ*, idest, *annulus*. Et cap. 45. num. 16. *in manibus meis descripsi te*. idest, in annulis efformaui speciem, vel nomen tuum. Et Cleme. Alexandr. in pedagog. lib. 2. c. 11. *multi*, inquit, *libidinosi eos habent*, scilicet in annulis, *quos amant, vel amicas, vt ne si velint quidem, possint affe-*

Prouerb.
Deuteron.
Quid sit ligare legẽ in digitis secundum aliquos.
Ierem.
Isai.
Clemen. Alex.

ctionis

Alexand. ab Alex.

ctionis obliuiscel. Quibus ego addo Alexan. ab Alexan. Genial. dier. lib. 2. cap. 19. vbi de imaginibus eorum, quos quomodocumque ætas illa colebat, annulis insculptis, non pauca exempla congerit. Igitur hoc ex capite, libenter me sententiæ huic subscriberem, si ita peruius esset vsus, ac facilis, omnem decalogi legem, & verba in annulis incidere. Et si enim in vno annuli lapide, plura efformata legamus apud Tiraq. in Alexandrum ab Alexand. loco mox citato, dicentem.

Tiraq.

Rex Pyrrhus digito gessisse refertur Achatem,
Cuius plena nouem signabat pagina musas,
Et stans in medio Cytharam tāgebat Apollo,
Naturæ non artis opus, mirabile dictu.

haud tamen facile, & in promptu id facere poterat omnis ille populus cui lex dabatur. Ergo metaphoricam, figuratamque puto esse locutionem, vt inquam annulorum loco, & munere, tradita lex haberetur. sicut ergo supra diximus, legem capitis esse coronam, & pectoris torquem ad decorem, & gloriam; ita eandem legem modò annulo comparat, ob eandem causam. Colligo hoc ex versione Syr, quæ vbi nos legimus *in digitis tuis*, vertit: *in collo tuo.* ideò, quia hebræa vox *Kasar*, æquiuoca vox est ad ornamenta, quæ collo, digitis, cæterisque corporis partibus inferuntur.

Explicatur Salamon.

9 Hinc colliges, quem honorem ei confert Deus, quem sua lege imbuit dum legem suam annuli loco velit illi esse. ait namque Alexand. ab Alexand. genial. dier. lib. 2. cap. 29. *ius annulorum aureorum, quo insigni, à plebe se cernebantur, & medius ordo notabatur, publicè tributum ferunt. quod quidem ius non equitibus modò, tamquam bellicæ virtutis insigne, sed & Senatoribus, & militiæ primoribus datum fuit. is tamen ordo, & si Senatorio minor, magnæ tamen amplitudinis, vigorisque habitus est: quippè erat auctus amplissimis honoribus, & Senatorio penè par.* In sacris etiam habes, quòd volens Pharao honoribus augere Ioseph, præter cætera insignia, de quibus diximus supra; Genes. 41. ℣. 42. *dixit rursus Pharao ad Ioseph: ecce, constitui te super vniuersam terram Aegypti: tulitq; annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius.* summos ergo hos honores confert lata hominibus Dei lex, dum in annuli formam, & metaphoram tribuitur: cum igitur ait: *ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*, non solùm nullā dedecoris notā, imò honores præcipuos conferri scias.

Lex Dei, honoris annulus. Alexan. ab Alex. Annulo secernuntur plebei à nobilib.

Genes.

10 Verùm si acutiùs pōderemus adducta sapientis verba: *liga eam in digitis tuis; & scribe illam in tabulis cordis tui* alium sensum, illumq; per pulchrum, & à proposito non diffidentem eruemus. Est ergo notandum, quòd nō solùm in digito, annuli in morem, ligare legem præcipitur, sed & in corde scribi: *liga eam in digitis tuis, & scribe illam in tabulis cordis tui.* Non igitur quemlibet annulum, sed nuptialem exprimi puto. hic enim in digito, minimo proximo ponitur, & digitus nuptialis dicitur, ait enim Alexand. ab Alexan. genial. dier. lib. 2. c. 19 *cùm veniam sermonis à Dijs poscimus, proximo à minimo digito secus aurem locum Nemeseos tangere, & os obsignare solemus: in eo venam quandam tenuissimam vsque ad ima cordis penetrantem, peruagata opinione arbitrati. Ideò in sponsalibus, & solemni die nuptiarum, digitum minimo proximum annulo excolebant, & velut pignus amoris præcipuū ducebant, vt is in summo honore foret quo duce, mutuus amor vsque ad cordis ima penetraret.* habes ergo nuptialem hunc annulum, cui lex comparatur, & honoris esse insigne, & amoris signū, eò quòd digitum illum ornet, cuius vena vsque ad cordis penetralia descendat. Nec mirum nuptiali annulo Dei legem comparari, siquidem ipsam legem, vel potius Deum ipsum per legē

Lex, nuptialis annulus.

Alexan. ab Alex.

Annulus nuptialis, honoris, & amoris insigne.

Lex amori, & honori iungitur.

nobis

nobis desponsari nouimus; postquam enim dixit Salamon: *liga eam in digitis tuis, & scribe illam in tabulis cordis tui:* subdit statim: *dic sapientiæ soror mea es, & prudentiam voca amicam tuam.* nomine autem *sororis, & amicæ, sponsa* intelligitur, vt in Canticis canticorum toties reperitur; quapropter Sap. 8. ℣. 2. *hanc amaui, & exquisiui à iuuentute mea, & quæsiui sponsam mihi eam assumere.* quapropter P. Agell. noster expendens verba illa Psalm. 1. ℣. 2 *in lege Domini voluntas eius*, inquit: *non vllus sponsus, tam ardenter sponsæ formam deperit, quàm ille Dei legē.* Et hoc ad honorem, summamq; gloriam eius qui Dei legem suscipit, confert; dum Deum, suamque legem sibi sponsat; scimus enim sponsi excellentiam, in sponsæ gloriam cedere, & Regis coniugem Reginam esse. At verò nuptialis annulus, cùm primùm in vsu esse cæpit, ferreus fuit, vt tradit Plin. lib. 33. cap. 1. & Alexan. ab Alex. lib. 2. cap. 19. *sed meminisse*, inquit, *par est, hunc annulum nuptialem, non ex auro, sed ferro veteres coniugibus dono dare consueßse: quem quidem prior ætas in sinistra ferebat.* cur autem ex ferro, rationem reddunt, *ne vsu attereretur, quod erat proprium nuptialis annuli.* Illud inde colligas, fidem semper seruandam, & amorem sponso; nec temporis longitudine, & consuetudine abolendum, aut quoquo modo terendum; legemq; ipsam diuinam; fidem & præcepta semper seruanda, fide quidē & amore, vt ita dicam, ferreo; Dauid exemplo, qui dicebat Psalm. 118. ℣. 44 *& custodiam legem tuam semper, in sæculum, & in sæculum sæculi.* sic intellige illud Psalm. 2. ℣. 9. *Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos.* quo loco P. Agell. per *virgam ferream*, soliditatem fidei intelligit: *contriuit*, inquit, *Christi fides tamquam rem fragilissimam imperia omnia, & terrena potentiæ fictilem duritiam confregit.* Ieremiæ Prophetæ diuina conferuntur eloquia cap. 1. ℣. 9. *ecce dedi verba mea in ore tuo.* sed statim ferreus fit ℣. 18. *dedi te hodie in columnam ferream, & in murū æreum.* fictilem verò fragilemque legē faciunt, qui ad tempus illam suscipiunt, & deserunt. sed hoc obiter. Illud autem ad rem nostram ferreum hunc annulum honoris, eiusque præcipui fuisse insigne, vt Plin. & Alexandr. citati probant.

Lege desponsamur

Sap.

P. Agell. Psalm. Illustratur Dauid.

Plin.

Alex. ab Alex.

Annulus nuptialis ferreus ad perpetuitatem. Fides, & amor ferreus ob diuturnitatem.

Psalm.

Psalm.

P. Agell

Ierem.

11 Nulla enim vilitas, neque animi demissio ex diuinorum mandatorum obseruatione argui potest; quare Dydimus in illud Psalm. 118. ℣. 96. *latum mandatum tuum nimis.* *Nemo*, inquit, *in mandatis Dei ambulans angustias patitur, cùm ex eo, quòd illa complectatur magnanimus, & excelso spiritu fiat.* Quàm igitur pusillanimitatem, quam animi vilitatem hic mundani obijciunt, cùm mandatorum Dei custodia magnanimitatem, & elationem præseferat? huius præsertim mandati de proximi amore, quòd sicut omniū præcipuum est, ita maiorem exigit in animo celsitudinem; de quo dixit Iesus Matth. 22. ℣. 37. 38. *Diliges Dominum Deum tuum &c. hoc est primum, & maximum mandatum, secundum autem simile huic, & proximum tuum sicut te ipsum.*

Dydimus Psalm.

Lex Dei magnanimum, & excelsum reddit hominem.

Matth.

12 Alexandrum Macedonem, ferunt, interrogatum; vtro sibi magis gloriandum duceret, Philippo ne Patre, an Aristotele præceptore, Respondisse; *Aristotele: ille enim vt essem, hic autem vt præclarè institutus essem, auctor fuit.* præclara sanè vox, & optima institutione, quam à doctissimo viro hauserat digna: magis animi bonorum datorem æstimandum ducebat, quàm corporis; præferebat; nobilitatem, quæ ab optimis doctrinis, & recta institutione prouenit, illi quæ à generis claritate. Cæterum omnibus se numeris, & vndequaq; nobilem reputasset, opinor, si talem Patrem nactus fuisset, qui instar præceptoris Aristotelis, illi in populorum regimine, & in componendis moribus præire optimè potuisset; nuncq;

Alexand. Maced.

Magis æstimāda educatio, quā progenies.

verè

verè se se à nobili, & generoso Patre ortum professus fuisset: Hoc autem si attentè consideremus ijs concessum est, qui inimicos diligunt vltrò illis offensas condonantes; Quibus Deus, & Patris, & præceptoris se loco futurum affirmat. Est enim præceptor, quia ipsemet præcipit; *Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros*. Et est eorũdem, Pater humanissimus, quibus filiationẽ pollicetur; *vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est*. Taceãt igitur vltionis amatores, neq; vltra ignobilitatem mãsuetis obijciant, qui effecti filij Dei, diuinũ quid spirant, ac sapiunt, vt egregiè de illis scripsit Hildebert. Episcop. Coenomanens. epistol. 25. in t. 3. Bibl. SS. PP. *Magnum quid, & Diuinum sapit offensus clemens*. Vide ergo diuinæ legis nobilitatem.

Deus præceptor, & pater.

Diuinum est ignoscere. Hildeb.

13 Eandem in Diuina lege generositatem, & libertatem colligo ex verbis D. Pauli ad Galat. 4. ℣. 22 *scriptum est*, inquit, *quoniam Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera*. Hæc enim sunt duo testamenta, vetus scilicet, & nouum. Quorum alterum de ancilla libertinorum est, imò seruorum, seruilia enim præcepta continebat, de hostijs immolandis, circumcisione, & secundum aliquos (vt in expositione litteræ) illud etiam: *Dictũ est antiquis, diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum*. Quæ profectò lex ex ancilla seruilibus, & vilibus animis arrisit. Sed nouum testamẽtum, per quod non sumus, vt dicebat idem Paulus, *ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberauit*. ingenuis filijs seruanda præcepta continet, & qui Patrem Deum imitantur, *Estote perfecti sicut Pater vester cœlestis perfectus est*, quod ij assequuntur, qui mãdatum illud obseruant; *Diligite inimicos vestros*. Explicauit vtriusque testamenti discrimen, ostendens, quòd Euangelica lex charitatis, non seruitutis sit, sed libertatis D. Augustin. lib. de natura, & grat. cap. 57. Exponens illud Pauli ad Galat. 5. ℣. 18. *Si spiritu ducimini non estis sub lege &c. vtique lege, quæ timorem incutit*, inquit Augustin. *non tribuit charitatem, qua charitas diffusa est in cordibus nostris, non per legis litteram, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, hæc est lex libertatis, non seruitutis, quia charitatis vtique non timoris, de qua Iacobus Apostolus, ait, Qui autem perspexerit in lege perfecta libertatis &c.* Hæc itaq; libertas, ingenuos Dei filios per veram nobilitatem adoptat, & reddit Patri quàm simillimos; quod dixit D. Ioan. Chrysost. apud D. Thom. in Caten. in illa verba Matth. 6. ℣. 14. *Si dimiseritis hominibus, dimittet & vobis Pater vester Cælestis. Ideo*, inquit Chrysost. *Calorum, & Patris meminit, vt ex hoc prouocet auditorem; nihil enim ita te Deo assimilat, sicut iniuriam tibi facientibus ignoscere*. Vide ergo quanta sit in diuina lege claritas.

Galat.

Præceptũ amoris, libertatis, & filiorũ Dei est.

S. Aug.

S. Chrys.

Diligite inimicos vestros, vt sitis filij Patris vestri.

Sacer textus.

CAP. V.

Inimicis parcere, nobilitatis argumentum.

1 X eo quod dilectio inimicorũ, virtus est: satis probata redderetur animi claritas, & personæ eius, qui inimicos diligit: ait enim S. Hieronym. ad Celant. *sola apud Deum nobilitas est, clarũ esse virtutibus*. imò, & apud homines; dicebat enim Euripides: *nulla nobilitas inter malos est, sed inter bonos tantùm viros*, & Arist. 1. polit. *virtus, & malitia determinat nobiles, & ingnobiles, seruos, & liberos*. imò ex ipsa Dei imitatione, quæ hodie nobis proponitur, eandem nobilitatem

Virtus nobilitatis forma.

S. Hiero

Arist.

Dei imitatio, nobilitatis origo.

colli-

Nazian.

colligere possumus; *ut sitis filij patris vestri &c. estote perfecti sicut & pater vester Cælestis &c.* ait enim Nazianz. orat. 11. *nobilitas nostra est diuinæ imaginis conseruatio, atque Archetypi imitatio.* Verùm his postpositis, ex ipso dilectionis inimicorum actu, quanta nobilitas, claritas, & sanguinis splendor dignoscatur, ostendemus. id enim est quod iniuriarum vltores, sanguinarios, ab ignoscendo arcet; diabolica namque quam duellantes sequuntur, lege instruuntur; vile aliquid, & indignum animi, sanguinisq; claritati agere eum, qui iniurias nõ vindicarit, inimicorum sanguinẽ, non fuderit. Nos, gloriosũ, Regiũq; dignũ animo probabimus inimicis parcere, iniurias cõdonare, odia non vlcisci. Id quod egregiè ostenditur vulgari illa, sed celebri Ioannis visione Apoc. 12. vbi mulierem vidit sole amictam, lunam pedibus calcantem, stellarumque diademate redimitam: *signum magnum apparuit in cælo mulier amicta sole, luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim*, sanè nulli dubium est nobilitatem, ac celsitudinem illius mulieris, hoc in loco ostendi; neque enim vnum tantùm, sed tria simul nobilitatis præclara gestat insignia. Sol quippe virum illustrem genere, & virtute clarum demonstrat. Virg. strenuos illos Duces luci solis comparauit, Aened. 11.

Nobilis animi est, inimicis ignoscere.

Apocal.

Sol, nobilitatis insigne.

Virg.

Lumina tot cecidisse Diuum.

sicut è contra, sol tenebris circumseptus, Regiæ Maiestatis defectum portendebat; vnde vltimo Domitiani Imperatoris tempore, corona quędam Iridi similis, quæ solem circundans, lumen eius, ac radios obscurare visa est, proximum Imperatoris excidium, non multò post rei euentu comprobatum, aruspicibus ostendit. Hinc etiam Virgil. 1. Georg.

Sol obtenebratus, Regis mortẽ indicat.

Virg.

Ille etiam extincto miseratus Cæsare Romam,
Tum caput obscura nitidum ferrugine texit.

Atque hæc etiam caussa est, cur in vniuersalis Iudicij die, *sol obscurabitur, luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo.* cùm enim hæc omnia sũmæ claritatis, & Imperatoriæ sint insignia Maiestatis vt mox constabit; homo autem summa claritate summaque gloria, & honore à Deo donatus sit Rexq; super omnes creaturas constitutus, iuxta illud Psalm. 8. ℣. 26. *Gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subiecisti sub pedibus eius &c.* tunc verò perimendus sit, dominioque priuandus, imò vt reus, ac malefactor à Deo rigoroso iudicio dijudicandus, merito cęli luminaria, Regis hominis insignia, obscurabuntur. Sed hæc obiter. ad Ioannis visionem redeamus; luna etiã non minoris nobilitatis fuit hieroglyphicum apud Arcadas, dũ fibula, qua calceamenta connectebantur, speciem præferebant lunæ, cornua porrigentis; vnde illud Herodis dictũ ad Bradeam vxoris fratrem quod Cel. Rodig. narrat lib. 22. antiquit. cap. 27. *Ne tu generis tui nobilitatẽ in astragalis gestitas.* Romanis quoque idem fuit mos, vt tradit Plutarcus; vnde Iuuenalis Quintiliani volens ostendere nobilitatem, dixit: *& nobilis, & generosus appositam nigra lunam subtexit aluta.*

Sol in iudicio obscuratus, hominis excidium præsagit.

Psalm.

Luna, nobilitatis insigne.

Cel. Rodig.

Plutar. Iuuenal.

2 Sic tandem perspicuum est Regium insigne, ac nobilitatis hieroglyphicum fuisse stellam, vnde vt testis est Suetonius in Iul. Cæsar. cap. 88. post Iulij Cæsaris mortem stella maximæ magnitudinis apparuit, quam suæ proximæ exaltationis præsagium fuisse, commentus est Cæsar Augustus, & in nummo stellam efformauit cum inscriptione *Cæsar Augustus*, & in foro cernere est huius Imperatoris statuam, in cuius summo vertice stella pro insigni fixa est. Ea propter stella in fronte insignitum à Deo scimus Dominicum Patriarcham Prædicatorum, vt & Illustrissimæ Gusmanorum familiæ cuius erat claritatem, & virtutum, quibus ornatus erat celsitudinẽ dignosceremus. Dum ergo mulier hæc insignum nobi-

Stella, nobilitatis insigne. Sueton.

S. Dominici claritas, ex stella dignoscitur.

litatis

litatis amicta sole cernitur; & in morẽ Arcadum, & Romanorum nobilium, *Lunam* gestat in pedibus, *Luna sub pedibus eius*; in capite non vnam, sed plures stellas, imò coronam habet stellis efformatam; *in capite eius corona stellarum duodecim*: summa profectò nobilitas, summum decus, summa eius gloria significatur. sed vnde quæso in vna muliere claritas tanta? factum attentè considera, & statim causam inuenies. narrat ibi Ioannes ferocissimum Draconem, multas horribilesq; mulieri parasse insidias, ipsa verò, nequaquã mali aliquid aduersus Draconem machinata, neque enim pugnasse, aut arma apprehendisse legitur; fugam arripuit, terga vertit hosti, in desertum veluti ad firmissimam arcem se contulit. Illud Apostoli opere implens ad Rom. 12. ℣. 19. *nõ vosmet ipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ*; quapropter subdit scriptura: *data sunt mulieri alæ duæ, vt volaret, & volauit in solitudinem, vbi habebat locum paratum à Deo.* in desertum, inquam, & solitudinem, locum orationi aptissimum, vt oraret præcipuè pro persequentibus, & calũniantibus; sicut & Dauid dũ ad necem à Saul peteretur, in Arabiæ desertum fugit, vbi, & pro Saul orauit, & potens vindictã sumere pepercit, sicut dicitur primo Reg. 24. Quid ergo mirum si tanto affulget decore, Regijsque decoratur insignibus, dum tot appetita insidijs, declinat, vindictam non sumit, & pro persecutoribus orare disponit?

Mulieris nobilitas ex declinatione insidiarũ cognoscitur

Roman.

3 Eadem etiam inimicos diligentis nobilitas non obscurè colligitur Cant. 6. ℣. 12. *Reuertere, reuertere sulamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te.* Voces sunt sodalium sponsæ, sponsam ipsam alloquentium, illamq; attentiùs intueri cupientium, ob eminentem quandam maiestatis speciem in ipsa emicantem; nõ tamen plenis conspectam obtutibus, quibus respondet sponsa: *quid videbis in sulamite, nisi choros castrorum?* Iterum sodales sponsæ dicunt: *quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis.* Innumeris penè mysterijs plenus est locus ille; sed ea nos hinc tãtummodo eruemus, quæ ad rem propositam illustrandã faciunt. Primo vocatur sponsa *sulamitis*: quo nomine quia *Pacifica* interpretatur, maximè sponsa ipsa delectatur. Quapropter, & si alijs in locis *Columba, formosa, speciosa, suauis*, ac tandem *filia Principis* vocetur, numquam tamen se talem esse proprio ore confitetur, aut gloriatur, nisi cũ *Pacifica* vocatur, ideo iterato repetit. *Quid videbis in sulamite*, hoc est, *in Pacifica*? non dicit *quid videbis in Columba, in formosa, in speciosa, in suaui*, tandem *in filia Principis*, sed *in Pacifica*, quia hoc nomine, & titulo plusquam cæteris omnibus delectatur, & plus est pacificam esse, quam Regia ex tirpe ortam, filiam esse Principis. O vtinam hoc hodie caperent, & saperent homines, qui (oh facinus sanè deplorandum) pacis colloquia, & mores effugientes, *fabulis*, inquit Hugo de Claustro Animæ, *& rumoribus delectantur.*

Cant.

Pacifica vocari, maximè delectatur sponsa.

Hugo.

4 Deinde. *Pulchri in calceamentis, gressus* sponsæ celebrantur, nimirum maiestatem, ac gloriam præseferunt calceamẽta, quibus ipsa graditur. Quod si quæras, quænam sit hæc pulchritudo, seù maiestas in calceamentis; vtique illa est, de qua paulò ante loquuti sumus. Erat enim antiquitus in more positum, vt nobiles viri, ac mulieres, in lunæ corniferæ formam, idest, cùm parum à sole illuminatur, aptata haberẽt calceamenta. Et quia talia erant sponsæ calceamenta, ideo dicunt: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis.* Addũt quoque *filia Principis*. sed vnde gloria, ac nobilitas tanta sponsæ, quam progressione, atque incessu habet, ac insuper *filia Principis* dicitur? Nonne hæc illa eadem est, de qua scriptum est Cant. 1. ℣. 7. *Egredere, & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula Pastorum?* Ergo Pastoris filia, patris gregem pascebat. Et iterum ℣. 5. *Posuerunt me custo-*

Lunata calceamenta, nobilitatis insigne.

Cant.

Filia Principis, & nobilitatis insignia gestat, quæ pacifica est.

dem in vineis, & cap. 18. ℣. 13. *Quæ habitas in hortis &c.* Si igitur vineæ, ac gregum custos, vnde illi tanta nobilitas, vt *filia Principis* appelletur, & illustrium fæminarum insignia habeat in calceamentis? Porrò etiam si genere, & conditione vilis, actione tamen, & virtute nobilis, & inde talis, quia *Pacifica*; numquam alibi *Pacifica* appellatur, ideo non mirum si nusquam nobilis, aut *filia Principis*, sed vineæ Custos, pastoris filia, gregisque ductrix nominetur; mirum profectò esset, si postquam se *Pacificam* dixit, huiusmodi non fuisset titulis honestata; nomen quippe, ac honor, & dignitas consequens, ac conueniens est ei, quæ *Pacifica* est; ergo inimicos diligere, ac pacem seruare, verè Regia res est, hinc meritò, licet genere humilis, *Pacifica*, simul, & *filia Principis* appellatur.

Regij animi est inimicis parcere.

5 Vt autem vlterius ostendam, quòd mansueti, & faciles ad condonandas inimicis illatas sibi iniurias, nescio quid Regij spiritus, & magnitudinis habeant; considero vnam, eandemque personam in Apocal. duplici figura designatam, nimirum Leonis, & Agni; cap. 5. ℣. 5. *Vicit Leo de tribu Iuda, aperire librum, & soluere septem signacula eius.* & de eodem legimus ℣. 8. *Quatuor animalia, & vigintiquatuor seniores, ceciderunt coram Agno*, in signum adorationis, & reuerentiæ, quam illi exhibendam esse denotabant. erant autem isti viginti quatuor coronati, Reges, vnde dicitur Apoc. 4. ℣. 10. *procidebant vigintiquatuor seniores ante sedentem in throno, & mittebant coronas suas*. Quid est quòd Leo vincit, Agno datur gloria? nec dicitur *ceciderunt* coram Leone, sed *coram Agno*? Quia mitibus potius, clementibus, & benignis, vt Agnus, quàm ferocibus, & crudelibus, vt Leo, Regium diadema subijcitur; sceptrum, & purpura honorem deferunt. tantùm abest, vt Leo sit in Regio sedens throno, vt potius Salomoni, qui Rex pacificus dicitur, sternantur, famulatumque præstent Leones, & thronum ipsum humeris substentent. 3. Reg. 10. ℣. 18. 19. 20 *fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem &c. duæ manus hinc, atque inde tenebant sedile, & duo Leones stabant iuxta manus singulas, & duodecim leunculi stantes super sex gradus, hinc, atque inde &c.* Quam figuram retinuit etiam Isaias cap. 16. ℣. 1. *Emitte Agnum Domine dominatorem terræ*, idest, mundi Regem; mox subdit ℣. 5. *& præparabitur in misericordia solium, & sedebit super illud in veritate.* fuit certè hic Agnus mansueto, ac miti animo, qui instar Agni coram detrahente, & tondente obmutuit, nec aperuit os suum, cui propterea Regiũ debetur solium, quia Regium habet animum, ac mores. Antisthenem, scribit Laert. lib. 6. cum audisset, quod Plato male de ipso loquebatur, nihil commotum, dixisse: *Regium est, cum benè feceris malè audire.* Quam etiam appellationẽ, ijs qui placido sunt animo conuenire, docuit S. August. in Psalm. 118. *Benè, inquit, sancti viri Reges vocantur, quia suggestiones liuoris obruunt, ignem furoris extinguunt; Reges ergo sunt.* Quin & brutis, ob mansuetudinem, Regius honor defertur. Pier. lib. 2. *Elephas, inquit, meritò Regis nomen adeptus est, ob mansuetudinem, atque clementiam.*

Apocal. — *Apocal.* — *Pacifico Agno, nõ Leoni datur gloria.* — *3. Reg.* — *Isaias.* — *Laert.* — *Regiũ est, inimicis benefacere.* — *S. Aug.* — *Pier.*

Actor.

6 Idipsum significatũ fuit Act. 9. ℣. 1. *Saulus ibat spirans minarum, & cædis in discipulos Domini*, cumque iter faceret, & appropinquaret Damasco, vbi fideles Christi perdere intendebat; apparuit illi in via Christus Iesus, dixitque ei: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Cui Saulus. *Quis es Domine?* In quibus, licet quam paucissimis verbis, duo inter se pugnãtia videtur Saulus dixisse. Nam si cognoscebat eum, qui secum colloquebatur, vt quid dicit ei *Quis es?* sin minus, cũ illius tantum vocem audiuisset, cur eum vocauit *Dominum?* quem quis esset ignorabat, atque *quis es Domine?* Præterea, Christianos persequebatur, abiectos tunc, & viles ad Hebr. 11. *Egentes, angustiati,*

Pacẽ quærens cum inimicis, Dominus & Rex agnoscitur. — *Hebr.*

afflicti, quibus dignus non erat mundus &c. Quomodo ergo qui Christicolas, ita abiectos persequebatur, audiens vocem dicentis *Quid me persequeris?* statim respondet: *Qui es Domine.* Dicendum itaque quòd Saulus ignorabat quisnam esset, qui secum colloqueretur; ideo dicit *Quis es?* vocauit autem illum Dominum: *qui es Domine?* quem enim sibi eius persecutori, vltro occurrere, deposito animi liuore blande secum loqui, nihil aduersus ipsum mali moliri, imò sponte reconciliationem offensum petere, videbat. hæc ab Regio tantùm, & sublimi animo procedere coniectans, quamuis minimè illum cognouisset, dignũ tñ Regio, & Dominico titulo insignẽ esse iudicauit; & propterea eius magnitudinem veneratus, dixit: *Quis es Domine?* nam M. Anton. cognomento Philosophus dicebat: *Clementia nobilis, excelsique animi est signum, Romanumq; Imperatorem commendat.*

M. Ant. Phyl.

7 Est ergo comitas erga omnes etiam inimicos, virtus omninò Regia; sicut è conuerso ira, ac furor vilem potius animum indicare videtur; id quod non obscurè colligitur ex illis verbis Genes. 4. ℣. 10. *Vox sanguinis fratris tui Abel, clamat ad me de terra.* Quæ verba explicãs S. Ambros. lib. de Cain, & Abel cap. 9. hæc habet: *Bene ait: vox sanguinis fratris tui clamat, hoc innocentia, & gratia germanitatis etiam in ipsa morte seruat; non accusat vox ipsius, non anima; sed vox sanguinis accusat; quem ipse fudisti; tuum te ergo facinus, non frater accusat. Et benè dixit, clamat de terra; non de fratris corpore, sed de terra clamat, & si frater parcit, terra non parcit.* Ex his Sacræ scripturæ, & D. Ambros. verbis, liquido constat, quãtum Regius animus à vindicta absit. Erat quippè Abel Regis filius, ac primogenitus, primi enim progenitores, proculdubio Reges fuerunt, sicut de ijs loquitur Dauid Psalm. 8. ℣. 7. *Gloria ria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarũ.*

Ira, & vindicta abiecti animi signum.

Genes.

S. Ambr.

Psalm.

Regij est animi ignoscere mitis.

dedecebat ergo Abelẽ vindicta, ideoq; ab illa etiam mortuus abstinet, *nec accusat vox ipsius, non anima, non frater, sed vox sanguinis*, vt dicebat Ambros. *non de fratris corpore, sed de terra clamat*; nefas enim erat vt de Regio corpore, vel animo, vox vindictam clamans audiretur; cum inuicem opponantur Regis animus, & vindicta; vulgatum est enim adagium illud: *furor est, non Regnum*; hæc enim quasi pugnantia diffident, & inuicem distingunt. notanda verò sunt præcipuè verba illa Ambrosij: *non accusat vox ipsius, non anima &c. tuum te ergo facinus, non frater accusat*. ipsum fratricidium, proditio; delictum, scelusque infame, & execrandum te accusã; vox quidem vindictam clamans, sceleri tanto non degener; meritò *tuum te facinus accusat, non frater.*

Adagiũ.

8 Videtur autem D. Ambros. hũc exponendi modum sumpsisse ex verbis Apostoli qui ad Hebr. scribens, inquit, cap. 12. ℣. 23. 24. *Accessistis ad Iudicem omnium Deum, & testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel:* sed in quo melius locutus est sãguis Christi Domini, à Iudæis effusus, quàm sanguis Abel effusus à Cain? in hoc inquam, quia sanguis Abel vindictam postulauit in fratrem occisorem; *Vox*, inquit, *sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*; cùm contra in cruce pendens Christus clamauerit, Luc. 23. ℣. 34. *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*, ergo in hoc melius locutus est Dominus, quàm Abel, quia non vindictam, quàm Abel, quia non vindictam occisoribus, sed veniam à Patre rogauit. vnde S. Cyprian. lib. de duplici Martyr. *sanguis Christi*, inquit, *clamat pacem, & veniam; sanguis verò Abel, vindictam, & damnationem*; quamuis vt diximus, non Abel, sed ipsa sanguinis effusio, imò ipsummet suum facinus clamauit, vindictamque exegit fratricidij, & proditionis.

Hebr.

Illustratur Paulus.

Pacem clamans, nobilior clamante vindictã.

Luc.

S. Cypr.

9 Ac sanè iniurias contẽnere, & minimè respõdas esse ad vindictã existimare

ab ipsis etiã brutis discimus. de Aquila enim auium Regina scribit Pier. Valer. lib. 19. quòd cornicem æmulam habet sibi insultantem, summaque importunitate conuiciantem: ipsa verò (vtpote Regio animo prædita) lacessita non turbatur, non vindictam molitur, conuicia spernit; vnde auctore eodẽ Pier. si quis conuiciorum contemptorem vellet exprimere, Aquilam efformabat, nulla pennarum asperitate terribilem, non hiatu rostri minacem, & iuxta eam cornicem gestu lacessentis. In sacris litteris passim Aquila pro Regibus ponitur, nam de Rege Nabuchodonosor ad litteram dicitur Ierem. 48. *Ecce quasi Aquila volabit, & extendet alas suas, ad Moab.* & cap. 49. *ecce quasi Aquila ascendet, & auolabit, & extendet alas suas super Bosram.* discant ergo Principes, vel a brutis edocti, iniurias paruipendere, vt non solùm nomine, sed etiam factis, se Reges ostendant; *Est enim præstantis Regis*, vt dicebat B. Faci. histor. lib. 4 *ignoscere.* Ideo Dauid instar generosæ Aquilę, ab insidiosa cornice, a Semei inquam lacessitus, & petitus iniurijs, Regio animo illum contemsit, vt fuse dicitur 2. Reg. 16.

Pier.

Aquila lacessita, nõ vindic.

Aquila Regis typus.

Reges offensi indulgent.

B. Faci.

10 Idem & de Rege Apum testãtur Scriptores; Plin. præsertim lib. 11. cap. 17. hæc scribit. *Rex Apum solus aculeum non habet, aut certè non vtitur: at hic grandior est corpore, & specie decentior, sed alis quam cætera minoribus; itam Principem oportet esse clementissimum, & à sua ciuitate nusquam euolare longius.* eiusdem rei testem habemus inter Ecclesiasticos Scriptores Angilb. Abbat. lib. de ortu, & fine Romani Imperij c. 1. *Apum Rex, vt inquit Seneca, hac nota potissimum à cæteris distinguitur, quod cùm apibus plurimum sit iracundia, adeo vt aculeos in vulnere relinquant, solus ipse Rex aculeo caret: noluit illum natura, nec sæuum esse, nec vltionem petere, telumque detraxit, & iram eius inermem reliquit: exemplar hoc magnis Regibus ingens est.* in scriptura, apis, typus est Principis. Isai. 7. ℣. 18. *sibilabit Dominus api, quæ est in terra Assur, & venient, & requiescent omnes in torrentibus vallium &c*, idest, vocabit Dominus Regem Assyriorum in terram Israel, vt eam possideat. Qui ergò se vere Principem profitetur, debet aculeo carere, raro nimirum ad vindictam moueri, imo potius inimicos beneficijs afficere. Guid. lib. 3. *Principis magis est ignoscere, & beneficijs afficere, quàm Imperij fines proferre.* Talis fuit *Rex* ille de quo Matth. 21. ℣. 5. & Zach. 9. ℣. dicitur. *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.* Pudeat fideles ab Ethnico superari: nam Hadrianum Imperatorem legimus, postquam Imperator declaratus est, cùm vidisset quendam, cũ quo priuata illi intercedebant odia, illi dixisse; *euasisti*, indignũ bono Principe existimabat priuatas, & antiquas inimicitias, & odia conseruare; & in alto Imperatorio solio, iniurias quascunque obliterandas omnino esse.

Plin.

Rex apũ absque aculeo.

Angilb. Abb.

Princeps non sit sæuus.

Apis regis hieroglyphicũ. Isai.

Guid.

Matth. Zacchar.

11 Adducamus hoc loco ponderandum ꝙ dicitur Luc. 12. ℣. 12. *ait Iesu quidam de turba: magister, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem.* vere, & bene nomen sic dicentis reticetur; indignus enim nominari, qui cum fratre, & a fratre quærit diuisionem. Vereq; & bene *de turba* est; ingenuus namque, & nobilis animus scissuras non patitur. sic petenti respõdit Iesus: *homo, quis me constituit Iudicem?* non solùm Scriptura sæpius, sed ipsemet Iesus, Iudicem se constitutum declarat, vt Ioan. 5. ℣. 22. *Pater omne iudicium dedit Filio*, & Actor. 10. ℣. 42. *constitutus à Deo Iudex viuorum, & mortuorum.* Quare itaque nunc requisitus, vt inter diffidendentes sententiam ferẽs, eorum diuisionem ratam habeat, tam acerbe respondit; *Homo quis me constituit iudicem?* Responsio est in promptu, volebat iste, & petebat, decretum interponi super communi diuidendo, ex quo fratrum separatio, scissuræ, & inimicitiæ consecuturæ essent; diuidere autem, & separare non est charitatis, ideo negat se iudicem, ne scissionis sen-

Luc. Ignobilis nec dignus nominari, scissuras quærens.

Ioan. Actor.

Christus nec dici vult Iudex scissurarum.

tentiam

tentiam ferre teneretur: ad rē nostrā, illud præcipue facit, quod iste frater, qui Dominum pro diuisione interpellat, *Homo* appellatur, quo nullum vilius nomē datur humanæ naturæ, quasi humum tantùm sapiat, vnde ductus fuit; qui igitur contra charitatem, & mutuum Amorem quicquam molitur, vilis esse significatur dum nomen siletur; ex turba esse dicitur, & *Homo* nuncupatur ab humo sumpto nomine, appellatus: cùm contra qui inimicos diligunt, in consortium filiorum Dei assumantur: *vt sitis filij patris vestri*: vnde Beda. *Qui magistro*, inquit, *superna pacis gaudia commendanti, terrenæ diuisionis vult ingerere molestiam; meritò, homo vocatur, secundum illud, cùm sit inter vos zelus, & contentio, nonne homines estis?* idest, vilia, & plebeia tātùm spiratis, & sapitis: cùm diuisiones inter vos sunt, & inimicantes estis.

Vilis est, qui charitatē scindit.

Beda.

12 Quæ profectò sæuities, ac barbaries inimicantium, animum arguit ferinum, & omnis expertem humanitatis, adeo vt isti vere ab hominis celsitudine multum recessisse videantur, & ab humana dignitate, in brutorum vilitatem turpiter degenerasse; sēsit hoc Senec. in libr. de clem. *crudelitas*, inquit, *minimè humanum malū est, indignumque Regio animo; ferina ista rabies est, sāguine gaudere, & vulneribus; & abiecto homine, in syluestre animal transire.* nam contra generosi, mites sese, & tractabiles exhibent, facile iram remittentes. Ouid. lib. 3 trist. eleg. 5.

Inimicitiæ hominem in bestiā transmutant. Senec.

Crudelitas indigna Rege.

Ouid.

Quo quisq; est maior, magis est placabilis ira,
Et faciles motus mens generosa capit.

eiusmodi Leones, Aquilas, aliaque generosa animalia esse testantur.

At Lupus & turpes instant morientibus Vrsi
Et quæcunque minor nobilitate fera est.

vt idem Ouidius paulo post ait. finxit Plato animas hominum mortuorum post exitum a mortali corpore, in varia animalia transire, pro conditione operum, quibus in vita dediti fuerunt; musicos in Cygnos, voluptuosos in Sues, sanguinarios, & vindicatiuos in Lupos feros, & rapaces. Cæterum ex sacris litteris videmur posse colligere, crudeles istos, & vindicta gaudentes etiam in hac vita vilissimorum animaliū quasi personam assumere. Nam Nabuchodonosor, qui fuit Rex crudelissimus, vt dicitur in lib. Iudith cap. 2. & 3. adeo sanguine, & cædibus deditus, vt iurauerit vindictam sumere, vt ibidem habetur cap. 1. ℣. 12. Quare ob deprauatos istos mores, regia dignitate indignus reputatus est, & in feram mutatus fuit, vt dicitur Daniel. cap. 4. ℣. 13. *Cor eius ab humano cōmutetur, & cor feræ detur ei.* & ℣. 30. de eodem dicitur. *ex hominibus abiectus est, & fænum vt bos comedit, & rore cæli corpus eius infectū est, donec capilli eius in similitudinem Aquilarū crescerēt, & vngues eius quasi auium.* ad quem locum explanandum D. Dionys. Carthus. enarrat. in Daniel. art. 5. ex Historia Scholastica ait, quod *ablatus est ei vsus linguæ ad loquendum videbaturque ei quòd bos esset in anterioribus, & Aquila in posterioribus, iuxta mysticam significationem proprietatum tyrannorum, qui in prima ætate ceruicosi, & voluptatibus dediti, iugo Dæmonis subijciuntur; in fine vero interficiunt; diripiunt, & conculcant.* quod etiam ex Epiphanij, & Dorothei sententia hic recitat Pererius; per illa nimirum animalia, denotatum fuisse, quod *priori sua ætate fuit ventri, ac libidini deditissimus, posteriori autem ætate immanitati, crudelitati, rapinis, ac cædibus hominum vacauit.* ad denotandum itaq; quod cædes, & vindicta ferini ingenij sunt, asseruit scriptura immutatum illum fuisse in corpore, ac talem euasisse quoad externā figuram, qualis erat moribus in animo.

Crudelis in ferem commutatur. Iudith.

Daniel.

S. Carth.

Perer.

13 Hinc credibile est quod taliū hominū, qui hominem exuisse prorsus videntur, memoriam etiam intercidere Deus velit, & aboleri: sicut è contra misericordum hominum gloriosa sit me-

Inimicantium memoria aboletur.

Eccli. memoria. Eccli. 44. ℣. 6. 7. 8. *Homines diuites in virtute &c. pacificantes in domibus suis. omnes isti in generationibus gentis suæ, gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus. qui de illis nati sunt, reliquerunt nomē narrandi laudes eorum*; idest, qui fuerunt *pacificantes.* addit statim ℣. 9. *& sunt quorum non est memoria, perierūt quasi qui non fuerint, & nati sunt quasi non nati, & filij eorum cum ipsis &c.* Hinc in Genesi, inter generationes Adæ nō numeratur Cain, eò quòd sanguinarius fuerit, & homicida fratris. obseruauit hoc S. Chrysost. *generationes*, ait, *illas quasi reprobas factas, neque memoria posthac dignetur; sed ex Seth, qui nunc illis natus est genealogiam orditur: vt ex hoc discat, quantam Deus humani generis rationem habeat, & quomodo illos auersetur, quibus sanguinaria mēs est.* Romani ad ostendendam generis nobilitatem, maiorum imagines in atrijs conseruabant, quas in funeribus, & solemnibus pompis proferre solebant, de quibus Hor. epod. od. 8.

S. Chrys.

Horat.

Esto beata, funus atque imagines
Ducant triumphales tuum.

Tiraq. de qua consuetudine vide plura apud Tiraquell. de nobil. cap. 20. num. 150. quas, qui proferre non poterant, ignobiles habebantur; cùm igitur Deus sicariorum memoriā aboleri præcipiat, significat illos ignobilium loco apud se, & homines esse; eorumque imagines deletas; quod & futurum prædixit Dauid Psalm. 68. ℣. 29. *deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur,* & Psalm. 108. ℣. 15. *dispereat de terra memoria eorum, pro eo, quod non est recordatus facere misericordiā.* Quæ verba ait P. Agell. *possunt accipi, tamquam in vniuersum hoc sæuorum hominum, & impiorum genus dicta.* vide ergo quantam ignominiam adducat vindicta; quantamque gloriam pietas.

Psalm.

Psalm.

P. Agell.

Genes. 14 Talis in sacris litteris describitur fuisse Ismael, de quo Genes. 16. ℣. 12 dicitur. *Hic erit ferus homo, manus eius cōtra omnes, & manus omnium contra eum. & è regione omnium fratrum suorum figet tabernacula.* aliqui, de quibus testatur Procop. pro, *ferus*, legunt: *rusticus*; quod etiam sensit Interlin. quæ exponit: *agrestis, rusticus*, quibus verbis denotatur homo inciuilis, qualē nos dicimus *villano*, rudem, & agrestibus moribus præditum significantes; meritò autem talis dicitur is de quo ait Scriptura: *manus eius cōtra omnes.* sanguinarius, vltionis appetens, demissi, & degeneris animi; qui ex eo quod contra omnes sæuit, dignum se brutorum conuictu, & indignum humana consuetudine declarat.

Procop. Interlin. Rusticus, & inciuilis, vindictā seruat.

15 Accedit ad hoc probandum, quod dicitur Matth. 18. ℣. 21. quo loco præcipit Dominus dimittendum esse fratri, *non solum vsque septies, sed vsque septuagies septies*; quod vt Regij, & magni animi esse ostenderet, subdidit ℣. 23. *ideo assimilatum est Regnum cælorum homini Regi &c.* (qui vt in illa historia, ibi recensita, dicitur) misertus serui, facile illi oranti omne debitum remisit; at seruus, vtpote vilis, & verè seruili conditione, in qua viuebat, dignus; noluit conseruo dimittere, imò *tenens suffocabat eum*, idest, vt exponit S. Tho. in Caten. *acriter insistebat, vt vindictam ab eo exigeret*, quo loco bene considerat S. Chrysost. quantùm in remittendis offensis, & debitis differāt Rex, & seruus. *Vide*, inquit, *Domini charitatem, & serui crudelitatem, Dominus ignoscendo, se Regem, & magnanimum esse docuit, seruus qui vindictā intentauit, quàm vili, & ignobili animo esset, ostendit.* & quamuis de Rege dicatur ibidem, quòd *iussit venundari seruum &c.* tamen in hoc misericordiam prætulit: vnde S. Thomas in Caten. *Hoc autem*, inquit, *non ex crudelitate iussit, sed ex ineffabili affectione; vult enim eum terrere per has minas, vt supplicet, & non vendatur, quod & factū ostenditur, dum subditur, & procidens seruus ille &c.* volebat ergo benignus Rex orari, vt se exorabilem præstaret,

Matth. Regij est animi dimittere offensas.

Abiecti est animi, vindicari

S. Thom.

S. Chrys.

S. Thom.

& timor

& timor ille, quem seruo incussit, magis cumulauit acceptæ remissionis gratiam.

16 Accedat etiam ad ostendendum quantum gloriæ adueniat pacificis, qui inimicis non vindictam rependere, sed eos potius muneribus, & benefactis placare conantur, factum Iacob, & Esau, quod habetur Genes. cap. 32. Properabat Esau maligno, & sæuo animo aduersus Iacob fratrem suum, numerosa hominum manu stipatus, memor adhuc, & prærepte sibi paternæ benedictionis, & vilis pulmẽti prætio ademptæ primogenituræ; Cùm Iacob pius, & mitis, præmissis magnis donis; *placabo*, inquit, *illum muneribus, quæ præcedunt, & postea videbo illum, forsan propitiabitur mihi*, in qua cogitatione dum hærebat dubius, & animi incertus quid euenturum esset; meruit singulare illud à Deo beneficium accipere, vt postquam tota nocte cum Angelo luctatus fuit, mutatum illi fuerit nomen, vt pro *Iacob*, *Israel* appellaretur. *nequaquam*, dixit ei Angelus, *Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel.* S. Hieron. in quæstion. Hebraicis: *Ser*, ait, *à quo nomen Israel deriuatur, Principem sonat. quasi dicat, non vocabitur nomen tuum supplantator, idest, Iacob, sed Princeps cum Deo, idest Israel, quomodo enim Princeps ego sum, sic & tu.* Hæc Hieron. vt intelligamus, quod qui fratri irato, & sæuienti, pacificè, oblatis donis occurrit, eius animum placare conatus, quasi Deo par, illi tota nocte colluctatur, & dimisso *supplantatoris* nomine, *Princeps*, dici meretur, cùm hoc vno opere, principali se titulo insignem fecit; & qui Esau persequentem benefactis propitiare studet, non vltra vocetur supplantator, sed Princeps.

Genes.

Principis titulo insignitur, persecutori remittens.

S. Hieron.

Ser, idest Princeps

17 Hac mente præditus Dauid, semper magnificatus est, vt quantum ipse à pastoritia vita paulatim ad Regiam dignitatem, domino largiente, prouehebatur; tantumdem Saul eius persecutor, & Osor, è regia maiestate deiectus fuerit. enimuerò Dauid ita secum constituerat, protestatusque Deo hoc fuerat Psalm. 7. ṽ. 5. *si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis; persequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat.* per modum imprecantis prædicit, quænam mala ijs contingant, qui inimicis vindictam retribuere conantur: ac significat, non ipsum modo corpus mala passurum; sed etiam *gloriam*, idest, *honorem, decus, & bonam existimationem*, vt exponit Genebr. imò *caput ipsum Regium* (vt vult P. Agell.) *siue eam corporis partem, in qua gloria, & anima viget, in puluerem*, idest, dedecus, & contemptum *redactum iri*; *puluerem enim*, inquit Genebrar. *vocat vilem, & abiectam conditionem, vt* Psalm. 102. *recordatus est quoniam puluis sumus*. Idem confirmat id quod sequitur: *Exaltare in finibus inimicorum meorum.* quod quamuis de Christo Domino ab inimicis conculcato, & per cõtumelias exaltato intelligatur, quem *oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam*, & qui *humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, propter quod & Deus exaltauit illum*. tamen potest etiam locus iste de ipso Dauid intelligi maximè si cũ Dydimo, Theodoret. & S. Augustin. relatis à Lorino legamus: *eleua, & attolle me in finibus*, hoc est, vt exponit Genebrard. *in indignationibus inimicorum meorũ*: ex quibus indignationibus, & odijs eleuatus, & ex vili exercitio translatus fuit Dauid ad solium Regium. auget emphasim, & clarius hunc sensum exprimit lectio Ariæ Mont. S. Athanas. & Dydimi, quæ habet: *exaltare in finibus*, idest, *excessibus* furoris, & impetus eorum, in maximis iniurijs, quibus me deprimere conati sunt inimici. quasi *in finibus*, idẽ sit, ac in vltimis terminis, quos vlterius progredi non datur, ideò verterunt *in excessibus*, quasi ad summũ, & excessum, quo maius excogitari non potest deuenerint Dauid aduersarij;

Auget charitas, minuit indignatio Regis solium.

Psalm.

Illustratur Dauid

Mala quę inimicantium.

Genebr.

P. Agell.

Genebr.

Illustratur Dauid

Eleuãt ad gloriam odia inimicorum.

Dydim. Theodor. S. Aug. Genebr.


Aria. Mont. S. Athan Dydim.

ait

ait igitur pauper, & vilis pastor (iuxta positas versiones) *eleua, attolle me in indignationibus, & excessibus inimicorum meorum*; sitque summum gloriæ fastigium, inimicantium excessus, & postremus principatus terminus, non vlterius terminabilis persequentium indignatio, cui mea correspõdet pietas.

18 Pondera præterea aliũ locum 1.Reg.24.℣.4.5. latebat Dauid in spelunca declinans Saulis persequentis iram, habebatq; secum commilitones ad sui custodiã: de quibus dicitur ℣.4. *porrò Dauid, & viri eius, in interiore parte speluncæ latebant*: fuit spelunca illa amplissimũ Dauidicæ victoriæ theatrum, aduersarios maximè habuit domesticos suos, & familiares, qui illum ad vindictam, tutò sumendam, instigabant. de quibus subdit sacer tex. ℣. 5. *& dixerunt serui Dauid ad eum: Ecce dies de qua locutus est Dominus ad te: ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei, sicut placuerit in oculis tuis.* prius appellantur *viri, porrò Dauid, & viri eius &c.* mox *serui, & dixerunt serui Dauid ad eum.* quæ tam subita, fuit tituli mutatio? nisi quia quando vna cum Dauid latẽtes inimici insidias declinabant, neque contentiosè agebant, à vera virtute, *viri*, appellari merebantur: Cùm autem Dauid vindictam suadebant, in vilium seruorum conditionem degenerauerant, seq; Mancipiorum nomine dignos reddiderant. excelsum enim nobilemque habet animum inimicis ignoscens.

1.Reg. | ...nosces inimicis, ...r dici...vindi...tiam, ...mus.



Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros.

Sacer textus.

CAP. VI.

Odia, & arma contra inimicos, Deus prohibet, vt nobiscum inhabitet.

1 Vod Salomõ dixit Sapiẽt. 2.℣.24. *Inuidia Diaboli mors intrauit in mũdum*; non solùm videtur de naturali morte, ad quam Deus post Adæ lapsum, omnẽ eius posteritatem adiudicauit; sed etiam de violenta, quæ fit per homicidia, & cædes (licet à Deo non intenta, sed permissa) intelligi posse. Inuidens enim Diabolus homini, ad spem gloriæ, à qua ipse ceciderat, adspiranti, mortales ad ea maximè instigauit, quibus à Deo magis semper elongarentur; Quare cùm pacem, & concordiã nosset maximè Deo gratam esse, ipse inimicitias, dissensiones, & cædes persuasit, ac introduxit, quibus Deus irritatus, homines tamquam diuina gratia, & consortio indignos, auersaretur. Ex hac itaque Diaboli inuidia factum fuit, vt homicidia inter homines exercerentur, vnde ipse Diabolus Ioan. 7. dicitur *homicida ab initio*. Quod clarius intelligemus si memoria repetamus, cædi primum in hunc Mundum introeunti; inuidiam quasi ducem præiuisse, & viam strauisse: inuidit enim Cain Abeli, vt dicitur Genes.4. cuius munera Deus respexerat, & primum homicidium patrauit. Hinc in sacris litteris, inuidia, & homicidium sæpissimè coniungi solent, eo quòd homicidium Ducem suum inuidiam sequatur. Sapient. 14.℣.24. *alius alium per inuidiam occidit*; Iob.5.℣.2. *paruulum occidit inuidia*. Rom.1.℣.29

Sapient. | *Mors violenta a diabolo instigata.* | *Ioan.7.* | *1. Cædes inuidia diaboli introducta.* | *Præit inuidia homicidiũ.* | *Sap. Iob*

Roman. Galat. *plenos inuidia, homidio, cõtentione, &c.* idem ad Galat. 5. ℣.21. opera carnis enumerat, inter quæ sunt. *Inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, inimicitiæ, homicidia &c.* quibus in locis vides semper homicidium comitem, & asseclam inuidiæ poni, quia per diaboli inuidiam mors, & homicidium intrauit in Mundum. Nouerat enim hominis dignitatem, quem Deus ijs priuilegijs decorauerat, vt paulominus ab Angelis minoratus dicatur, gloria, & honore coronatus, & quem adeò sibi gratum esse professus fuerat Deus, vt dixerit Prouerb.8. ℣. 31. *deliciæ meæ esse cum filijs hominum*; & humanam naturam aliquando à Deo assumendam ægerrimè ferebat. Quod, vt quantum in se erat impediret, inimicitias, & cædes, quas Deum summopere abominari sciebat, disseminauit inter homines, coniectans fore, vt cum ijs Deus minimè sustineret habitare, quorum animi mutuis odijs exasperantur; Cùm nec alloquium, ac ne preces quidem & sacrificia sanguinariorum acceptet, aut exaudiat, vt dicitur Isai.1.℣.13. *ne offeratis vltra sacrificium frustrà, incensum abominatio est mihi &c.* & ibidem ℣.15. *cùm extenderitis manus vestras auertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Sed benignissimus, & clementissimus erga humanum genus Deus, qui ad hoc in mundum venit, vt diaboli conatus irriti caderent; inducto charitatis, & mutui amoris feruẽtissimo igne, liuoris, & odij glaciem dissoluit, vt sic hominibus cohabitaret per charitatẽ, quæ maximè homines Deo conciliat, & vnit: Ioa.1. Vers.6. *Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo,* est enim charitas velut gluten, & vinculum, seù aurea Catena Deum cum hominibus, & homines inuicem ligãs, & connectens, vt eam appellat Paul. ad Ephes.4.℣.2.3. *supportantes inuicem in charitate, solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* & Oseæ 11. ℣.4. *in funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Ideo in præmissis Euangelij verbis, pulsis odijs, rixis, & armis inimicantium illis verbis: *dictum est antiquis: odio habebis inimicum &c.* amorem vt nexum mutuum suasit: *ego autẽ dico vobis, diligite &c.* hoc enim est medium vt Deus hominibus cohabitaret, iuxta illud 2. Corint.13.℣.11. *idem sapite, pacem habete, & Deus pacis, & dilectionis erit vobiscum:* qui inimicantes, & duellistas auersatur.

Prouerb. · *Isai.* · *Charitas, vinculũ inter Deũ & homines.* · *Ioan.* · *Ephes.* · *Oseæ.*

2 Hinc factum, vt enasciturus in carne Deus, *Bethleẽ*, elegerit suæ natiuitati, quæ *domus panis*, idest, *pacis*, & *vnitatis* quoque interpretatur, cùm abundantia, & omnis annonæ copia, quæ per *panem* significatur, pacis sit effectus, iuxta illud Psalm.147.℣.3. *posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te.* pacis ergo domus Incarnato conueniebat Verbo, qui charitate succendere veniebat homines, vt cum eis habitaret. in quem sensum dixisse puto Senecam epist.87. *summum illud bonũ, & ipsum, suam habet sedem, non nascitur vbi ferrum.* quasi incongruum habitaculum, & sedes Dei sit locus vbi ferri extat materia, ex qua arma effor mantur. Hac quoque ratione factum est, vt priscis temporibus cautum fuerit, ne quis in Deorum templa arma inferret. Tull.2. de legib. *æs*, inquit, *& ferrum arceto à delubris, duelli instrumenta, non fani.* multo magis præstandum hoc erit vero Deo, qui Deus pacis, & dilectionis est, quique vt dicitur Deuter.27.℣.6. præcepit *ædificabis ibi Altare Domino Deo tuo, de lapidibus, quos ferrum non tetigit.* Sicut etiam de templo à Solomone ædificato dicitur 3.Reg.6.℣.7. *domus autem cùm ædificaretur, de lapidibus dolatis, atque perfectis ædificata est: & malleus, & securis & omne ferramentum non sunt audita in domo cùm ædificaretur.* non enim arma tantum, sed & armorum materiam auersatur Deus.

Annonæ copia per panem denotatur. · *Psalm.* · *Seneca. Deus nascitur vbi non est præliorũ materia.* · *Tull. Cautum, ne in templum armorum inducatur materia.* · *Deuter.* · *3 Reg.*

3 Pondera, quæso (ad hoc propositum) historiam, quam refert Lucas Euangelista cap. 9. Conspirabant Samaritani, & Iudæi in Christum; quapropter ait Euangelista ℣. 54. *Cum vidissent autē discipuli eius Iacobus, & Ioannes, dixerunt: Domine, vis, dicimus vt ignis descendat de cælo, & consumat illos?* vetuit Saluator, & ait: *& conuersus increpauit illos, dicens: nescitis cuius spiritus estis. filius hominis non venit animas perdere, sed saluare:* vnde ait Sanctus Thomas in Catena: *Dominus autem in eos non commouetur; vt ostenderet, quia non habet vltionis studium perfecta virtus, nec vlla sit iracundia, vbi plenitudo est charitatis. Reprehendit in eis Dominus non exemplum Prophetæ sancti* (idest Eliæ) *sed ignorantiam vindicandi, quæ adhuc erat in rudibus: animaduertens eos non amare correctionem, sed odio desiderare vindictam.* Quibus ex verbis Sancti Doctoris obiter colliges, ignorantis, & rudis animi inscitiam esse velle vindicari, & de qualibet iniuria, aut inimicitia vltionem sumere. Protulit deinde hanc Saluator sententiam ℣. 58. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet,* quæ verba si præcedentia respicere videantur, hunc facere sensum existimo, quasi ad Apostolos, & ad discipulos suos dicat: inquietos, turbatos, iracundia, & indignatione furentes vos video: Iudæos in me concitatos cerno; pectora vestra, mentesque, arma, & vindictas meditantes conspicio: idcircò *vbi caput reclinem non habeo*; auersor enim inimicantium, & duellantium animos, corda rixantium non inhabito. fit mat satis perbellè hanc expositionem Sāct. Ambros. lib. 6 Hexamer. cap. 8. *at ille quidem* inquit, scilicet Deus, *talem hominem fecit, in quo caput suum reclinaret, sed posteaquam in pectore nostro, non requies proximi esse capit, sed fouea; posteaquam alter alteri capit nectere insidias, quem iuuare deberet: caput suum Christus auertit à nobis, noli igitur esse fraudulentus, crudelis, immitis, vt in te Christus caput reclinet.* quod agnouit etiam sāctus Nilus Abbas, ideò in tractatu aduersus vitia cap. 4. dicebat: *in spiritu māsuetudinis Christus caput inclinat, & mens pacifica, Sanctæ Trinitatis est domicilium,* vt in in eo inhabitet.

4 Quantùm Dominus Iesus auersatus fuerit bellorum instrumenta, & armorum genera: colligo ex illo Lucæ 24. ℣. 35. *& ipsi narrabant, quæ gesta erant in via, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis.* nō ignoro, plures fuisse Doctorum sententias in explicando quomodo in fractione panis discipuli Dominum agnouerint. inter quas expositiones illam annumerari posse censeo: morem Christo fuisse panem non cultro scindere, sed digitis, & manu immediatè; nihilominus panis bucellæ, & partes ita distinctæ, & obsecatæ erant, ac si cultro incisæ fuissent. Cum ergo discipulis abeuntibus in Emmaus apparuisset, & cum illis recumberet, suo more panem fregit; quod videntes discipuli, ex cōsuetudine magistrum agnouerunt. Hæc expositio est Didaci Stellæ in cap. 24. Lucæ S. expende etiam &c. qui sic habet: *in sola fractione panis est agnitus, vt intelligamus fractionem fuisse miraculosam, hoc est, quia frangebat panem manibus suis sicut alij incidunt gladio. solitum hunc frangendi modum fuisse credimus, vt propterea discipuli ex consueto Iesu modo, cognouerint eum.* Ergo tot miracula operabatur Christus, quot panis partes frangebat; quod cùm toto vitæ suæ tempore, & quotidie fecerit, cogita quot miracula edidit, ne vel cultrum tangeret, quod etsi vescentium est instrumentum, est quoque rixantium, & duellantium armatura. Quod si miracula non leui qualibet ex causa conceduntur: perpende quanti fecerit Saluator fraternam charitatem, & detestatus fuerit proximi necem, qui penè innumera edidit miracula

Luc.

Iacobus, & Ioan. indignantur cōtra Samarit.

S. Thom.

Vindicta, ignorātis & rudis est animi.

Illustratur Luc.

Caput Christus non reclinat in corde iracundo.

S. Amb

S. Nilus Abbas. Mansuetos Christus inhabitat.

Luc.

Illustratur Luc.

Christus absq; cultro panē secat.

Didac. Stell.

Miracula potius Christus operatur ne, arma tangat.

racula, ne fundendi quidem humani sanguinis instrumentum, aliquo pacto tangeret: quapropter fuit sententia Xisti Pythagorici to. 5. Bibliot. SS. PP. *ferrum, quo homines interimuntur, optimum fuerat non fieri, factum tamen, apud te non sit*: ne vsum illius habere aliquo modo valeas.

Xist. Pythag.

5 Nõ adeo vulgaris est expositio illius sententiæ Saluatoris Lucæ 11. ℣. 33. *Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio: sed supra candelabrum, vt qui ingrediuntur lumen videant*. Inter multas quæ circũferuntur Expositiones, hanc à me excipe. Est *modius*, mensuræ quoddam genus, quo, iuxta prætium, merces datur. At verò per *lucernam accensam*, mandata Dei, seù *lex* intelligitur, iuxta illud Prouerb. 6. Vers. 23. *mandatũ lucerna est, & lex lux*. Et fortassis ea ratione, quia sicut lucerna tunc tantùm illuminat, ac splendet, quãdo ei oleum infundimus: ita non aliter mundi Iudices, & Principes legis sinceritatem, & iustitiam (quæ suum cuique tribuit) nobiscum exercent, nisi adulationis, aut munerum oleum tribuamus. Sed hoc obiter. sistendo ergo in metaphora lucernæ, & lucis: Est adductorum verborum sensus valdè pulcher: Dei mandatum, non intra mensuram continendum est, non *sub modio*, non a te coarctandum, limitandum, restringendum; alioquì iniustitiam potiusq́, quam perfectam iustitiam, te operari, dicendum est. ita exponit Beatus Esaias Abbas oratione 21. quæ est de pœnitentia: *mundi huius*, inquit, *iniustitia, modius dicitur*. Prosequitur autem hic Beatus Abbas explicare, quænam sit hæc iniustitia, quæ sub modio detinetur, aitque eam esse præcipue inimicorum odium, & vindictæ passionem: *sic enim* (subdit) *docuit eos, quorum mens in diuinis mandatis illustrata est: Dico (inquiens) vobis, qui auditis: diligite inimicos vestros, qui oderunt vos: orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, &c.* Et videtur ex ipso contextu Euangelij, hæc expositio colligi; cùm enim dictũ fuisset Marc. 4. ℣. 21. *numquid venit lucerna, vt sub modio ponatur &c.* addit ℣. 24. *& dicebat illis: videte quid audiatis: in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, & adijcietur vobis*. Hanc reddendi mensuram habes Exod. 21. ℣. 23. *reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore &c.* hic erat mensuræ modius carnali illi populo, ob sui duritiem datus, ne in peiora rueret, quem reformauit Christus iuxta charitatis plenitudinem Matth. 5. ℣. 38. *Audistis quia dictum est oculum pro oculo, & dentem pro dente: ego autẽ dico vobis non resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram &c.* illa erat lucerna accensa sub modio, hæc scilicet charitas, posita super candelabrum. Eiusdem mensuræ, *sub modio*, metaphora vtitur idem Euangelista Matthæus, paulò post prædicta, nimirũ Vers. 46. *si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Et si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid ampliùs facitis?* quasi commensuratio sit dilectionis ad dilectionem, & salutationis ad salutationem, & modij sit mensura; quam extra mensuram fieri, & super candelabrum poni, non arctata, & restricta, Dominus præcipit. Si quis autẽ charitatem, & amorẽ proximi sub modio, & mensura collocauerit, vt iniuriarum, & sanguinum vices rependere velit: hic a Deo excidet, & in eo, & cum eo Deus esse non patietur, imò auersabitur sũmopere, quod est assumptum à nobis hoc loco probandum. Id docuit citatus Beatus Esaias Abbas ibidem; loquens enim de vindicta, quam nomine *iniustitiæ* appellat (vt diximus) *mundi huius*, inquit, *iniustitia modius dicitur, qua dum mens detinetur, in ea diuinitatis lucerna non potest esse: at si mens super sublimius candelabrum fuerit,*

Luc.
Illustratum Luc.
Lex lucerna est Prouerb.
Iustitia lux, munera subministrantibus splendet.
B. Esaias Abbas.
Iniustitia est modius.
Inimicorũ odium est modius.
Marc.
Illustratur Marc
Exod.
Matth.
Charitas, lucerna accẽsa super cãdelabrum.
Deus per gratiã nõ est in mẽte vindictam cogitante.

tunc diuinitatis lumen in ipsa est. Sic enim docuit eos, quorum mens in diuinis mandatis illustrata est. Dico, inquiens, vobis, qui auditis: diligite inimicos vestros, benefacite ijs, qui oderūt vos &c. habes ergo, sanguinarijs hominibus, qui iniuriarum vices rependunt, Deum non communicare, neque fauores, aut dona, quæ amicis impertitur, aliquo modo concedere.

6 Petendum est, pro assumpti veritate confirmanda, non leue argumentum ex illo Genes. 2. Vers. 21. *immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cumque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea, & ædificauit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulierem &c.* aliàs diximus, & probauimus *soporem quem Deus in Adam immisit*, fuisse *raptum*, & *Ecstasim*, in qua reuelationem, & intelligentiam accepit eius, quod fiebat. Si Apostolum interrogas, quodnam mysterium in hoc lateat, & ad quid significandum factum est? Respondet in epistola ad Ephesios cap. 5. Vers. 32. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico vobis in Christo, & in Ecclesia.* Hoc præcognito quæritur, cur non, de Euigili, sed *sopore*, & *Ecstasi* absorpto Ada, *costa* tollitur, vt in mulierem efformaretur? vt inquam mutua esset charitas, pax, & vnitas inter Adam, & vxorem Euam, quod ex ipso Pauli adducto loco colligitur; cum enim dixisset: *hoc autem dico vobis in Christo, & Ecclesia*, subdit statim: *verumtamen & vos singuli vnusquisque vxorem suam sicut seipsum diligat: hoc enim decet eos, qui sunt duo in carne vna.* Contulit autem huis vnitati, & paci inter virum, & vxorem, vt *costa* ex sopito Ada, non ex euigili tolleretur; ait enim præclarè Moyses Bar Cepha Syrus Episcopus lib. de Paradiso part. 1. cap. 28 *Solet & illud quæri, cur non vigilanti Adamo, sed dormienti costam Deus subtraxerit? atqui si vigilanti exemisset, horum ipsi euenisset alterutrum, vt aut doloris sensu aliquo afficeretur in auferenda costa, aut nullo: iam verò si doluisset, odium aduersus coniugem suam Euam concepisset: sin nullo tactus fuisset dolore, existimasset falsam dumtaxat imaginationē fuisse eā, qua de Eua conditione suo animo obuersabatur, neque re ipsa, & verè accidisse.* volēs ergo Deus summum amorem, & vnionem inter primos coniuges cōseruari, nec dolere voluit Adam in ablatione costæ, ne odium in coniugem haberet; nec omninò non cognoscere quod fiebat, ideo Ecstasim immisit, vt eius quod agebatur ignorans non esset, vidensque Euam ex sui corporis parte efformari, feruentius diligeret. quod argumentum est Apostoli ad Ephes 5. ℣. 28. *viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua, qui suam vxorem diligit, seipsum diligit: nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, ac fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius: propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna, quod Adam, & Eua in eorum formatione dictum fuit.* quia verò in vnū viuere, & esse debebant, omnis discordiarum occasio amputanda erat, ideo non euigili, sed Ecstasi sopito Adæ costa aufertur, ne doleret, aut contra vxorem inimicitias conseruaret. propterea Moyses Bar Cepha loco citato, addit: *Igitur non naturalem somnum, & vsitatū illum immisit Adamo Deus, quo effectum est, ne sentiret dolorem, agrèque haberet, dùm sibi costa demeretur, ex quo dolore subinde in memoriam sibi recurrente, hostis aduersus eam mulierem fieri potuisset; sed ea ipsum quietè, siue Ecstasi deuinxit, illud rem ipsā esse, quod in se, & circum se, agebatur a Deo, nullo interim sensu doloris tactus.* vide Dei circumspectionem in propellendis coniugum rixationibus, quia verò, vt ex Apostolo dicebamus *Sacramentum hoc magnum est in Christo, & Ecclesia* collige, iungi Deum non posse,

Genes.

Sopor Adæ fuit Ecstasis.

Ephes.

A sopito Ada costa tollitur, vt eius Charitatem seruaret.

Moyses Bar-Cepha.

Cur Ecstasis Adę immittitur in ablatione Costa.

Coniuges charitatē seruent.

Ephes.

Deus inimicitibus non iungitur.

posse, neq; spirituale inire coniugiũ, & disponsationem, cuius animus charitate plenus non sit, imò discordias seruet, & iurgiorum occasiones, & mentem rixis plenam habeat.

7 Huius veritatis argumentum præcipuum habemus Genes. 13. ℣. 14. *Dixitque Dominus ad Abram, postquam diuisus est ab eo Lot: leua oculos tuos, & vide &c. omnem terram quam conspicis tibi dabo &c.* pluries Deus Abræ apparuit, & cum eo loquutus est: simpliciter tamen, & absque addito, notat factum Scriptura. sic Genes. 12. ℣. 7. *apparuit Dominus Abram, & dixit ei: semini tuo dabo terram hanc.* Et cap. 15. ℣. 18. *In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abram, dicens: semini tuo dabo terrã hanc:* hoc aũt loco, non dixit simpliciter: *dixit Dominus ad Abram: omnem terram, quam conspicis tibi dabo &c.* sed addidit: *postquam diuisus est ab eo Lot.* ad quid expectare fratris sui Lot discessum, vt Deus Abræ appareret, illiq; loqueretur, totq; donis, & gratijs cumularet? poterat & hoc, ipso Lot præsente facere, fuissetque Abræ iucundius, cùm eo tempore, plura passus fuerit Abram incommoda, rixas, iurgia, & dissensiones; quapropter recreatus fuisset Dei præsentia, reuelatione, alloquio, & promissione: nihilominus ait Sacer tex. *dixitq; Dominus ad Abram, postquam discessit ab eo Lot.* quia verò Spiritus sanctus nil inutile, aut superfluum in diuinis scripturis patitur, cur post discessum Lot, sic Abræ apparuerit, alloquutusq; illi fuerit expendenda causa est. Rationem eam existimo, quam tractamus, nimirum quia auersatur Deus turbatos animos: nequit familiariter se illis exhibere cernendum, & alloquentem, qui commota, inquieta, rixantia habent pectora, & corda: Patiebatur autem quandam perturbationem Abram, propter rixas inter pastores suos, & pastores fratris sui Lot: dixerat propterea Abram ad Lot, eodem cap. 13. ℣. 8. *ne quæso sit iurgium inter me, & te, & inter pastores meos, & pastores tuos, fratres enim sumus:* ideo vt dignus fieret Abram Dei apparitione, & colloquio, expectauit Dominus discessum Lot. Expositionem hanc eruo ex Lyrano hoc loco: *Hic (inquit) consequenter describitur separationis Abram, & Lot approbatio, per hoc quòd Dominus locutus est ipsi Abram post illam separationem, promittens ei terram, & prolis multiplicationem, & hoc fuit conuenienter factum:* subdit autem conuenientiæ rationem: *Diuinæ enim reuelationes solent fieri mentibus quietatis, & à perturbationibus passionum sedatis: societas autem ipsius Lot propter rixam famulorum, erat causa perturbationis, vt prædictum est: & ideò reuelatio diuina facta est Abrã post ipsius Lot separationem:* Ciuilibus enim domesticisque existentibus pugnis inter Abram, & Lot, turbati erant animi, insultantes passiones, in promptu inquietitudines; quæ omnia inimicantiũ, & belligerantium propria sunt.

Genes. | Genes. | Deus Abræ apparet post discessum Lot cum quo rixas habuerat. | Lyran.

8 Hac de causa nasciturus in carne Dei filius, & mundum inuisere dignaturus, vt dicitur Lucæ 2. *sub Cæsare Augusto*, pacatissimo inquàm tempore, & vt canit Ecclesia: *toto orbe in pace composito*, mundum ingreditur. adnotauit hoc Sanctus Thomas in Catena: *nasciturus*, inquit, *in carne Dei filius: sicut de virgine natus, virginitatis decus ostendit esse gratissimum: ita pacatissimo tẽpore sæculi procreatur, quia pacem quærere docuit, & pacis sectatores inuisere dignatur:* in qua S. Doctoris sententia, illud primo notandum, quasi æquè Deum æstimasse, de Deipera Virgine nasci, ac pacis tempore mundo dari, dum vnum alteri comparat per illas dictiones, *sicut*, & *ita*. Deinde notandum, quòd ingrediens mundum, non alios, *nisi pacis sectatores inuisere dignatur*; hos adit, apud hos hospitatur, & moratur.

Luc. | S. Thom. *Quasi æquè Deo gratũ de virgine nasci, & in corde pacifico habitare.*

9 Cognouerunt hanc veritatem ipsi Gentiles: scribit enim Auctor Apophtegm. lib. 8. quòd Demonax Philo

Auctor Apoph.

losophus aduertens Athenienses hoc agere, vt Barbarorum exemplo, specta cula in Vrbem inducerent, quibus, in homines efferati, leonibus, ferisque discerpendos, dilacerandosque in theatris traderent: *nolite*, inquit, *ciues istam crudelitatem prius admittere in ciuitatem vestram, quàm misericordiæ aram sitis demoliti.* rationem, cur hoc dixerit Demonax, reddit idem Auctor. *voluit*, inquit, *significare nequaquam conuenire in ea Ciuitate, in qua misericordia pro Dea coleretur, spectari plusquam ferinam crudelitatem*. Et secundùm hunc intellectum, illud moraliter inde eruendum est, indecens esse, & præter omnem rationem congruum Christi fidelibus, Deum misericordiarum venerari, iuxta illud 2. Corinth. 1. ℣. 3. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis*; & immites, immisericordes, imò ferinos esse in proximos: Deum misericordiæ colere, vt misericordiam ipsi consequantur; & fratribus nolle præstare misericordiam, cùm scriptum sit Eccli. 28. ℣. 4. *in hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? ipse cùm caro sit, reseruat iram, & propitiationem petit à Deo? quis exorabit pro delictis illius?* & Matth. 5. ℣. 7. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur:* sicut e contra dicebat Plato de legibus: *crudelitas in barathrum tartari abigit, vnde numquam egrediuntur.* Quòd si pro *misericordiæ Dea*, misericordiæ matrem, Beatam, inquam, Virginem intelligamus, de qua dicitur: *mater misericordiæ*; vtique non decet aliquem crudelem esse in proximum, & à Dei matre expectare misericordiā; pietatis enim Regina, erga pios, pia magis est. Sed ad rem nostram, paulò aliter dictum Demonatis interpretemur. vetuit, misericordiæ templum apud Athenienses esse, qui à leonibus, ac feris discerpendos, perdendosque homines in spectaculis traderent; certò sciens, Misericordiæ Deam, quam ipsi colebant, cum efferatis, barbarisq; animis non cohabitaturam, ideò misericordiæ aram demoliri consulit, si in proximos crudelitatem talem exercere volebant, recedit enim Deus à crudelibus; templum enim & aram misericordis cor imitatur; vnde est illud Phocionis apud Stobæum serm. 1. de virtute: *nec è templo ara, nec ex humano corde misericordia tollenda est*. meritò igitur apud illos misericordiæ ara demolitur, qui crudeles, & sanguinarij in proximos euascrant.

Misericordiæ Ara a crudelib. auferenda.

Qui misericordiæ Deum colit, ne immitis sit.

2. Corint.

Eccli.

Matth.

Sit misericors, qui misericordiā à Dei matre petit.

Deus misericordiæ recedit à crudelib.

Stob.

10 Non leue argumētum ad hoc idem probandum eruo ex illo Genes. 6. ℣. 3. *Dixitque Deus: non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est*. Sanct. Ambros. Sanct. Augustin. & alij per ly *spiritus meus*, Deum ipsum, seu Spiritum sanctum intelligunt, & sensus est: recedam ab hominibus istis huius sæculi; meam ab illis auertam faciem; familiarē, & quasi domesticum (vt antea) me illis nō exhibebo, rationemque cur hoc facturus sit, addit, cùm subdit: *quia caro est.* Scio multos per hæc verba: *quia caro est.* ipsam carnis fragilitatē, & carnis propensionem ad luxuriam exponere; & expositio optima est, & textui conformis. sed non displicebit fortè lectori, si ita explicabimus: *quia immitis, crudelis, rixator est*, quasi assignetur ratio, & causa recessus spiritus Dei ab hominibus illius temporis, quia moribus erant efferati, & in homines inhumani. hanc expositionem non somnio, sed colligo illam ex Procopio in cap. 4. Genes. qui reddens rationem, cur tantùm Noe iustus illis diebus fuerit, vt dicat Sacra scriptura eodem cap. 6. ℣. 9. *Noe vir iustus, atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulauit*, idest, quasi amicabiliter cum Deo conuersabatur, cum quo iugiter erat; reliquos verò illius temporis homines deseruerit, vt ab illis discedere, imò diluuio perdere statuerit, eam asserit: quia Noe mitis, ad clementiam pro-

Genes.

S. Ambr. S. Aug.

Locus Genes. illustratur.

Spiritus Dei cum rixosis non permanet.

nus,

nus, & erga proximos misericors erat; cæteri verò efferati, & crudeles. ait itaque Procopius: *Noe solus in illo deplorato sæculo inuenitur iustus. duæ illæ artes quas adinuenerunt nepotes Cain plurimum conducebant exulcerato sæculo: musica inseruiebat conuiuijs, & commessationibus; ars æraria iuuabat bellum:* omnem ergo morum corruptelam, ob quam indignatum Deum legimus, ad delendum per diluuium vniuersum totum, omnéq; hominem, habuisse originem ex delicijs musicæ, quam Iubal primus reperit, sicut dicitur Genes. 4. ℣. 21. *Iubal ipse fuit pater canentium cithara, & organo*; cui iunctæ erant epulæ, commessationes, & ebrietates, & his similia, deliciarum inquam materia, quibus delicijs meritò *exulceratum* dicit *illud sæculum*, ac *deploratum*, ita vt diuina indignatione iustè per diluuium absorptum fuerit; Nec non etiam originem sumpsisse (ait Procopius) ex eo quòd gens illa moribus crudelis, efferatior facta fuerat ex quo *Tubalcain artem ærariam, quæ iuuabat bellum* primus adinuenit; vnde dicitur eodem cap. 4. Genes. ℣. 22. *Tubalcain, qui fuit malleator, & faber in cuncta opera æris, & ferri*. Et aduerte non sine causa Procopium per nomen patris, matrisue hos non appellasse, & explicasse, sicut moris est Sacræ Scripturæ, & Patrum, sed dixisse: *illas artes quas adinuenerunt nepotes Cain*: scitum namque est sanguinarium fuisse Cain, vnde dicitur Genes. 4. ℣ 8. *Consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel, & interfecit eum*. Ideò huius nepotes describuntur, cuius ferinam rabiem imitati, bellica instrumenta, ad fundendum humanum sanguinem adinuenerunt. At verò familiarem, ac socium sibi Deus adsciuit Noe quia mitis, & misericors erat in proximos; namque id, nomen ipsum Noë exprimit, qui *cessatio*, seu *requies* interpetratur hoc est, animus ab omni perturbatione sedatus. quam interpretationem firmat S. Ambros. lib. de Noe, cap. 4. qui circa illa verba: *Noe vir iustus &c.* ait: *hic per actus suos significat Christum, qui ait Matth. 11. discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*: igitur misericordia, & benignitate iungitur Deo Noe; hominum verò immanitate recedit Deus a populo, quem diluuio perdit.

Procop.

Deliciæ, & crudelitas exulcerāt mūdum.

Genes.

Crudelitati, & delicijs immittitur diluuium

Genes.

Noe mitis, cum Deo familiaris S. Ambr.

11 Quoniam verò immanis sceleris, quo fratrem occidit, fecimus mentionem; in confirmationem eorū, quæ dicamus, verba ipsius Cain, post fratris necem, ad trutinam adducimus. ait itaque Sacer textus Genes. 4. ℣. 13. *Dixitque Cain ad Dominum: maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. ecce eijcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus, & profugus in terra: omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.* derelictionē, & recessum Dei ab homicida, imò fratricida Cain (secundum nostrum intelligendi modum) adductis verbis intelligimus cum S. Ambros. qui hæc habet: *nil grauius quàm errantem à Deo deseri, vt se reuocare non possit.* Et Caietanus: *absconsio*, inquit, *à facie Dei, est, priuari diuina cura, & à Deo derelinqui.* vnde nouerat Cain, se à facie Dei abscondendum, idest, priuandum Dei alloquutione, præsentia, & peculiari patrocinio, quod antea expertus fuerat, nisi quia se sanguinarium videbat, & Deum ab inimicantibus, indignatisque animis longè abesse sciebat? In quem sensum aduerte, quod subdit Sacer textus: ℣. 15. *Dixitque ei Dominus: nequaquam ita fiet: sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur.* duo sibi euentura prædixerat fraterni sanguinis fusor, nimirū Dei à se recessum, & se occidendum; Dominus ait: *nequaquam ita fiet.* numquid vtrumque ita non eueniet? minimè, sed alterum tantùm, nimirum vt Cain non occideretur: *nequaquam ita fiet, sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur*, retinet igitur illam sententiam: *à facie tua abscondar &c.* Et ita re vera factū est, subdit enim Sacer text. ℣. 16. *egressusque*

Genes.

Ambr.

Caiet.

Cain sanguinarius Dei consortio priuatur.

viris soleat reponere, vt scilicet hæc bona bene collocantes, præparentur, & aptius disponantur ad recipienda æterna beatitudinis munera: Vel certe concedit temporalia bona honestis viris, vt inertes, & desides homines, ad capessendos virtutis labores alacrius animentur; vnde etiā Ethnicis bene, & ex morali virtute agentibus, præmia reddidit temporalia, vt fuse ostendit D. August. 5. de Ciuit. Dei cap. 15. & 16. Quòd si viris à vero cultu, & religione alienis noluit Deus honestarum actionū præmium denegari in hac vita, multo vberius illud fidelibus suis credendus est præparasse; & præsertim pacificis, qui sicut maxime ab inimicis in hac vita conculcantur, ita sunt donis illustrioribus subleuandi & animandi. Argumentum eius rei sumo ex verborum Iesu Christi ponderatione, qui præcipuum parcentium fructum ita explicauit, vt illius pacificos in hac vita participes fore significare voluisse visus sit. *diligite*, ait, *inimicos vestros vt sitis filij Patris vestri qui in cœlis est*. in præsēti loquitur, nec dicit & eritis filij patris vestri cœlestis: sed *vt sitis* modo, in præsenti. congruū est autem, vt qui iam hoc sæculo dignus est esse filius Dei multorū etiam temporalium bonorum accessione fiat locuples; donec tandē vniuersam Dei hæreditatem in gloria consequatur. Ita Dauid de se dixit 2 Reg. 22. ℣. 36 *mansuetudo mea multiplicauit me*, idest, bonis temporalibus locupletatus sum, propter mansuetudinem, vt deinde recipiam ęterna. Ita diuites Patres aliquā e cimelijs suis gemmā amatis filijs præbent, addentes minimum quid illam esse eorum, quæ cum tota hæreditate sunt postmodum recepturi: eiusmodi sunt bona temporalia tamquam experimētum maiorum bonorum quæ diligentibus inimicos in futuro tribuenda sunt.

Iustis tēporalia dātur præmia, vt peccatores ad virtutem excitentur. D. Aug.

2. Reg.

2 Consideranda est in primis, hæc merces in ijs bonis, quæ mere temporalia sunt, diuitijs scilicet, prosperitatibus, in quibus multum Deo fauente pacificos promouere Sanctorum Patriarcharum exemplo comprobatur. Iacob enim, Esau indignationē fugiens vt habetur Genes. 27 à paterna domo inops, & solus digressus, apud exteros hospitatus, reue sus est diues, vt narratur Genes. 31. & 32. Ioseph vero mansuetus, & pacificus iniusto fratrū odio venditus, & vix non extinctus, pro extincto saltem deploratus, fraternarum inimicitiarū oblitus, in Aegypto prosperatus est, & in illum dignitatis gradum elatus, vt post Regem supremam in opulentissimo regno dignitatem gereret; Genes cap. 41. & 42 & similium exemplorum plena est sacra omnis, & prophana historia.

Iacob, Esau persecutionis indulgēs diuites.

Ioseph iniuriarū oblitus, fit princeps.

3 Præceteris autem huius mundi prosperitatibus, maximè æstimari solet viuida, & vegeta senectus, ijsq; destituta incommodis, quæ maxima solet ingrauescens ætas plena malis, secum afferre, cùm, vt dicebat Ouidius Metamorphos.

Bona senectus maximè expetitur.

Ouid.

— iam felicior ætas
Terga dedit, tremuloq; pede venit ægra senectus.

Quæ præter quam quod ipsa dicitur esse morbus, est etiam morborum tam quam officina, de quibus Iuuenal. sat. 10.

Senectutis incommoda.

Iuuenal.

Ille humero hic lumbis, hic coxa debilis, ambos
Perdidit ille oculos, & luscis inuidet, hutus
Pallida labra cibum capiunt digitis alienis.

Denique mala omnia vitæ humanæ in senectutem, veluti in sentinam confluunt, ideo Antiphanes vitam hominis vino comparabat apud Stob.

Stob.

Est nostra vino vita quàm simillima,
Acescit est cum reliqua parua portio.

Magnum itaq; & eximium Dei beneficium æstimandum est, si cui datum sit, post turbidos iuuentutis fluctus, post

plenus bonis temporalibus, & spiritualibus, est enim bona senectus eorũ, quos ante actæ vitæ memoria exhilarat; sicut Gorgias Leontinus centum, & septem natus annos, cũ ex eo quæreretur; Cur tamdiù vellet esse in vita; nihil habeo inquit, quod accusem senectutem; sæuitiæ autem, & immanitatis memoria eandem reddit miseram; vt dixit Ammian. Marcellin. lib. 14. *Miserum est instrumentum senectutis, recordatio crudelitatis*: in'trumẽtum dicitur, quia hæc memoria miserã facit senectutem, sicut mansuetudinis recordatio lætam, & *bonam*.

Psalm. 6 Hanc senectutem alibi ipsemet Dauid Psalm. 91. ℣. 11. *redundantem, & vberem diuinæ miserationis copia*, dixit, *& senectus mea in misericordia vberi*, idest, referta omnibus illis bonis, quæ à profusissima diuinæ misericordiæ vbertate possunt prouenire; hæc enim est communior huius loci expositio, quamuis paulo supra aliter fuerimus, nec incongruè ex mente Origen. interpretati. audi Genebr. *demonstrat*, inquit, *habitum corporis succulentum, & vegetum quo pios senes* (nota ly *pios*) *Deus afficere solet. quod Cicero lib de senect. attribuit vitæ ante actæ temperanter, ascribit hic pietati.* hunc autem esse germanum sensum, colligo etiam ex sequenti versu 15. *adhuc multiplicabuntur in senecta vberi, & benè patientes erunt*. sic distinguit P. Agell. nectit Propheta vberem senectam cum patientia, inimicos, scilicet, sustinendo, de quibus dixerat Vers. 12. *despexit oculus meus inimicos meos; & in insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea*. est itaque mansuetorum senectus expers malorum, & referta bonis: sicuti contra vindicatiuis, vel nulla, vel malis cumulata contingit. nulla, cum iusto Dei iudicio decedit plerumque maximum vitæ spatium illis qui alienæ vitæ insidiati fuerunt, & vindictam appetiuerunt, de quibus dicitur Psalm. 54. Vers. 27. *viri sanguinũ & dolosi, non dimidiabunt dies suos*, quo loco noster P. Agell. *Eiusmodi*, inquit, *homines cùm aliorum vitæ infesti sint & dolis, fraudibusque aliorum innocentiam vexent, Dei permissu fit plerumq; vt qui ex naturæ cursu multo longiore vita frui possent, ij vix ad eius spatij dimidium perueniant, quantum viuere naturæ beneficio potuissent, quod Absalom, & Achitophel accidit*. Dauid propterea mansuetudinis suæ conscius dicebat Psalm. 70. Vers. 18. *ne reuoces me in dimidio dierum meorum*; vbi nota incidenter; quod cùm *mala senium accelerent*, vt prouerbio dicitur, nihil mali à persecutoribus, quãuis hoc maximè studeant pacificis accidit, nequicquam enim vexati, pleni dierum (vt de Dauide dicit Scriptura) in Domino moriuntur. Neque annosi tantum, sed vegeti, ad extremum vsque, vitam producunt.

7 Fuit Moyses in tota vita amãs suorum, misericors, erga axacerbantem illum populũ benignus, pro eius peccatis Deum humiliter orans; vnde dicitur Deuteron. 33. Vers. 3. *dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt*, vt inquàm illos seruet, custodiat, & protegat; sicut est illud Sap. 3. Vers. 1. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & nõ tanget illos tormentum mortis*. Rependitur itaque illi diuturna, & viridis senectus immunis a malis senectutis; de eo dicitur Deuter. 34 Vers. 5. *mortuus est ibi Moyses iubente Domino*, idest, vt ait Tostat. haud morbo vrgẽte, nec doloribus vexatus, & Vers. 7. 8. *centum, & viginti annorum erat cùm mortuus est, & eius non caligauit oculus, nec dentes moti sunt*: sicut contra de vindicatiuis dicitur Psalm. 57. Vers. 6. *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum: molas leonum confringet Dominus*, eorum inquam de quibus paulò ante dixerat Vers. 4. *furor illis secundum similitudinem serpentis*. Et Psalm. 34. Vers. 16. *frenduerunt super me dentibus suis* qui Psalmus (vt notat Agell.) ad litteram de Dauid oppugnato, & iniuriis lacessito est, vt ex textu patet apertè.

Margin notes: *Psalm.* — *Mites, senectutẽ omnibus bonis refertam habent.* — *Genebr.* — *P. Agell.* — *Psalm.* — *P. Agell. Vindicatiuis dimidiantur dies.* — *Psalm.* — *Deuter. Mitis, immunis à malis senectutis.* — *Deuter.* — *Tostat.* — *Psalm. Mala senectutis in sanguinarios.* — *Psalm.*

8 Concedit etiam Deus, inter temporalia præmia, hoc laborum leuamẽ, & hanc consolationem afflictionum pacificis, vt inimicorum, & insidiantium conatus, totis contra eos viribus intentati, irriti cadant, imò in ipsos auctores redundent; vt quanto eos inferius depressos esse optant, tanto altius efferantur. repete animo quot artibus, & technis Mardochæo insidiatus fraudulenter fuerit Aman, qui iam suspendium probrosissimum mortis genus æmulo præparauerat; cũ repẽte facta mutatione dexteræ excelsi ignominiæ in Aman reciderũt, & patibulũ ipsum eius morti reseruatum fuit: Esther. cap. 7. Quod factum considerans Iosephus lib. 11. Antiquit. cap 6. ait. *Hinc mihi contingit mirari nomen Dei, & sapientiam, & iustitiam eius cognoscere, quòd non solùm maleuolentiam Aman puniuit, sed excogitata contra alium tormenta in eum conuertit*. & appositè hanc rerum vicissitudinem Iosephus diuinæ iustitiæ tribuit; cum ipsemet Deus huic se debito subiecerit, Rom. 12. ℣. 18. 19. *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes non vos metipsos defendentes, sed date locum iræ, scriptum est enim mihi vindicta, & ego retribuam*, adeo vt hanc ab eo mercedem non gratis petere, sed iustè exigere videantur ij, qui quas inimicis dimittunt, apud Deum iniurias, deponere dicuntur, vnde Tertull. lib. de patient. cap. 15. ad hoc alludens; *satis*, inquit, *idoneus patientiæ sequester Deus, si iniurias deposueris penes eum, vltor est: si damnum restitutor est: si mortem, resuscitator est: quantum patientiæ licet quæ Deum habet debitorem*. Qui enim iniurias benefactis compensat, (quod honestissimum est vltionis genus) experitur, eas, tamquam aeneo tolerantiæ clypeo exceptas, in ipsum percussorem retorqueri. hinc Ieremiæ inter aduersarios posito, dicitur cap. 1. ℣. 17. 18. *ne formides à facie eorũ, nec enim timere te faciam vultum eorum, ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam, in columnam ferream, & in murum æreum*, vel *aeneum, & bellabunt aduersum te, & non praualebunt, quia ego tecum sum, vt liberem te.* apposite ad hanc rem explicandam dixit Sanct. Nilus Abb. in Biblioth. SS. Patr. in libell. cui tit. est; diuersa capita &c. *Iniuria affectus, confuge ad patientiam, & damnum in eos recidet, qui iniuriam intulerunt*; Idipsum alia eleganti similitudine expressit Plut. lib. de Capien. ex hostibus vtilitate: *offendit*, inquit, *grauius cùm luminis repercussus, imbecilles oculos; tum regesta in auctorem à veritate probra.*

Insidiæ in insidiatores convertuntur.

Ioseph.

Roman.

Tertull.

Deus fit debitor ignoscentibus.

Patientia æneus clypeus, retorquens in ictu'ã tem sagittas.

Ierem.

S. Nilus.

Plutar.

9 Babylonicus ille caminus, furentis Regis iussu, septuplum succensus, non eiusmodi emisit incendium, quantum iræ æstuantis feruorem, inimicorum irritantium iniuriæ, in humanis mentibus solent accendere, est enim indignatio accẽsio sanguinis iuxta cor. & Dauid ab inimicis oppugnatus dicebat Psalm. 38. ℣. 4. *concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea*, seù recordatione illatorum malorum, *exardescit ignis*, idest, *exarsit ignis* vltionis, & vindictæ, licet præter volũtatem, vt fusè alibi ex Agellio exposuimus. hunc ignem, qui prudenter restinguit, contra irritantes ipsos flammã noxiam regerit, ipse verò illæsus remanet, instar trium puerorum de quibus Daniel. 3. ℣. 24 *ambulabant*, inquit, *pueri illi in medio flammæ*, non ab ea vstulati, sed recreati. Iste videtur similis fuisse Dauid intra speluncam Sauli parcens, de quo 1. Reg. 24. instabat enim Diabolus, & diabolici ministri ℣. 5. 6. *Dauid, & viri eius in interiori parte speluncæ latebãt, & dixerunt serui Dauid ad eũ: ecce dies, de qua locutus est* Dominus *ad te: ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei sicut placuerit in oculis tuis.* erant eiusmodi homines iram illius succendentes. sed quemadmodum, vt dicitur ℣. 25. *viros illos, qui miserant Sidrach, Misach, & Abdenago interfecit flamma ignis*, ipsis pueris illæsis; ita Dauid ne tactus quidem odij, &

Vindictæ flãma vindicantem aduertit.

Daniel.

1. Reg.

vindictæ igne, illæsus euasit, confuso diabolo qui per milites tamquam per instrumenta Dauidici cordis fornacem accendere tentauerat. egregijs, & aureis verbis hanc Dauid de se ipso victoriam, & Saulis, iniurias, in eundem reflexas, explicauit S. Chrysost. homil. de Dauid, & Saule. *Egressus est*, inquit, *è spelunca Dauid tanta cum gloria, cum quanta tres pueri egressi sunt è camino ardente; nam quemadmodum illos non exussit ignis, ita hic non conflagrauit ira incēdio, & illis quidem foris nihil ignis in quo versabantur nocuit; hic verò cum intus haberet carbones accensos, cum foris videret diabolum caminum incendentem, idque varijs modis, ab inimici conspectu, ab exhortatione militū, à facilitate perficiendi cædem: à solitudine eorum qui Sauli possent auxiliari, à præteritorum memoria, à futurorum periculorum metu; si quidem hæc & sarmentis, & stipulis, ac cæteris omnibus, quibus caminus ille Babylonius incedebatur lucidiorem excitabant flammam: tamen non exarsit Dauid, neque vllo pacto sic fuit affectus quemadmodum consentaneum erat affici hominē tot modis irritatum, sed exijt purus, & intuitus inimici faciem hinc maximè sumpsit animum fortem, ac philosophicum.* Magna certè fuit Dauid ex hoc facinore gloria, non tam ob restrictum iracūdiæ ignem, quam quia Deus vltionem ab eo dimissam accepit, & obseruato tempore eidem Sauli retribuit, in quem omne damnum, & fraudes reiecit quas ipse pacifico viro intentauerat. Voluit Saul Dauid violente morte de medio tollere; eandem sibi ipse proprijs manibus afferre coactus est, cùm ante filios peremptos vidisset: ignominiosè Saul Dauid tractauit, ipse multo contemptior fuit, & Dauid in regium solium assumptus de quo 1. Machab. 2. ℣. 57. *Dauid in sua misericordia consecutus est sedem regni in sæcula*. Dauid parcendo æternam gloriam, ille lædendo æternam incurrit damnationem. vnde apertè conspicitur sanguinariorum machinas in ipsorum exitium, & ruinam ruere. *Quid incommodi* ait idem Chrysost. loco allegato *cepit infelix, ille, ac miser, tot insidias molitus Dauid? nonne excussus est? nonne misera ratione perijt vna cum filio? nonne ab omnibus vituperatur? & quod his grauius est, æterna luit supplicia*, per ignem scilicet perennem.

S. Chrys.

Dauid. Saul parcens, merito in camino illæsis comparatur.

Persuasiones mææ, sarmenta, & stipule diaboli.

Luit Saul pœnas intentatas Dauid.

Machab.

10 Sed plurium auctoritatum instar, sit locus Oseæ 6. ℣. 10 *Galaad*, inquit, *Ciuitas operantium idolum, supplantata sanguine*. Sciendum primo quòd pro *Ciuitas operantium idolum* Sanct. Hieronym. ex Chaldaic. vertit *Ciuitas vim inferentium*, vt admonet Cornel. à Lapide. loquitur itaque Propheta de iniuriantibus, calumniātibus, & vindicatiuis, qui minimè condonare volunt iniurias, sed vltionem quærunt, vim inferentes. italicè diceremus: *Città di brigosi, impertinenti, rissosi &c.* de his dicitur: *Galaad ciuitas supplantata sanguine*. supplantare plerumque est concurrentis in stadio pedes impellere; & iuxta hunc sensum videtur hæc verba interpretari Vgo Cardin. & ita sanguinarij, qui proximos in huius vitæ stadio ad brauium currentes honorum, diuitiarum, dignitatum &c. dolo se impedire, & ad casum impellere conantur, detractionibus, calumnijs, infamia, ac etiam quandoque sanguinis effusione tamquam supplantatione infestantes; sentient se supplantatos, & euersos, quia quātum ipsi proximis nocere studuerunt, tantumdem de eorum æstimatione, ac bonis, vel cum sanguinis effusione, Deus demipermittet. Et vide quàm bene in auctores iniuria redeat, de quibus enim dictum fuit Ps. 13. ℣. 3. quod *veloces erant pedes eorū ad effundendum sanguinem*, ij, in effusi sanguinis pœnam supplantati, debiles redduntur pedibus, & ibi corruunt, vbi se firmos fore sperabant; additur enim: *contritio, & infelicitas in vijs eorum*, quia qui alios deijcere volunt, ipsi conteruntur. Quare? *Quia*

Osee.

S. Hieron.

Supplantare, est, pedes implicare. VgoCard.

Ruūt, qui cæteros, ne prosperentur impediunt.

Psalm.

viam

viam pacis non cognouerunt.

Supplantare est, in lucta callidè prosternere.

11 Significat secundo *supplantare*, in lucta aduersarium, callide, pede presso, prosternere. ita accepit hanc vocem D. Dion. Carthus. *supplantata sanguine, idest, deiecta propter sanguinem in ea impiè fusum.* in quo sensu ijs minatur Deus, qui pro dignitatibus, & humanis honoribus, aut diuitijs acquirẽdis luctantur; & quo se inuicem deijciant, ac prosternant, nullum non artis genus omittunt; qui cauere debent, vel fuso sanguine, aut maledicis sermonibus, & suggestionibus viam sibi facere ad honores per aliorũ deiectionẽ. fore .n. annũciat vt in ipsos recidat dãnũ, & Deo pænas de ijs exigente, ad ruinam, quam alijs parauerunt, ipsi impellantur, non sine ignominia. quo potest pertinere prior horum verborum à S. Hieronym. allata expositio. *supplantata*, inquit, *idest, humiliata sanguine, quem fudit*, ita enim contingit iis, qui alijs prostratis, ad dignitatum culmen euadere nituntur, qui præcipites dati, humiliantur propter sanguinem, & famam aliorum, quos inique persecuti sunt.

S. Carthus.

Callidè luctantur, qui alios impediunt, ne bona consequantur.

S. Hieron.

Supplantare est, insidiosè decipere. S. Hieron.

12 Postremò, *supplãtare*, per metaphoram sumitur, & significat astute, & insidiose decipere, ducta ab ijs similitudine, qui aduersarios supplantant; quo sensu D. Hierony m. de tradit. Hebraic. *Iacob*, inquit, *supplantator interpretatur (non quod propriè aliquem supplantauerit) sed, ab eo quòd fratrem arte deceperit, allusit ad nomen*, & propterea Genes. 27. ℣ 36. dicitur. *Iustè vocatum est nomen eius Iacob; supplantauit enim me in altera vice*, idest, *decepit*. ita volunt plerique adductũ Osee locum esse intelligendum, cùm *supplantare* tribuatur sanguini metaphorice; & ita Lyranus; *Hebræi*, inquit, *dicunt insidiatrix sanguini; dictio enim Hebræa hic posita, ad supplantationem, & insidiationem est æquiuoca, videtur tamen magis accipi pro insidiatione*. & hæc est cõmunior expositio, & magis etiam nostro huic proposito accommodata; significatur enim, quod *Galaad*, quæ multorum sanguinem fundens, illos dolose, & per insidias supplantabat (vnde Chaldaic. habet: *dolosè effundens sanguinem*) à sanguine supplantabitur, deijcietur, & ad ruinam impelletur; ex qua interpretatione liquidò apparet, quàm verũ sit, iniuriantiũ machinas, & insidias contra ipsos retorqueri, & effusum ab ijs sanguinem, de eorum sanguine vindictam exigere; quem etiam sensum approbãs D. Hieronym. ait. *supplantata sanguine, quia vindicta sanguinis, quem fundebat, super eam venit.* ita .n. non de hominibus tantum, sed de familijs sanguinarijs ac Ciuitatibus Deus pænas sumit; quia integræ etiam Ciuitates, & Florentissimæ Respublicæ, varijs factiosorum odijs laceratæ, sanguine, supplantantur, & deijciuntur, vt ciuilia bella Romanorũ docuerũt, quę in ciuilis sãguinis hauserunt, vt ad extremũ defecerit, corrueritq; potentissima, Orbis terrarũ Domina. singulari Dei beneficio, Neapolitana Ciuitas. Et si iuxta Hieronymi versionem dici meritò possit: *Ciuitas vim inferentium*, eò quòd rixosos, duellantes, ac sanguinarios ciues habeat, atque insidiantes; ac propterea sanguine quàm maximò, in ea fuso, odijs, ciuilibusque bellis quotidianis, meruerit supplantari: alio tamen, nimirum Sanctorum Martyrum Ioannis Baptistæ, Stephani, Ianuarij, & Beati Andreæ Auellini, nostræ Religionis splendoris, sanguine, in ea honorifice, & deuote seruato, quasi quatuor firmissimi columnis obtinuit roborari, & confirmari, vt sit *Galaad*, quod interpretatur: *Aceruus testimonij*, quasi multorũ testium (quod idem est ac Martyrum) aggregatio: tot Sanctorum nobilitata sanguine, qui Christi fidei testes fuerunt, à quibus tamquam solidissimis, & inconcussis columnis sustentatur fulcitur, ac regitur. Neq; miretur quispiam, quod B. Andream nostrum inter Martyres recensuerim, qui Christi fidem, & honorem bis, ac ter effuso ex letha-

Genes.

Lyran.

Sanguis effusus, ruinas adducit effusoribus.

S. Hieron.

Neapolis sanguine Sanctorũ asseruato, roboratur.

Galaad, aceruus testimonij

libus

libus vulneribus sanguine, pro Monialium custodia ab inuasore sacrilogo, iteratis vicibus, asseruit.

13 Neq; omittendũ quod *Galaad* erat Ciuitas sacerdotalis, vt Expositores in Oseam adnotarunt. Exaggerat itaque his verbis insidias & calumnias, atque odia Ecclesiasticorum, quorum discordiæ, & rixæ Deo maximè displicent, easq; sæuissimè vlciscitur. *Galaad* inquit D. Hieron. in Com. *quæ habitabatur à Sacertotibus, nam & ipsa fugitiuorum Ciuitas erat. Quanto igitur celebrior, & maioris auctoritatis, quia in partem sacerdotum fuerat delegata &c.* Gloss. ad margines pro *supplantata sanguine*; Ex translatione Pagnini, & Vatabli, legit: *foedata sanguine*; nam qui alios insidiosè supplantare nituntur, propriam animam foedant, & deturpant, sicq; suis maculis, peccatisque ruunt, maximè Ecclesiastici, ac sacerdotes, qui aliorum tergẽdis maculis præfecti, seipsos fœdius maculant. Et qui, Ciuitas refugij, à Diabolo, & mundo ad necem petitis, esse deben; eorum discerpunt, dilaniantq; corpus, & animam. ijque hoc alio sensu, *Ciuitas supplantata sanguine*, dici possunt. illo.n. diuino sanguine, quem quotidie indecore consecrant, & indigne sumunt, supplantantur, & corruunt. sed hoc obiter. pergimus ad piorum mercedem temporalem.

Ecclesiasticorum rixæ Deo odibiles.

S. Hieron

Pagnin. Vatabl.

Sacerdotes mali, diuino sãguine supplantãtur

14 Valdè congruum est ad idem explicandum, quod de scorpione, naturalium rerum Scriptores referunt; quod nimirum, si ignis gyro circumdetur, adeò in se ipsum excandescit, vt suo se venenato morsu enecet. Scorpioni similem esse dicas inimicum, cui odij vindictæq; inest venenum Ezech. 2. ℣. 6. *cum scorpionibus habitas*, idest cum ijs, qui tuam machinantur necem, vnde subdit: *verba eorum ne timeas, & vultus eorum ne formides*. si hunc ergo diligas, beneficijsque afficias, ignita erga illum charitate affectus; veluti ignis gyro illum circumdabis ad Roman. 12. ℣. 20. *si esurierit inimicus tuus ciba illum, si sitit &c. hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius*, ex quo tantum ipse excandescet, vt præ rabie, penè exanimabitur; & hoc est, quod dicebat S. Basil. homil. de Ira: *si aduersarij iniurijs petitus, mitis fueris, si despexeris, acrius illum vindicabis. quid enim aduersario tuo durius esse potest, quàm te animum gerere contumelijs altiorem? sine illum frustrà te adlatrare, in se ipso disrumpi: qui enim contumeliam in eum, qui nequaquam dolet iacit, perturbati animi consolationem inuenire nullo modo poterit quin potius ardebit magis, & animo æstuabit.* Hod idem docuit Laert. lib 6 qui, vt ipsemet refert, interrogatus à quodam, quo maxime pacto posset vlcisci inimicum; respondit: *si te ipsum probum, & honestum virum præstiteris, hoc qui facit, & sibi prodest maximè, & inimicum maximè discruciat.* Hic itaque sensus est verborum Apostoli: *carbones ignis congeres super caput eius*, neque vt maleuoli putant præcipitur vt contra illum furorem nostrum laxemus; *dicunt enim*, ait S. Cæsar. Arelat. homil. 11. *ecce cibo inimicum meũ, vt ardeat in æternum.* Possumus etiã hoc confirmare verbis. S Basilij homil. de Ira. *Silentio*, inquit *& mansuetudine, aut prodes inimico ad exemplum; aut grauius vindicas te per cõtemptum: qui succenset irascenti, deterior hoc est, quoniam facit quod reprehendit.*

Scorpio, igne septus, se ipsũ necat.

Ezech.

Inimicus charitate discruciatur.

Roman.

S. Basil.

Laert.

Virtute, discruciatur inimicus.

S. Basil. Mansuetudine vincitur inimicus.

15 Prudiximus iam sæpius in hãc arenam luctantem Dauidem: eundem victorem contemplemur. Comprobemus inquam vltimo loco, quod Deus inter cætera mansuetorum præmia temporalia, concedit illis sæpè victoriam, & gloriam de persecutoribus. 2. Reg. 18. Dauid mittit exercitum contra exercitum Absalom, & inter cætera Principibus militiæ edicit, vt caueant interficere filium Absalom ℣ 5. *& præcepit Rex Ioab, & Abisai, & Ethai dicens, seruate mihi puerum Absalom*; nemo ignorat, quàm incerti sint bellorũ exitus, qui cùm maximè prosperi spe-

2. Reg.

rantur,

memoria, Eccli. 44. ℣. 6. 7. 8. *Homines diuites in virtute &c. pacificantes in domibus suis. omnes isti in generationibus gentis suæ, gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus. qui de illis nati sunt, reliquerunt nomẽ narrandi laudes eorum*; idest, qui fuerunt *pacificantes.* addit statim ℣. 9. *& sunt quorum non est memoria, perierũt quasi qui non fuerint, & nati sunt quasi non nati, & filij eorum cum ipsis &c.* Hinc in Genesi, inter generationes Adæ nõ numeratur Cain, eò quòd sanguinarius fuerit, & homicida fratris. obseruauit hoc S. Chrysost. *generationes*, ait, *illas quasi reprobas factas, neque memoria posthac dignetur; sed ex Seth, qui nunc illis natus est genealogiam orditur: vt ex hoc discas, quantam Deus humani generis rationem habeat, & quomodo illos auersetur, quibus sanguinaria mẽs est.* Romani ad ostendendam generis nobilitatem, maiorum imagines in atrijs conseruabant, quas in funeribus, & solemnibus pompis proferre solebant, de quibus Hor. epod. od. 8.

Esto beata, funus atque imagines
Ducant triumphales tuum.

de qua consuetudine vide plura apud Tiraquell. de nobil. cap. 20. num. 150. quas, qui proferre non poterant, ignobiles habebantur; cùm igitur Deus sicariorum memoriã aboleri præcipiat, significat illos ignobilium loco apud se, & homines esse; eorumque imagines deletas; quod & futurum prædixit Dauid Psalm. 68. ℣. 29. *deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur*, & Psalm. 108. ℣. 15. *dispereat de terra memoria eorum, pro eo, quod non est recordatus facere misericordiã.* Quæ verba ait P. Agell. *possunt accipi, tamquam in vniuersum hoc sæuorum hominum, & impiorum genus dicta.* vide ergo quantam ignominiam adducat vindicta; quantamque gloriam pietas.

14 Talis in sacris litteris describitur fuisse Ismael, de quo Genes. 16. ℣. 12 dicitur. *Hic erit ferus homo, manus eius cõtra omnes, & manus omnium contra eum. & è regione omnium fratrum suorum figet tabernacula.* aliqui, de quibus testatur Procop. pro, *ferus*, legunt: *rusticus*; quod etiam sensit Interlin. quæ exponit: *agrestis, rusticus*, quibus verbis denotatur homo inciuilis, qualẽ nos dicimus *villano*, rudem, & agrestibus moribus præditum significantes; meritò autem talis dicitur is de quo ait Scriptura: *manus eius cõtra omnes.* sanguinarius, vltionis appetens, demissi, & degeneris animi; qui ex eo quod contra omnes sæuit, dignum se brutorum conuictu, & indignum humana consuetudine declarat.

Procop. Interlin. *Rusticus, & inciuilis, vindictã seruat.*

15 Accedit ad hoc probandum, quod dicitur Matth. 18. ℣. 21. quo loco præcipit Dominus dimittendum esse fratri, *non solum vsque septies, sed vsque septuagies septies*; quod vt Regij, & magni animi esse ostenderet, subdidit ℣. 23. *ideo assimilatum est Regnum cælorum homini Regi &c.* (qui vt in illa historia, ibi recensita, dicitur) misertus serui, facile illi oranti omne debitum remisit; at seruus, vtpote vilis, & verè seruili conditione, in qua viuebat, dignus; noluit conseruo dimittere, imò *tenens suffocabat eum*, idest, vt exponit S. Tho. in Caten. *acriter insistebat, vt vindictam ab eo exigeret*, quo loco bene considerat S. Chrysost. quantùm in remittendis offensis, & debitis differãt Rex, & seruus. *Vide*, inquit, *Domini charitatem, & serui crudelitatem, Dominus ignoscendo, se Regem, & magnanimum esse docuit, seruus qui vindictã intentauit, quàm vili, & ignobili animo esset, ostendit.* & quamuis de Rege dicatur ibidem, quòd *iussit venundari seruum &c.* tamen in hoc misericordiam prætulit: vnde S. Thomas in Caten. *Hoc autem*, inquit, *non ex crudelitate iussit, sed ex ineffabili affectione; vult enim eum terrere per has minas, vt supplicet, & non vendatur, quod & factũ ostenditur, dum subditur, & procidens seruus ille &c.* volebat ergo benignus Rex orari, vt se exorabilem præstaret,

Matth. *Regij est animi dimittere offensas.*

Abiecti est animi, vindicari

S. Thom.

S. Chrys.

S. Thom.

& timor

& timor ille, quem seruo incussit, magis cumulauit acceptæ remissionis gratiam.

16 Accedat etiam ad ostendendum quantum gloriæ aduenia pacificis, qui inimicis non vindictam rependere, sed eos potius muneribus, & benefactis placare conantur, factum Iacob, & Esau, quod habetur Genes. cap. 32. Properabat Esau maligno, & sæuo animo aduersus Iacob fratrem suum, numerosa hominum manu stipatus, memor adhuc, & prætereptæ sibi paternæ benedictionis, & vilis pulméti prætio ademptæ primogenituræ; Cùm Iacob pius, & mitis, præmissis magnis donis; *placabo*, inquit, *illum muneribus, quæ præcedunt, & postea videbo illum, forsan propitiabitur mihi*, in qua cogitatione dum hærebat dubius, & animi incertus quid euenturum esset; meruit singulare illud à Deo beneficium accipere, vt postquam tota nocte cum Angelo luctatus fuit, mutatum illi fuerit nomen, vt pro *Iacob*, *Israel* appellaretur. *nequaquam*, dixit ei Angelus, *Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel*. S. Hieron. in quæstion. Hebraicis: *Ser*, ait, *à quo nomen Israel deriuatur, Principem sonat, quasi dicat, non vocabitur nomen tuum supplantator, idest, Iacob, sed Princeps cum Deo, idest Israel, quomodo enim Princeps ego sum, sic & tu*. Hæc Hieron. vt intelligamus, quod qui fratri irato, & sæuienti, pacificè, oblatis donis occurrit, eius animum placare conatus, quasi Deo par, illi tota nocte colluctatur, & dimisso *supplantatoris* nomine, *Princeps*, dici meretur, cùm hoc vno opere, principali se titulo insignem fecit; & qui Esau persequentem benefactis propitiare studet, non vltra vocetur supplantator, sed Princeps.

Genes.

Principis titulo insignitur, persecutori remittens.

S. Hieron.

Ser, idest Princeps

17 Hac mente præditus Dauid, semper magnificatus est, vt quantum ipse à pastoritia vita paulatim ad Regiam dignitatem, domino largiente, prouehebatur; tantumdem Saul eius persecutor, & Osor, è regia maiestate deiectus fuerit. enimuerò Dauid ita secum constituerat, protestatusque Deo hoc fuerat Psalm. 7. v. 5. *si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis; persequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat*. per modum imprecantis prædicit, quænam mala ijs contingant, qui inimicis vindictam retribuere conantur: ac significat, non ipsum modo corpus mala passurum; sed etiam *gloriam*, idest, *honorem, decus, & bonam existimationem*, vt exponit Genebr. imò *caput ipsum Regium* (vt vult P. Agell.) *siue eam corporis partem, in qua gloria, & anima viget, in puluerem*, idest, dedecus, & contemptum *redactum iri*; *puluerem enim*, inquit Genebrar. *vocat vilem, & abiectam conditionem, vt* Psalm. 102. *recordatus est quoniam puluis sumus*. Idem confirmat id quod sequitur: *Exaltare in finibus inimicorum meorum*. quod quamuis de Christo Domino ab inimicis conculcato, & per cōtumelias exaltato intelligatur, quem *oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam*, & qui *humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, propter quod & Deus exaltauit illum*. tamen potest etiam locus iste de ipso Dauid intelligi maximè si cū Dydimo, Theodoret. & S. Augustin. relatis à Lorino legamus: *eleua, & attolle me in finibus*, hoc est, vt exponit Genebrard. *in indignationibus inimicorum meorū*: ex quibus indignationibus, & odijs eleuatus, & ex vili exercitio translatus fuit Dauid ad solium Regium. auget emphasim, & clarius hunc sensum exprimit lectio Ariæ Mont. S. Athanas. & Dydimi, quæ habet: *exaltare in finibus*, idest, *excessibus* furoris, & impetus eorum, in maximis iniurijs, quibus me deprimere conati sunt inimici. quasi *in finibus*, idē sit, ac in vltimis terminis, quos vlterius progredi non datur, ideò verterunt *in excessibus*, quasi ad summū, & excessum, quo maius excogitari non potest deuenerint Dauid aduersarij;

Auget charitas, minuit indignatio Regis solium.

Psalm.

Illustratur Dauid

Mala quæ inimicantium.

Genebr.

P. Agell.

Genebr.

Illustratur Dauid

Eleuāt ad gloriam odia inimicorum.

Dydim. Theodor. S. Aug. Genebr.

Aria. Mont. S. Athan. Dydim.


ait

ait igitur pauper, & vilis pastor (iuxta positas versiones) *eleua, attolle me in indignationibus, & excessibus inimicorum meorum*; sitque summum gloriæ fastigium, inimicantium excessus, & postremus principatus terminus, non vlterius terminabilis persequentium indignatio, cui mea correspõdet pietas.

18 Pondera præterea aliũ locum 1. Reg. 24. ℣. 4. 5. latebat Dauid in spelunca declinans Saulis persequentis iram, habebatq; secum commilitones ad sui custodiã: de quibus dicitur ℣. 4. *porrò Dauid & viri eius in interiore parte speluncæ latebant*: fuit spelunca illa amplissimũ Dauidicæ victoriæ theatrum, aduersarios maximè habuit domesticos suos, & familiares, qui illum ad vindictam, tutò sumendam, instigabant. de quibus subdit sacer tex. ℣. 5. *& dixerunt serui Dauid ad eum: Ecce dies de qua locutus est Dominus ad te: ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei, sicut placuerit in oculis tuis*. prius appellantur *viri*, *porrò Dauid, & viri eius &c.* mox *serui*, *& dixerunt serui Dauid ad eum*, quæ tam subita, fuit tituli mutatio? nisi quia quando vna cum Dauid latẽtes inimici insidias declinabant, neque contentiosè agebant, à vera virtute, *viri*, appellari merebantur: Cùm autem Dauid vindictam suadebant, in vilium seruorum conditionem degenerauerant, seq; Mancipiorum nomine dignos reddiderant. excelsum enim nobilemque habet animum inimicis ignoscens.

1. Reg.

Ignoscẽs inimicis, vir dicitur, vindicatiuus, seruus.



Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros.

Sacer textus.

CAP. VI.

Odia, & arma contra inimicos, Deus prohibet, vt nobiscum inhabitet.

1 Vod Salomõ dixit Sapiẽt. 2. ℣. 24. *Inuidia Diaboli mors intrauit in mũdum*; non solùm videtur de naturali morte, ad quam Deus post Adæ lapsum, omnẽ eius posteritatem adiudicauit; sed etiam de violenta, quæ fit per homicidia, & cædes (licet à Deo non intenta, sed permissa) intelligi posse. Inuidens enim Diabolus homini, ad spem gloriæ, à qua ipse ceciderat, adspiranti, mortales ad ea maximè instigauit, quibus à Deo magis semper elongarentur; Quare cùm pacem, & concordiã nosset maximè Deo gratam esse, ipse inimicitias, dissensiones, & cædes persuasit, ac introduxit, quibus Deus irritatus, homines tamquam diuina gratia, & consortio indignos, auersaretur. Ex hac itaque Diaboli inuidia factum fuit, vt homicidia inter homines exercerentur, vnde ipse Diabolus Ioan. 7. dicitur *homicida ab initio*. Quod clarius intelligemus si memoria repetamus, cædi primum in hunc Mundum introeunti; inuidiam quasi ducem præiuisse, & viam strauisse: inuidit enim Cain Abeli, vt dicitur Genes. 4. cuius munera Deus respexerat, & primum homicidium patrauit. Hinc in sacris litteris, inuidia, & homicidium sæpissimè coniungi solent, eo quòd homicidium Ducem suum inuidiam sequatur. Sapient. 14. ℣. 24. *alius alium per inuidiam occidit*; Iob. 5. ℣. 2. *paruulum occidit inuidia*. Rom. 1. ℣. 29

Sapient.

Mors violenta à diabolo instigata.

Ioan. 7.

1. Cædes inuidia diaboli introducta.

Præit inuidia homicidiũ.

Sap. Iob

plenos

Rom. Galat. *plenos inuidia, homidio, cõtentione, &c.* idem ad Galat. 5. ℣.21. opera carnis enumerat, inter quæ sunt. *Inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, inimicitiæ, homicidia &c.* quibus in locis vides semper homicidium comitem, & asseclam inuidiæ poni, quia per diaboli inuidiam mors, & homicidium intrauit in Mundum. Nouerat enim hominis dignitatem, quem Deus ijs priuilegijs decorauerat, vt paulominus ab Angelis minoratus dicatur, gloria, & honore coronatus, & quem adeò sibi gratum esse professus fuerat Deus, vt dixerit Prouerb. 8. (Prouerb.) ℣. 31. *deliciæ meæ esse cum filijs hominum*; & humanam naturam aliquando à Deo assumendam ægerrimè ferebat. Quod, vt quantum in se erat impediret, inimicitias, & cædes, quas Deum summopere abominari sciebat, disseminauit inter homines, coniectans fore, vt cum ijs Deus minimè sustineret habitare, quorum animi mutuis odijs exasperantur; Cùm nec alloquium, ac ne preces quidem & sacrificia sanguinariorum acceptet, aut exaudiat, vt dicitur Isai. 1. ℣. 13. (Isai.) *ne offeratis vltra sacrificium frustrà, incensum abominatio est mihi &c.* & ibidem ℣. 15. *cùm extenderitis manus vestras auertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Sed benignissimus, & clementissimus erga humanum genus Deus, qui ad hoc in mundum venit, vt diaboli conatus irriti caderent; inducto charitatis, & mutui amoris feruẽtissimo igne, liuoris, & odij glaciem dissoluit, vt sic hominibus cohabitaret per charitatẽ, quæ maximè homines Deo conciliat, & vnit: Ioa. 1. Vers. 6. *Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo*, est enim charitas velut gluten, & vinculum, seù aurea Catena Deum cum hominibus, & homines inuicem ligãs, & connectens, vt eam appellat Paul. ad Ephes. 4. ℣. 2. 3. *supportantes inuicem in charitate, solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* & Oseæ 11. ℣. 4. *in funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Ideo in præmissis Euangelij verbis, pulsis odijs, rixis, & armis inimicantium illis verbis: *dictum est antiquis: odio habebis inimicum &c.* amorem vt nexum mutuum suasit: *ego autẽ dico vobis, diligite &c.* hoc enim est medium vt Deus hominibus cohabitaret, iuxta illud 2. Corint. 13. ℣. 11. *idem sapite, pacem habete, & Deus pacis, & dilectionis erit vobiscum:* qui inimicantes, & duellistas auersatur.

(Charitas, vinculũ inter Deũ & homines. Ioan. Ephes. Osea.)

2 Hinc factum, vt enasciturus in carne Deus, *Bethleẽ*, elegerit suæ natiuitati, quæ *domus panis*, idest, *pacis*, & *vnitatis* quoque interpretatur, cùm abundantia, & omnis annonæ copia, quæ per *panem* significatur, pacis sit effectus, iuxta illud Psalm. 147. ℣. 3. *posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te.* pacis ergo domus Incarnato conueniebat Verbo, qui charitate succendere veniebat homines, vt cum eis habitaret. in quem sensum dixisse puto Senecam epist. 87. *summum illud bonũ, & ipsum, suam habet sedem, non nascitur vbi ferrum.* quasi incongruum habitaculum, & sedes Dei sit locus vbi ferri extat materia, ex qua arma efformantur. Hac quoque ratione factum est, vt priscis temporibus cautum fuerit, ne quis in Deorum templa arma inferret. Tull. 2. de legib. *æs*, inquit, *& ferrum arceto à delubris, duelli instrumenta, non fani.* multo magis præstandum hoc erit vero Deo, qui Deus pacis, & dilectionis est, quique vt dicitur Deuter. 27. ℣. 6. præcepit *ædificabis ibi Altare Domino Deo tuo, de lapidibus, quos ferrum non tetigit.* Sicut etiam de templo à Solomone ædificato dicitur 3. Reg. 6. ℣. 7. *domus autem cùm ædificaretur, de lapidibus dolatis, atque perfectis ædificata est: & malleus, & securis & omne ferramentum non sunt audita in domo cùm ædificaretur.* non enim arma tantum, sed & armorum materiam auersatur Deus.

(Annonæ copia per panem denotatur. Psalm. Seneca. Deus nascitur vbi non est præliorũ materia. Tull. Cautum, ne in templum armorum inducatur materia. Deuter. 3 Reg.)

3 Pondera, quæso (ad hoc propositum) historiam, quam refert Lucas Euangelista cap. 9. Conspirabant Samaritani, & Iudæi in Christum; quapropter ait Euangelista ℣. 54. *Cum vidissent autẽ discipuli eius Iacobus, & Ioannes, dixerunt: Domine, vis, dicimus vt ignis descendat de cælo, & consumat illos?* vetuit Saluator, & ait: *& conuersus increpauit illos, dicens: nescitis cuius spiritus estis. filius hominis non venit animas perdere, sed saluare:* vnde ait Sanctus Thomas in Catena: *Dominus autem in eos non commouetur; vt ostenderet, quia non habet vltionis studium perfecta virtus, nec vlla fit iracundia, vbi plenitudo est charitatis. Reprehendit in eis Dominus non exemplum Prophetæ sancti* (idest Eliæ) *sed ignorantiam vindicandi, quæ adhuc erat in rudibus: animadnertens eos non amare correctionem, sed odio desiderare vindictam.* Quibus ex verbis Sancti Doctoris obiter colliges, ignorantis, & rudis animi inscitiam esse velle vindicari, & de qualibet iniuria, aut inimicitia vltionem sumere. Protulit deinde hanc Saluator sententiam ℣. 58. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet,* quæ verba si præcedentia respicere videantur, hunc facere sensum existimo, quasi ad Apostolos, & ad discipulos suos dicat: inquietos, turbatos, iracundia, & indignatione furentes vos video: Iudæos in me concitatos cerno; pectora vestra, mentesque, arma, & vindictas meditantes conspicio: idcircò *vbi caput reclinem non habeo*; auersor enim inimicantium, & duellantium animos, corda rixantium non inhabito. si mat satis perbellè hanc expositionem Sāct. Ambros. lib. 6 Hexamer. cap. 8. *at ille quidem* inquit, scilicet Deus, *talem hominem fecit, in quo caput suum reclinaret, sed posteaquam in pectore nostro, non requies proximi esse cæpit, sed fouea; posteaquam alter alteri capit nectere insidias, quem iuuare deberet: caput suum Christus auertit à nobis, noli igitur esse fraudulentus, crudelis, immitis, vt in te Christus caput reclinet.* quod agnouit etiam sāctus Nilus Abbas, ideò in tractatu aduersus vitia cap. 4. dicebat: *in spiritu mãsuetudinis Christus caput inclinat, & mens pacifica, Sanctæ Trinitatis est domicilium,* vt in in eo inhabitet.

Luc.

Iacobus, & Ioan. indignantur cōtra Samarit.

S. Thom.

Vindicta, ignorãtis & rudis est animi.

Illustratur Luc.

Caput Christus non reclinat in corde iracundo.

S. Amb

S. Nilus Abbas. Mansuetos Christus inhabitat.

4 Quantùm Dominus Iesus auersatus fuerit bellorum instrumenta, & armorum genera: colligo ex illo Lucæ 24. ℣. 35. *& ipsi narrabant, quæ gesta erant in via, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis.* nō ignoro, plures fuisse Doctorum sententias in explicando quomodo in fractione panis discipuli Dominum agnouerint. inter quas expositiones illam annumerari posse censeo: morem Christo fuisse panem non cultro scindere, sed digitis, & manu immediatè; nihilominus panis bucellæ, & partes ita distinctæ, & obsecatæ erant, ac si cultro incisæ fuissent. Cum ergo discipulis abeuntibus in Emmaus apparuisset, & cum illis recumberet, suo more panem fregit; quod videntes discipuli, ex cōsuetudine magistrum agnouerunt. Hæc expositio est Didaci Stellæ in cap. 24. Lucæ S. expende etiam &c. qui sic habet: *in sola fractione panis est agnitus, vt intelligamus fractionem fuisse miraculosam, hoc est, quia frangebat panem manibus suis sicut alij incidunt gladio. solitum hunc frangendi modum fuisse credimus, vt propterea discipuli ex consueto Iesu modo, cognouerint eum.* Ergo tot miracula operabatur Christus, quot panis partes frangebat; quod cùm toto vitæ suæ tempore, & quotidie fecerit, cogita quot miracula edidit, ne vel cultrum tangeret, quod etsi vescentium est instrumentum, est quoque rixantium, & duellantium armatura. Quod si miracula non leui qualibet ex causa conceduntur: perpende quanti fecerit Saluator fraternam charitatem, & detestatus fuerit proximi necem, qui penè innumera edidit miracula

Luc.

Illustratur Luc.

Christus absq; cultro panē secat.

Didac. Stell.

Miracula potius Christus operaturne, arma tangat.

racula, ne fundendi quidem humani sanguinis instrumentum, aliquo pacto tangeret: quapropter fuit sententia Xisti Pythagorici to. 5. Bibliot. SS. PP. *ferrum, quo homines interimuntur, optimum fuerat non fieri, factum tamen, apud te non sit*: ne vsum illius habere aliquo modo valeas.

Xist. Pythv.

5 Nõ adeo vulgaris est expositio illius sententiæ Saluatoris Lucæ 11. ℣. 33. *Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio: sed supra candelabrum, vt qui ingrediuntur lumen videant.* Inter multas quæ circũferuntur Expositiones, hanc à me excipe. Est *modius*, mensuræ quoddam genus, quo, iuxta prætium, merces datur. At verò per *lucernam accensam*, mandata Dei, seù *lex* intelligitur, iuxta illud Prouerb. 6. Vers. 23. *mandatũ lucerna est, & lex lux.* Et fortassis ea ratione, quia sicut lucerna tũnc tantùm illuminat, ac splendet, quãdo ei oleum infundimus: ita non aliter mundi Iudices, & Principes legis sinceritatem, & iustitiam (quæ suum cuique tribuit) nobiscum exercent, nisi adulationis, aut munerum oleum tribuamus. Sed hoc obiter. sistendo ergo in metaphora lucernæ, & lucis: Est adductorum verborum sensus valdè pulcher: Dei mandatum, non intra mensuram continendum est, non *sub modio*, non a te coarctandum, limitandum, restringendum; alioquì iniustitiam potius, quam perfectam iustitiam, te operari, dicendum est. ita exponit Beatus Esaias Abbas oratione 21. quæ est de pœnitentia: *mundi huius*, inquit, *iniustitia, modius dicitur.* Prosequitur autem hic Beatus Abbas explicare, quænam sit hæc iniustitia, quæ sub modio detinetur, aitque eam esse præcipue inimicorum odium, & vindictæ passionem: *sic enim* (subdit) *docuit eos, quorum mens in diuinis mandatis illustrata est. Dico (inquiens) vobis, qui auditis: diligite inimicos vestros, qui oderunt vos: orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, &c.* Et videtur ex ipso contextu Euangelij, hæc expositio colligi; cùm enim dictũ fuisset Marc. 4. ℣. 21. *numquid venit lucerna, vt sub modio ponatur &c.* addit ℣. 24. *& dicebat illis: videte quid audiatis: in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, & adijcietur vobis.* Hanc reddendi mensuram habes Exod. 21. ℣. 23. *reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore &c.* hic erat mensuræ modius carnali illi populo, ob sui duritiem datus, ne in peiora rueret, quem reformauit Christus iuxta charitatis plenitudinem Matth. 5. ℣. 38. *Audistis quia dictum est oculum pro oculo, & dentem pro dente: ego autẽ dico vobis non resistere malo, sed si quis te percußerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram &c.* illa erat lucerna accensa sub modio, hæc scilicet charitas, posita super candelabrum. Eiusdem mensuræ, *sub modio*, metaphora vtitur idem Euangelista Matthæus, paulò post prædicta, nimirũ Vers. 46. *si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Et si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid ampliùs facitis?* quasi commensuratio sit dilectionis ad dilectionem, & salutationis ad salutationem, & modij sit mensura; quam extra mensuram fieri, & super candelabrum poni, non arctata, & restricta, Dominus præcipit. Si quis autẽ charitatem, & amorẽ proximi sub modio, & mensura collocauerit, vt iniuriarum, & sanguinum vices rependere velit: hic a Deo excidet, & in eo, & cum eo Deus esse non patietur, imò auersabitur sũmopere, quod est assumptum à nobis hoc loco probandum. Id docuit citatus Beatus Esaias Abbas ibidem; loquens enim de vindicta, quam nomine *iniustitiæ* appellat (vt diximus) *mundi huius*, inquit, *iniustitia modius dicitur, qua dum mens detinetur, in ea diuinitatis lucerna non potest esse: at si mens super sublimius candelabrum fuerit,*

Luc.

Illustratur Luc.

Lex lucerna est Prouerb.

Iustitiæ lux, munera subministrantibus splendet.

B. Esaias Abbas.

Iniustitia est modius.

Inimicorũ odium est modius.

Marc.

Illustratur Marc

Exod.

Matth.

Charitas, lucerna accẽsa super cãdelabrum.

Deus per gratiã nõ est in mẽte vindictam cogitante.

tunc diuinitatis lumen in ipsa est. Sic enim docuit eos, quorum mens in diuinis mandatis illustrata est. Dico, inquiens, vobis, qui auditis: diligite inimicos vestros, benefacite iis, qui oderūt vos &c. habes ergo, sanguinarijs hominibus, qui iniuriarum vices rependunt, Deum non communicare, neque fauores, aut dona, quæ amicis impertitur, aliquo modo concedere.

6 Petendum est, pro assumpti veritate confirmanda, non leue argumentum ex illo Genes. 2. Vers. 21. *immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cumque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea, & ædificauit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulierem &c.* aliàs diximus, & probauimus *soporem quem Deus in Adam immisit*, fuisse *raptum*, & *Ecstasim*, in qua reuelationem, & intelligentiam accepit eius, quod fiebat. Si Apostolum interrogas, quodnam mysterium in hoc lateat, & ad quid significandum factum est? Respondet in epistola ad Ephesios cap. 5. Vers. 32. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico vobis in Christo, & in Ecclesia.* Hoc præcognito quæritur, cur non, de Euigili, sed *sopore*, & *Ecstasi* absorpto Ada, *costa* tollitur, vt in mulierem efformaretur? vt inquam mutua esset charitas, pax, & vnitas inter Adam, & vxorem Euam, quod ex ipso Pauli adducto loco colligitur; cum enim dixisset: *hoc autem dico vobis in Christo, & Ecclesia*, subdit statim: *verumtamen & vos singuli vnusquisque vxorem suam sicut seipsum diligat*: hoc enim decet eos, qui *sunt duo in carne vna.* Contulit autem huis vnitati, & paci inter virum, & vxorem, vt *costa* ex sopito Ada, non ex euigili tolleretur; ait enim præclarè Moyses Bar Cepha Syrus Episcopus lib. de Paradiso part. 1. cap. 28 *Solet & illud quæri, cur non vigilanti Adamo, sed dormienti costam Deus subtraxerit? atqui si vigilanti exemisset, horum ipsi euenisset alterutrum, vt aut doloris sensu aliquo afficeretur in auferenda costa, aut nullo: iam verò si doluisset, odium aduersus coniugem suam Euam concepisset: sin nullo tactus fuisset dolore, existimasset falsam dumtaxat imaginationē fuisse eā, qua de Eua conditione suo animo obuersabatur, neque re ipsa, & verè accidisse.* volēs ergo Deus summum amorem, & vnionem inter primos coniuges cōseruari, nec dolere voluit Adam in ablatione costæ, ne odium in coniugem haberet; nec omninò non cognoscere quod fiebat, ideo Ecstasim immisit, vt eius quod agebatur ignorans non esset, vidensque Euam ex sui corporis parte efformari, feruentius diligeret. quod argumentum est Apostoli ad Ephes 5. ℣. 28. *viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua, qui suam vxorem diligit, seipsum diligit: nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, ac fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam. quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius: propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna, quod Adam, & Eua in eorum formatione dictum fuit.* quia verò in vnū viuere, & esse debebant, omnis discordiarum occasio amputanda erat, ideo non euigili, sed Ecstasi sopito Adæ costa aufertur, ne doleret, aut contra vxorem inimicitias conseruaret. propterea Moyses Bar Cepha loco citato, addit: *Igitur non naturalem somnum, & vsitatū illum immisit Adamo Deus, quò effectum est, ne sentiret dolorem, ægrèque haberet, dùm sibi costa demeretur, ex quo dolore subinde in memoriam sibi recurrente, hostis aduersus eam mulierem fieri potuisset; sed ea ipsum quietè, siue Ecstasi deuinxit, illud rem ipsā esse, quod in se, & circum se, agebatur a Deo, nullo interim sensu doloris tactus.* vide Dei circumspectionem in propellendis coniugum rixationibus, quia verò, vt ex Apostolo dicebamus *Sacramentum hoc magnum est in Christo, & Ecclesia* collige, iungi Deum non

Genes.

Sopor Adæ fuit Ecstasis.

Ephes.

A sopito Ada costa tollitur, vt cū Eua Charitatem seruaret.

Moyses Bar-Cepha.

Cur Ecstasis Adæ immittitur in ablatione Costæ.

Coniuges charitatē seruent.

Ephes.

Deus inimicātibus non iungitur.

posse,

posse, neq; spirituale inire coniugiũ, & dispon∫ationem, cuius animus charitate plenus non sit, imò discordias seruet, & iurgiorum occasiones, & mentem rixis plenam habeat.

Genes. 7 Huius veritatis argumentum præcipuum habemus Genes. 13. ℣. 14. *Dixitque Dominus ad Abram, postquam diuisus est ab eo Lot: leua oculos tuos, & vide &c. omnem terram quam conspicis tibi dabo &c.* pluries Deus Abræ apparuit, & cum eo loquutus est: simpliciter tamen, & absque addito, notat factum Scriptura. sic Genes. 12. ℣. 7. *apparuit Dominus Abram, & dixit ei: semini tuo dabo terram hanc.* Et cap. 15. ℣. 18. *In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abram, dicens: semini tuo dabo terrã hanc:* hoc aũt loco, non dixit simpliciter: *dixit Dominus ad Abram: omnem terram, quam conspicis tibi dabo &c.* sed addidit: *postquam diuisus est ab eo Lot.* ad quid expectare fratris sui Lot discessum, vt Deus Abræ appareret, illiq; loqueretur, totq; donis, & gratijs cumularet? poterat & hoc, ipso Lot præsente facere, fuissetque Abræ iucundius, cùm eo tempore, plura passus fuerit Abram incommoda, rixas, iurgia, & dissensiones; quapropter recreatus fuisset Dei præsentia, reuelatione, alloquio, & promissione: nihilominus ait Sacer tex. *dixitq; Dominus ad Abram, postquam discessit ab eo Lot.* quia verò Spiritus sanctus nil inutile, aut superfluum in diuinis scripturis patitur, cur post discessum Lot, sic Abræ apparuerit, alloquutusq; illi fuerit expendenda causa est. Rationem eam existimo, quam tractamus, nimirum quia auersatur Deus turbatos animos: nequit familiariter se illis exhibere cernendum, & alloquentem, qui commota, inquieta, rixantia habent pectora, & corda: Patiebatur autem quandam perturbationem Abram, propter rixas inter pastores suos, & pastores fratris sui Lot: dixerat propterea Abram ad Lot, eodem cap. 13. ℣. 8. *ne quæso sit iurgium inter me, & te, & inter pastores meos, & pastores tuos, fratres enim sumus:* ideo vt dignus fieret Abram Dei apparitione, & colloquio, expectauit Dominus discessum Lot. Expositionem hanc eruo ex Lyrano hoc loco: *Hic* (inquit) *consequenter describitur separationis Abram, & Lot approbatio, per hoc quòd Dominus locutus est ipsi Abram post illam separationem, promittens ei terram, & prolis multiplicationem, & hoc fuit conuenienter factum:* subdit autem conuenientiæ rationem: *Diuinæ enim reuelationes solent fieri mentibus quietatis, & à perturbationibus passionum sedatis: societas autem ipsius Lot propter rixam famulorum, erat causa perturbationis, vt prædictum est: & ideò reuelatio diuina facta est Abræ post ipsius Lot separationem:* Ciuilibus enim domesticisque existentibus pugnis inter Abram, & Lot, turbati erant animi, insultantes passiones, in promptu inquietitudines: quæ omnia inimicantiũ, & belligerantium propria sunt.

Genes. — Deus Abræ apparet post discessum Lot cum quo rixas habuerat. — Lyran.

8 Hac de causa nasciturus in carne Dei filius, & mundum inuisere dignaturus, vt dicitur Lucæ 2. *sub Cæsare Augusto*, pacatissimo inquàm tempore, & vt canit Ecclesia: *toto orbe in pace composito*, mundum ingreditur. adnotauit hoc Sanctus Thomas in Catena: *nasciturus*, inquit, *in carne Dei filius: sicut de virgine natus, virginitatis decus ostendit esse gratissimum: ita pacatissimo tẽpore sæculi procreatur, quia pacem quærere docuit, & pacis sectatores inuisere dignatur:* in qua S. Doctoris sententia, illud primo notandum, quasi æquè Deum æstimasse, de Deipera Virgine nasci, ac pacis tempore mundo dari, dum vnum alteri comparat per illas dictiones, *sicut*, & *ita*. Deinde notandum, quòd ingrediens mundum, non alios, *nisi pacis sectatores inuisere dignatur*; hos adit, apud hos hospitatur, & moratur.

Luc. — S. Thom. *Quasi æquè Deo gratũ de virgine nasci, & in corde pacifico habitare.*

9 Cognouerunt hanc veritatem ipsi Gentiles: scribit enim Auctor Apophtegm. lib. 8. quòd Demonax Philo-

Auctor Apoph.

sophus

lophus aduertens Athenienses hoc agere, vt Barbarorum exemplo, specta cula in Vrbem inducerent, quibus, in homines efferati, leonibus, ferisque discerpendos, dilacerandosque in theatris traderent: *nolite*, inquit, *ciues istam crudelitatem prius admittere in ciuitatem vestram, quàm misericordiæ aram sitis demoliti.* rationem, cur hoc dixerit Demonax, reddit idem Auctor. *voluit*, inquit, *significare nequaquam conuenire in ea Ciuitate, in qua misericordia pro Dea coleretur, spectari plusquam ferinam crudelitatem*. Et secundùm hunc intellectum, illud moraliter inde eruendum est, indecens esse, & præter omnem rationem congruum Christi fidelibus, Deum misericordiarum venerari, iuxta illud 2. Corinth. 1. ℣. 3. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis*; & immites, immisericordes, imò ferinos esse in proximos: Deum misericordiæ colere, vt misericordiam ipsi consequantur; & fratribus nolle præstare misericordiam, cùm scriptum sit Eccli. 28. ℣. 4. *in hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? ipse cùm caro sit, reseruat iram, & propitiationem petit à Deo? quis exorabit pro delictis illius?* & Matth. 5. ℣. 7. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur:* sicut è contra dicebat Plato de legibus: *crudelitas in barathrum tartari abigit, vnde numquam egrediuntur.* Quòd si pro *misericordiæ Dea*, misericordiæ matrem, Beatam, inquam, Virginem intelligamus, de qua dicitur: *mater misericordiæ*; vtique non decet aliquem crudelem esse in proximum, & à Dei matre expectare misericordiã; pietatis enim Regina, erga pios, pia magis est. Sed ad rem nostram, paulò aliter dictum Demonatis interpretemur. vetuit, misericordiæ templum apud Athenienses esse, qui à leonibus, ac feris discerpendos, perdendosque homines in spectaculis traderent; certò sciens, Misericordiæ Deam, quam ipsi colebant, cum efferatis, barbarisq; animis non cohabitaturam, ideò misericordiæ aram demoliri consulit, si in proximos crudelitatem talem exercere volebant, recedit enim Deus à crudelibus; templum enim & aram misericordis cor imitatur; vnde est illud Phocionis apud Stobæum serm. 1. de virtute: *nec è templo ara, nec ex humano corde misericordia tollenda est.* meritò igitur apud illos misericordiæ ara demolitur, qui crudeles, & sanguinarij in proximos euasserant.

Misericordiæ Ara à crudelib. auferenda.

Qui misericordiæ Deum colit, ne immitis sit.

2. Corint.

Eccli.

Matth.

Sit misericors, qui misericordiã à Dei matre petit.

Deus misericordiæ recedit à crudelib.

Stob.

10 Non leue argumẽtum ad hoc idem probandum eruo ex illo Genes. 6. ℣. 3. *Dixitque Deus: non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est*. Sanct. Ambros. Sanct. Augustin. & alij per ly *spiritus meus*, Deum ipsum, seu Spiritum sanctum intelligunt, & sensus est: recedam ab hominibus istis huius sæculi; meam ab illis auertam faciem; familiarẽ, & quasi domesticum (vt antea) me illis nõ exhibebo, rationemque cur hoc facturus sit, addit, cùm subdit: *quia caro est.* Scio multos per hæc verba: *quia caro est.* ipsam carnis fragilitatẽ, & carnis propensionem ad luxuriam exponere; & expositio optima est, & textui conformis. sed non displicebit fortè lectori, si ita explicabimus: *quia immitis, crudelis, rixator est*, quasi assignetur ratio, & causa recessus spiritus Dei ab hominibus illius temporis, quia moribus erant efferati, & in homines inhumani. hanc expositionem non somnio, sed colligo illam ex Procopio in cap. 4. Genes. qui reddens rationem, cur tantùm Noe iustus illis diebus fuerit, vt dicat Sacra scriptura eodem cap. 6. ℣. 9. *Noe vir iustus, atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulauit*, idest, quasi amicabiliter cum Deo conuersabatur, cum quo iugiter erat; reliquos verò illius temporis homines deseruerit, vt ab illis discedere, imò diluuio perdere statuerit, eam asserit: quia Noe mitis, ad clementiam pro-

Genes.

S. Ambr. S. Aug.

Locus Genes. illustratur.

Spiritus Dei cum rixosis non permanet.

nus,

nus, & erga proximos misericors erat; cæteri verò efferati, & crudeles. ait itaque Procopius: *Noe solus in illo deplorato sæculo inuenitur iustus. duæ illæ artes quas adinuenerunt nepotes Cain plurimum conducebant exulcerato sæculo: musica inseruiebat conuiuijs, & commessationibus; ars æraria iuuabat bellum:* omnem ergo morum corruptelam, ob quam indignatum Deum legimus, ad delendum per diluuium vniuersum totum, omnéq; hominem, habuisse originem ex delicijs musicæ, quam Iubal primus reperit, sicut dicitur Genes. 4. ℣. 21. *Iubal ipse fuit pater canentium cithara, & organo*; cui iunctæ erant epulæ, commessationes, & ebrietates, & his similia, deliciarum inquam materia, quibus delicijs meritò *exulceratum* dicit *illud sæculum*, ac *deploratum*, ita vt diuina indignatione iustè per diluuium absorptum fuerit; Nec non etiam originem sumpsisse (ait Procopius) ex eo quòd gens illa moribus crudelis, efferatior facta fuerat ex quo *Tubalcain artem ærariam, quæ iuuabat bellum* primus adinuenit; vnde dicitur eodem cap. 4. Genes. ℣. 22. *Tubalcain, qui fuit malleator, & faber in cuncta opera æris, & ferri*. Et aduerte non sine causa Procopium per nomen patris, matrisue hos non appellasse, & explicasse, sicut moris est Sacræ Scripturæ, & Patrum, sed dixisse: *illas artes, quas adinuenerunt nepotes Cain*: scitum namque est sanguinarium fuisse Cain, vnde dicitur Genes. 4. ℣ 8. *Consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel, & interfecit eum*. ideò huius nepotes describuntur, cuius ferinam rabiem imitati, bellica instrumenta, ad fundendum humanum sanguinem adinuenerunt. At verò familiarem, ac socium sibi Deus adsciuit Noe, quia mitis, & misericors erat in proximos; namque id, nomen ipsum *Noë* exprimit, qui *cessatio*, seu *requies* interpetratur hoc est, animus ab omni perturbatione sedatus. quam interpretationem firmat S. Ambros. lib. de Noe, cap. 4. qui circa illa verba: *Noe vir iustus &c.* ait: *hic per actus suos significat Christum, qui ait Matth. 11. discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*: igitur misericordia, & benignitate iungitur Deo Noe; hominum verò immanitate recedit Deus a populo, quem diluuio perdit.

Procop.

Deliciæ, & crudelitas exulcerãt animam.

Genes.

Crudelitati, & delicijs immittitur diluuium

Genes.

Noe mitis, cum Deo familiaris S. Ambr.

11 Quoniam verò immanis sceleris, quo fratrem occidit, fecimus mentionem; in confirmationem eorũ, quæ dicamus, verba ipsius Cain, post fratris necem, ad trutinam adducimus. ait itaque Sacer textus Genes. 4. ℣. 13. *Dixitque Cain ad Dominum: maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. ecce eijcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus, & profugus in terra: omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.* derelictionẽ, & recessum Dei ab homicida, imò fratricida Cain (secundum nostrum intelligendi modum) adductis verbis intelligimus cum S. Ambros. qui hæc habet: *nil grauius quàm errantem à Deo deseri, vt se reuocare non possit.* Et Caietanus: *absconsio*, inquit, *à facie Dei, est, priuari diuina cura, & à Deo derelinqui.* vnde nouerat Cain, se à facie Dei abscondendum, idest, priuandum Dei alloquutione, præsentia, & peculiari patrocinio, quod antea expertus fuerat, nisi quia se sanguinarium videbat, & Deum ab inimicantibus, indignatisque animis longè abesse sciebat? In quem sensum aduerte, quod subdit Sacer textus: ℣. 15. *Dixitque ei Dominus: nequaquam ita fiet: sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur.* duo sibi euentura prædixerat fraterni sanguinis fusor, nimirũ Dei à se recessum, & se occidendum; Dominus ait: *nequaquam ita fiet.* numquid vtrumque ita non eueniet? minimè, sed alterum tantùm, nimirum vt Cain non occideretur: *nequaquam ita fiet, sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur*, retinet igitur illam sententiam: *à facie tua abscondar &c.* Et ita re vera factũ est, subdit enim Sacer text. ℣. 16. *egres-*

Genes.

Ambr

Caiet.

Cain sanguinarius Dei consortio priuatur.

iusque

viris soleat reponere, vt scilicet hæc bona bene collocantes, præparentur, & aptius disponantur ad recipienda æterna beatitudinis munera: Vel certe concedit temporalia bona honestis viris, vt inertes, & desides homines, ad capessendos virtutis labores alacrius animentur; vnde etiã Ethnicis bene, & ex morali virtute agentibus, præmia reddidit temporalia, vt fuse ostendit D. August. 5. de Ciuit. Dei cap. 15. & 16. Quòd si viris à vero cultu, & religione alienis noluit Deus honestarum actionũ præmium denegari in hac vita, multo vberius illud fidelibus suis credendus est præparasse; & præsertim pacificis, qui sicut maxime ab inimicis in hac vita conculcantur, ita sunt donis illustrioribus subleuandi & animandi. Argumentum eius rei sumo ex verborum Iesu Christi ponderatione, qui præcipuum parentium fructum ita explicauit, vt illius pacificos in hac vita participes fore significare voluisse visus sit. *diligite*, ait, *inimicos vestros vt sitis filij Patris vestri qui in cælis est*. in præsẽti loquitur, nec dicit & eritis filij patris cælestis; sed *vt sitis* modo, in præsenti. congruũ est autem vt qui in hoc sæculo dignus est esse filius Dei multorũ etiam temporalium bonorum accessione fiat locuples; donec tandẽ vniuersam Dei hæreditatem in gloria consequatur. Ita Dauid de se dixit 2 Reg. 22. ℣. 36 *mansuetudo mea multiplicauit me*, idest, bonis temporalibus locupletatus sum, propter mansuetudinem, vt deinde recipiam ęterna. Ita diuites Patres aliquã e cimelijs suis gemmã amatis filijs præbent, addentes minimum quid illam esse eorum, quæ cum tota hæreditate sunt postmodum recepturi: eiusmodi sunt bona temporalia tamquam experimẽtum maiorum bonorum quæ diligentibus inimicos in futuro tribuenda sunt.

2 Considerãda est in primis, hæc merces in ijs bonis, quæ mere temporalia sunt, diuitijs scilicet, prosperitatibus; in quibus multum Deo fauente pacificos promouere Sanctorum Patriarcharum exemplo comprobatur. Iacob enim, Esau indignationẽ fugiens vt habetur Genes. 27 à paterna domo inops, & solus digressus, apud exteros hospitatus, reuersus est diues, vt narratur Genes. 31. & 32. Ioseph vero mansuetus, & pacificus iniusto fratrũ odio venditus, & vix non extinctus, pro extincto saltem deploratus, fraternarum inimicitiarũ oblitus, in Aegypto prosperatus est, & in illum dignitatis gradum elatus, vt post Regem supremam in opulentissimo regno dignitatem gereret; Genes cap. 41. & 42 & similium exemplorum plena est sacra omnis, & prophana historia.

3 Præceteris autem huius mundi prosperitatibus, maximè æstimari solet viuida, & vegeta senectus, ijsq; destituta incommodis, quæ maxima solet ingrauescens ætas plena malis, secum afferre, cùm, vt dicebat Ouidius Metamorphos.

— iam felicior ætas
Terga dedit, tremuloq; pede venit ægra senectus.

Quæ præter quam quod ipsa dicitur esse morbus, est etiam morborum tam quam officina, de quibus Iuuenal. sat. 10.

Ille humero hic lumbis, hic coxa debilis, ambos
Perdidit ille oculos, & luscis inuidet, huius
Pallida labra cibum capiunt digitis alienis.

Denique mala omnia vitæ humanæ in senectutem, veluti in sentinam confluunt, ideo Antiphanes vitam hominis vino comparabat apud Stob.

Est nostra vino vita quàm simillima,
Acescit est cum reliqua parua portio.

Magnum itaq; & eximium Dei beneficium æstimandum est, si cui datum sit, post turbidos iuuentutis fluctus, post

[Marginalia, left: *Iustis tẽporalia datur præmia, vt peccatores aduirtutem excitentur. D. Aug.* — *2. Reg.* — *Iacob, Esau persecuti inimicos diues.*]

[Marginalia, right: *Ioseph iniuri fratrũ oblitus, fit Princeps* — *Bona senectus maximè expetitur.* — *Ouid.* — *Senectutis incommoda.* — *Iuuenal.* — *Stob.*]

plenus bonis temporalibus, & spiritualibus, est enim bona senectus eorũ, quos ante actæ vitæ memoria exhilarat; sicut Gorgias Leontinus centum, & septem natus annos, cũ ex eo quæreretur; Cur tamdiù vellet esse in vita; nihil habeo inquit, quod accusem senectutem; sæuitiæ autem, & immanitatis memoria eandem reddit miseram; vt dixit Ammian. Marcellin. lib. 14. *Miserum est instrumentum senectutis, recordatio crudelitatis*: instrumẽtum dicitur, quia hæc memoria miserã facit senectutem, sicut mansuetudinis recordatio lætam, & *bonam*.

6 Hanc senectutem alibi ipsemet Dauid Psalm. 91. ℣. 11. *redundantem, & vberem diuinæ miserationis copia*, dixit, *& senectus mea in misericordia vberi*, idest, referta omnibus illis bonis, quæ à profusissima diuinæ misericordiæ vbertate possunt prouenire; hæc enim est communior huius loci expositio, quamuis paulo supra aliter fuerimus, nec incongruè ex mente Origen. interpretati. audi Genebr. *demonstrat*, inquit, *habitum corporis succulentum, & vegetum quo, pios senes* (nota ly *pios*) *Deus afficere solet. quod Cicero lib de senect. attribuit vitæ ante actæ temperanter, ascribit hic pietati.* hunc autem esse germanum sensum, colligo etiam ex sequenti versu 15. *adhuc multiplicabuntur in senecta vberi, & benè patientes erunt*. sic distinguit P. Agell. nectit Propheta vberem senectam cum patientia, inimicos, scilicet, sustinendo, de quibus dixerat Vers. 12. *despexit oculus meus inimicos meos; & in insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.* est itaque mansuetorum senectus expers malorum, & referta bonis: sicuti contra vindicatiuis, vel nulla, vel malis cumulata contingit. nulla, cum iusto Dei iudicio decedit plerumque maximum vitæ spatium illis qui alienæ vitæ insidiati fuerunt, & vindictam appetiuerunt, de quibus dicitur Psalm. 54. Vers. 27. *viri sanguinũ & dolosi, non dimidiabunt dies suos*, quo loco noster P. Agell. *Eiusmodi*, inquit, *homines cùm aliorum vitæ infesti sint & dolis, fraudibusque aliorum innocentiam vexent, Dei permissu fit plerumq; vt qui ex naturæ cursu multo longiore vita frui possent, ij vix ad eius spatij dimidium perueniant, quantum viuere naturæ beneficio potuissent, quod Absalom, & Achitophel accidit.* Dauid propterea mansuetudinis suæ conscius dicebat Psalm. 70. Vers. 18. *ne reuoces me in dimidio dierum meorum*; vbi nota incidenter; quod cùm *mala senium accelerent*, vt prouerbio dicitur, nihil mali à persecutoribus, quãuis hoc maximè studeant pacificis accidit, nequicquam enim vexati, pleni dierum (vt de Dauide dicit Scriptura) in Domino moriuntur. Neque annosi tantum, sed vegeti, ad extremum vsque, vitam producunt.

7 Fuit Moyses in tota vita amãs suorum, misericors, erga axacerbantem illum populũ benignus, pro eius peccatis Deum humiliter orans; vnde dicitur Deuteron. 33. Vers. 3. *dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt*, vt inquàm illos seruet, custodiat, & protegat; sicut est illud Sap. 3. Vers. 1. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & nõ tanget illos tormentum mortis.* Rependitur itaque illi diuturna, & viridis senectus immunis a malis senectutis; de eo dicitur Deuter. 34. Vers. 5. *mortuus est ibi Moyses iubente Domino*, idest, vt ait Tostat. haud morbo vrgẽte, nec doloribus vexatus, & Vers. 7. 8. *centum, & viginti annorum erat cùm mortuus est, & eius non caligauit oculus, nec dentes moti sunt*: sicut contra de vindicatiuis dicitur Psalm. 57. Vers. 6. *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum: molas leonum confringet Dominus*, eorum inquam de quibus paulò ante dixerat Vers. 4. *furor illis secundum similitudinem serpentis.* Et Psalm. 34. Vers. 16. *frenduerunt super me dentibus suis* qui Psalmus (vt notat Agell.) ad litte â de Dauid oppugnato, & iniuriis lacessito est, vt ex textu patet apertè.

Psalm. | Mites, senectutẽ omnibus bonis refertam habent. | Genebr. | P. Agell. | Psalm. | P. Agell. Vindicantib. dimidium tur dies. | Psalm. | Deuter. Mitis, immunis à malis senectutis. | Deuter. | Tostat. | Psalm. Mala senectutis in sanguinariis. | Psalm.

vindictæ igne, illæsus euasit, confuso diabolo qui per milites tamquam per instrumenta Dauidici cordis fornacem accendere tentauerat. egregijs, & aureis verbis hanc Dauid de se ipso victoriam, & Saulis, iniurias, in eundem reflexas, explicauit S. Chrysost. homil. de Dauid, & Saule. *Egressus est*, inquit, *è spelunca Dauid tanta cum gloria, cum quanta tres pueri egressi sunt è camino ardente; nam quemadmodum illos non exussit ignis, ita hic non conflagrauit ira incēdio, & illis quidem foris nihil ignis in quo versabantur nocuit; hic verò cum intus haberet carbones accensos, cum foris videret diabolum caminum incendentem, idque varijs modis, ab inimici conspectu, ab exhortatione militū, à facilitate perficiendi cædem: à solitudine eorum qui Sauli possent auxiliari, à præteritorum memoria, à futurorum periculorum metu; si quidem hæc & sarmentis, & stipulis, ac cæteris omnibus, quibus caminus ille Babylonius incedebatur lucidiorem excitabant flammam: tamen non exarsit* Dauid, *neque vllo pacto sic fuit affectus quemadmodum consentaneum erat affici hominē tot modis irritatum, sed exiuit purus, & intuitus inimici faciem hinc maximè sumpsit animum fortem, ac philosophicum.* Magna certè fuit Dauid ex hoc facinore gloria, non tam ob restrictum iracūdiæ ignem, quam quia Deus vltionem ab eo dimissam accepit, & obseruato tempore eidem Sauli retribuit, in quem omne damnum, & fraudes reiecit quas ipse pacifico viro intentauerat. Voluit Saul Dauid violente morte de medio tollere; eandem sibi ipse proprijs manibus afferre coactus est, cùm ante filios peremptos vidisset: ignominiosè Saul Dauid tractauit, ipse multo contemptior fuit, & Dauid in regium solium assumptus de quo 1. Machab. 2. ℣. 57. *Dauid in sua misericordia consecutus est sedem regni in sæcula*. Dauid parcendo æternam gloriam, ille lædendo æternam incurrit damnationem. vnde apertè conspicitur sanguinariorum machinas in ipsorum exitium, & ruinam ruere. *Quid incommodi* ait idem Chrysost. loco allegato *cæpit infelix, ille, ac miser, tot insidias molitus Dauid? nonne excussus est? nonne misera ratione perijt vna cum filio? nonne ab omnibus vituperatur? & quod his grauius est, æterna luit supplicia*, per ignem scilicet perennem.

S. Chrys.

Dauid, Saul parcens, pueris in camino illæsis comparatur.

Persuasiones mala, larmæ, & stipulæ diaboli.

Ruit Saul in quas intentauit Dauid.

Machab.

10 Sed plurium auctoritatum instar, sit locus Oseæ 6. ℣. 10 *Galaad*, inquit, *Ciuitas operantium idolum, supplantata sanguine*. Sciendum primo quòd pro *Ciuitas operantium idolum* Sanct. Hieronym. ex Chaldaic. vertit *Ciuitas vim inferentium*, vt admonet Cornel. à Lapide. loquitur itaque Propheta de iniuriantibus, calumniātibus, & vindicatiuis, qui minimè condonare volunt iniurias, sed vltionem quærunt, vim inferentes. italicè diceremus: *Città di brigosi, impertinenti, rissosi &c.* de his dicitur: *Galaad ciuitas supplantata sanguine*. supplantare plerumque est concurrentis in stadio pedes impellere; & iuxta hunc sensum videtur hæc verba interpretari Vgo Cardin. & ita sanguinarij, qui proximos in huius vitæ stadio ad brauium currentes honorum, diuitiarum, dignitatum &c. dolo se impedire, & ad casum impellere conantur, detractionibus, calumnijs, infamia, ac etiam quandoque sanguinis effusione tamquam supplantatione infestantes; sentient se supplantatos, & euersos, quia quātum ipsi proximis nocere studuerunt, tantumdem de eorum æstimatione, ac bonis, vel cum sanguinis effusione, Deus demipermittet. Et vide quàm bene in auctores iniuria redeat, de quibus enim dictum fuit Ps. 13. ℣. 3. quod *veloces* erant *pedes eorū ad effundendum sanguinem*, ij, in effusi sanguinis pœnam supplantati, debiles redduntur pedibus, & ibi corruunt, vbi se firmos fore sperabant; additur enim: *contritio, & infelicitas in vijs eorum*, quia qui alios deijcere volunt, ipsi conteruntur. Quare? *Quia*

Osee.

S. Hieron.

Supplantare, est, pedes implicare. Vgo Card.

Ruit, qui cæteros, ne prospe rentur impediunt.

Psalm.

viam

libus vulneribus sanguine, pro Monialium custodia ab inuasore sacrilogo, iteratis vicibus, asseruit.

13 Neq; omittendũ quod *Galaad* erat Ciuitas sacerdotalis, vt Expositores in Oseam adnotarunt. Exaggerat itaque his verbis insidias, & calumnias, atque odia Ecclesiasticorum, quorum discordiæ, & rixæ Deo maximè displicent, easq; sæuissimè vlciscitur. *Galaad* inquit D. Hieron. in Com. *quæ habitabatur à Sacerdotibus, nam & ipsa fugitiuorum Ciuitas erat. Quanto igitur celebrior, & maioris auctoritatis, quia in partem sacerdotum fuerat delegata &c.* Gloss. ad margines pro *supplantata sanguine*; Ex translatione Pagnini, & Vatabli, legit *: foedata sanguine*; nam qui alios insidiosè supplantare nituntur, propriam animam foedant, & deturpant, sicq; suis maculis, peccatisque ruunt, maximè Ecclesiastici, ac sacerdotes, qui aliorum tergẽdis maculis præfecti, seipsos fœdius maculant. Et qui, Ciuitas refugij, à Diabolo, & mundo ad necem petitis, esse deben ; eorum discerpunt, dilaniantq; corpus, & animam. ijque hoc alio sensu, *Ciuitas supplantata sanguine*, dici possunt. illo. n. diuino sanguine, quem quotidie indecore consecrant, & indigne sumunt, supplantantur, & corruunt. sed hoc obiter. pergimus ad piorum mercedem temporalem.

14 Valdè congruum est ad idem explicandum, quod de scorpione, naturalium rerum Scriptores referunt; quod nimirum, si ignis gyro circumdetur, adeò in se ipsum excandescit, vt suo se venenato morsu enecet. Scorpioni similem esse dicas inimicum, cui odij vindictæq; inest venenum Ezech. 2. ℣. 6. *cum scorpionibus habitas*, idest cum ijs, qui tuam machinantur necem, vnde subdit: *verba eorum ne timeas, & vultus eorum ne formides*. si hunc ergo diligas, beneficijsque afficias, ignita erga illum charitate affectus; veluti ignis gyro illum circumdabis ad Roman. 12. ℣. 20. *si esurierit inimicus tuus ciba illum, si sitit &c. hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius*, ex quo tantum ipse excandescet, vt præ rabie, penè exanimabitur; & hoc est, quod dicebat S. Basil. homil. de Ira: *si aduersarij iniurijs petitus, mitis fueris, si despexeris, acrius illum vindicabis. quid enim aduersario tuo durius esse potest, quàm te animum gerere contumelijs altiorem? sine illum frustrà te adlatrare, in se ipso disrumpi: qui enim contumeliam in eum, qui nequaquam dolet iacit, perturbati animi consolationem inuenire nullo modo poterit quin potius ardebit magis, & animo æstuabit.* Hod idem docuit Laert. lib 6 qui, vt ipsemet refert, interrogatus à quodam, quo maxime pacto posset vlcisci inimicum; respondit: *si te ipsum probum, & honestum virum præstiteris, hoc qui facit, & sibi prodest maximè, & inimicum maximè discruciat*. Hic itaque sensus est verborum Apostoli: *carbones ignis congeres super caput eius*, neque vt maleuoli putant præcipitur vt contra illum furorem nostrum laxemus; *dicunt enim*, ait S. Cæsar. Arelat. homil. 11. *ecce cibo inimicum meũ, vt ardeat in æternum.* Possumus etiã hoc confirmare verbis. S Basilij homil. de Ira. *Silentio*, inquit *& mansuetudine, aut prodes inimico ad exemplum; aut grauius vindicas te per cõtemptum: qui succenset irascenti, deterior hoc est, quoniam facit quod reprehendit.*

15 Prædiximus iam sæpius in hãc arenam luctantem Dauidem: eundem victorem contemplemur. Comprobemus inquam vltimo loco, quod Deus inter cætera mansuetorum præmia temporalia, concedit illis sæpè victoriam, & gloriam de persecutoribus. 2. Reg. 18. Dauid mittit exercitum contra exercitum Absalom, & inter cætera Principibus militiæ edicit, vt caueant interficere filium Absalom ℣ 5. *& præcepit Rex Ioab, & Abisai, & Ethai dicens, seruate mihi puerum Absalom*; nemo ignorat, quàm incerti sint bellorũ exitus, qui cùm maximè prosperi spe

rantur,

Ecclesiasticorum rixæ Deo odibiles.

S. Hieron

Pagnin. Vatabl.

Sacerdotes mali, diuino sãguine supplantãtur

Scorpio, igne septus, se ipsũ necat. Ezech.

Inimicus charitate discruciatur.

Roman.

S. Basil.

Laert.

Virtute, discruciatur inimicus.

S. Basil. Mansuetudine vincitur inimicus.

2. Reg.

Iniurias condonās securus de victoria.

tantur, fortunæ incōnstantia secus succedant. qua ergo fiducia, tam securè, victoriam sibi fauorabilem pollicebatur Dauid, vt ducibus audacter, non optatiue rogando, sed imperatiue iubendo præciperet, seruari sibi filium? Respondeas quod certus erat victoriæ Dauid; quoniam enim filio iniurio, & rebelli offensam animo condonauerat, certo præsciuit Dominum victoriam suis esse militibus concessurum. Qui enim parcit, cùm reus victorem declarat. vnde D. Ambros. Apolog. pro Dauid cap. 6 *securus*, inquit, *erat victoriæ, qui rogabat vt parcerent; nec pietatis alienus qui perire debere, etiam impium filium, non putat.*

S. Ambr

16 Victor etiam rediit Dauid 1. Reg. 24. ex conflictu cum Saule, quo seruato, quasi magnificum egit triumphum *ac illustriorem* (ait. S. Chrysost. hom. 1.14 de Dauid & Saul.) *tulit victoriam, quam si eum mactasset*; propterea & tamquam victori corona debetur, & tamquam triumphanti pretiosa, & splendida vestis; non purpurea, & Imperatoria, sed his magis conspicua charitatiui, & pacifici affectus. *non egressus est* (de spelunca Engaddi loquitur idem Chrysost. hunc illius triumphum magnificis verbis describens) *gestans Regis purpuream vestē, sed amictus humanitate, naturam humanam superante, quod pallium est quauis stola magnificentius.* Hæc sunt insignia pacificantium vestimenta, hi honorifici amictus, in quibus splendidum triumphum ducunt: Cum iniurij, vindicatiui longe alias vestes accipiant; de quibus dicitur Psalm. 108. ℣. 29. *induantur, qui detrahunt mihi pudore: & operiantur sicut diploide confusione sua. diploidem.* Græcus auctor *pallium* dixit, benè enim pro magnifico humanitatis pallio quod Dauid accepit, Saul probrosa confusionis *diploide* indutus est: *diploide*, inquam, non simplici, sed duplici vestitus: est enim diplois vestis ampla, seu duplicata. optime noster Pater Agell. *operiantur*, inquit, *illi*

S. Chrys. Dauid parcens Saul triumphat.

Benignitas, purpura gloriosior.

Vindicantes inglorij & cō fusione pleni. Psalm.

P. Agell.

pudore tamquam diploide, veste nimirum vsque ad pedes pertinente; & ampla eo vsque vt duplicari possit. pallium, quidam Græcus auctor dixit, quo significauit maximum dedecus, adeò vt eos totos operiat, neque vlla pars sit, vllus locus, in quo pudore vacent. Vide quanta sit vindicantium ignominia, qui vindictam gloriæ ascribunt. vel ideò veste *diploide* confusionis indutus est Saul, quia confusus fuit coram Deo, & hominibus; in hac, & in futura vita: cùm contra, Dauid pacificus, & in ætate virili prosperatus, & in senili glorificatus vt dicitur 1. Paralip. 29 ℣. 28. *mortuus est plenus dierum, & diuitijs, & gloria,* tāquā ornatissimis istis vestibus decoratus, Saul verò persecutor inglorius, pauper, & pene nudus qui .n. non indutus erat duplicibus charitatis Dei, & proximi, nudus humanitatis amictu decessit, & vt dicitur Isai. 40 ℣. 2. *vt reciperet duplicia* confusionis, & pœnæ *de manu Domini pro omnibus peccatis suis.*

Duplici confusione idest, maxima onerantur sanguinarij.

1. Paralip.

Isai.

17 Et quoniam præcipuum victorum triumphantium insigne, fuit Corona, propterea hoc etiā præmium obtinuit Dauid; qui egressus est e spelunca, ait idem S. Chrysost. ibidem: *dextram illam, totius Orbis pretio parem, simul cum capite coronatam gestans.* Mirum, & insuetum de manu coronata, sed quia non minus dextra a cæde abstinendo vicit, quā caput iniuriarum obliuium; & non simplicem Ciuem, sed Regem Saul, potens occidere, seruauerat, propterea, non solum venerabile tanti viri caput, sed fortis etiam in parcendo dextra meruit redimiri. Corona Ciuica erat, quàm vnus Ciuium alteri suo seruatori dabat Plin. lib. 16. cap. 4. Buleng. de Triumpho cap. 13. & fuse Paschal. lib. 7. cap. 6. de Coron. quæ maximi fuit honoris, vt ea etiam Imperatores donarentur vt plura numismata eorum testantur, in quibus Quernæ Coronæ adscriptum est: *Ob Ciues seruatos;* hæc non dabatur nisi is qui seruatus fuerat, id fateretur, vt ex eiusdem confessione oriretur cer-

Parcens inimicis coronatur

S. Chrys.

Corona ciuica redimitur Dauid ob Saulem seruatū.

Plin. Buleng. Paschal.

Corona ciuica maximi honoris.

tum

Gell. Buleng. ...m, & indubitabile testimonium, vt ex Gell. lib. 5. cap. 6. dicit idem Buleng. ibid. hanc accepit Dauid à Saule quādo Regni prima accepit auspicia ipsius Saulis ore, & testimonium celebre de concessa Regi salute. 1. Reg. 24. ℣. 19. 1. Reg. *tu indicasti mihi hodie, quæ feceris mihi bona quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam, & non occideris me.* & ℣. 21. *nunc scio quod certissimè regnaturus sis.*

18 Aliam coronam accipiebant victores ab Imperatore, qua donatus fuit Dauid à Deo, de qua idem Chrysost. eadem hom. 14. *Imperatores,* inquit, *ante caput, coronant dextram; ita Deus manum illam coronauit, quæ gladium purum potuit educere, ensemq; Deo nullo sanguine contaminatū ostendere;* In qua tamen Dauidis inauguratione præpostero ordine videtur Chrysost. prius manus, dein le capitis, coronationis meminisse: sed hoc non debet videri mirum, quia eiusdem cap. 24. ℣. 11. dixit Dauid Sauli: *Cogitaui vt occiderem te;* ex quo excipitur, quòd leuis etiam cogitatio de sumenda vindicta, facit vt dextra omninò innoxia, & pura, prius coronari mereatur, quàm caput; cui quasi in pœnam agitatæ, quāuis ad breuissimum tempus cogitationis, & præter voluntatem, dilata paululum fuit Corona. Et si Imperatores aliqu (vt ait Chrysost.) dextram prius coronabāt quàm caput, ideò hoc erat, quia dextræ gloriosis operibus præcedentibus, capitis coronam consecutæ fuerant. Et hoc in mitissimi Dauidis gloriam cadit, cuius dextra, aliud insigne opus manime molita fuerat, quam quòd potens Saulem occidere, pepercit, manumque contraxit ab homicidio. prius ergo manus, deinde caput iure redimitur.


S. Chrys. — Manus innoxia, ante caput, coronatur. — 1. Reg. Differtur ad tēpus coronatio cogitanti vindictā. — Manus parcens capiti coronam acquirit.



Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Sacer textus.

CAP. VIII.

Diligentibus inimicos, spiritualium, & supernorum bonorum merces rependitur.

1 Vnificus est Deus, eiusq; non solùm plenæ, sed etiam redūdantes sunt cōpensationes; qui cum *promissorum sit sedulus etiam erga indignos obseruator,* vt D. Ambros. lib. de Naboth affirmat, ijs, qui in paucis fideles fuerunt supra multa constitutis, vsuraria largitate satisfacit. Quòd si tēpo alium tantum, & terrenorum bonorum præmio merita eorū qui iniurias dimittunt remuneraret: potius deficiens videri posset merces illis reddita, cū externa bona, in hac vita, etiam mali recipiant, vt dicitur Luc. 16. ℣. 25 *fili recordare quia recepisti bona in vita tua.* Et in hodierno dicitur Euangelio: *Solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos.* Quamuis itaque in hoc Mundo erga mansuetos liberalitatem suam ostentet Deus; tamen non hic eos plenè remunerat, & propterea regnum suum negauit esse de hoc Mundo, in quo præ inopia non habebat vbi reclinaret caput. Hic suis amatoribus cælestis potus promulsidem propinat, vt deinde in cælis eos æternæ gloriæ poculo inebriet ab vbertate domus suæ. Hæc mundana domus aliena illi fuit, & instar hospitii; cælum illi sedes est, & perpetua mansio. ibi Sanctos in hac vita à persecutoribus angustiatos, torrente

Deus, et erga indignos, promissorum obseruator. — Ambr. — Luc.

voluptatis suæ affatim potat. Bona itaq; temporalia, & caduca, de quibus in præcedenti capite egimus, non sunt integra, & cumulata merces dimittentibus iniurias promissa; sed anticipate ea Deus indulget, tamquam bonorum spiritualium periclitationem; de quibus in hoc cap. nonnulla tractabimus. Neque eius rei argumenta longè petenda sunt: ipse enim Saluator, quoties iubet amari inimicos, semper repositum pacificis præmium reuelat. Matth. 6. ℣. 12. *si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet, & vobis Pater vester cælestis peccata vestra*. & Luc. c. 6. ℣. 37. *dimittite, & dimittemini*, quo loco significatur, quod peccatum est tamquam dura seruitus Diaboli, à quo miserè præmũtur, qui in illius laqueos inciderunt, à quibus qui vult liberari ipse prius dimittat oportet, vt liber dimittatur. Et quoniam mortalis nostra hæc caro fecit nos ad peccata procliues, præcipuum hoc erit, & securum euadendi remedium, si alijs iniurias dimiserimus; audiamus hæc grauiter admonentem S. Petr. Chrysol. serm. 67 *Homo si sine peccato esse non potes, & vis semper dimitti tibi totum, dimitte semper*. Qui igitur quotidie oramus, *dimitte nobis, sicut & nos dimittimus*, nisi hoc adimpleuerimus mentimur, & ea studemus, ac quærimus extorquere à Deo, quæ ipsi alijs soluere recusamus, sicut cõtra si in altero dimittimus, in nobis remissionem operamur. mercedem etiam eiusmodi pollicetur Iesus post tolerantiam persecutionum Luc. 6. ℣. 22. 23. *Cùm vos oderint homines, & cùm separauerint, & exprobrauerint*, &c. *gaudete in illa die, & exultate; ecce enim merces vestra multa est in cælo*; & in quibuscumque locis iniuriarum condonatio præcipitur, facti merces proponitur spiritualis.

Matth.

Luc.

Peccata remittuntur condonantibus iniurias.

S. Chrys.

Luc.

2. Inter cætera autem non minimum illud est parcẽtium priuilegium, quòd diuinæ ferè potestati æquantur. solius Dei proprium est peccata dimittere, vt apertè dicitur Marc. 2. ℣. 7. & Luc. 5. ℣. 21. quibus in locis stupidi, & admirabundi Iudæi, quòd Christum audiebant peccata dimittere, dicebant inuicem. *Quis est hic qui etiam peccata dimittit?* cumque propterea blasphemum appellabant. soli enim Deo hoc opus reseruatum profitetur Isai. 43. ℣. 25. *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me*. Hoc tamẽ diuinæ largitatis beneficium, singulari quodam priuilegio videtur Deus dimittentibus iniurias communicasse: dum enim dimittentibus dimittendum fore promisit, viris pacificis mensuram veniæ largitus, quasi in eorum manu se ipsos à peccatis absoluendi potestatem reliquit, ita enim quilibet veniæ modum sibimet præscribere potest, pro modulo quo alijs iniurias condonauerit; dixit hoc. S. Chrysol. serm. 70. expendens illa verba Matth. 6. *& dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus. sic dicendo*, inquit, *indulgentiæ modum mensuramq; veniæ tuæ, tibi dedisti: qui à Domino tantum tibi petis dimitti, quantum dimiseris ipse conseruo; dimitte ergo delinquenti in te totum, si vis ipse de tuis nihil debere delictis*. & clarius serm. 67. id quod intendimus inculcat. *Homo*, inquit, *intellige, quia remittendo alijs, tu tibi veniã dedisti*. Mira igitur virtus parcentium, & singulare priuilegiũ, per quod Deo æquales fiunt, & cum diuina illius potestate quasi confligunt, cum tantumdem sibi dimitti non tam orando petunt, quàm parcendo exigunt. Quæ fuit subtilis D. Augustin. obseruatio lib. 2. de sermon. dom. in mon. cap. 8. ostendentis, quod ille qui iniurias condonat ex pacto agere potest cũ Deo, ad poscendam suorum peccatorum veniam. *Ex omnibus*, inquit, *ijs sententijs, quibus nos orare Dominus præcepit, eam potissimum commendandam esse iudicauit, quæ pertinet ad dimissionem peccatorum, in qua nos misericordes esse voluit, quod vnum est consilium miserias euadendi, in nulla enim alia sententia sic oramus, vt quasi paci-*

Parcẽtes, [illegible] diuinæ potestati æquantur.

Marc.

Luc.

Isai.

Homo parcens, sibi ipsi mensura suæ veniæ facit.

S. Chrys.

S. Chrys.

S. Aug.

[P]aciscitur cum Deo qui parcit.

scamur

scamur cum Domino; dicimus enim dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus.

3 Expressum huius stipulationis exemplum habemus Psalm. 68. ℣. 12. & 13. *aduersum me loquebantur qui sedebant in porta, & in me psallebant, qui bibebant vinum.* Sedebant in portis Ciuitatum apud Hebreos, qui disceptandis causis, & exercendis forensibus iudicijs præerant, notat Abulens. in cap. 16. Deutor. quæst. 4. & nos pluries obseruauimus, vel itaque istos aduersum se consedisse, idest, ad dilacerandum, & deturpandum eius famam conuenisse, dicit; vel alios Ciues, & inimicos eius, ita in illius facta seuero, & rigido examine inquirere, vt ea tãquam Iudices de sontibus pænas sumpturi, diligentissimè discuterent, & ventilarent, & si quæ maligne possent calumniari, ea maledictis, ac probris vellicarent. Quin etiam ij, qui ex immodico vini haustu, ad tripudia, & choreas prosiliebant, inter pocula, & conuiniorum hilaritatem ei conuiciabantur, quo tẽpore difficile est, linguam petulantius exhilaratam cohibere, vt docemur Eccli. 31. ℣. 41. *In conuiuio vini, inquit, non arguas proximum, & non despicias eum in iucunditate illius; verba improperij ne dicas illi, & non premas illum in repetendo*; itaque Dauid non solum ijs, qui iocosis conuiuijs indulgebant, sed illis etiam, qui serijs iudicijs vacabant, ludus erat, & fabula. His igitur improperijs prouocatus, his calumnijs laceratus & vellicatus; quid tu interim Dauid? an non lælæ maiestatis dignitas postulat, vt in noxios, pro Regiæ auctoritatis iure, seuerè animaduertas: coerceatque effusam illorum licentiã, vt in posterum caueant Principis erga se iram similibus calumnijs concitare? *ego vero* (nihil istorum, inquit, cogito, neque illorum irrisionibus à meo proposito, & deliberatione remoueor, quin malo ij bene precari, vt dum pro alienis oro, mea mihi Deus peccata dimittat) *orationem meam ad te Deus.* preces pro calumniantibus, & persequentibus humiliter fundebat ad Deũ; Quæ ante diuini Iudicis, & Iustissimi retributoris conspectum nequaquam irritæ ceciderunt; quasi enim voti compos factus, præmium dimittentibus promissum, statim exigit, subdens: *Tempus beneplaciti Deus*; imò vt Symmachus vertit: *tempus recõciliationis Deus*: quasi dicat: iam bono iure reconciliationem pro meis peccatis à te exigo Domine, qui alijs acceptas iniurias cõdonaui, & pro persequentibus oraui; *tempus* itaque *reconciliationis*, tu ipse Domine huius te compensationis obligatione deuinxisti, dimittentibus dimissurum: postquam igitur dimisi, oro vt tu etiam mihi dimittas, & reconcilieris; in quibus Psalmi verbis, illud etiam obiter obseruandum, quòd reconciliatio, seù dissidentium pacificatio appellatur *beneplacitum*, non solum, quia Deo summopere placet peccatoribus pænitentibus, & dimittentibus reconciliari; sed etiam quia facta inter homines reconciliatio, eius beneplacitum verè dici potest.

4 Considera etiam circa hanc peccatorum remissionem, quam facilè pacifici consequuntur, verba Psalm. 51. ℣. 2. *Ego autem sicut oliua fructifera in Domo Dei, speraui in misericordia Dei.* pro quorum intelligentia notandum est ex Pier. lib. 53. S. in diuinis, oliuam misericordiæ condonationis, & veniæ hieroglyphicum esse in sacris litteris, ad quod significandum (vt ipse notat) Saluator noster condonaturus adulterij pænam mulieri quam Pharisæi criminabantur, ex oliueto in templũ perrexerat, opus enim misericordiæ, & cõdonationis ostensurus, ab Oliueto miserationis loco digreditur. quæ etiam misericordia per oleum quo oblatio adspergebatur significata fuit Leuit. 2. ℣. 2. vbi de anima donum offerente, *simila*, inquit sac. tex. *erit eius oblatio, fundetq; super eam oleum. & alibi* subdit Pier. *oleum esse pro peccato legas*, quæ omnia delictorum eiusmodi con-

Psalm. | Abul. | Illustratur Dauid | Eccli. | Tempus diuinæ miserationis, est cũ nos remittimus debitoribus. | Symmach. | Quid sit Dei beneplacitum. | Psal m. | Pier. | Oliua, miserationis typus. | Leuit.

donationem indicant: si quidem, vt Adamantius ait, omnis anima eget oleo diuinæ misericordiæ, vt sospitari possit. hinc Hilar. ait in Matth. *oleum fructum misericordiæ cælestis esse, propheticus quoque sermo profitetur*. Cum igitur oliua misericordiæ, atq; condonationis hieroglyphicum sit, sensus verborum Dauid hic esse potest; *ego sicut oliua fructifera in domo Domini*, idest, adeo misericors erga hostes fui, adeoq; æquanimiter iniurias dimisi, vt earum etiam memoriam ab animo obliterauerim, fuerimq; propterea instar oliuæ fructificantis, & salutare remissionis, atque misericordiæ oleum super proximum effundentis. Vt autem huius suæ fructificationis emolumentum, & præmium aperiat subdit: *speraui in misericordia Dei*, quasi dicat. Qm̃ misericordiã feci, & hoc oleo sacrificiũ meũ respersi, tantundem erga me diuinæ miserationis olei effusum iri, confido. apud Deum enim, nõ minus vltoribus parata est vltio, quam condonantibus remissio. errant itaque, qui odio furentes, suorum sperant veniam peccatorum, nisi hoc salubri oleo, victimas suas lustrauerint. si enim vt dicebat Seneca: *facile veniam dat cui venia opus est.* isti quanto arctioribus criminum nexibus vinciuntur, quo suorum laxamenta obtineant peccatorum, tanto promptius alijs dimittant oportet.

5 Scio multos esse sedulos in petenda suorum venia, sed ignauos in alienis condonandis, in quo non iniquitatem tantùm præseferunt, sed mẽdacium; mentiuntur sæpius repetentes illud; *dimitte nobis, sicut nos dimittimus*; seu id petunt, cuius ob propriam contumaciam sunt incapaces, diuinam benignitatem tentantes. S. Petr. Chrysol. serm. 68. *dimitte nobis, sicut & nos dimittimus* &c. *qui sic petit, & debita non relaxat, iste se etiã per quod orat, accusat:* quod iniustorum hominum genus, summopere Deo inuisum docuit Salomon. Prouerb. cap. 20. ℣. 23. *abominatio est apud dominum pondus, & pondus, statera dolosa*. Sumpta est hæc loquendi formula à captiosis mercatoribus qui diuersis stateris vtuntur; quarum altera emendas, altera verò vendendas merces expendunt. istis cõparantur ij, quibus propria peccata in trutina appẽsa, leuissima esse videntur, & quæ Deus facile debeat condonare: alienas verò erga se iniurias grauissimas existimant, & minimè dimittendas; quam iniustitiã coarguit Christus in Euangelica parabola serui, cui Rex omne debitum dimiserat, ipse verò modicam summam dimittere recusabat. dimittendum est ergo totum, vt totius nostri debiti veniã impetremus, & eadem statera Deus nostrorum peccatorum condonationẽ rependat, qua nos iniurias expendimus; grauiter hoc edisserit D. Greg. part. 3. past c. 21. *duplex pondus*, inquit, *& stateram dolosã habet in corde suo, qui dum peccauit ipse veniam petit a Domino, & homini peccanti in se, & pænitenti dimittere non vult. Deum vult flectere precibus, & ipse homo non flectitur; qui iure sicut iniquus ponderator abominatur à Domino. qui suas iniurias grauiores quàm Domini mensurat.*

6 Sed pergamus alia pacificorum bona spiritualia recensere; quibus futuram beatitudinem præparatam, pluribus testimonijs discimus, vt eos qui pacem dilexerunt, & coluerunt in terra, ea tamquam præmio coronentur in cælis; sicq; æterna, tẽporalis pacis merces; ideo cælestis Patria & sedes beatorum nominatur *Hierusalem, quæ visionem pacis, ac etiam possessionem* (vt notat noster P. Agell. in Psalm. 47. ℣. 3.) *significat quia Beati gaudent fruitione cælestis pacis*. sicut è contra de reprobis dicitur. Isai. 48. ℣. 22. *non est pax impijs*. Quod autem retribuenda pacificis beatitudo nomine pacis denotetur, dixit S. Ambros. in comm. cap. 11. epist. ad Rom. *Sanctus*, inquit, *Simeon, quia in mundo discordia erat, lætus in ortu Saluatoris, nunc, ait, Domine dimitte seruum tuũ in pace, quia Regnum*

S. Hilar.

Misericordia misericordibus exhibetur.

Seneca.

S. Chrys.

Prouerb.

Statera dolosa in manus vindicantium.

S. Greg. Pap.

Aeterna pax pacificis datur.

P. Agell. Psalm.

Isai.

S. Ambr.

Regnum Dei pax.

Beda. Dei *pax est.* & propterea idē Simeon vt obseruat Beda in illius Cātic. quod habetur Luc. 2. *non ait dimitti volo, sed cum additamento, in pace dimitti,* in spe nimirum futuræ tranquillitatis, & pacificæ lætitiæ: nihil enim videtur congruentius, quàm vt Sancti, qui adeo in vita abominati sunt bellum, & odia, in pace dimittantur; cum ex aduerso væ impijs, quibus cum nullus sit pacis fructus, dimittuntur inanes; quia in hac vita continuo cædibus, & inimicitijs deditī, nō temporale solùm, sed quod grauius est, totum spirituale patrimonium attriuerunt. *at qui tuus est,* dicebat D. Bernard. ad Dominum serm. de Purific. *non videbit mortem donec viderit Christum Domini, vt securus dimittatur in pace.* propter huius pacis spem, & fiduciam securius in hac vita agebat Dauid qui Psalm. 4. ℣. 9. *in pace, ait, in id ipsum dormiam, & requiescam.* vnde tibi tanta ab hostium externorum ex internorū insidijs securitas Dauid, vt tuto in pace dormias; *Cum saturitas diuitis nō sinat eum dormire.* Eccle. 5. ℣. 11. *Quoniam,* inquit, *tu Domine singulariter in spe constituisti me,* habebat enim futuræ pacis certā spem, qui inimicitias abominatus in hoc sæculo, *cum his etiam* Psalm. 119. ℣. 7. *qui oderant pacem eram pacificus.*

S. Bern. · *Psalm.* · *Eccle.*

7 Quæ etiam fuit causa, quamobrem idem Dauid, Sanctos illos ciues supernæ Hierusalem excitans ad diuinas laudes celebrandas in Psalm. 147. *lauda Hierusalem Dominum* &c. ℣. 3. subdiderit; *Qui posuit fines tuos pacem.* Duo sunt fines hominis, mors quæ est vltima rerum linea, & vitæ corporalis terminus; & beatitudo, quæ est finis vltimus animæ Arist. 1. Eth. c. 2. & D. Th. 1. 2. q. 3. artic. 4. *ponere pacem,* ex Hebraica Phrasi, est pacatum, & quietum reddere, & ab hostili incursione tutū: fines itaq; *Hierusalem,* idest, *visionis pacis,* & eorum qui viderunt, ac amauerunt pacem in vita, pacatos, & tranquillos reddidit Deus; vt pacifici, & in morte quieta decedant, & placidissima postmodum felicitate fruantur. Quæ autem optabilior merces contingere hominibus potest, quàm pacata mors, & secura felicitas? *Quamdiù viuimus discendum bene mori,* dicebat Seneca; exerceamus itaque pacem, per quam bene morimur, cum hunc finem quietum, & tranquillum Deus mansuetis posuerit. sic etiam Senec. in Hercul. Oete. Herculem sæuissimæ nouercæ odijs diù vexatum pacificè tandem mori facit.

Psalm. · *Arist. S. Thom.* · *Pacifici, quietè decedant ex hac vita.* · *Seneca.* · *Seneca.*

Quis sic triumphans latus in curru stetit
Victor? Qui illo gentibus vultu dedit
Leges tyrannus? quanta pax obitus tulit?

& pace orbis parta, visus est cælo dignus. Quare sic Iouem alloquens ibidem inducitur Hercules. *si pace tellus plena, si nullæ gemunt vrbes* &c. *Spiritum admitti hunc precor in astra.* videntur enim etiam Ethnici perpetua illa pace dignos bellorum in hac vita extirpatores iudicasse.

8 Vel dicamus, quod cælestis *Hierusalem habet fines suos,* idest, *muros, pacem* quia vndequaq; pacificis & pacem habentibus est peruia, & nullus non locus est, vnde nō possit adiri; nullibi enim impediri potest ad eam aditus ijs, qui in pace dimittuntur, qui aditum sibi faciunt ad cælestis Hierusalem muros peruadendos, qui cum de pace constructi sint, nedum pacificos retardant, sed libentissime intra se admittunt. Possumus etiam sic exponere quod munierit Deus *fines,* idest, *terminos* Sanctorum Ciuium pace; vt pax sit in eorum finibus instar Militis præsidiarij constituta, quæ pacificos intra Beatarum, sedium septa recipiat; odientes, & homicidas repellat. allusit ad hanc expositionem S. Cæsari. Episc. Arelat. homil. 11. quæ inde potissimum confirmatur, quia sicuti pro pacificis dicitur: *qui posuit fines tuos pacem,* per quam intromittantur ad cælestis patriæ gaudia, ita sanguinarijs, non solùm portas clausit; sed addito pessulo

Pacificis patet aditus ad cælestē Hierusalem. · *Inimicantes è Cælo excluduntur.*

eas

eas obfirmauit; ℣. 2. *confortauit*, inquit, *seras portarum tuarum*, vt exclusi vindicatiui penitus de ingressu desperēt. *Quomodo*, ait S. Cæsar. loco allegato; *illis quinque Virginibus, quæ charitatis oleum habuerunt illa cælestis Hierusalem aperuit ianuas suas vt intrent in gaudium Domini sui; sic illis è contrario, qui sine charitate veniunt, claudet, & æterna à se separatione repellet*. & paulò infra. *dum nos inuicem odio habentes, ita muros Ciuitatis Hierusalem contra nos claudimus, vt nobis nullus aditus remaneat per quem intrare possimus; & quia Ciuitas illa habitatorem Deum habet, & Deus charitas est. qui charitatem habere noluerit, qua fronte, vel qua conscientia ad Deum, qui est charitas præsumet accedere?* Portæ diuinæ illius Ciuitatis omnibus alijs clausæ inueniuntur, adeo vt etiam in Regis aduentu pulsanda fuerit ianua Psalm. 23. ℣. 9. *attollite portas Principes vestras &c. & introibit Rex gloriæ*. has portas cælestis ostiarius seruat, cui traditæ sunt claues regni cælorum, quę tamen semper patent pacificis, numquam clauduntur misericordibus; *quia posuit fines eius pacem*. S. Augustin. in Psalm. 147. huc respexit scribens. *Hoc dico, ò dilecti regni ò Ciues Hierusalem; quoniam Hierusalem visio pacis est, & omnes, qui habent, & amant pacem, benedicentur in ea, & ipsi intrant cùm clauduntur portæ & firmantur vectes*.

S. Cæsar.

Psalm.

S. Aug.

9 Semper patent pacificis Regiæ cælestis fores, numquam negatur ingressus mansuetis, & pacis cultoribus. S. Cæsar. ead. hom. *Qui talē*, inquit, *pacē, & talem charitatē habet, vt oēs diligat, & pro bonis orat, vt meliores fiant, pro malis supplicat, vt citò se corrigant, de qua parte intrare voluerit illius cælestis Hierusalem portas, apertas merebitur inuenire. Qui autem non vult habere talem charitatem, qualem Christus præcipit, & Apostolus docuit, ex omni parte Hierusalem portas clausas inueniet*. Quòd si per *fines limites*, intelligamus quales in agris ad distinguēdas

S. Cæsar.

Vndique apertus Paradisi aditus pacificis; clausus vndique immisericordibus.

possessiones constituuntur; sensus erit: pacificis redditam esse æternam possessionem, in quam nullum ius introeundi habeant vindicatiui.

Vindicatiui non habet ius ad gloriā.

10 Et hinc fiet, vt rixosi, & inimicantes (vltimum iudicium) maximopere sint formidaturi, ad quod tamen alacriter accedent, qui inimicis parcūt, qui norunt per iudicium aditum sibi fore ad Cælestis patriæ fruitionem. Multa futuri huius iudicij signa recensentur 2. Petr. 3. ℣. 10. *adueniet dies Domini vt fur*; quod & Paul. confirmauit 1. ad Thessal. 5. ℣. 2. *dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet*. Quibus verbis subitum, & improuisum hunc Iudicis aduentum fore, certissime designatur; qui ne fideles imparatos inueniat, multa subdit Petrus, post quæ ℣. 14. *hæc*, inquit, *Expectantes satagite immaculati, & inuiolati ei inueniri in pace*. Qui nam autem immaculati, & inuiolati ex hac vita emigrant, & ante Christi tribunal comparent, nisi ij, qui bella offensiones, & inimicitias auersantur? nam qui se odijs, & inimicitijs implicant, atque exercent; non inuiolatam: sed planè contaminatam vitam traducunt, & sanguine, quem ex humanis visceribus hauriunt fædatam: sunt itaq; inimicitiæ, quæ nos inquinant, & cruentant, amor in proximos inuiolatos seruat, vt intrepidi ante iustissimū Iudicem in seuero iudicio stare possimus; in quam sententiam scribit Paul. 1. ad Ephes. ℣. 4. *ad hoc elegit nos Deus, vt essemus Sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate*. ecce quomodo charitas est, quæ nos seruat immaculatos. sed in adductis Petri verbis adhuc pressius considerandū est, quod eos, qui cum fiducia ad diuinum iudicium accessuri sunt, vult inueniri in pace: vt per hæc certa spes futurę gloriæ, quæ pacificis retribuenda est, confirmetur, si *in pace immaculati inueniantur*. quare ea verba exponēs Beda, *Hæ sunt*, inquit, *vigiliæ de quibus dicitur, beati serui illi, quos cùm venerit Dñs inuenerit vigilantes, vigilat, qui, quan-*

Inimicantes formidant extremum iudicium; expectāt pacifici.

2. Petr.
1. Thess.

Ephes.

Beda.
Pacificus vigil. inuenitur in iudicio.

tum in se est, cum omnibus hominibus pacem habet. hic super omnia bona Domini sui constituitur.

11 Sed nō defuturos hic aliquos credo, qui quærant, quis harum vigiliarum de quibus Beda loquitur, vsus sit in securitate pacis; excubiæ à militātibus seruātur; vt quid itaque excubet, qui cum omnibus hominibus pacem habet? imò bene isti excubias agere dicuntur, qui in pace aduentum illum improuisum Domini sui præstolantur, cum p ęmio ad eos venturi, iuxta illud Matth. 25. ℣. 13. *vigilate quia nescitis diem, neq; horam*. Vel vigilant pacifici contra infernalem hostem, quia deuicto mundo, & composita cum hominibus pace, grauius infestantur à Dæmone; ideo peruigili custodia stādum est, quia periculosum, & iuge prælium internum patimur, quod nisi cum hominis vita non finitur; neque enim pax cum hominibus plena pax dici potest, vnde D. Augustin. in Psalm. 147. *Quando*, inquit, *erit plena pax? quando corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induēt immortalitatem; tunc plena pax; tum firma pax.* Quòd si militia est vita hominis super terram, nullum à labore nos remittet otium, & adhuc in pace, inter excubias vita transigenda est, etiam ijs qui aliquatenūs profecisse videntur, & mundum superasse, quibus quanto acrius inuidet, & insidiatur aduersarius, tanto diligentius diuina auxilia imploranda sunt, si humana non sufficiant molimina. vnde D. Ambros. enarrat. in Psalm. 33. *orandum*, inquit, *vt ijs quoque qui mundo sunt corde, iustitia diuina prætendat, quasi speculatrix pia, ne nobis peccatorum hostium incursus obrepat, & capiat dormientes.* ergo vigilandum est, castra Domini munienda sunt, quia nocte aduenit inimicus, & aduersarius quando somno sensus tenentur. sed hæc incidenter dicta.

12 Videntur mihi cultores pacis, quasi semen futuræ gloriæ, & beatitudinis spargere, quod deinde crescit in vberrimam, & multiplicem frugem; vnde Lyran. exponens illa verba D. Iacob. 3. ℣. 18. *fructus autem iustitiæ, in pace seminatur facientibus pacem*, ait, *fructus iustitiæ est beatitudo æterna, sicut semen continet fructum futurum potentialiter, & imperfectè: sic pacificatio, in via, continet pacem æternæ gloriæ.* Quibus similia dixit Bernard. *à facientibus pacem, quasi à iacientibus hoc semen seminatur, & præparatur in pacem æternæ beatitudinis fructus.* qui igitur hic paci student, & terram cordis sui operibus pacis quasi semente aspergunt, iustum est, vt æternam pacem tamquam huius seminis fructum recipiant; non potuit melius exprimi spirituale præmium, & merces eorum qui pacem in hac vita amant. exemplum huius rei habemus in sacris litteris Exod. 18. ℣. 7. vbi de Moyse dicitur. *Qui egressus in occursum cognati sui* (idest soceri) *adorauit, & osculatus est eum; salutaueruntque se mutuo verbis pacificis*. ægrè olim tulerat Iethro, quod Moyses, qui nuptiarum tempore, pactus fuerat, se cum eo remansurum, & in eius domo cum vxore commoraturum, vt colligitur Exod. 2. ℣. 21. paulo post ab eo discedere, & cum vxore, ac rebus omnibus suis abire ad Iudæos, & ad suos maluerit; propterea infensus erat Moysi, qui etiam si hoc rescisset, tamen gratulabundus in eius aduentu obuiam illi procedens, occurrit, excepitque gratissimis osculis, & amplexibus: in quo ostendit quo pacto inimicorum odia sint placanda, non pertinaciter resistendo, sed mansuetè cedendo. Consideremus modo, qui nam fuerit huius pacificationis, quam veluti semen seuit Moyses fructus. multiplicata fruge succreuit hoc semen, adeo vt fructum centuplum fecisse dici possit, ex cuius redundanti, & cumulata mēsura Moysi merces remensa fuit. Qui enim osculo infensum sibi hominem exceperat, meruit in Dei osculo ad pacem æternam admitti; nam quod Deutor. 34.

Pacificorum quæ vigiliæ.

Matth.

S. Aug.

Pax, semen æternæ gloriæ Lyran.

Exod.

Pacificorum oscula, tranquillā mortem, & gloriā accipiūt pro mercede.

Deuter.

℣. 5.

℣. 5. habetur *mortuus est Moyses iubente Domino.* in Hebræo est: *mortuus est super os Domini*: seu vt clariùs alij legunt *in osculo Domini*, idem enim est super os alicuius, & eo osculante mori; & proinde *mori in osculo Domini*, est, tranquillam, pacatamque mortem agere; doloribus, angoribusque vacuam, imò Dei spiritu, & feruore plenam, & exuberantem; sic enim exponit adducta verba Tostat. quæst. 2. in cap. 34. Deutor. *mortuus est*, inquit, *Moyses nulla ægritudine præcedente, sed Dei voluntate animam de corpore educente, & vt creditur cum paruo, vel nullo dolore.* Nec non, *mori in osculo Domini*, est, veræ pacis fructum, quem beatitudinem esse diximus, percipere; sic D. Bernard. sermon. 2. in Cantic. *osculetur me*, inquit, *osculo oris sui; sicq; signo pacis, faciat de pace securum*; de ea pace, quam Deus seruis suis reddere solet, quæ promissa fuit Abrahæ, Genes. 15. ℣. 15. *tu autem vades ad patres tuos in pace*, pax, quę superat omnem sensum, custoditq; cor possessoris.

Tostat.

S. Bern.

23 Vel dum dicitur, *Moyses mortuus est in osculo*, seù *super os Domini*, alluditur ad veterem consuetudinem, qua proximiores cognati, siue parentes, siue fratres essēt, aut chariores amici, morientes complectebantur, & os ori adiungentes, extremum exhalantium spiritum excipiebant, ita Anna Didonis soror apud Virg. 9. Aeneid. inquit:

Ore excipitur spiritus morientium.

Aeneid.

—*extremus si quis super halitus errat ore legam.*

impletum itaque est in Moyse quod in hoc Euangelio dicit Saluator: *diligite inimicos vestros, vt sitis filij Patris vestri*: cuius morituri spiritum, cælestis Pater, cognati, & amici loco excepit, & sic benè dicitur *mortuus in osculo Domini*. & tanta erat veterum in hac re religio, vt qui sic moriebantur, non decedere, sed in superstites transire sibi viderentur. Seneca epistol. 78. *non iudicabam me, cùm illos superstites relinquerem, mori; non effundere spiritum mihi videbar, sed tradere*; quæ maxima fuit Moysi retributa merces, vt non effundere animam sed Creatori reddere videretur. Et sic etiam Christus postquam Luc. 23. ℣. 46 pro crucifixoribus exorauit: *Pater dimitte illis non enim sciunt quid faciunt*, hoc se præmio dignum credidit, & Patri spiritum commendauit dicens: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Quin non solum spiritum morientis Moysis legit Dominus, sed etiam sepeliuit eum, vt dicit Tostat. loco citato quæst. 3. *& sepeliuit eū Dominus*, quod quamuis apud Hebræos vile officium fuerit, tamen non dedignatus est Dominus dilecti sibi amici, & pacifici viri funus, gloriosa pompa, celebrare, & tamquam cognato honorificè parentare.

Deus spiritum Moysis morientis excipit ore.

Seneca.

Luc.

Deus pacifici Moysi corpus sepelit

Tostat.

Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?

Sacer textus.

CAP. IX.

Damna, & pęnę iniuriantium, & vindicantium iniurias.

1 I aliquo in crimine verū est, quod dixit Horat. od. 5. lib. 4. *Culpam pœna premit comes*, id maximè in vindicatiuis verificatur, quibus ipse vltionis appetitus dilatus, maximam afflictionem affert; & præterea Deus in eos temporalibus, & spiritualibus pænis animaduertit: Quas quamuis abundè exposuerimus, præmia mansuetorum tum terrena, tum etiam æterna percurrentes, quorum priuatione vindicatiui meritas pænas luunt;

Horat.

Certa est vindicantiū pæna.

tamen

tamen quia non enumeratorum tantummodo bonorũ iactura, sed & aliorum malorum cumulo meritò mulctãtur; propterea aliquot etiam damna vindicantium, veluti per transcursum libabimus. E quibus illud primò occurrit, quod malis, & scelestis, in ira, & vindictæ sumendæ pertinacia perseuerantibus, mala redduntur. 2. Reg. 16 ℣. 8. exprobraturus Semei Dauidi sanguinarium crimen; *præmunt*, inquit, *te mala tua, quoniam vir sanguinum es*; & quamuis Dauid ab hoc crimine innoxius esset, & falsa esset calumnia: tamen indicant hæc verba, consueuisse Deum viros sanguinũ innumeris malis, & afflictionibus, quibus tunc cruciabatur Dauid, premere.

2. Reg.

Mala præmunt vltores.

2 Quin adeò Deus est in his pœnis infligendis accuratus, vt ne leuem quidem erga inimicos offensam impunè abire permittat; quare cum Dauid abscindendo Saulis Chlamidem debitam Regi reuerentiam non seruasset, & maximo animi cruciatu punitus fuit, & in ipsismet vestibus, in quibus inimicum offenderat mulctatus. obseruat hoc Lyran. ad illum locum 2. Reg. cap. 24 ℣. 10. *percussit cor Dauid eum*, idest, conscientia sua eum reprehendit; *& sic*, inquit, *Dauid est accusatiui casus, qui in hoc fecerat irreuerentiam ipsi Saul qui honorandus erat, quamdiu in regno tolerabatur à Deo; propter quod dicunt Hebræi, quod Dauid circa mortem fuit punitus in simili, scilicet in vestibus, quibus opertus non calefiebat.* in quo exactam Dei punitionem considera indidem de vindicatiuis pœnas sumentis, vnde illi, proximos lædendo, offenderunt; cuius rei plura exempla produci possent; ex diuinæ enim illius legis proportione quæ habetur Genes. 9. ℣. 6. *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius*, de illatis alijs iniurijs vltionem sumit Deus, quamuis enim non semper, tamen vt plurimum homicidæ, si non iudicum, impiorum saltem aliorum hominum, vel certè Dei gladio vitam hanc finiunt, & in qua parte læserunt, plectuntur, Deo talionem iustè procurante: sed hæc non vacat fusius prosequi.

In eo in quo delinquunt puniuntur iniuriãtes

Lyran. 2. Reg.

Genes.

Homicidæ raro violentã mortem euadunt.

3 Adde quòd vindicatiuis terrenæ diuitiæ minimè succedunt ex voto, quibus post maximos labores, terra modicum fructum reddit, obediẽs diuinæ sententiæ. sic fratricidæ Cain dicitur Genes. 4. ℣. 12. *Cùm operatus fueris in eam, non dabit fructus suos.* ijdem vitam inuiti ducunt in continuo timore, & animi sollicitudine, tales enim sunt, qui solitarij propter malam conscientiam, fugitiui, & extorres viuere coguntur; quali se pœna damnatum fassus est idem Cain Genes. 4. ℣. 14. *Ero vagus & profugus:* Quare Rupert. Abb. in Genes. lib. 4. cap. 10. exponens illud: *ædificauit Ciuitatem, vocauitq;* &c. *Notandum*, inquit, *quod prima terrenarum Ciuitatum causa, homicidium fit: nam quia Cain fratrem occiderat, & ob hoc vagus, & profugus omnibus odiosus super terram erat, idcirco ciuitatem quæ eum tutaretur ædificauit.* ex quibus obiter præterea colligo, quod Deus sicariorum vota irrita facit, qui cum ciuitates ad sui tutelam primi ædificauerint, ab ijsdem (humanis legibus) & à ciuili conuentu, quem perturbant, exclusi, exulare cogũtur; vt benè de quolibet istorum vaticinatus fuerit Cain: *erit vagus, & profugus.*

Genes. Vindicatiui ex laboribus nõ locupletantur.

Genes.

Quo pacto homicidiũ ciuitatum origo dici possit.

Deus sanguinariorum vota despicit.

4 Et vt euidentius pateat, quàm seuero iure Deus cũ vindicatiuis agat, non recedentes ab eadem Cain historia, perpendamus quod narratur Genes. 3. peccauit diuinum præceptum in Dei contemptum transgressus protoplastus Adam, quod peccatum vniuersæ eius futuræ posteritati exitiale, ac virulentum, in omnes Adami filios propagatum, cunctos lethali morbo infecit, & originali illa tabe contaminatos, ad alia quæcumque peccata pronos reddens, mortifero suo veneno, ex immortalibus morti subiecit. Eius criminis pœnam, sufficienti pœna

Genes.

Adã peccatum punitum.

iudicauit Deus compensatam, cùm dixit ℣. 17. *maledicta terra in opere tuo.* in terram, & non in ipsum Adamum effundens maledictionem peccat deinde Cain fratricidio, erga vnum tantum hominem noxius, & tamen non res illius, & bona, sed ipsemet maledicitur Genes. 4. ℣. 11. *maledictus*, inquit, *eris super terram*. æstimata vtriusque sceleris humano iudicio grauitate, acerbius puniendus videbatur Adam ob peccati ad posteros communicationem; ob neglectum Dei mandatum: tamen quia Cain primus homines violentam mortem experiri coegit, ideo sæuius, & acerbius peccata odientium in Cain, quàm sumet contemptum in Adam plectit Deus; quod animaduertit S. Chrysost. hom. 19. in Genes. relatus in Caten. Lippom. vbi de peccato Cain, & eius maledictione, sic loquitur. *Quanto maius peccatum hoc praeuaricatione protoplasti, ex maledictionis varietate videre licet; illic .n. inquit, maledicta terra in operibus tuis & in terram effusa est maledictio, ostensa sui in hominem cura. Hic verò, quia res perniciosa facinus iniquum & exitiabile flagitium, ipse pœnam luit; & nunc*, inquit, *maledictus tu de terra.* quibus similia habet Caiet. *longè maior*, inquit, *est hæc pœna* (Cain) *illa* (Adami) *quia & crimen longe maius fuit illo.* memoranda doctrina, qua simplex fratricidium, primi parentis peccato, quo omne humanum genus è sublimi innocentiæ statu concidit, grauius esse traditur.

Grauius corā Deo C. in quā Adā peccauit.

S. Chrys. Lippom.

Ipsimet homicidæ maledicitur non ipsorū bona Caiet.

5 Ex hac diuinæ vltionis super vindicatiuos aggrauatione fit, vt quoties Deus aliquos grauissimè vult punire, permittat inter eos discordiam, ac dissensionem oriri, quasi hanc omne aliud malum comitetur. ad quod probandum est locus Iudic. 9. ℣. 23. *immisitque Dominus spiritū pessimum inter habitatores Abimelech, & habitatores Sichem*; in quibus verbis, per *spiritum pessimum*, seu vt vertunt Lxx. *malignum*, vel humani generis hostem pacis perturbatorem, vel cum D. Augustin. discordiam ab eodem aduersario illatam intelligimus *potestatem dedit*, ait August. quæst. 45. in lib. Iudic. *maligno spiritui pacem eorum perturbandi.* & Lyran. consentiens *misit*, inquit, *idest, permisit spiritum pessimum, idest contentionem, seu discordiam excitari per malignum spiritum.* Quo loco velim consideres quod Diabolus, qui tot malis, ac ærumnis, tam in externis, & fortuitis, quàm in corporis bonis sanctum Iob affecit, per filiorum iacturam, & carnis cruciatum, illius tolerantiam multiplici conamine diruere studens; nusquam tamen *pessimus* appellatur; quia nullam inter cætera mala contra eum inimicitiam, aut discordiam suscitauerat, quæ omnibus ijs malis grauiora sunt, quæ Iob pertulit, & hoc est quod dicebam grauissimam pœnarum significari, cùm Iudic. 9. ℣. 23. dicitur, *per spiritum pessimum* discordiam denotari.

Discordia grauissima Dei animaduersio.

Iudic.

S. Aug. Discordia pessimus est spiritus. Lyran.

Diabolus tunc appellatur pessimus cū ad inimicitias stimulat.

6 Vnde fortasse in alijs eiusdem cap. verbis, eadem discordia, sub ignis metaphora explicatur; ℣. 20. *egrediatur ignis ex eo, & consumat habitatores Sichem, & oppidum* Mello: *egrediaturq; ignis de viris Sichem, & de oppido Mello, & deuoret Abimelech.* per duplicem ignem, qui hinc inde egressurus est, mutua odia significantur; & sicut igni nihil non ad alimentum cōfert, qui omnia consumit, ita nihil est (vel fortunæ, vel corporis, aut quorūuis aliorum bonorum) quod edax inimicitiarum, & simultatum ignis non depascatur. & quemadmodum quo maius est alimētum, eo violentius excitatur incendium; ita vt crescere in infinitum ignis possit, si materia illi suppeditetur infinita; ita quo maiores sūt opes inter quas discordia furit, eo latius serpit, & maiores strages facit incendium, grassaturque inter opulentiores vehementius; cum domorum, familiarum, & patrimoniorum ruina. merito igitur Eccli. 28. ℣. 12. Iræ furor ardentibus lignis comparatur; *secun-*

Inimicitiæ sunt ignis.

Odia diuitū maioris ruinæ, & incendij

Eccli.

dum

dum ligna sylua, inquit, *sic ira exardescit, & secundum substantiam suam, exaltabit iram suam* quasi dicat, quo magis inflammantur ligna, eo ardentius, & citius consumuntur. Sic diuitiæ, quo aptius sunt Iræ fomentum, & quanto magis eam incendunt, eo breuius, & vehementius consumuntur; & in nigros seræ pænitentiæ carbones, aut viles cineres desinunt: hinc discant diuites sibi maximè ab iracundia abstinendum, ne secundum substantiam suam exaltantes iram; intempestiuè sentiant absumptas opes, quas reparare pænitendo non possint.

Breui diuitias consumunt iratuosi.

7 Nec minores sunt pænæ, & afflictiones animi, quibus acerbè Deus vindicantes mulctat: pondero hic terrifica verba Ezech. 25. ℣. 6. quibus indignabundus Deus intentat iniuriosis, & contumeliosis debitas pœnas dicēs. *pro eo quod plausisti manu, & percussisti pede, & gauisus es toto affectu &c. idcirco extendam manum meam super te* &c. plaudere manu, quod est gestientis, hoc in loco hilaritatē, & gaudium significat præseferre ex illata iniuria, ac conuicio; sic exponit Hugo Cardin. *plausisti manu*, inquit, *idest lætantur cum malefecerint, & læserint.* percutere pede, est non solis verbis irrisiuis, & contumeliosis, sed percussione, & percussione pedis (quæ maximum denotat contemptum) inferre iniuriam, percutiunt enim pede qui aliquem conculcant, & opprimunt. *& gauisus es toto affectu*, ob incommoda quibus inimici tui affecti sunt; sed extrema huius gaudij luctus occupabit *extēdam*, subdit, *manum meam*, idest, *potentiam, vel vindictam* exponit idem Hugo *ad opprimendum te.* Quàm vero sit formidabilis, & grauis vltrix Dei manus inde patet; quia quoties in scriptura irati Dei manus extensio commemoratur, aggrauata & fortis vltio denotatur, extendit enim manum Deus, vt percutiat. Isai. cap. 5. ℣. 25. *extendit manum suam super eum & percussit eum.* vnde obseruat Vict. Præsb. Ierem. cap. 6. ℣. 12. ad ea verba: *extendam manū meam* &c. quod *manus extensio operatio est, quæ pænas infligit dicitur enim* (Actor. 3. ℣. 11.) *ecce manus Domini super te, & eris cæcus.* minus enim agit Princeps cum subditis, quando minoribus iudicibus causarum cognitionem delegat; sed cum grauissimè vult plectere, & summo iure agere, ipsemet fit cognitor; ita Deus aliquando homines, per aduersarios, & per ipsosmet Dæmones tamquam ministros affligit, vnde Iob diabolica manu percussit, Iob 1. ℣ 6. *Ecce in manu tua est*, sed leuiter erat percutiendus in bonis scilicet fortuitis, & corpore, vnde subditur, *verumtamen animam eius serua*, ideo aliena manu tangitur; cum verò grauiter est quis puniendus, ipsemet vltricem manum extendit, huc respicere visus est D. Hieronym. cum illum Ezechiel. locum sic exposuit: *Non per Angelos, neque per alia ministeria, sed ipse Dominus extendens manum suam ad percutiendum tradet eos in direptionem.*

Etiam in animo puniuntur vindicatiui. Ezech.

VgoCard.

Manus Dei contumeliosos ponit. VgoCard

Isai.

Vict.

Aggrauat Deus manū vt iniuriātes percutiat. Act.

Iob.

S. Hieron

Deus ipse nō per ministros suos plectit odientes.

8 Quòd si adhuc expressius eiusdem diuinæ manus aggrauationem velimus intueri, expendamus verba ℣. 12 13. eiusdem cap. apud Ezechielem, in quibus ex professo, quibus pœnis Deus vltores coerceat, continetur. *Pro eo*, inquit, *quod fecit Idumea vltionem, vt se vindicaret de filijs Iuda peccauitq; delinquens. & vindictam expetiuit de eis, extendam manum meam super Idumaam, &c. & auferam de ea hominē, & iumentum, & faciam eam desertam ab Austro &c. & dabo vltionem meam super Idumæam.* repetit sæpius, & inculcat paucissimis his verbis Deus peccatum vltricis Idumææ, ad ostendendam illius grauitatem; & insuper obserua, quàm pertinaces sint, & inemendabiles vindicatiui; per *Idumæā* enim intelliguntur descendentes Esau; monente D. Hieronym. ad hunc locum; quod idem est *Seir* seu *pilosus*, *Edom* à quo *Idumæi*, & Esau: cuius posteri memores acceptæ à Patre iniuriæ, a

Ezech.

Graue est corā Deo delictum vltorum.

S. Hieron

quo Iacob,rufa coctione,primogenita emerat, vt dicitur Geneſ. 25. *quam ob cauſam vocatum eſt nomen eius Edom,* filios Iuda grauiter in vltionem poſt tot annorum curſum vexauerant: de quibus vindictam ſe ſumpturum dicit Dominus ſuper homines, & iumenta, & vniuerſam illorum regionem. adnotanda ſunt verba D.Hieronym.illum locum explicantis,propoſitũ noſtrum illuſtrantia:*arguitur*,inquit,*Edom ſanguinarius, qui ob lenticulæ rufæ coctionem,primogenita perdidit,qui fecit vltionem de filijs Iuda.*

Geneſ. *Ira vindicantiũ ad poſteros tranſit.*

S.Hieron.

9 Adde quòd ſanguinarij diuino auxilio deſtituuntur; vnde verba illa Geneſ.4.ỽ.16. *egreſſus Cain à facie Domini*,&c.exponit S.Chryſoſt. *ideſt nudatus eſt præſidio Dei, propter abominabile facinus*. ex qua diuini præſidij iactura, innumera mala proueniũt; & præſertim aſſidui illi interni cruciatus, quibus vindicatiui iuſtè torquentur, cum vindictæ appetitus, eruptionem molitus, materna conſcientiæ illorum viſcera, vt de viperæ filijs refertur,abſumit. S.Nilus Abb. in tract.aduerſ.vitia cap.4.hoc ſenſit dicens:*Iracundæ cogitationes tamquam viperæ fœtus,cor vnde ortæ ſunt exeaunt.* præterea quoniam egreſſi ſunt à facie Domini; Deus etiam ab illis ſe auertit per gratiæ,& auxiliorum ſubtractionem, eorum precibus minimè inclinatus. Iſai.1. ỽ. 15. *cum extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis; & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam:manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt*. ad quem locum Expoſitores plura dicunt; & idem S. Nilus iſtiuſmodi ſicariorum, orationes, quorum manus ſanguine plenæ ſunt, fœtidis odoribus comparat, à quibus nares auertimus. *Iracundi*, inquit,*precatio thus fœtidum, ac deteſtabile, & Pſalmorum decantatio ab iracũdo proueniens inuiſa, atque execrabilis*; ſicut contra Eccli.28. ỽ.2. monet. *dimitte proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur.*imò nec iuſtis pro vindicatiuis deprecantibus,petita ſe conceſſurum Deus ſignificauit; vnde eiuſdem cap. ỽ.5. ſubditur de eiuſmodi homine: *Quis exorabit pro delictis illius?* quaſi dicat, quoniam ipſe indignus eſt exaudiri, erit ne aliquis,qui pro eo orare, & exorare Deũ poſſit? hac loquendi formula dubitatiuè exprimens,rarò pro iſtis deprecantes exaudiri.

Geneſ.

Sanguinarios Deus diuini auxilij gratia priuat

S.Nilus.

Oſores à Domino recedunt, & Deus ab illis.

Iſai.

Malè olẽt iracundi preces.

Eccli.

Non annuit Deus orantibus pro vindicatiuis.

10 Quin non ſolum non exorabilem ſe Deus orantibus pro vindicatiuis exhibet, ſed illorum peccata coram ſe iugiter vindictæ,& pœnæ adſeruat, vt tæter odor ex illis exhalans diuinas nares continuo offendat. Interlin.in cap.4. Geneſ.ỽ.10. *vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra; quaſi*, ait, *homicidij reatus eſt in meo conſpectu*. & ita patebit intelligentia loci illius Eccli.28.ỽ.3. *Homo homini ſeruat iram,& à Deo quærit medelam?* *ſeruare*,ſeù *conſeruare*,eſt medicatis,& appoſitis herbis,atque aromatibus, ita aliquid præparare,vt diutiſſimè duret: Ita ergo dicit Salomon admirans. Homo vilis, & abiectus iniurias acceptas, & iram contra lædentes, quaſi cõquiſitis vndique diligentiſſimè herbis ad perpetuitatẽ ſeruat, obliuiſci neſcius; & hac mente præditus, adeo deſipit, vt à Deo iniuriarum,& peccatorum, quibus grauiter Diuinam maieſtatem læſit,medelam expectet? Contra fiet. his enim Deus vices rependit, vt dicitur eiuſdem cap. ỽ. 1. *Qui vindicari vult,à Domino inueniet vindictam,& peccata illius ſeruans ſeruabit*, ideſt, quoniam homo iram ſeruat,Deus *ſeruans ſeruabit peccata*, ex qua reduplicatione maxima diligentia in ſeruando innuitur. Cùm contra delicta pacificorum ſi quæ forte per carnis fragilitatem commiſerũt facile computreſcant; hoc enim eſt quod dicitur Matth.6. ỽ.15. *ſi enim dimiſeritis hominibus peccata eorum; dimittet & vobis Pater veſter cæleſtis peccata veſtra;* quod proprio verbo dixit Iſai. 10.ỽ. 17.*computreſcet iugum à facie olei*, &c.

Interlin.

Eccli.

Deus vindicantiũ peccata ſeruat ad punitionẽ

Erga pacificos Deus indulgens eſt. *Matth.*

Iſai.

quo

S. Thom. Facile putrescunt, & recedunt à diuino conspectu peccata pacificorum.

quo loco S. Thom. ait: *à facie olei misericordiæ diuinæ. Iugum*, peccati typus est, sub quo, Dæmone præualẽte, peccatores gemũt laborantes; hoc iugum tollitur à facie olei misericordiæ; quia misericordes misericordiã consequentur. Hugo Cardin. *onus*, inquit, *& iugum diaboli*, idest, *peccatũ, quod collum peccatoris onerat, & inclinat, computrescet à facie olei, idest eleemosynæ.* quasi dicat, qui erga proximos misericordes sunt per eleemosynam, & persequentibus benefaciunt, eorum peccata quasi euanescunt: vnde hodie in Euangelio prędicata inimicorum dilectione, beneficentiæ, & eleemosynæ verba facit Dominus.

Vltioni desiderium signum reprobationis.

11 Sed quod antedictis omnibus pœnis grauius est, diuinæ gratiæ, & auxilij subtractio est in vindicatiuis signum reprobationis. ponderemus pro hac re manifestanda locum Matth. 18. conferentes cum verbis Genes. cap. 4. supra adductis, vbi dicitur; quod *egressus est Cain à facie Domini*, a qua locutione parũ recedens Matth. loquens de seruo cui Dominus mille talenta dimiserat, dicit cap. 18. ℣. 28. *egressus autem seruus ille, inuenit* &c. hic exitus à facie Domini est quodãmodo signum reprobationis: nam etiam Iob 1. ℣ 7. de Satan cuius desperata salus est dicitur: *egressus Satan à facie Domini* &c. erat itaque seruus ille Euangelicus figura immitis, & immisericordis hominis, cui cùm multum condonatum fuisset, ipse non solum noluit condonare, sed per vim extorquere à misero conseruo creditum conabatur, quem tenens, suffocabat; quod non aliũde prouenit; nisi quia *egressus* erat a Domino suo. obseruat hoc S. Thom. in Caten. ex orig. *ideo*, inquit, *vt arbitror soffocabat, quoniam à Rege exierat: non enim suffocaret conseruum suum, nisi à Rege exisset*, idest, nisi à Deo recessisset, quod ijs euenit, qui pertanaciter iniuriarum vltionem moliuntur, & per hoc grauem contra se Domini iram excitant; quod ibidem obseruat S. Thom. ex Chrysost. *Quando*, inquit, *decem millia talenta debebat, non vocauit eum nequam, neque conuiciatus, sed misertus; quando contra seruum ingratus est effectus, tunc dicitur serue nequam.* vt scias quàm graue sit apud Deum vindictam meditari, & rigorose creditorum exactionẽ erga proximos; & quod Deus magis æstimat peccatum eorum qui contra proximum male agunt, quàm eorum qui ipsummet Deum peccando irritant. proprium enim creditum dimiserat seruo sed iniuriã in cõseruum puniuit; Matth. 18. ℣. 34. *& tunc iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus*, idest, infernalibus flammis torquendum. ex quibus patet, quod sæuitia contra inimicos, & proximos, est signum reprobationis, & damnationis æternæ.

Genes. *Matth.* *Iob.* *Egredi à Domino est reprobum esse.* *S. Thom. orig.* *S. Thom.* *Grauius fert Deus lædentes proximũ quam ipsũ Deum.* *Matth.*

Callũ ducunt in sua pertinacia vindicatiui.

12 Et ratio horum est, non propter Dei clementiam; sed quia sanguinarij difficillime emendantur, in sua peruersitate obducto callo: & neque ipsi ad resipiscentiam adnituntur, nec fidis monitoribus aures accomodant, sed obsurdescunt: propterea hoc maxime vitium comparatur aspidi aduersus incantationes aures obturanti. de quo Psalm. 57. Vers. 5. *Furor illis, secundum similitudinem serpentis*. his verbis implacabilis, & furibunda istorum ira designatur. sed fortasse spes aliqua affulget, fiet enim vt alienis monitis persuasi iram ponant, cum vt dicebat Hor.

Psalm. *Horat.*

Nemo adeo ferus, vt non mitescere possit.
Si modo culturæ patientem commodet aurem.

Surdi sũt in audiendis optimis monitis iracundi. Pier

Sed omnem penitus in istis emendationis spem extinctam significant sequentia verba Psalmi. *sicut aspidis surdæ, obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem.* vnde Pier. lib. 14. S. *Furor implacabilis; anguem & præsertim aspidẽ implacabilis furoris hieroglyphicum statuit; qui læsus, ita veneno furit, vt numquam absistat donec ve-*

nenum

nenum intulerit, *aut præ rabie exanimetur, vt ait Euthym.* ex quibus nota malle istos vindicatiuos, vel cum propriæ vitæ dispendio ad vindictam adspirare, quam parcendo quiescere, vt de colubris testatur Pier. ex Euthym. subdens: *& quoniam aspides reliquos colubros antecedunt, de istis præsertim loquitur.* Et quod sanguinariorum peccata difficile emendentur confirmari potest ex doctrina P. Agelli in adducta verba Psalm. 57. quæ ille de persecutoribus Dauid interpretatur; *quos*, inquit, *comparat serpentibus & aspidi, quorum lingua furorem idest venenum instar serpentium iaculatur*, quod alibi in scriptura Deutor. cap. 32 Vers. 33. iuxta versionem LXX. *furor aspidis insanabilis appellatur*; quia nisi illum euomant, ipsi præ rabie contabescunt.

Vitam negligunt dūmodo vlciscantur. *Euthym.* *Agell.* *Deutor.* *Iracundis odia exitio sūt.*

Estote ergo & vos perfecti, sicut & Pater vester Cælestis perfectus est.

Sacer text.

CAP. X.

Perfectiones pacificantium nedum humanas superant, & Angelicas æquant: sed penè ad diuinas accedunt.

1 

Nico dilectionis præcepto vniuersam legē, & prophetas contineri ipso attestante Saluatore Matth. 22. Vers. 40. discimus, idē, quamuis alijs verbis videtur significare voluisse Iesus in hoc etiam Euangelio, dum ex dilectione inimicorum summam arguit in diligentibus perfectionem; dixerat enim supra *diligite inimicos vestros, benefacite ijs, qui oderunt vos*, ex quibus tamquam præmissis, & antecedentibus inducitur hæc conclusio, eritis perfecti sicut Pater vester; ideo vtitur particula *ergo*, quæ est illatiua: *estote ergo vos perfecti*, quia hæc ex antecedentibus instar conclusionis inferuntur; & est sensus: Qui inimicos diligit, & ijs benefacit, est etiā perfectus, in ipsa enim dilectione inimicorum, omnimoda continetur perfectio. neque leue quiddam, aut contemnendum, hoc perfectionis nomen denotat, quippe quæ omnium virtutū aggregationem importet; ita enim de ipsa charitate locutus est D. Paul. ad Thessal. 3. ℣. 14. *Charitas est vinculum perfectionis*: quia cætera omnia virtutum merita colligat, & constringit, quæ sine ea diffluunt, vt interpretatur D. Chrysost. Sub obscuris etiam, sed significantibus verbis hæc charitatis perfectio exprimitur Cantic. 4. ℣. 11. *mel, & lac sub lingua tua, & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris*. sunt *mel, & lac* cōcordiæ, & pacis hieroglyphicū, ita Pier. lib. 16. quapropter moris fuit antiquis infantes à lauacro susceptos lactis, & mellis gustu primum imbuere; vnde Tertull. *inde suscepti*, inquit, *(scilicet è lauacro) lactis, & mellis concordiam prægustamus*. & S. Hieronym. aduers. Lucifer. simili phrase dixit: *lactis, & mellis prægustare concordiam*; hæc concordia, & pax denotatur in sponsa, cui dicitur: *mel, & lac sub lingua tua*, sed non sola incedit charitas, quæ tamquam vinculum in vnum constringit virtutes in vinculo pacis, & propterea subditur: *odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris*, vt perfectissima virtutum omnium fragrantia denotetur: vnde Vatabl. in suis annotationibus marginalibus; *vestimēta*, inquit, *virtutes iustitia, & pax, & veritas*; & clarius harum vestium exprimens fragrantiam Nyssen. *tuum*, inquit, *ò sponsa, virtutum indumētum, imitatur diuinam beatitudinem*, quasi dicat, ita perfectè oles, sicut qui Dei virtutes redolet, ita perfecta es prop-

Matth. *Perfectus est is qui diligit inimicos.* *Thessal.* *Charitas omnes virtutes constringit.* *Cant.* *Pier.* *Mel, & lac pacis typus.* *Tertull.* *S. Hieron.* *Virtutum odor in pacificis.* *Vatabl.* *Nyssen.*

ter mellis, & lactis charitatem, sicuti Pater cælestis perfectus est, vt dicitur in Euangelio.

Charitatis Lenam r eauent.

2 Quod etiam significatum fuit Cant. 1. ℣. 12. *Nardus mea dedit odorem suum.* legunt Lxx. & Origen. *Nardus mea dedit odorem eius*, idest, sponsi; virtutes enim animæ fidelis, & charitatiuæ (per *nardum* significatæ) eiusdem sponsi fragrantiam referunt; quasi diuinum odorem emittant. Quàm impurus erat Saulus, quando à Deo in lauacro susceptus, huius lactis, & mellis dulcedine gustata, vocatus fuit? Qui prius indignationis, & sæuitiæ felle amarus, non lactis, sed sanguinis appetens, non concordiam, sed minas spirans, Act. 9. ℣. 1. *Saulus adhuc spirans minarum, & cadis in discipulos Domini.* nullus in eo vestimentorum odor, qui non induerat charitatis chlamidem, quæ operit multitudinem peccatorum, sed persecutoris gladiũ præcinxerat. Hic inquam, turbidus, minax, & quod ipsius nomen denotat *inquietus* (nam *Saulus* interpretatur *inquietus*, vt ait Chrysost.) prægustata mellis, & lactis, idest, pacis, suaui dulcedine, mutato nomine à Deo (vt ait idem Chrysost.) vel à se ipso (vt ait Ambr.) pro *Saulo inquieto*, *Paulus* dictus fuit, quod nomen *quietem* importat; illam nimirum quietem, quæ sola sedare hominum commotos affectus potest, & in virtutum culmine constitutos beare; tunc cæpit thus, & virtutes redolere, tunc Nardus dedit odorem eius; de quo dicebat 2. Corinth. 2. ℣. 15. *Christi bonus odor sumus &c.*

Cant.

Saulus cõuersus in Paulum sæuitiam exuit.

Act.

Saulus, in quietus: Paulus fit quietus

S. Chrysost.

S. Ambr.

Paulus odor charitatis.

3 Hanc charitatis perfectionem Angelicæ comparat, & æquiparat S. Chrysost. hom. de Dauid, & Saul. quæ est 14. ponderans enim, quod dicitur 1. Reg. 24. nimirum egregium illud Dauidis facinus, qui in spelunca Saul, quem tutò occidere poterat pepercit, eiusmodi Dauidem sibi apud milites suos existimationem, hoc facto conciliasse affirmat, vt postmodum illi non veluti homini parerent, sed tamquam Angelo obsequerentur. *idcirco*, inquit, *Dauid non iam vt homini, sed vt Angelo parebant*, & iterum ibidem: *an hunc*, inquit, *posthac dicemus hominem, qui in natura humana, vitam præstitit Angelicam?* excitat enim admirationem sui homo tam indulgenter erga hostes benignus. neque homines tantum, sed ipsimet Angeli in stuporem erecti, plus quam Angelicum Dauidis facinus declararunt; cùm enim à nobili victoria de Goliath gigante gloriose rediens feminarũ plausibus exceptus fuisset 1 Reg. 17. Eidẽ de Saule dimisso triumphãti, Angelici Chori gratulati sunt. hinc idem Sanct. Chrysost. homil. ead. *nunc*, inquit, (quãdo Saul pepercit) *haud quaquam in Choris obuiam veniebant feminæ excipientes illum cum laudibus, sed Angelicus populus è sublimi applaudebat, admirans eius philosophiam, & humanitatem.* non admiramur nisi ea, quæ tamquam viribus nostris maiora suspicimus, & ideo ab admiratione excitatos homines ad inuestigationem sublimium rerum dicebat Arist. *propter admirari cæperunt homines philosophari.* Cùm igitur audimus Angelos Dauidis humanitatem admiratos, proculdubio intelligimus, quòd illam, tamquam Angelica perfectione maiorem suspexerunt, vnde Chrysost. hos Angelos Dauidi plaudentes non vocat exercitum, neq; Choros Angelorum, sed *Angelicum populum*, quia in huius facti admirationem, tam effusè, & confusè stupidi prodibant, sicuti effusa solet populi multitudo, & incomposita, triumphatoribus gratulabũda obuiare. Inferiores itaque Angeli Dauidi fuisse videntur, qui instar populi in illius occursum glomeratim prodierũt; adeo vt præ eo, instar plebis habiti fuerint in solemni illa pompa.

S. Chrys.

Pacifici honoratur

Angelis admirabilis est pacificus. 1. Reg.

S. Chrys.

Angeli plaudunt parcentib.

Angelica perfectione maior virtus Dauid parcentis.

Dauid parcens Angelis nobilior.

4 Alibi etiam legimus, pacifici viri spectaculo, Angelos interfuisse. Esau persequebatur Iacob, eumque ad necẽ expetebat ob primogenita sibi erepta, & præoccupatam Paternam bene-

dictionem

Genes. dictionem. vt Genes. 27. ℣. 41. 42. & sequent. *oderat ergo semper Esau Iacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater; dixitque in corde suo, venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* Hanc infensi fratris iram patienter ferens Iacob, non contentiosè restitit, sed voluntario exilio deuitauit paratam sibi à fraternis insidijs necem, vt dicitur cap. sequenti; neq; deprecatus est à patre aduersus fratrem patrocinium, quo minus cogeretur exulare, & à iucundo parentum conspectu discedere; neque petijt, vt potius discordiæ vitandæ causa Esau ablegaretur, sed ne vllo quidem prolato verbo, æquanimiter hāc fraterni odij iniuriam declinauit, longa peregrinatione suscepta; ob hæc profectò dignus, qui Angelicos oculos alliceret, & stupendo sui spectaculo detineret. vnde cap. 28. ℣. 12. & 13. vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum, *Angelos quoque Dei ascendentes & descendētes per eam.* festini properabant cælestes spiritus, victoriosissimi athletæ vires, & robur admirantes descendebant, quis esset hic tantæ perfectionis virtute clarus Iacob visuri; ascendebant, illius mansuetudinem, & animi placabilitatem commendantes, qua se Angelicis mentibus æquauerat.

Genes.

Ministrāt Angeli æcentibus.

5 Quin parum dicimus si Iacob ob præstantiam dilectionis Angelis parem tantum fuisse affirmemus, cum illis maior esse censendus sit, vt propterea ad illius quasi famulatum ascendentes, & descendentes Angeli, tanquam superiorem venerati fuerint. Similem visionem, ad diuinitatem Christi designādam habemus Ioa. 1. ℣. 51. vbi dicitur. *Videbitis cælum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes super filium hominis.* ad quem locū S. Thom. in Caten. *facit*, inquit, (scilicet Christus) *quod non vltra æstimet* (Nathanael) *Christum esse hominem solum cui enim Angeli ministrant, qualiter hic homo purus esset? per hoc ergo suadet Angelorum se esse dominatorem.* Quoniam igitur vtrobique Angeli ascendentes, & descendentes cōmemorantur, ideo sicuti in Christo dominatum supra Angelos denotabant, vt adducta D. Thom. verba docent, ita etiā dominium quoddam, & superioritatem Iacobi supra Angelos in illo ascensu, & descensu significarunt, & eius perfectionem Angelica præstantia superiorem. Quod eo clarius confirmatur, quia idem S. Thom. exponēs, quo potissimum tempore expletum fuerit hoc in Christo vaticinium de Angelis ascensuris, & descensuris super filium hominis; asserit hoc contingisse tempore passionis; cum in Cruce pendebat, & pro persecutoribus orabat; addit enim S. Thom. *Sicuti in proprium Regis filium ascenderunt & descenderunt in eum ministri regales, hoc quidem tempore Crucis.* quando dixit. *Pater ignosce illis, quia nesciunt quod faciunt.* Congruo itaque & opportuno tempore etiam dum Iacob persecutiones pateretur, & fraternum odium æquanimiter toleraret, ministri cælestes ascendunt, & descendunt, famulatum ei, & obsequium offerentes, in quo illum superiorem agnoscunt. In hoc enim Angelorum occursu, & famulatu similes fuisse Christum, & Iacobum dixit apud eundem Thomam D. Augustin. serm. 40. de verb. Domin. vtriusque loci, tam veteris, quàm noui testamenti prolatis verbis; ex quibus colligitur, quod sicuti Angeli supra Christum ascensuri, & descensuri, dominium eius, & diuinitatem denotabant, ita etiam Iacobum tanquam diuinum virum venerabantur.

Ioan.

S. Thom.

Angeli ministri sunt mansuetorum

S. Thom.

Angeli primatum concedūt parcentibus

D. Aug.

Venerantur Angeli pacificos.

6 Neque hoc mirum videri debet, cum ipsemet Angelorum Dominus, hoc se spectaculo recreaturus, quasi descendere non fuerit dedignatus, de quo eodem cap. 28. ℣. 13. & *Dominum innixū scalæ* &c. traxit enim in admirationem sui, non cælestis tantū curiæ proceres, sed ipsummet Angelorum Regem, qui non Angelicam,

Deus parcentium est spectator.

sed

sed dixerim diuinam sanctissimi Patriarchæ virtutem suo conspectu honorare voluit. diuinam appellaui mansueti viri, & tolerantis virtutem, nam Hildeber. Episc Cœnoman. epist. 35. in Biblioth. SS. Patr. to. 3 ad diuinum vsque fastigium extollit remittentes iniurias. *magnum*, ait, *quid & diuinum sapit offensus clemens*; vnde Christus Matth. 8. ℣. 10. Centurionis charitatem erga puerum suum admiratus est, & coram turbis prædicauit; quia diuina prædicatione, & encomio digna est dilectio. *audiens autem Iesus admiratus est, & sequentibus se dixit, &c.* nota in Christo admirationem charitatis, quasi eam in homine tamquam diuinam suspexerit; egregia fuit D. Bernard. sententia lib. de Passion. cap. 11. *diligere inimicos, magis diuinum est, quam humanum.*

Ideb. *Mansuetudo diuina virtus.* *Matth.* *D. Bern.*

7 Alibi etiam in scriptura huius Angelici obsequij pacificis præstiti fit mentio; persequebatur enim Iezabel Eliam oderatq; infensissimè, ob zelum diuini honoris, quo incensus Propheta pseudo-Prophetas occidi iusserat, vnde dicitur 3. Reg. 19. quod illi mortem intentauit ℣. 2. *hæc mihi faciant dij, & hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam, sicut animam vnius ex illis.* tulit, hanc iniquissimæ Reginæ iniuriam patientissimè Propheta, & nihil contra eam malignè locutus, Deum tantum pro salute propria deprecatus est, præferés zelum diuini cultus, quem impiè neglectum videbat sub regimine illius pessimæ feminæ, quæ idolis addicta erat; ideo dicebat ℣. 10 *zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum quia dereliquerunt pactum tuum filij Israel; altaria tua destruxerunt, &c.* Hic patientia, & tolerantia iniuriarum meretur ministerium Angelicum, vt narratur ℣. 5. 6. 7. & quoniam vt supra aiebat D. Thom. *ministerium Angelicum, suadet Angelorum dominationem, & Angeli ascendunt, & descendunt, vt ministri regales* pacificorũ; propterea Elias mansuetus & pius, tamquam Rex, & Angelorum dominator agnoscitur, & colitur ab ipsismet spiritibus cælestibus.

3. Reg. *Eliæ patienti ab Angelis ministeria exhibẽtur tanquam Regi.*

8 Hæc est maxima pacificantium exaltatio, quæ illos Deo quasi pares reddit, quem qui in parcendo, & sustinendo imitantur merentur Dei nomen. Controuersia est inter SS. Patres Augustin. & Ambros. & alios, rũ licuerit Moysi Aegyptium occidere de quo Exod. 2. Quia neque Iudex erat, neque potestatem super illum ab aliquo sibi delegatam habebat; vt propterea, quamuis aliqui hoc factum defendant, tamẽ D. Augustin. tom 8. lib. 22. contra Faust. Manich. cap. 70. videtur illud reprehendere. *Consulta*, inquit, *illa æterna lege, reperio non debuisse hominem, ab illo qui nullam ordinatam potestatem gerebat, quamuis iniuriosum, & improbum occidi.* neque aliunde hoc excusari posse asserit, nisi vt futurum aliquid præsignaret. & eidem sententiæ subscribẽs Caiet. apud Lippom. ait: *ex eo quod non defensionis necessitate, sed vltionis gratia occidit Aegyptium (vt testatur circumspectio, an aliquis esset testis) officium Iudicis superauit Moyses.* Quod si priuatus in dicta causa hominem qua iure, qua iniuria occidit; Cur constitutus deinde proprio Dei ore Princeps supra Pharaonem Hebræorum sæuissimum persecutorem, huic pepercit, quem facilius occidere potuisset, quam vel ranas Aegyptijs immittere, vel aquas sanguineo colore inficere, alijsque ostentis potentiam sibi à Deo traditam manifestare? acceperat enim omnino iã potestatem supra Pharaonem cum illi dictum fuit Exod. 7. ℣. 1. *Ecce constitui te Deum Pharaonis*, i. Dominum, quasi tradita potestate super eum, vt exponit Abulens. ex Chaldaica translatione, vel *constitui Deum &c.* idest dedi tibi talem potestatem, qualem solus Deus habet, vt omnimoda, & omnipotens intelligatur hæc potestas; qua Moyses à Deo donatus, neglexit nihilominus Pharaonem occidere, à quo

D. Aug. Ambros. *Exod.* *Moyses an potuerit occidere Aegyptium.* *Caiet.* *Moyses majuet is, Deus, diuino ore appellatur* *Exod.*

non vnum aliquem de populo, sed omnes Israelitas videbat quotidie magis vexari, & affligi nouisq; laboribus exerceri. Obseruandi sunt duo status in Moyse, primum enim priuatam personam agebat ideo illatam fratri iniuriam sumpta vltione propulsauit; quia vt dicit D. Ambros. lib. 1. de offic. cap. 36. *Qui non repellit à socio iniuriam, si potest, tam est in vitio, quam ille, qui facit*: postmodum verò regnante maior factus, & Pharaonis Deus constitutus, longanimitate, & patientia eius cõtumaciam emollire conatus fuit; non vindicta diluere. putauit enim, quod dum Dominus dixit ei, *ecce constitui te Deum Pharaonis*, simul etiam cum excelso hoc diuini nominis priuilegio, sibi mansuetudinem, humanitatem, & charitatem inseuerit, persuaseritque cohibendam Deo Pharaonis iram erga Pharaonem; imò quia Moyses mitem, & pacificum animum præseferebat, propterea Deus Pharaonis electus fuit, ita enim Rupert. Abb. lib. 1. in Exod. cap. 26. ob suam mãsuetudinem Deum appellatum existimat. *constitui te Deum &c. ac si dicat*, inquit, *quoniã tu mitissimus virorum pro tam glorioso negocio cum Pharaone dimicare, & cum Regibus confligere te indignum ducis, atque hoc modo vsque ad nouissima terræ te deprimis, ecce ego sustollam te super altitudinem nubium, faciamque te Deum, non quem ille fideliter adoret, sed quem seruiliter formidet*. adeoque eius auctoritatem extulit, vt, tamquam nobilissimo legato ministros subiecerit; *& Aaron frater tuus, erit Propheta tuus*. Quod si quis quærat, cur noluerit Deus vt Moyses ipse loqueretur ad Pharaonẽ; & ideo subditur ibidem ℣. 2. *tu loqueris ei* (Aaron) *omnia quæ mando tibi, & ille loquetur ad Pharaonem* Respondeti potest, quod vindicatiui, & persecutores, qualis erat Pharao, indigni sunt Deo colloqui, ideo cum illis Deus agit per interpretem, & hinc Moyses cõstitutus Deus Pharaonis iubetur per Aaron cum illo agere. Rupert. eod. loco; *& quia Pharao saltem cum huiusmodi Deo loqui non est dignus, Aaron frater tuus erit Propheta tuus*, & vt cognoscamus quàm alienũ sit à diuina clementia vindictam sumere, & quam prope ad diuinam perfectionem accedat ille, qui condonat, ideo munus & ministerium annunciandi, & inferendi plagas, ac vindictæ de eorum pertinacia sumendi; Aaroni delegauit; ne Moyses, Deus iam factus; vel labia pollueret, vel intentando, vel inferẽdo afflictiones. subdit Rupertus *plagas, quas tu facies, pronunciaturus, siue tamquam minister illaturus*. excluditur ergo Moyses, Deus iam constitutus, à plagarum ministerio. Quid amplius? dicam. quasi æmulatur Deus pacificorum virtutem, ac spiritum. fuit apud veteres consuetudo aliquorum, vt refert Alexand. ab Alexand. lib. 3. Genial. dier. cap. 7. morientium qui exhalabatur, spiritum excipere, vnde est illud Virg. 4 Aeneid.

—extremus si quis super halitus errat
ore legam;

hinc fortasse (præter aliam alibi assignatam rationem) factum, vt viri virtute armorum, aut litterarum præditi spiritum, flatumque quis ore sugens, donis morientis quoque fieret particeps. hinc Ouid in consolat. ad Liuiam pium hoc appellauit officium; *excipias*, inquit *hanc animam ore pio*, quod nõ solum amorem erga decedẽtes eo testarentur; sed etiam eorum virtutis superstites reliquias exciperẽt. de Moyse dicitur Deuter. 34. ℣. 5. *mortuus est iubente Domino*, vel vt in Hebr. *super os Domini*. quasi tanti viri, præcipuè pacifici, & mitissimi, æmulatus fuerit Deus, suo ore, spiritum, flatumque extremum haurire. pro qua re videri poterunt, quæ diximus. cap. 8. in hoc Euangelicum nu. 12. 13.

9 Sicut in ijs, qui mites sunt, & pio erga proximos, & inimicos corde supra humanas, Angelicas ac penè diuinas perfectiones considerauimus; ita in sicarijs, & vindicatiuis ferinæ, & immanes

[Margin notes: S. Ambr. — Dei, & hominum Deo simi lium est parcere. — Moyses mansuetudine meruit Deus Pharaonis consti tui. Rupert. — Auctoritas mansuetorum magna. — Vindicatiui viles & indigni diuino alloquio. — Rupert. — Nec annunciare vult Deus vindictas inferẽdas. — Virgil. — Deus quasi æmulatur spiritum pacificorum. — Immanis est vindicans.]

manes, ac penè diabolicæ iniquitates spectari possunt. Fuit Cain sicuti primus parricida, ita omnium homicidarum typus, de illo itaque dicitur Genes. 4. ℣. 16. *egressus Cain à facie Domini &c.* quantum enim ad Deum per operum bonorum similitudinem accedit, & ingreditur pacificus, tantundem elongatur, & digreditur iniurius, & insidiosus, qui propterea egressus à facie Domini, idest, auersus à Deo, & oblitus misereri dicitur, iudicat enim semet indignum diuino conspectu; sic Interlin. *egressus*, inquit, *à facie Domini misericordia dilectionis*; propterea apposita similitudine *diaboli organum* appellatus est Cain à Chrysost. hom. 19. in Genes. exponente verba illa ℣. 11. *maledictus tu de terra*; *Quia*, inquit, *fermè eadem egit quæ serpens, & quasi organum seruiuit diaboli sententia &c.* sumpta est hæc metaphora ab instrumēto, siue organo musico, quod per antomasiam tale dicitur, de quo Polyd. Virgil. lib. 1. de Inuent. rerum cap. 15. agit. Est hoc notissimum musicum instrumentum, in quo emissus è follibus ventus, per multiplices tubos erumpens concentum reddit, modos faciente, ac variante modulatore. Huic organo hominem comparauit Iob 30. ℣. 31. *Versa est in luctum cithara nostra, & organum nostrum in vocem flentium*, i. ego, qui prius eram hilaris, & iucundus, factus sum mæstus; à qua etiam formula sumptum putat Clem. Alexand. lib. 2. Pædag. cap. 4. illum locum Psalm. 150. ℣. 4. *Laudate Dominū in cordis, & organo. organum*, inquit Clemen. *dicit corpus nostrum, & cordas eius neruos.* quicumque igitur corpus suum diuino dicauit obsequio, hic Dei organum est, & laudat Dominum in cordis, & organo; qui vero membra sua exhibet seruire immunditiæ, & sæuitiæ, vt Cain, diaboli organum efficitur; quia talium virorū opera non reddunt Deo gratam melodiam, sed dissonum concentum, vnde Paul. 1. Corinth. 13. ℣. 1. inconditum istiusmodi organorum sonitum maluit tinnitum appellare; *si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens*; tales sunt illi in quibus extincta charitate crudelitas viget, quos diabolus superbiæ, & vanægloriæ vento inflatos, præparat instar organi ad quamcumque libuerit modulationem; neque enim desunt illi folles ad vindictam excitantes, vnde isti inflantur; tales sunt mundanam prudentiam præseferentes libri, & homines suasores, atque impulsores ad odia, & inimicitias. Horum follium ventositate plenus, & spiritu turgidus diabolicum hoc vindicatiui organum in gratissima diabolo modulamina erumpit. Sicut enim in organo pneumatico modulator pro libito quemcumq; libuerit concentum reddit; ita nullum vitium est, nullum nefarium opus, ad quod ventosos sicarios pessimus infernalis modulator non sollicitet, quod quam verum fuerit in Cain videamus, vt quod in eo deprehendimus, in cæteris etiam quorum ille typum gessit euenire non ignoremus.

Genes. | *Indignus Dei conspectu cōtumeliosus.* | *Interlin.* | *S. Chrys.* | *Homicida est diaboli organum.* | *Polyd. Virg.* | *Iob.* | *Homo organo similis.* | *Clement. Alexand.* | *Iusti organū Dei.* | *2. Corint.* | *Folles diabolici organi sūt libri, & mali consultores.* | *Vindicatiuus in omne crimen prolabitur.*

10 Non solum superbiæ, ambitionis, dissensionis, ac simultatis modos reddidit hoc organum, quod ex sacri textus lectione patet; sed etiam inuidiæ, vt obseruat S. Chrysost. ead. homil. 19 explicans illud Genes. 4. ℣. 5. *iratusque est Cain vehementer, & concidit vultus eius: duplex*, inquit, *tristitia facta est, & quod solus ipse repudiatus fuit, & fratris donum acceptum.* hæc liuoris inuidi, & iracundæ mæstitiæ in Cain incentiua fuerunt. clarius hoc dicit Theodor. quæstionibus in Genes. *Cain fraternorum bonorum inuidia affectus fuit, &c.* de qua etiam multa D. Cyprian. lib. de liuore. Hunc inuidiæ dolorem excepit odium, ideo non solum *iratus est* quod plerumq; est tolerabile, cum dicatur Psalm. 4. ℣. 5. *irascimini, & nolite peccare*; sed iram conuertit in odium, quod est ira inue-

S. Chrys. | *Cain fratricida fuit inuidus.* | *Theodor.* | *Cyprian.* | *Cain odium.*

terata,& diuturnus furor, vnde ſubditur *& concidit vultus eius*; quid eſt vultum concidere? plerique hoc diffidentiæ,& admiſſi ſceleris conſcientię tribuunt; ſed probabilius eſt iſtud vehementis odij argumentum fuiſſe; eſt enim ſignum truculentiæ non cælũ ſuſpicere, neq; eum qui cũ loqueris intueri; ita exponit hunc locũ Rupert. Abb.lib.4.in Geneſ.cap.3.*Ira*,inquit, *in odium verſa trabali pondere declinauit in terram vultum,& oculos eius; terram namque adſpiciunt, qui crudelia meditantur, vnde eſt illud* Pſalm. 16 *oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram*. Ex odio quod ſicarij aſſiduo fouent fit, vt aſſiduo bonorum operum expertes viuant infrugiferi, & ſteriles, qualem in animo Cain fuiſſe oſtendit S. Ambroſ. ponderans illud *eamus in campum, locus*, ait, *nudus eligitur parricidio, vbi enim frater debebat occidi, niſi vbi fructus non eſſet? non dicit eamus in Paradiſum vbi poma florent; ipſi parricidæ indicant fructu ſe ſceleris habere non poſſe, nec penes eos fructum manere*. optima & conſideranda Ambroſ. hæc obſeruatio nullum iſtos ex parricidio fructum conſequi, & Paradiſo indignos eſſe; quãuis ea Cain verba, fratrem à parentibus, & auxilio abducentia, plena fuerint callidæ ſimulationis, & proditoriæ aſtutiæ. His modulationibus delectatus Diabolus, alijs prætereà organum accomodat; eo impietatis procedunt vindicatiui, vt Deum fallere ſe poſſe exiſtiment; quare Cain fraudolenter victimas Deo offerendas partitus; *in animatum*, vt ait Rupert. *obtulit, & ſine fide ſacrificium*; mortua quippe ſunt ſicariorum munera;& Procop. Cain dixit nõ bene diuiſiſſe, ideo peccaſſe; quod etiam obſeruat D. Gregor. 32. moral. Attende etiam eiuſdem Cain impietatem, & mendacium cum Deo interrogãti Geneſ.4 ℣.9.*vbi eſt Abel frater tuus?* impudenter reſpondit *neſcio*. quæ ab Iſidoro dicitur *mendax* Cain *ignoratio*, & Deum contemnit, tamquam apud ignorantem mentiri non erubeſcens, putans latere ſe Deum poſſe, tamquam patrati à ſe ſceleris inſcium. In ſummam deinde prolabitur inhumanitatem, quæ eſt humani animi immanitas, ac feritas; cum cuſtodiam, curam, & affectum ſe fratris exuiſſe palam profeſſus eſt. *numquid*, inquit, *cuſtos fratris mei ſum?* S. Ambroſ.lib.1.de Cain, & Abel cap.9. *recuſat fraternæ munus cuſtodiæ quaſi exors naturæ*: verè enim naturalem affectum exuerat, qui non ſolum ad ſe non pertinere fratris cuſtodiam dixit, ſed coram Deo (eius maieſtati debitam negans reuerentiam) hoc impudentiſſime affirmauit. ex quo arguit S. Ambroſ. illum Dei notitiam perdi diſſe; *Quid miraris*, inquit, *ſi pietatem non agnouit, qui non agnouit auctorem?*

11 His impijs,& diſſonis concentibus aptus, nihil non reſonat malignum; nam neque admonitus reſipiſcit ℣. 7. *non ne ſi bene egeris recipies, ſin autem malè ſtatim in foribus peccatum aderit?* imo his lenibus correctionibus non emendatus, pertinacius vrget peccandi propoſitum; idem Sanct. Ambroſ. *admonitus Cain vt quieſceret, auget inſolentiam, acerbat flagitium*. imo quod peſſimum eſt, diuinam omnipotentiam deſperãdo negat. *Maior eſt iniquitas mea quam vt veniam merear*. vides quantum aggrauet culpam; & exaggeret ſuperbè confitendo, & de venia deſperando. Iſidor. *non credit*, inquit, *ſe veniam poſſe adipiſci, quod eſt blaſphemia in Spiritum ſanctum, quia putat Deum nolle dimittere, aut non poſſe; tamquam aut omnia non poſſit, aut inuideat ſaluti*. imo eadem reſponſione negat, & tollit Dei prouidentiam. Saluian. lib. de prouid. *puto quod in Cain tam tunc opinio fuerit, quæ nunc in multis eſt, Deum terreſtria non reſpicere, & actus ſceleratorum hominum non videre*. Iam animo perpende quot enormium peccatorum cumulum vnica hæc re-

Rupert. | Adſpicere in terram ſignũ odij. | Cain bonis operibus caruit | S. Ambr. | Cain ſimulator, & proditor. | Cain erga Deum impius. | Procop. | D. Greg. | Cain mendax. | Iſidor. | Cain inhumanus. | S. Ambr. | Cain cum pietate Deum pietatis auctorem ignorauit. | Nõ emendatur correctus Cain. | S. Ambr. | Cain & homicidarum deſperatio. | Iſidor. | Saluian.

sponsio contineat, & quotuplex sub paucis verbis modulamen ex infami organo diabolus eliciat, qui.n. vindictę & odij ventū diabolicis follibus emissū excepit, ad nullum non scelus procliuem se fecit. Ideo neq; in Cain defuit luxus, & intēperantia, quod colligitur ex illis verbis ℣. 16. *Habitauit profugus in terra, ad orientalem plagā Eden.* Interlin. quod interpretatur *epulatio*, à qua ad luxuriam, & sordidum omne peccatum facilis prolapsus. Et quoniā vt dicebat Iuuenal. satir. 14. *maiorum vitia sequuntur minores*, ideo eo etiam grauiora fuerunt Cain peccata, quo in eius posteros per malū exemplum propagata sunt. nam de Iabel dicitur eiusdē c. ℣. 20. q; *fuit Pater habitantiū in tentorijs*; non solum ad pastoritiam quam exercebat aptis (vt communiter exponitur hic locus) sed etiam *ad ponendum idola*, vt vult Lyran. Cuius frater Iubal de quo dicitur ℣. 21. quod *fuit Pater canentium cythara, & organo*, subdit idem Lyran. quod *canebat instrumentis musicis coram idolis, ea venerando*. Tubalcain etiam ab eodem Cain descendens, *fuit faber in cuncta opera æris, & ferri*, & in hac, ait Lyran. *fuit imitator patris sui Cain, qui fuit occisor, ex quo patet quod isti, qui descenderunt ex Cain fuerunt mali, & peruersi.*

Luxuriosus, & deliciosus Cain.

Iuuenal.

Peccata Cain posteri eius imitati.

Lyran.

12 His, quæ ex Sacrarum scripturarum auctoritate, & Sanctorum Patrum dictis hactenus de perfectionibus pacificantium explicauimus, opportunum iudicaui quædam adnectere diuinitus reuelata; quibus veluti coronidem huic capiti imponamus. Multa habentur in t. 5. Biblioth. SS. Patr. in libris Hermæ discipuli D. Pauli, ad Christianam vitam instituendam opportuna; sed præ cæteris quæ Angelo Dei reuelante sibi innotuisse vir optimus testatur lib. 2. ex quibus quoniam pleraque ad nostrum propositum faciunt, non fuerunt hoc in loco omittenda. ea igitur sigillatim adducemus, & breuiter ponderabimus; ait itaque lib. 2. Mandato 5. Angelus. *Si patiens fueris, Spiritus sanctus, qui habitat in te, mundus erit, & non obscurabitur ab aliquo nequissimo spiritu, sed gaudens dilatabitur, & epulabitur in vase, in quo inhabitat, & apparebit domino hilaris in pace magna.* Supponit duos esse spiritus, alterum iniquitatis, & malitiæ, qui Diabolus est, alterum æquitatis, & bonitatis, qui est Spiritus sanctus; isti inuicem de humani cordis habitatione se expellunt, nec simul compatiuntur; ille odijs, & inimicitijs, hic amore, & charitate gaudet. præsertim igitur per patientiam, & tolerantiam iniuriarum, Spiritus Sanctus in sua munditie permanet; per iracundiā vero & odia ex mundo, & nitido obscuratur, perinde ac speculum à maculis; vel instar solis à caliginosis nubibus oppressi; hac enim similitudine vsus est Senec. ad exprimēdas iræ cōmotiones lib. 3. de Ira cap. 12. *maximum*, ait, *iræ remedium dilatio est, vt primus eius seruor relanguescat, & caligo, quæ premit mentem, aut resideat, aut minus densa sit.* Addit Angelus, quòd idem Spiritus, per patientiam *gaudens dilatatur*: quid si dicamus quod in eadem perseuerat metaphora, & ad solem obscuratum alludit? videtur quodammodo minui sol, dū ab obscura caligine obducitur clarissimus eius fulgor; ita Spiritus sanctus, videtur coarctari dum iracundiæ caligo in humanum cor ascendit; ideo in eo, qui patiens est dilatatur. Vel hæc loquendi formula accipitur à gaudio, cujus proprium est dilatare cor; sicut è contra tristitiæ, & doloris constringere; itaque & alacritas Spiritus sancti denotatur per illa verba: *Spiritus sanctus gaudens dilatabitur*, in eo inquā, qui iniurias sustinet, nam in pacifico, & per pacificum, maxima perfunditur Deus alacritate, & gaudio; quemadmodum ex iracundis, & vindicatiuis (vt nostro intelligendi modo loquamur) extremam excipit tristitiam, & mærorem. de hac dilatatione cordis,

Herma, S. Paul. discip.

Ira, & vindicta, quasi maculat, & obnubilat Spiritum sanctum.

Seneca.

Ira, caligo mentis

Iracūdus quasi coarctat Spiritum sanctum.

Deus exhilaratur in Pacificis.

& Spi-

Psalm. & spiritus loquebatur Dauid Psalm. 118 ℣.32. dicens: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meũ;* quæ verba de cursu in hoc stadio pietatis, & dilectionis exponit noster Pater Agell. (P. Agell.) *Si,* inquit, *dilataris mihi hoc est, in tranquillo statu me esse feceris, curram alacriter curriculum pietatis;* hanc alacritatem, & gaudium præsefert spiritus æquitatis, & amoris, ita dilatatur, & apparet hilaris vsque ad finem huius cursus, quo consummato inuenietur in pace magna, quæ pax gaudio vberi, & redundanti exultatione spiritum perfundet. Vel sumpta est metaphora *dilatati spiritus,* à locis angustis, quædam ab vno corpore occupantur, si aliud subintret corpus, prius illud debet constringi, & constipari. dum igitur Spiritus sanctus animam pacificam occupat, est veluti in spatioso loco, & dilatatur; econtra intromissa iracundia, constringitur, velut aer in vase, quod aliquo liquore repletur, ita & vindicta Dei spiritum non patitur. (*Vindicta, Dei spiritum non patitur.*)

13 Neque constringitur solùm, sed etiam expellitur, Spiritus sanctus si totum vas humani cordis iracundia repleatur, vt in corporibus ab eodem se loco trudentibus experimur euenire; *quod si iracundia aliqua superuenerit,* subdit ibidem Angelus, *continuo Spiritus sanctus qui est in te angustiabitur, & quæret discedere.* (*Ira, seu vindicta expellit Spiritum sanctum.*) Sicut enim non possunt duo corpora, præsertim contraria eundem locum occupare, ita neq; duo isti Spiritus eandem animam. apta est similitudo vasis, cui animam comparauit idem Angelus, qui appa uit Hermæ in superioribus verbis: *epulabitur in vase, in quo inhabitat;* & clarius infra de duobus istis spiritibus verba faciens: *cùm hæc omnia* (scilicet amaritudo, stultitia, iracundia &c.) inquit, *in vno vase sunt, vbi Spiritus sanctus moratur, non capit hoc vas, sed super effluit, quoniam tener Spiritus non potest, cum malo spiritu immorari, recedit.* Cur autem superueniente iracundia, Spiritus sanctus angustietur, & discedat; rationem reddit subdens: *suffocatur enim aspectu nequissimo, & non habet locum apparendi domino sicut vult.* In vase enim, cuius angustum sit orificium, si velis aliquid infundere, aer qui debet inde à superueniẽte corpore expulsus, egredi, quasi suffocatur, & coangustatur in orificio: ita Spiritus sanctus, qui purus Spiritus, & instar aeris tenuis, succedente in humanum cor iracundia, in egressu angustiatus, quasi suffocatur. Et pondera diligenter quàm sæuus sit adspectus truculentiæ, quæ adeo fera est, vt spiritũ soffocet *suffocatur enim,* ait, *aspectu nequissimo.* (*Ira suffocat spiritum.*) in quo fortasse allusum fuit ad magos, & fascinatores, qui solo adspectu infantes enecãt Virg. eglog 3. (Virg.)

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agros.

ita etiam adeo ferus est, & asper iracundiæ adspectus, vt tener spiritus (qui ab eodem Angelo ibidem mandato 6. appellatur *genius tener, lenis, & verecundus*) eum sustinere sine noxia non possit, & ideo dicitur *suffocari adspectu.* describit Hor. epod. od. 5: anum veneficam fascinatricem, & Sene. lib. 6. de Ira, hominis irati vultum; quæ duo Auctorum loca si conferantur, ob aliquam vtriusque, & fascinatricis, & irati similitudinem, deseruiunt ad exprimendum, & confirmandum quod dicimus; iracundorum videlicet truces vultus fascinare. (*Ira furẽs describitur.*) Horat. ait. (Horat.)

At expedita sagana &c.
Horret capillis, vt marinus asperis
Echinus, aut currens aper. &c.

Seneca verò cap. 1. lib. 1. irascentes his notis exprimit: *flagrant & micant oculi, multus ore toto robur, exæstuante ab imis præcordijs sanguine, labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac subriguntur capilli* &c. & lib. 3. c. 4. *Nulli,* inquit, *affectui peior est vultus, venis tumentibus, oculis nunc trepidis, & exilientibus, nunc in vno obtutu defixis, & hærentibus, adijce dentium*

inter se arietatos, & aliquem esse cupientium, non alium sonum, quàm est apris tela sua attritu acuentibus, &c. horrendus hic adspectus, & tæter est qui non fascinare solùm, sed suffocare potest tenerum spiritum.

14 Mirabilem præterea recenset effectum æquanimitatis, & tolerantiæ; enumeratis enim pluribus iracundiæ effectis, ab ea dehortatur Angelus ibidem dicens: *recede ergo tu ab iracundia, & indue animæquitatem & inuenieris cum pudicitia, & castitate à Deo.* admirabile inquam videtur, quod abstinentia ab iracundia, castitatem operetur; sunt enim virtutes ad diuersas animæ rationalis potentias pertinentes; iracundia quippe ad irascibilem: castitas, & pudicitia ad concupiscibilem; & notũ est ex Arist. in ethic. virtutes distingui genere ex distinctione subiectorum, quomodo ergo recedens ab iracundia, inuenietur cum pudicitia, & castitate? Adeò virulenta est iracundia, vt si semel in animo cœperit eius virus serpere, vniuersam animam inficiat: ideo bene definitur à Peripateticis, quòd sit *accensio sanguinis circa cor*; sanguine autem circa cor alterato, & efferuescente, totius etiam corporis sanguis inficitur; ita anima per iracundiam æstuante, omnes illius potentiæ commouentur; & plura vitia emergunt. præcipuè tamen impudicitia. hinc Nero, cui iure crudelis cognomen inditum fuit, omni impudicitiæ, & inhonestatis macula fœdatus fuisse legitur; eiusmodi Tiberius, Claudius, & alij Imperatores, nõ minus patratis cædibus, quàm vitæ inhonestate damnabiles. quemadmodũ igitur iracundia impudicitiã, ita æquanimitas pudicitiam inducit. adeo enim Deus amat mites, & æquanimes, vt si quæ in eis fortè sint ad venerea procliuitates, ob illum animi candorem, & puritatem quam pax habet, eluantur; & sic qui recedunt ab iracundia, inueniuntur à Deo cum pudicitia, & castitate. quin ea est vis, & tale robur resistentium iracundiæ, vt ad alia plura diuina præcepta obseruanda, reddantur fortes, & robusti. ideo subdit Angelus. *Si huic mandato* (de resistendo iræ) *obedientiam præstiteris, & cætera mandata mea, quæ tibi sum mandaturus, poteris obseruare.*

Angeli ad Hermam sententia.

Iracundus etiã impudicus: mitis castus.

Arist.

15 Vel etiam dicamus, quòd qui induit æquanimitatem, & resistit iracundiæ, benè dicitur inueniri cum pudicitia, & castitate Quia sicuti Ira, & appetitus vindictæ, luxuriæ, ita æquanimitas, & patientia castitatis est parens. Quod autem ira pariat libidinem, optimè ostenditur ex illis verbis Prouerb. 30. ℣. 15. *sanguisugæ duæ sũt, dicentes affer, affer.* vbi ad propositum nostrum Salazar, præter alias Expositiones, per sanguisugam, Iram interpretatur; vt sit sensus: appetitus vindictæ, duas habet insatiabiles filias, libidinem, & auaritiam: *ex dictis*, inquit, *liquet Iram, & vindictæ appetitum sanguisugæ nomine censeri; & eius filias insatiabiles, atque ei per omnia similes, auaritiam, & libidinem*; tam enim vindicatiui, quàm hirudines cruore delectantur, vnde vtrisq; conueniunt verba illa S. Chrysost. in cap. 6. Matth. iram describentis; quod sit *homicidij mater, & sanguinis bibax*. vnde Tomiris Amazonum Regina, Cyri sanguinarij capiti illudens; *satia te*, dixit *sanguine quẽ sitisti.* Iracundiæ similes sunt duæ illius filiæ, libido, & auaritia, quæ etiam hirudinum mores retinent Libido quidem, quia sicut sanguisuga, seù hirudo cutem cui semel adhæsit non dimittit, nisi nimio sanguine onerata, quo tamen adhuc non videtur expleta illius appetentia; de qua Horat.

Ira, & vindicta, luxuriæ: pax vero castitatis parens.

Prouerb.

Salazar.

S. Chrys.

Tomiris Reginæ dictum.

Libido sãguisugæ cõparatur

Horat.

Nec missura cutim, nisi plena cruoris hirudo;

ita impudici lassantur potius, quàm satiantur in explebilibus suis voluptatibus; hinc Poeta de muliere impudica.

Et lassata viris non dum satiata recessit.

est

est igitur parens libidinis iracundia; ideo qui resistit iracundiæ, eamque à se fugat, amouet etiam a se eius filiam impudicitiam, & cum pudicitia inuenitur.

16 In sequenti verò 6. mandato, alia tradit Angelus, non minori animaduersione digna; nam sicut in superiore mādato, duorum spirituum meminerat, ita in isto duos Genios commemorat; Genium æquitatis, per quem intelligit Angelum pacis, & Genium iniquitatis, per quem intelligit Angelum iracundiæ, idest diabolum. Quam igitur iucundum sit, Angelum pacis habere, docet his verbis: *æquitatis Genius tener est, lenis, & verecundus, mansuetus, & quietus; Cùm ergo in cor tuum ascenderit, continuo loquitur tecum de iustitia, de pudicitia, de castitate, de benignitate de venia, de charitate, de pietate.* ex his pacifici Genij comitibus, liquet, quod paulo ante dicebamus, castitatem, & pudicitiam: benignitatis, charitatis, & veniæ prolem esse. Et si ex loquela est dignoscendus qui in te spiritus sit, si videris ad peccata, & scelera suaderi, & excitari, scias vindictæ, & iræ spiritum esse in te, qui ad vitia impellit. æquitatis verò, & mansuetudinis spiritus, de virtutibus loquitur, & ad perfectionem ducit, à voce ergo vtrumque discerne.

Pietas, virtutes loquitur, & docet.

17 Comparat propterea vtrumque Genium, eximiam quandam, & valde notabilem vtriusque afferens proprietatem; sic enim loquitur Angelus: *Crede*, inquit, *Genio æquitatis, quia doctrina illius bona est; licet enim sit felicissimus homo, & cogitatio alterius Genij ascendat in cor illius, oportet illum virum, aut mulierem peccare.* Quo loco considerandum est, quàm noxium sit odij venenum, quod etiam felicissimos, idest sanctiores, & perfectos inducit ad peccandum, si in animam intromittatur. Sicut contra mansuetudo, & lenitas suauissimum, & efficacissimū pharmacū est à vitijs liberans, & ab imminētibus ēt peccatorum periculis præseruans per bona opera. *Si autem*, subdit, *etiam nequissimus vir fuerit, aut mulier, & ascenderint in cor illius opera Genij æquitatis, necesse est illum, aut illam aliqua bona facere.* vt discas quæ emolumenta afferat spiritus, & genius pacificus, quàmque perfectus fiat qui parcit, & pro persequentibus orat, illisque benefacit. Et si enim perditissimus aliquis sit, descenderit tamen in cor illius spiritus pietatis, & charitatis erga proximos, expectanda illius erit salus. contra verò timenda salutatio etiam perfectissimi cuiusque, qui iracundiæ, vltionisque spiritum in se admiserit. age ergo Angelo gratias, qui Hermam S. Pauli discipulum, teq; in illo enarrata docuit.

Vltios, perfecto etiā facit peccatores.

Mansuetudo, scelestos quoque reddit perfectos.

Estote ergo vos perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est.

Sacer text.

CAP. XI.

Inimicorum dilectio maximam arguit in diligente fortitudinem; quæ per dilectionem ipsam non parum augetur.

1 Atris cælestis imitationem terrenis filijs proponit Dominus, inquiens, *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Quoniam verò nonnulli sunt, qui inimicorum necem machinantur, & sanguini proximorum inhiant, vt strenuos, fortesque mundi (ne dicam Diaboli) milites se ostendant, non pusillanimes, ignauosque; non erit abs re hoc loco ex scripturis eruere, quàm strenuum, fortemque virum se quis per huius-

Cælestis, idest, fortis.

modi dilectionis actum ostendat, & quantum ipsius augeatur fortitudo. Id colligitur ex particula illa *cælestis*, in Euāgelico textu posita: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis, &c.* Vocem namque Hebræam *Saddai*, quam noster Interpres *Cælestis*, Septuaginta in pluribus Scripturæ locis *Deus*, Hebræi nonnulli *Fortis*, seù *Victor* transtulerunt, vt testis est P. Agellius, exponens verba illa Psalmi 67. ℣. 15. *Dum discernit cælestis reges* &c. sicque satis aptè verti posset: *Estote perfecti sicut & Pater vester fortis*, seù *victor perfectus est*. Ex quo nostrum claré patet intentum, ait enim in Euangelio Christus Dominus *Diligite inimicos vestros*, neue puteris pusillanimes pauidos, atque imbecilles, vos propterea æstimandos; imo *Cælestis* patris perfecti imitatores eritis, qui in hoc fortissimus, & victor ostenditur, quod amicis pariter, atque inimicis sua indiscriminatim partitur bona: *Estote ergo perfecti sicut & Pater vester fortis perfectus est*; in quem sensum ait Remigius: *Estote ergo, & vos perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est: ipse quidem perfectus est vt omnipotēs*, ergo perfectio amoris inimicorum tantum abest vt ignauiæ tribuatur, vt potius ab omnipotētia proficisci, & emanare doceat, cuius participationem quandā nos imitamur, & consequimur, cum inimicis parcimus, vnde idē Remig. subdit: *cum dicit, sicut Pater vester cælestis &c. sumitur, sicut, pro similitudine*. vnde eo modo quo Deus parcens, dicitur perfectus, & omnipotens, ita secundum assimilationem in amore inimicorum perfecti erimus, & in omnipotentia similes per participationem non segnes; animo viles, & pigri. quales mundus æstimat eos, qui iniurias condonant inimicis.

Septuag. Hebræa lectio. P. Agell.

Fortis est parcens inimicis.

Remig. Inimicos diligens, omnipotētiā participat.

2 Præterea idem nomen *Saddai*, quod *fortem*, ac *strenuum viribus* denotat, etiam *Deum vberum* significat: at verò *Deus vberum* idem sonat ac *Deus amoris*, vbera enim amoris typū esse competissimum est, vnde illud Cant. 1. ℣. 2. *Meliora sunt vbera tua vino*; Hebræi omnes transtulere *Meliores sunt amores tui vino*: & rursus Cant. 1. ℣ 3. *Memores vberum tuorum super vinum*; idest *Amoris tui super vinum*; & alibi sæpissimè; eodem ergo nomine & *fortis*, & *Deus vberum* appellatur, vt scias ex amore fortitudinē oriri, fortissimumque esse eum, qui amantissimus est; atque inexpugnabile pectus habet, non qui Martis induitur armis pectusque ferro munit, sed qui amoris assumit instrumenta, & cor charitate vestit, sicut dicebat Apostolus ad Coloss. 3. ℣. 12. *Induite vos sicut electi Dei sancti, & dilecti viscera misericordiæ, benignitatem* &c. quæ autem sint hæc viscera misericordiæ, subdit: *Supportantes inuicem, & donantes vobismet ipsis; si quis aduersus aliquem habet quærelam, sicut & Dominus donauit vobis, ita & vos*: Huiusmodi namq; iniuriarum condonatio, iniuriantisque dilectio, perfectissimum est armorum genus, quo & carnalibus, & spiritualibus hostibus strenuè resistendo, ab illis victoriam reportamus, de qua alibi.

Amor habens vbera est fortis.

Cant.

Cant.

3 Atque ex his patet intellectus alterius loci Canticorum, vbi de se loquēs, hæc inquit Spōsa Cāt. 8. ℣. 10. *Ego murus, & vbera mea sicut turris, ex quo facta suum coram eo quasi pacē reperiens*: si enim per *vbera*, *amorem* intelligas, iuxta supra tradita, nil aliud significare voluit Sponsa, quam quod intendimus; idem namque est, ac si diceret; vt primùm spiritum pacis accepi, odia rixasque effugiens, amor meus in firmissimum murum, ac solidatam turrim, per Spiritum sanctum, erectus est: aduersus quæ nec vniuersus orbis, nec tartareæ præualere poterunt legiones; id autem ex eo habeo, *ex quo facta sum quasi pacem reperiens*, Et hunc esse horum verborum sensum deduco ex Patre Ghislerio nostro qui in eum locum, haud dissona à dictis loquitur, dicens: *Reperisse se inquit pacem: vnde*

Cant.

Amor, & pax, turris fortissima.

P. Ghisl.

Charitas turris aduersus hostes, & peccata.

consecutum est postmodum, vt praecedentium peccatorum occasionibus, murum semet opposuerit: quo verò validior existeret murus, vbera instar turrium erecta exhibuit misericordia, & charitatis se dedens operibus: Haud enim (subdit paulo post) *validiores existimat sibi fore turres, quàm charitatem, quæ in suo succensa est corde.* His consentanea loquitur Theodoretus in eũ locum, inquiens. *Sciens* (intellige Spõsus) *quod pacem quærã, & persequar eam, & persequens comprehendam, me tùm pacificam appellauit, tum Sulamitidem & murum fecit inexpugnabilem hostibus formidandum, atque vbera mea in sublime extulit, & quasi turrim constituit, vt ex ea pugnans, Sponsi hostes propellam.* Vide quanta sit amantium fortitudo; appellat autem Theodor. persecutores, & inimicos hostes sponsi, quia Deus vltores tamquam suos inimicos vlciscitur; & persequitur quod obiter notaui.

Theodor.

4 Porro vberibus huiusmodi, amore scilicet, adeo strenuè pugnari, vt victoriæ palma, profligatis hostibus obtineatur, dixerat etiã Sponsus sponsam alloquens cap. 7. ℣. 7. *Statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botris*: Palmã, victoriæ typum cum vberibus amoris hieroglyphico connectit, quia in amore est victoria, idque ex præcedenti versiculo non obscure deducitur iuxta versionem Septuag. Interpr. *Quàm speciosa facta es, quàm suauis es facta charitas; statura tua assimilata palmæ, & vbera tua botris.* vbi iam vides, quòd charitatem palmæ assimilat, illiusque magnitudini, & excellentiæ coæquat. vberaque cum victoria annectit; vt inde scias nõ aliũde, nisi ex amore victoriam oriri. Nec prætereundum est, quòd palma folia habet ad ensis figuram, & similitudinem efformata, fructus verò dulcissimos, per quos non incongruit charitatis dulcedinem designari, vt nõnullis placuit in illud Cant. 7. ℣. 8. *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* Charitate ergo, veluti validissimo ense pugnamus: ad hãc autem pugnam victoria consequitur, merito propterea palmæ comparatur, vt scias gladium quidem esse, quo pugnas, & ne de victoria fortasse dubites, simul esse palmam non ignores: Hinc Beatus Laurentius Iustinianus lib. de lign. vitę cap. 4. *Charitas*, inquit, *impenetrabilis est lorica, respuit gladium, iacula excutit, pericula insultat, mortem irridet, postremò vincit omnia.* Hoc etiam firmat Beati Cypriani auctoritas, qui exponens illud Habacuch 3. ℣. 4. *Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius*, hæc habet; *Illic constabilita est virtus gloriæ eius, & constituet dilectionem validam, & procedet in campum secundum gressus suos.* Non aliter *procedet in campum* ad pugnandum, quàm per *dilectionem validam*: validam namque ac fortem esse dilectionem, ex eodem loco patet, iuxta Editionis Romanæ lectionem quæ teste Agellio, sic vertit: *Ibi confirmata est virtus gloriæ eius, & posuit charitatem firmam fortitudinis suæ.* fortis ergo est charitas, qua armati, *in campũ gressus dirigendi sunt*; sed prius *constituet dilectionem validam.* Eo prorsus modo quo Thespienses populi si qñ in pugnam processuri erant non Marti, sed Cupidini amoris Deo sacrificabant. ita si cum inimico pugnam cupis assumere, non Marti sacrifices, Martis arma minimè assumas, sed Cupidinis, & amoris visceribus induere, prius *constitue dilectionem validam* postmodũ verò *procedere in campum secundum gressus tuos.*

Parcens inimicis, victoriam illorũ obtinet.
Cantic.
Septuagit.
Vincit qui parcit
Cantic.
B. Laur. Iust.
Charitatis victoria.
S. Cypria.
Habacuch
P. Agell
Thespiẽses pugnaturi non Marti, sed amori sacrificant.

5 Hoc ipsum mihi videtur adumbratum in eo, quod olea, seù oliua, quæ mansuetudinis pacisque hieroglyphicum est (iuxta illud Virgilij Aeneid. 9.)

Paciferaq; manu ramum protendit oliuæ.

Virg.

vnde veteres Deorum simulacra ex oleæ ligno efformare consueuerunt, vt summam illorum mansuetudinem,

Deorum mansuetudo.

& beni-

& benignitatem explicaret, & in Hierosolymorum templo Cherubim ex hoc ligno fabrefactos appositos fuisse legitur 3. Reg. 6. ℣. 23. eadem, inquàm olea victoriæ hieroglyphicum est, vt auctor est Pierius lib. 53. qua in re hoc autumo Veteres innuere voluisse, illũ verè esse victorem, qui viscera pietatis habet, facilisque est ad ignoscendum. Hinc illud Agath. histor. lib. 3. dictum: *non armis adeo, ac pietate paratur victoria:* & Polib. lib. 5. *Benignitate, atque clementia hostem vincere, quàm armis præstat.* & Flauius Vopisc. in Aurel. *Si vis vincere*, inquit, *clementer te age.*

Pier.

Amoris triũphus.

Agath.

Polyb.

Flauius Vopisc.

6 Ad quid Gentium inquirimus testimonia, dum id sacra firmat Scriptura. Psalm. 143. ℣. 1. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum:* instructum se ait ad pugnam, armigerumque se à Deo factum ita strenuum, vt populos sibi subiecerit, *Qui subdit populum meum sub me:* Sed qua arte, quaue industria *Misericordia mea*, inquit, idest *propter misericordiam meam, & charitatem*, quam erga hostes habeo: illam enim particulã, *misericordia mea*, accipi pro ablatiuo absoluto, deduci videtur ex S. Augustino, qui illum locum sic exponit: *Quia tu das mihi vt misericors sim, & sic vincam, quia de nullo alio sic vincitur inimicus, vt de misericordia.* His armis Dauid contra Saul pugnauit, & expugnauit; his vicit Semei persequentem, & blasphemantem. Absalom filium suum aduersum se rebellantem. & alios quàmplures inimicantes. imò diabolũ ipsũ, sua misericordia, Regius vates vicit vt eo loco docet Aug. Idipsum testatũ reliquiẽs Baruch Propheta cap. 3. ℣. 25. inquiẽs, *Filij patienter sustinete iram, quæ superueniet vobis: persecutus est enim te inimicus tuus, sed cito videbis perditionem ipsius, & super ceruices eius ascendes.* Vide quomodo patiẽter sustinẽtes inimicos, supeos ascẽdẽtes, de ipsis triũphamus.

Psalm.

Misericordia vincitur.

S. Aug.

Baruch.

7 Titulus Psalm. 138. idem significat iuxta Theodor. & Apollinaris lectionem, quæ est huiusmodi: *Dispersionem ipsi Dauid.* Intelligi autem potest Psalmus, vt vel loquatur de ipsomet Propheta, dum insidijs inimicorum ad necem conquisitus, profugus, dispersusque abire coactus est: Vel de Christo Domino, cuius vita continuis semper agitata fuit laboribus: Vel de Sanctis in genere, quorum vita persecutionibus plena fuit; quouis tandem intelligatur modo, D. Hieronymi, & Eugubini versio obseruanda est, qui, vbi alij *Dispersionem*, legerunt ipsi: *Victori*, quod intelligi aliter non potest, nisi quod dum *dispersionem*, ruinasq; ab inimicis pateris, easque libenti animo sustines, tunc tibi *Victoris* titulus tribuendus est.

Psalm. Theodor. Apoll.

Vincit, qui sustinet aduersarios.

S. Hiero Eugub.

8 In Canticis Canticorum cap. 7. ℣. 1. *Quid videbis in Sulamitide, nisi choros Castrorum?* Verba sunt sponsæ ad sodales, noster Pater Ghislerius in secunda expositione de Ecclesia sancta, hunc ait esse sensum: O vos, qui dixistis cap. 6. ℣. 12. *Reuertere Sulamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te;* quid, inquàm, in me, quam Sulamitidem, idest, pacificam vocatis, intuebimini, nisi *Choros castrorum*, idest, Castra choros ducentia, & in eum morem, quo exercitus post victoriam præ lætitia choros ducunt cantantium in militaribus castris. Suboritur vero dubium; si sponsa victoriam obtinuit, ergo pugnauit, atque belligera fuit. Quomodo ergo *pacifica* appellatur? Imo hoc ipsum est; quia *pacifica*, ideo victoriam obtinuit; amori, non armis congruit triumphus: in quo alio videri possunt Chori victoriam cantantes, nisi in *pacifica*? ideo *quid videbis in pacifica nisi choros Castrorum.*

Cant.

Ghisler.

Cantic.

Canunt triũphum qui amãt.

9 Accipe ad idem probandum, aliud Apocalysis testimonium cap. 17 ℣. 14. *Hi*, inquit Ioannes, *cum Agno pugnabunt, & Agnus vincet illos, quoniam Dominus Dominorum est, & Rex Regum.* Sermo hic est ad litteram, de

Apoc.

Agni mãsuetudo expugnat hostes. Vieg.

decem Regibus, in quos Antichristi temporibus diuidendum est Romanorum Imperium, & totius orbis Principatus, vt exponit Viegas in hunc locum, & fusius in Commentarijs ad cap. 13. Apocal sect. 10. Ait autẽ Reges istos ab Agno expugnandos esse: atqui Agnus mansuetissimum animal est, bellique inexpers, vnde mansuetudinis hieroglyphicum esse notum est omnibus, & refert Pierius lib. 10. *Imbellem*, inquit, *ac egregiè mansuetum hominem significare qui volunt, Agnum pingere consueuerunt:* Et vulgatum est illud Isaiæ 53. ℣. 7. *Quasi Agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Sed si ita mansuetus, mitisque est, atque imbellis, quo pacto pugnat, quo pacto ex decem potentissimis Regibus victoriam reportat? Profectò ideo vincit, quia belli inexpers, iniurias vsque ad mortem ipsam ferre didicit: Audi ipsius Ioannis testimonium Apocal. 5. ℣. 12. *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, & fortitudinem, &c.* ideo fortitudinem meretur accipere, quia adeo mansuetus est, vt ad instar Agni se occidi permittat: & quidem sua mansuetudine tantam accepit fortitudinem, vt vniuersum planè orbem sibi subiugarit. Hinc Isai. 16. ℣. 1. *Emitte Agnum Domine Dominatorem terræ.* Vbi nota nõ vacare mysterio, quod Christus cum Dominator terræ describitur, tunc Agni vocabulo nuncupatur; quia, vt inquit Viegas in cap. 5. Apoc. comment. 2. sect. 3. nu. 4. mansuetudine, & amore vniuersum mundum sibi subiecit, quemadmodum ei gratulatur Regius Vates Psalm. 44. ℣. 5. *Intende, prospere procede, & regna, propter mansuetudinem*. Et hanc ob causam, vt idem Viegas ibidem adnotauit, hoc ipso loco Apocalypsis cum in specie Agni Christus apparuisset, vnus ex viginti quatuor Senioribus clamauit: *Vicit Leo de Tribu Iuda*; tũc nimirum Leonis fortitudinem, & victoriam in Christo agnoscens, cũ mansuetudinem in eo spectauit; per quam fortificatus, fortissimos, & ipsum diabolum, qui mundi principatum sibi vsurpauerat vicit; quod adnotat Sãct. Thom. in Caten. Luc. 4. ad illa verba. *Angelis suis mandauit de te &c.* & *dictum est non tentabis* Dominum Deum *tuum* dicens *Nouit diabolus arma Christi quibus succubuit, ex mansuetudine eum cæpit, & humilitate deuicit.*

Pier. *Isai.* *Apoc.* *Isai.* *Christus mãsuetudine, & amore subegit vniuersum. Blas. Vieg. Psalm.*

10 Hac etiam de causa fortitudo cum pace connexa reperitur Isai. 9. ℣. 6. *Vocabitur*, inquit, *Deus fortis, princeps pacis*, quia scilicet non aliunde *fortis* nisi quia *Princeps pacis*. Huc ẽt spectat Psalm. 7. ℣. 12. *Deus Iudex iustus, fortis, & patiens, numquid irascitur per singulos dies.* Vbi obseruãdum ideo *fortem* dici Deum, quia *patiens* est; prætereà ex eo quia *fortis*, non *irascitur per singulos dies*: non benè igitur conueniunt ira, furorque cum fortitudine, sed huic clementia & misericordia annectenda est. *Fortitudo enim*, inquit Magnus Gregorius lib. 5. moral. *non nisi in aduersitate ostenditur; tantò enim quisq; ad fortitudinem profecisse veriùs se demonstrat, quantò aliena mala robustius tolerat.* Et S. Augustinus, *Virum fortem*, ait, *iniuria probãt.* Et ex his intelliges cur in Prothomartyre Stephano fortitudinem sacra prædicet historia: Act. 6. ℣. 8. *Stephanus*, inquit, *plenus gratia, & fortitudine faciebat signa magna in populo.* Sed quam ostendit fortitudinem, qui nusquam pugnasse legitur, imò à Iudæis lapidibus impetitus non solùm arma non arripuisse, sed ne linguam quidem ad sui tutelam, defensionemque soluisse perhibetur? semel os aperuit, atque pro hostibus saxis in se irruentibus Deum deprecans, exclamauit, Act. 9. ℣. 59. *Domine ne statuas illis hoc peccatum:* Pro inimicis orat; quid igitur viro isto fortius? quid admirabilius.

Pacificus est fortis. Isai. *Psalm.* *Fortis nõ irascitur.* *S. Greg.* *Fortis, qui iniurias, & aliena mala sustinet S. Aug.* *Act.* *Stephan. pro inimicis orans fortis.* *Act.*

11 Audi quid de amoris fortitudine dicat Scriptura, Cant. 8. ℣. 6. *Fortis est vt mors dilectio, dura sicut*

Cantic.

infer-

infernus æmulatio; ex qualitate, quæ subiectum informat, subiectum ipsum tale denominatur, sicut ex albedine album, ex calore calidum &c. quia ergo *dilectio*, seù charitas, *fortis est* ex sui natura, vtique fortem reddit, illam in se habentem, ex qua *fortis* denominari potest, & debet. Si verò Symmachi versionem sequamur. *Inexpugnabilis est vt mors dilectio.* Vinci, & expugnari nequit mors, imo omnia vincit, omnia expugnat: *fortis vt mors charitas*, inquit S. Augustin. epist. 39. ad Hierony. *quia nemo eam vincit, sicut nec mortem*; Diabolum ipsum superat; fortissimus quidem est Diabolus, ideoq; Leoni inter bestias fortissimo illum Petrus Apostolus cōparauit epist. 1 cap. 5. *Aduersarius vester diabolus tamquam Leo rugiens circuit querens quem deuoret*: vnde Sanctus Gregorius Papa in 4. Reg. dixit: *Dæmonum manus euadere magnum, imò maximum est*: sed *fortior diabolo dilectio*, ait Sanctus Anselmus, *Pertimescit enim Sathanas* (dicebat Sanctus Anton.) *feruentem amorem* &c. & pacificos tamquam armatos formidat, ad eorum occursum timidus. D. Bernard. de bene viuendi modo serm. 41. *Sicut hostes timent quandò acies castrorum bene ordinatas ad bellum vident; ita Diabolus expauescit, quando spirituales viros virtutum armis accinctos, in vnitate concordiæ viuere conspicit.*

Symmach

Amoris fortitudo quanta sit S. Aug.

S. Petr.

Amor diabolo fortior. S. Greg.

S. Ansel. S. Anton.

S. Bern. Expauescit diabolos pacificos.

12 Munit enim, & custodit diuinum præsidium charitatiuos, & hostes perterret. Cantic. 3. ℣. 7. dicitur. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: vniuscuiusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos.* Salomon dicitur *Rex pacificus*; meritò itaque sexaginta fortium custodia vallatur, vt in lectulo securus quiescat, qui .n. pacem amat, securus sub diuina custodia, & munitissimo præsidio viuit. Sūt præterea custodes isti fortes, imò *ex fortissimis Israel*, armati, & præcincti, *atque ad bella doctissimi.* Neque enim potest non esse fortis, qui custodit Salomonem, typum ipsius pacis, qui eo ipso ostendit se fortem, & fortium esse fortissimum, & ad bella contra infernalem hostem doctissimum. Quod si contra diabolicas acies præualent pacis custodes, quanto magis humanis insidijs resistent? non sunt itaque ignauiæ, & vilitatis damnandi, si consultò malunt cedendo parcere, quam repugnando rixari.

Cant.

Pacificos Deus seruat.

Fortis est, qui pacē seruat.

13 Quòd si contentionibus, & iurgijs agere vellent: ea est pacificorū virtus, vt nedum vni inimico resistere, sed pluribus par esse quilibet illorum possit. quod confirmo ex Cant. 8. ℣. 12. *mille tui pacifici, & ducenti bis, qui custodiunt fructus eius.* Mirari hic posset aliquis, quo pacto tam cito auctus sit hic numerus, ita vt qui paulo ante erant sexaginta vt diximus: *sexaginta fortes ambiunt*, euaserint mille ducenti: quod obseruauit S. Ambros. lib. 1. de Virginit. quoniam enim apud Lxx. legitur. *Mille Salomoni, & ducenti qui seruant fructum eius.* Ideo sic scribit. *dixerat lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi. hic mille ducenti; creuit numerus.* significat S. Ambr. quod vtrobique ijdem custodes Salomonis nominantur, & sunt; quomodo itaque cum prius *sexaginta* essent, *mille ducenti* secundo loco fuisse dicuntur; cum ijdem sint? Responderi potest, quòd qui prius erant *sexaginta*, armati fuisse dicuntur, & *habentes gladios, ad bella doctissimi*; ijdem verò cùm pacifici sunt, crescunt ad mille ducentos; Quia si armati, & ad nocendum dispositi, malint esse pacifici, & exutis armis deponere odia, fiunt fortiores, adeo vt etiam si sint tantum sexaginta, tamen præ fortitudine mille ducentis æquiparentur, & præualeant, & hinc est quod cap. 8. appellantur pacifici; *mille tui pacifici, & ducenti &c.* in armis

Cant.

S. Ambr.

Illustratur Salomon.

Quilibet pacificus, viginti armatis simul fortior.

stabant

stabant; dum enim custodes huiusmodi armati describuntur belligeri, & sæui: *omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi*, sexaginta sunt: *sexaginta fortes ambiunt*. sed ijdem, dum pacifici enunciantur, mille, & ducenti sunt: *mille tui pacifici, & ducenti*. quasi dicat, quod quilibet mansuetus, & mitis; viribus, & fortitudine pro viginti militibus armatis, ac belligeris computatur, si iusta fiat supputatio, dum sexaginta, in mille & ducentos mutantur, vt dicebamus ex Ambrosio; non enim in armorum præsidio, sed in animorum charitate robur situm est, qua qui pectus muniunt, multis armatis, vt amore vincant, possunt tutò occurrere.

14 Vis nosse quot plures armatos, vnica charitatiua anima prosternere valeat? adi 2.cap.Cant.℣.4 *ordinauit*, inquit spōsa, *in me charitatem*, quid est *ordinare*, nisi aciem in ordinem disponere, & instruere ad pugnam? sic noster Pater Ghisl. in secunda exposit. *ordinauit*, inquit, *in me aciem charitatis*; ita instructa procedit anima terribilis vt castrorum acies, fortis, & potens militares quoscumq. impetus excipere, & valide sustinere, ac repellere; ex quo error illorum conspicitur qui animi vilitatem in viris pacificis reprehēdunt. vel dicamus, quòd creuit ille numerus sexaginta fortiū, in mille, & ducentos, quia pacifici eo fortiores fiunt, & augent vires, quo in eos validius inimici insurgunt; obdurant enim inter aduersa; qui ergo erant *sexaginta* euadunt *mille ducenti*; in aduersitatibus, & persecutionibus, maiores animos, ac viriles spiritus sumentes; vt nō tam *sexaginta*, quàm *mille ducenti*, virtute, & præstantia dici mereantur. Quis itaque in istis ignauiam, & torporem poterit arguere, in quibus virilis constantia, spectabilis, & animosa fortitudo, non tam numerum, quàm virtutem admirabilem reddit.

Cant.

P.Ghisl.

Sola charitas profligat plures hostes.

Aduersitates, fortiores nos efficiunt.

15 Experiamur in Dauide hanc vnius pacifici contra plures fortitudinem. nota est historia Goliæ robustissimi gigantis, qui solus, instar multorum, totum Israelitarum exercitum solis verbis terrebat; vnde 1. Reg.17. ℣.24. *omnes autem Israelitaeum vidissent virum; fugerunt à facie eius timentes eum valdè*, & creuerat adeo incircumcisi illius insolentia, vt teste D. Chrysost. hom.46. in Genes. *vnus aduersus tot millia se poneret*. aduersus hūc tñ tantopere formidabilem, & qui omnib. Saul copijs solus cōgredi audebat, charitatis aciem Deus in Dauid ordinauit, per quam de inuicto hoste, gloriosā victoriā reportauit. Erat Dauid quietis, & mansuetudinis armis satis instructus, vnde obiurgantibus eum fratribus, & iuuenilem ardorem cohibentibus, non irritatus est. *at tu vide*, ait Chrysost. ead. homil. *huius nihil prudentiam, & mansuetudinem, nihil temerarium, aut asperum eis loquitur &c.* hæc illi mansuetudo victoriam, hæc fraterna charitas gloriam peperit. S. Augustin. lib.16. de Ciuit. Dei cap.23. *Quinque*, inquit, *lapides accepit; vnum misit; quinque libri electi sunt, sed vnitas vincit; plenitudo ergo legis est charitas, vt ait Apostolus, sufferentes inuicem in dilectione, sollciti seruare vnitatem spiritus, in vinculo pacis. illo deiecto, gladium abstulit, caput illi abscidit.* vnico igitur charitatis ictu gigantea quæuis moles prosternitur, detumescit fastus, robur omne, etiam inermi puerili manu, deiectum cadit.

1.Reg.

S.Chrys.

Dauidis maxima mansuetudo.

S. Chrys.

S.Aug.

Charitas vincit hostes.

16 Quod Dauidis facinus, ne temere charitati tribuere videamur, id ex eodem D. August. validius adstruentes, comprobemus; non solùm arma victoris, sed armorum loculum considerantes. asseruabat lapides ad gigantis necem fortis iuuenis in pastorali pera 1.Reg,17.℣.40. *elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralē, quam habebat*; considerat hic D. Augustin. non sine mysterio lapides in

1.Reg.

pastora

pastorali fuisse positos, & inde ad inuadendũ inimicũ depromptos, cùm dicitur ℣. 49. *& misit manum suam in peram, tulitque vnum lapidem*, ait Augustin. *in pastorali vbi lac mulgeri solet, & reponi*, vt intelligas ex ipso lactis, & charitatis penu, ac pera, validissimum lapidem sumi, quo Goliath cadit, & deijcitur: nõ stat aduersus ictum lapidis è pera deprompti gigas, sed nutabundus, ac tremens totam molem corporis cum armorum apparatu secum ipse ducit. est enim lac symbolum perfectioris, & purioris charitatis, amoris, & concordiæ, quia est sanguis magis decoctus, & purificatus, vnde est illud S. Hieronym. aduersus Lucifer. *lactis, & mellis pragustare concordiam*, & tradit fusè Pier. lib. 16. ideo in lactis conditorio, & amoris pera lapis seruatur, quo superari gigas quiuis, vel robustissimus, potest.

D. Au

Amor instrumẽtũ ad victoriam inimicorum

S. Hieron. Pier.

17 Adhuc possumus aliunde idẽ confirmare; nam D. Aug. homil. 51. in illud 1. Reg. 17 ℣. 38. *Induit Saul Dauid vestimentis suis*, inquit, *armatus est Dauid, vt quoniam viribus, & ætate impar erat, quasi armis par esset; sed arma vetera potius onerabant, quàm adiuuabant; abiecit, onera esse dixit; fortis non in se, sed in* Dño. arma vetera sunt, id quod *dictum est antiquis: odio habebis inimicum tuum.* hæc non muniunt, sed onerant Dauidem; quia mutuum odium vtrimq; est noxium; arma noua, quibus Goliath cadere potest, sunt, *mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem*, quod alibi dicitur: *induite viscera misericordiæ*; ita enim inermes (armati in Domino) giganti resistere possumus. Et diligenter nota, quòd arma Saulis, qui persecutor erat, & vindicatiuus: magis impediebant, quàm adiuuabant Dauidem ℣. 36. *dixitque Dauid ad Saul: non possum sic incedere*, quia inimici irritantes, & maleuoli; sibi ipsis damno sunt; quomodo enim arma Saulis iuuare Dauidem poterant, quæ ne Sauli quidem profuerunt? Quod non tam de armis æreis, quàm de insidijs, intelligas velim.

S. Aug. Vindictæ arma, onerãt potius quàm adiuuant.

18 Pondero etiam in eodem Dauidico facinore verba expositionis Sanct. Chrysost. homil. 46. in Genes. *accepta*, inquit Chrysost. *pera, & silicibus* &c. lapis, nomen genericum est; *silex* est species lapidis vnde ignis excutitur, italicè: *pietra batti fuoco*, dicitur *silex*, vel quòd ex eo ignis saliat; vel quòd silentem intra se ignem habeat, vnde Virg. 1. Georg.

S. Chrys.

Silex, cur sic dicatur.

Virg.

Et silicis venis abstrusum excuderat ignem

non poterat ingens ille colossus, alio, quàm silicis ictu sterni, idest, ignitæ charitatis silice percussus, quo iubemur *vincere in bono malum*: qua vna ratione inuicta pacificorum fortitudo, iniuriantium vires repellit, & gloriosa triumphat; cedendo, resistit; humiliando se, extollitur; dimittendo acquirit. ideo Sanct. Petr. Chrysol. serm. 38. in illud Matth. 5. *audistis quia dictum est antiquis: oculum pro oculo* &c. *ego autem dico vobis: non resistere malo* &c. inquit, *sic cùm dicit, vult nos vitia non repensare vitijs, sed superare virtutibus. Ira vincitur lenitate: mansuetudine extinguitur furor; malitia bonitate palpatur, crudelitas pietate prosternitur; impatientia patientia punitur; contentio superatur iniurijs; superbiam humilitas sternit. ergo fratres qui vult vincere, pietatis arma teneat non furoris.* ijsdem pietatis, & charitatiui affectus armis, idem Dauid præualuit contra Semei; cuius maximas iniurias, & contumelias lenitate, & clementia contudit, quibus fortissimas calumnias intrepidè sustinuit: nam vbi 3. Reg. cap. 2. ℣. 8. legit vulgata: *maledixit mihi maledictione pessima*, in quibus verbis de iniurijs Semei loquitur; adnotant Expositores, & præsertim Lorin. in Psalm. 38. quod illa vox *pessima*, significat *valde fortem*; validissimis itaq; armis, & iniurijs Semei aggressus est Dauidem: quibus verò armis se defenderit, & illatas ca

Amoris silex hostes prosternit.

S. Chrysol.

Pietatis arma vincũt hostes

3. Reg.

Lorin. Dauid, mansuetudine vincit inimicos.

2.Reg. lumnias reiecerit Dauid, discimus 2. Reg. cap. 16. ℣. 10. vbi cùm Abisai vltionẽ ei de obtrectatore polliceretur, Dauid mansuetè respondit. *dimitte ei, vt maledicat; Dominus enim præcepit ei vt malediceret Dauid*. quam sancti Regis lenitatem extollit Sanct. Ambros. lib. 6. de off. cap. 5. *Hæc sunt iusti, vt tacendo, & cedendo vincat. nam cum ei conuiciaretur Semei, tacebat; & quamuis septus armatis, non retorquebat conuitium, non vltionem quærebat, nec vindicare volentem permisit*, & lib. 1. offic. c. 48. *Cum malediceret ei Semei*, inquit, *tacebat, & humiliabatur; deinde expetebat maledici sibi, quia maledicto illo, diuinam exquirebat misericordiã*. non igitur propter vilitatem, & impotentiam iniurias dimisit Dauid; sed vt animi fortitudinem, & intrepidam constantiam præseferret.

Ambros.

19 Vulgarium igitur, & mundanorum hominum opinio, seu potius error facit, vt qui fortes sunt, pro vilibus, & ignauis contemnantur, qui si velint, postposito diuinæ legis præcepto, viribus experiri, cuilibet pares esse possunt. doctrina hæc fuit D. Tho. Psalm. 37. ℣. 14 *& sicut mutus non aperiens os suum*. putat sanctus Doctor his verbis tradi remedium contra iniurias verborum; confirmatque hoc Dauidis dictum exemplo Iesu Christi qui vt dicitur Matth. 27. ℣. 14 multis falsis contra eum testibus insurgentibus instanteq; Pilato, vt obiectas accusationes dilueret, *non respondit ei ad vllum verbum; ita vt miraretur præses vehementer*, nec miraretur solùm, sed etiam compateretur, vt dicit Cyrill. Cathech. 13. adducens eundem locum Psalm. 37. *Sic etiam* subdit D. Thom. *facere debent viri iusti* Ps. 38. ℣. 2. *posui ori meo custodiam, dum consisteret peccator aduersum me.* Et vt hanc in viris pacificis mansuetudinem, non ignauo timori, sed spontaneæ electioni ad scribendam intelligas. audi eundem D. Thom. exponentem verba sequentis ℣. 15. eiusdem Psalm. 38. *& factus sum sicut homo non audiẽs. Hoc*, inquit Sanct. Thom. *est contra opinionem malorum qui hoc imputant ignauiæ, non virtuti, & dicit, & factus sum, scilicet, opinione*, nota hanc vocem, vt videas *tua opinione*, imò, vt dixi, errore, pacificos in dimittendis iniurijs, in silentio, & patientia timiditatem, & ignauiam præseferre. pergit psaltes. *sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones*, idest, subdit D. Thom. *ac si non sit sapiens ad respondendum. vnde de Christo dicitur Luc. 23. quod illusit ei, & despexit eum Pilatus*. in quo Christi Saluatoris venerabili silentio, sicuti vilitatem mundus arguit, ita Isai. cap. 30. ℣. 15. fortitudinem considerauit; *in silentio*, inquit, *& spe est fortitudo.* Compertum est in militaribus conflictibus, eos, qui fortius, & animosius dimicant, nullum ore clamorem edere; contra, meticulosi, clamosissimi sũt, adnotat hoc Aul. Gell. lib. 1. cap. 11. ex Homerico versu; apud Homerum enim *Græci taciti eunt Troiani contra cum clamore, vt grues*. & hæc est ratio cur mansueti iniurijs impetiti taceant; quod animaduertit Forer. exponens adducta Isai. verba. *diffidentium*, inquit, *est strepitus, confidentium verò silentium: videturque esse allusio ad verba Mosis Exod. 14. state, & videte magnalia, quæ Dominus facturus est hodie, Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis*. hoc est mansuetorum silentium, fiducia in Deum, & longanimitas, non timor. *quoniam in te Domine speraui*, vt in taciturnitate, diuini subsidij spem, & fiduciam se fouere, significaret; & ignoscentis, condonantisque iniurias virilem animum, fortemque ostenderet.

Silentium est remedium contra iniurias. Matth.

S. Thom.

Fortis est animi, nõ vindicare S. Thom.

Psalm.

S. Thom.

Fortis, & sapiẽs nõ obiurgãs in properantem. Isaias illustratur.

Meticulosi, sunt clamosissimi

Aul. Gel.

Forer.

Mansuetorum fortitudo in perferendis iniurijs.

Cum

Sacer text.

Cum ergo facis eleemosynam, &c.

C A P. X I I.

Amor omnium Dominus, amantem omnibus spoliat.

1 VO pacto, tradita in præmissis Euãgelij verbis doctrina de modo faciẽdi eleemosynam, vt coram Deo bonorum operum remuneratore accepta sit & grata: cum ijs benè cohæreat, & connectatur, quæ supra de diligendis inimicis à domino præscripta fuerant, difficile esset diuinare (cum in nulla re videantur conuenire amor inimicorum, & modus faciendi eleemosynam) nisi Platone docente sciremus amorem Pori, & Peniæ, idest, copiæ, & inopiæ prolem esse. Porum, inquam, seu copiam, voluit Plato in Sympos. Amoris esse Patrem; Peniam, seu inopiam, eiusdem Matrem. ab his oriundus parentibus amor, vtriusque in aliquibus similitudinem refert, vt vberius explicat Marsf. Ficin. in Comm. eiusd. Dial. secundum Platonica dogmata. Nos tamen Christianis moribus vtilius, & ad propositum in quo versamur aptius dicamus; quòd ad Christianam perfectam charitatem duo maxime, tamquam eius parentes debent concurrere, inopia scilicet in retribuendis, & vlciscendis iniurijs, & copia in conferendis beneficijs; inopia in persequendis: copia in dimittendis, & relaxandis alienis in nos erratis, & peccatis; inopia demum odij, & simultatum: copia amoris, & benefactorum, atque eleemosynæ; cõstat in summa Christiana charitas, & coalescit ex negatione illius: *odio habebis inimicum tuum*, & affirmatione huius, *benefacite ijs, qui oderunt vos*; quæ beneficentia, eleemosyna maxime, & charitate clarescit; ideo cùm de inopia dictum fuisset, debuit etiam necessario & illud de copia, & danda eleemosyna præceptum superiori doctrinæ adnectì. propterea Saluator, non tamquam sermonem de nouo exorsus, sed quasi hoc de eleemosyna mandatum ex superius dictis inferens, & deducens inquit: *cum ergo facis eleemosynam.* quasi ex amore, de quo supradictum, hic alijs largiendi affectus nascatur. Est etiam filius copiæ Amor, quia nihil non illi suppetit, dicente S. Augustin. in Psalm. 36. Quòd *semper habet vnde det; cui plenum est pectus charitatis*. sed est etiam filius inopiæ, quia in hac rerum omnium vbertate profusus, nihil sibi reseruat; vnde Comic. in Pseudol. *Non est iustus quisquam amator, nisi, qui perpetuat data; datq; vsque. Quando nihil sit, simul amare desinat.* Indicauit hoc Alexand. Mag. qui teste Plutarch. in eius vita, Phocioni per litteras mandauit, si non admitteret dona sua, renunciare se ei amicitiam: neque enim sine mutua dandi accipiendique vicissitudine amicitiam stare, aut perennare posse credebat.

Plato. Amor pori, & peniæ proles.

Mar. Fic.

Charitas quomodo inops, & diues.

S. Aug.

Semper habet, quod det qui amat. Comic.

Plut.

2 Huic simile est Christi Domini præceptum dicentis: *diligite inimicos vestros*; quo posito, statim subdit. *benefacite his, qui oderunt vos*; quia separari nequeunt Amor, & largitio; diligens charitas, & benefica eleemosyna: ideo non dicitur *fac eleemosynam*, quasi ipse actus faciendi eleemosynã, quoad substantiam suadeatur; sed dicitur: *Cùm facis eleemosynam*, quia modum tantum quo facienda est, satis est præscribere; jam enim desiderium sua largiendi, in eo supponitur, qui superius tradita Christianæ charitatis præcepta receperit, & sibi ad seruandum proposuerit; vnde potius de modo, quàm de re ipsa instruendus

Amor est beneficus.

erat amans fidelis, & charitatiuus, qui amore feruidus non potest charitatis æstum celare, quin, illum largiendo manifestat, & hinc ortum habuit, vt postquam Dominus ad fraternæ charitatis obseruantiam suos instruxerit; vsus fuerit particula illa, *ergo*, dicens: *cum ergo facis eleemosynam &c.* quæ particula illatiua est, & vim habet inferendi ex præmissis, & antecedentibus, quæ quidem fuerant, *diligite, benefacite, orate pro persequentibus &c.* vt amoris liberalitas inde dignosceretur.

3 Ex hac amantium ad dandum promptitudine, factum crediderim, vt à veteribus *Amor* seu *Cupido*, nudus effingeretur, vt docet Athen. lib. 5. & Plat. in Sympos. Quod aliqui propterea factū dicunt, vt denotaretur, quod amoris affectus, debet esse simplex, & apertus, namque duplices animo, & sinuosi corde, qui quasi velaminibus tegunt animos, non verè diligunt. Vel quia nuditas illa, importunam, & perpetuo conspicuam in amante pertinaciam arguit. Aut quia nuditas insanis tribuitur, & amor manifestam amantium insaniam prodit, vnde ille:

Cur te cum nullo corpus velamine monstrat?
Stultitia insani manifesta patescit amantis.

Quæ, quamuis vera esse possint, tamen illud etiam est certissimum; nullum reperiri amantem, qui egestate non prematur, ideo nudus pingitur, quia vt alijs donet, etiam proprijs se vestibus spoliat, & ad inopiam redigitur. ita apud Plaut. in Trinum. Lysiteles adolescens amori profano cui per iuuentutis licentiam plus nimio indulserat renunciaturus, cùm multa illi obijcit, tū præcipuè illum *despoliatorē* appellat; *amor*, inquit; *blādiloquentulus, barpago, mendax, cupes, auarus, elegans, despoliator, latebricolarum hominum corruptor &c.* Despoliauit Iesum, qui propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, ex opulentissimo egenus factus est, & ad nos, pro nobis, in mortali corpore descendens, in omnium rerum egestate fuit, vnde Matth. 8. ℣. 20. dicitur. *filius hominis non habet vbi caput suum reclinet.* cuius immenso amori, vt, quantum in se erat, vices rependeret Paulus, ad eius imitationē se componebat, & ideo de se ipso dicebat 1. Corinth. 4. ℣. 11. *vsque in hāc horam esurimus, & sitimus, & nudi sumus*; illi enim in eo erant feruentissimæ charitatis, qua se plenum sentiebat, effectus, Roman. 8. ℣. 35. *Quis nos separabit à charitate Christi.* Eiusdem charitatis æstu incaluerat Petrus, qui cū repetita attestationę professus fuisset, Ioan. 21. ℣. 16. *etiam Domine tu scis, quia amo te*, in experimentum, & periclitationem huius amoris gloriabatur Matth. 19 ℣. 27. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* & certè omnia relinquere conueniebat eos, quorum summi, & diuini amoris incendio pectus flagrabat.

4 Consideremus hoc idem pressius in diuino amore, qui Deum ad cuncta mundificè largienda, compulit. Pier. lib 27 § ita verò: ex Ioan. Tzetz. Chiliad. 5. cap. 11. refert Cupidinem à priscis effingi solitū, vna manu Delphinum, altera florem continentem, vt hinc terræ Dominus denotaretur, inde maris, & bene mundano amori conuenit Delphinus, qui addita inscriptione: *Periculorum fuga*, eius fuit hieroglyphicum, qui ingruentibus periculis in tuto se recipit, docet enim Sanct. Thom. 2. dist. 7. q. 2. quod Delphinus futuram præsentiens tempestatem, ęstuantium vndarum impetum refugit. ita mundani amatores in tranquillitate; & prosperitate obsequia, & famulatum præstant, vbi verò periculorum, & aduersitatum vndas insurgere præsenserint, amicos deserunt, seq; ad tuta recipiunt. ita Petrus qui Ioan. 21. ℣. 16. dixerat *etiam tu scis quia amo te*, & Matth. 17. ℣. 4. cælestis gloriæ prægustata dulcedine: *Domine*, inquit, *bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula.* postea ingruente

tempe-

Athen. *Plat.* *Amor simplex, & apertus* *Amoris insania.* *Amor nudus quia prodigus.* *Plaut.* *Amor despoliator dicitur, & est.* Matth. 1. Corint. Roman. Ioan. Matth. *Pier.* *Tzetz.* *Amor terræ, aquarū, & aeris Dominus.* *Amoris mundani inconstātia.* S. Thom. Ioan. Matth.

tempestate passionis, in qua dicere poterat Iesus illud Psalm. 68. ℣. 3. *veni in altitudinem maris, & tẽpestas demersit me*; subducit se Petrus, & recedit negãdo se illius discipulum, & vna cum alijs discipulis illum deserendo Marc. cap. 14. Vers. 50. *tunc discipuli eius relicto eo omnes fugerunt*. Sed hoc obiter. Alij autem in amoris manu addiderunt auem, quo et aeris imperiũ eidem tributũ denotaretur. summum igitur Dei erga homines amorẽ ostensurus Dauid, hæc omnia mirabiliter complexus est, Psalm. 8. ℣. 5. *Quid est homo, quod memor es eius? aut filius hominis quoniam visitas eum?* quæ verba sic ad sensum nostrum exponit P. Agell. noster. *Hunc versum exiguis quibusdam immutatis legimus* in Psal. 143 *Quid est homo quia innotuisti ei, aut filius hominis, quia reputas eum? ergo quod hic ait, quod memor es eius, perinde est ac si dixisset, qui cogitas de eo tamquam de re, quæ chara tibi sit, namque meminisse alicuius illum æstimare est; vt contra non meminisse illũ negligere. & quod hic dixit (visitas) ibi dixit reputas, hoc est, aliquo numero habes, recenses tamquam rem tibi charam, dignum tua cura, atque recensione putas. sic dixit Iob 7. Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?* hæc Agell. ex quibus, quantus, & quam vehemẽs sit feruentissimus Dei erga homines amor patet.

Psalm. *Marc.* *Psalm.* *Amor Dei erga homines maximus* *P. Agell.* *Psalm.*

5 Videamus iã huius amoris munificentiam, quæ Deum penè ad inopiam redegit, qui cuncta homini profusè largitus est, hanc amplissimis verbis Propheta describit ibidem ℣. 6. 7. *gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum*. tamquam omnium Dominum, ac Principem; *omnia subiecisti sub pedibus eius*; in signum dominij, & actualis possessionis, quæ pedum positione acquiritur. sed quæ sunt hæc omnia? nimirum illa eadem, quibus amor dominatur, *oues, & boues vniuersas: insuper & pecora campi: volucres cæli, & pisces maris*. per *oues*, cæteraque terrestria animalia, terræ dominiũ ostenditur, multo congruentius, quàm per herbam. per *volucres cæli, & pisces maris*, potestas in duo reliqua elementa designatur. Ignis vero non oportuit meminisse, cùm amor ipse sit ignis; vnde Hesiodus, cùm terram, aquam, & aerem posuisset genita, quarto loco amorem genitum subiecit, per quem interpretes igneum elementum communiter accipiunt hieroglyphicè. Ex quibus cõprobatur hominem à Deo, in signum maximi amoris, dominum omnium mundanorum fuisse constitutum; quibus quodammodo se spoliauit, vt ea hominibus largiretur. Genes. 1. ℣. 28. *dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram*, hi omnes fuerunt effectus diuini amoris, vt enim in præallegato ab Agell. loco dicebat Iob. *Quid est homo quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?* apponere cor est vehementer amare, ita accipitur Psalm. 61. ℣. 11. *diuitiæ si affluant nolite cor apponere*. significat ergo Iob Deum non posse erga aliquem cor apponere, quin etiam suadentibus, & cogentibus amoris legibus, illum non magnificet, & augeat, cunctis illum bonis cumulando. & sicut in amando Deus humanam omnem cogitationem excedit, ita etiam in dando, eò vsq; progressus est, vt rem mortalibus saluberrimam molitus fuerit Ioan. 3. ℣. 16. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*; quo nihil illi charius.

Cuncta sublunaria homini dat amor. *Psalm.* *Amor ignis est.* *Hesiodus* *Genes.* *Iob.* *Cor apponere, est intensè amare.* *Psalm.* *Ioan.*

6 Sed nimis parce amoris copiã coarctamus, si mundanorum tantùm illum Dominum constituamus, cùm & cælis, & ipsi etiam cælesti Regi dominetur. Amoris profani tradit Pausan. in Corinth. extare apud Sicyonios statuam ex bore, Veneri dicatam cæli orbes capite gestantem, vt in Deos ipsos amoris potentiam extendi demon-

Pausan. *Amoris potentia in Deos.*

strarent. Habemus veri amoris insignē imaginem, & hieroglyphicum descriptum Apocal. 1. ℣. 13. & sequentibus, *& vidi*, inquit Ioannes, *septem candelabra aurea & in medio septem candelabrorum similem filio hominis vestitum podere.* hæc septem *candelabra* vt idem Ioannes exponens subdit ℣. 26. *septem Ecclesiæ sunt*: qui vero in medio horum septem candelabrorum stabat, erat vtique *filius hominis*, idest, Christus, qui Ecclesiarum amore captus, inter Ecclesias libentissimè ac dulciter morabatur. Et quia solēnt amantes vt amicarum sibi gratiam concilient vestes illarum imitari, ideo legis, *vestitū podere* quæ vestis erat propria sacerdotis, ita de veste summi Sacerdotis Aaron dicitur Sapient. 8. ℣. 24. *in veste poderis quam habebat totus erat orbis terrarum*, iuxta Dei præceptum Exod. 28. ℣. 6. & merito; quid enim tam Ecclesiæ gratum, quàm sacerdotium? quid ita nobis proficuum, atq; augustissimum missæ sacrificium? ideo amans, podere vestitus apparet, vt se dilectæ magis expressa similitudine conformaret. Rursus de hac eadem amoris statua idem Ioannes ait ℣. 14. *caput autem eius, & capilli erant candidi tamquam lana alba, & tamquam nix*; in quo ostenditur veri amoris à profano discrimen, hic enim puer pingebatur, tum quia leuis, & inconstans est, tum quia imbecillis, & sine intellectus vsu, quæ omnia puerili ætati congruunt; senum verò propria est prudentia quam canities indicat, ideo *capilli eius cādidi.* Addit Io. ℣. 15. *& pedes eius similes aurichalco sicut in camino ardenti.* puri amoris, puri, & sinceri sunt pedes. i. stabiles affectus ex aurichalco, inquā, metallo firmo, forti, & stabili; ne quid in eo leue, & incōstans esse suspiceris; cū è contra mundanus amor pedes alatos habeat ob incōstātiam. Sunt verò *sicut in camino ardenti*, vt quia pedes, extrema pars corporis sunt, verum perfectumq; amorem perennem esse, & ad finem vsque vitæ perseruare intelligas; benè enim dixit quidam, quod amicitia, quæ desinere potest, nunquam fuit amicitia; ideo de de Christo dixit Ioannes 13. Vers. 1. *cùm dilexisset suos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos.* Nisi malimus per id denotari, quod amātes nullum periculum detrectant, per ipsas etiam flammas si expediat incessuri. Senec. in Hippol.

Nō me per altas ire si iubeas niues,
Pigeat gelatis ingredi Pindi iugis;
Non si per ignes, & infesta agmina
Cunctis paratis ensibus pectus dare.

Neque obstat huic expositioni quod dicitur Vers. 16. *de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat*; nam hoc etiam amoris argumentum esse potest cui iacula, & arma, quibus feriat, tribuuntur. Hor. 2. Carmin.

Super ardentes acuens sagittas
cote cruenta.

Id ipsum, ardentes manifestant oculi, Vers. 14. *& oculi eius tamquam flamma ignis.* Sed melius, hanc, quæ ab Euangelista describitur, amoris statuā esse, deprehendemus ex illis verbis. Vers. 13. *præcinctum ad mammillas zona aurea*, iam enim ad cordis partes accedimus, idest ad amoris Regiam. Ribera hæc verba exponens, *aurum*, inquit, *charitatem significat, sicut legimus cap. 3. suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatū vt locuples fias. zona corpus constringit: significatur ergo in zona aurea, charitas quæ Christum cōstringebat, & vrgebat, ad mā millas præcingitur, inter quas sedes cordis est, quia eius cor plenum erat charitate, & constringebatur amore hominum.* Quin & illa amori conueniunt, quæ habentur Vers. 16. *& facies eius sicut sol lucet in virtute sua*, & quæ Vers. 15. leguntur: *& vox eius tamquam vox aquarum multarum.* scimus enim ex hoc eodem Euangelico textu veram dilectionem soli, & aquæ comparari. *diligite inimicos vestros; vt sitis filij Patris vestri, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos;*

[Marginalia, left: Apoc. — Diuini amoris in nos hieroglyphicū. — Sap. — Amoris profani à sacro discrimen. — Amor verus, purus & firmus — Veri amoris perseuerantia.]

[Marginalia, right: Ioan. — Amor cōtemnit pericula. Senec. — Amoris iacula. — Hor. — Zona aurea circa pectus, amoris insigne. Ribera. — Sol, & aqua amoris typus.]

& pluit

& pluit super iustos, & iniustos.

7 Hactenus videmur in hac mystica Ioannis visione, veri amoris imaginem obseruasse; superest, vt (quod proposuimus) demostremus; eundem nimirum amorem, cælorum, & ipsius cælestis Imperatoris Dominum esse. *Habebat* (adductum amoris simulachrum) vt dicitur ℣.16. *in dextera sua*, hoc est, in manu dextera sua, *stellas septem* eo modo quo sicuti supra adnotauimus in Cupidinis manu, herbā, Delphinum, & Auem effingebant, vt omnium sublunariū denotaretur dominus. sic quoque statua hæc diuini amoris, *stellas* dicitur habere in manu, vt denotetur, quòd illas tuto possidebat, italicè; *le teneua nel pugno*, quemadmodum supra diximus, Venerem profani amoris Deam, cælestes orbes in capite gestare, vt illam rebus naturalibus dominari, insani demonstrarēt. habet itaque purus diuinus amor *stellas* manu clausas, quasi cælestibus orbibus dominetur. sed quid cælestibus tantùm sphæris dico? ipsis etiā sphærarum rectoribus, puris inquam Angelicis spiritibus imperat; ita enim diuina voce edoctus exponit ipsemet Ioan. Vers. 20. *Sacramentum septem stellarum, quas vidisti in dextera mea &c. septem stellæ, septem Angeli sunt &c.* tenet itaque in manu stellas, idest, Angelos, iisque præest. Neque Angelorum dominio contentus est, sed ipsum etiam Deum possidet. Nam quoniam habebat stellas, denotatur possessio ipsius Dei: sunt namque stellæ Dei hieroglyphicum, vt tradit Pier. Valerian. lib. 54. *apud Horum*, inquit, *si legas stellam hieroglyphicum esse Dei, neque ferè quid amplius.* Et post pauca *sententiam verò banc Romanis placuisse, possumus ex eo conÿcere, quòd in Pertinacis numo, simulacbrum est, manibus versus ingentem stellam ad cælum sublatis, cum Inscriptione Prouidentia Deorum. Cos. I I. ita ille Dijs gratias agere professus, quorum prouidentia, rerum potitus est.* sic etiam in sacris, stellam, Dei simulachrum reperimus, Numer. 24. Vers. 17. *Orietur stella ex Iacob*, idest, Christus, quę ideo in amoris manu ponitur, vt illius in Deum potentia ostenderetur. Hæc est enim amoris veri, & puri potentia, qui non cunctis modo mundanis, sed cælestibus etiam præest, Angelis, & Deo ipsi imperans.

Purus amor cælorum dominus.

Amor Angelis præest.

Amor de Deo triūphat.

Pier.

8 In Christo igitur sicut diuini amoris æstus flagrabat, ita clarissimè effectus iste amoris de amante opima spolia reportantis eluxit; fuit enim Saluator Iesus summus amor, & amator, & propterea singulare huius potestatis, quam amor in spoliando habet, specimē exhibuit. Magnifico quodam, & veluti longè petito proœmio vtitur Ioan. cap. 13. Christi Apostolicos pedes loturi factum narraturus. *Sciens*, inquit, *Iesus quia venit hora eius &c. cùm omnia dedisset ei pater in manus, &c. cùm dilexisset suos, qui erāt in mundo &c.* vt meritò mirentur SS. Patres quorsum splendidus iste, & magnificus narrationis apparatus euasurus sit. In quo tamen, quamuis videantur cætera omnia aliquatenus cū re ipsa cohærere posse, vt & *horæ* mētio, tempus significet, in quo humana redemptio erat consumanda, ideo dicitur: *sciens quia venit hora eius*; & vt diuina illius omnipotentia inter humilitatis vilitatem velut lux inter tenebras clarius emicaret, propterea additum fuit; *cùm omnia dedisset ei pater in manus*; vnum tamen illud præter narrandæ rei ordinem insertum videtur, quòd veluti per parenthesim apponitur. *Cùm*, inquit, *iam diabolus misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotes.* quod narratum ab Euangelista opinatur Augustin. tract. 55. in Ioann. vt Christum erga omnes misericordem, & beneficum extitisse, significaret, cùm beneficentiæ suæ signa, neque proditori denegauerit, *vt hoc quoque* ait, *ad cumulum humilitatis accederet, quod etiam illi non dedignatus est lauare pedes, cuius manus*

Ioan.

Christi omnipotentia ostenditur in passione.

S. Aug.

Christi benignitas, & humilitas.

iam

Euthym.

iam præuenerat in scelere. Euthym. verò hoc idem considerans; *hæc*, inquit, *interposuit Euangelista cum stupore admirans excellentem Christi clementiã, quia huius etiam pedes lauit, qui in proximo eũ erat traditurus*. Esto hæc, bene mentem Euangelistæ aperiant, non tamen nodum illum dubitationis nostræ soluunt; dicebamus enim intẽpestiuè, ac veluti præter rem hæc à Ioann. de Christi humilitate dicturo inseri. Soluere nihilominus hoc possumus dicentes, quod Euãgelista non solùm humilitatis, sed multo magis amoris, & mansuetudinis specimen discipulis suis à Christo exhibitum, narrandum sibi proposuerat, ideo præmisit apparatum illum, *cùm dilexisset suos, qui erãt in mundo in finem dilexit eos:* & vt immensam Christi charitatem ad amicos, & inimicos, beneuolos, & maleuolos extendi comprobaret, primo de Iudæ erga Christum maligna intentione præmisit; & admonuit, tunc Christum maximum, & præcipuum amoris signum ostendere voluisse, *Cùm diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas, &c.* ex quo colligitur apertè, quod quamuis communis expositio SS. Patrum sit, quod Christus in hoc facto discipulis humilitatis regulam præscribere voluerit, non tamen sacro textui repugnabit, si quis dixerit, exẽplum amoris hoc facto ostensum fuisse, vt quemadmodum ille fecit, ita & nos faciamus. Qui amor eo fuit in Saluatore clarior, quo etiam proditori voluit prodesse. Hoc itaque amoris specimẽ, vt exhiberet, amatorium veluti drama repræsentauit; cuius in primis tempus elegit; *ante diem festum Paschæ*, &c. dies passionis Dominicæ festum appellatur, in quo tamquam hilari, & festiuo ludos agere constituit. sed & horam qua partes istas amantis ageret, obseruauit: *sciẽs quia venit hora eius*; prius enim in hanc scenam prodierat diabolus, de quo dicitur Ioa. 12. ℣. 31. *nunc princeps huius mundi eijcietur foras*, & quasi explodetur ex theatro succedente cælesti Principe; omnibus itaque præparatis, necessarium Christo erat amantis habitum assumere, propterea illum primo descripsit Euangelista omnium Dominum; *sciens quia omnia dedit ei Pater in manus*, ac si diceret quod instar cupidinis, & amoris delphinum, auem, & herbam, per quæ rerũ omnium dominium denotari diximus, manibus cõtinebat; quorum possessione locuples, satis comptus videri poterat ad prodeundum in scenam hanc amatoriam; sed vnã tantum in re admodum ab amore dissimilis sibi visus est, nã habebat rerum omnium copiam *omnia dedit ei Pater in manus*; amor nudus pingitur, amare enim & possidere nemini conceditur. quapropter suum corpus, & sanguinem, & quidquid in humanitate, & ineffabili Deitate erat in Sacramento, quod in Cœna instituerat, tradidit. & ne aliquid sibi superesset, etiam vestimenta elargitus fuit, Ioan. 13. ℣. 4. *cùm dilexisset suos, &c. surgit à Cœna, & ponit vestimenta sua*, vt verè amoris partes repræsentaret, & totum quod habebat profunderet, in quo summum ostenderet amoris complementum.

Christi amor etiã in indignos.

Dies passionis, festiuitatis dies dicitur.

Ioan.

Christus, omnium dominus.

Amor, Christum omnibus spoliat.

Ioan.

9 Vel etiam dicamus, quòd in hac Cœna Christus verè amoris drama egerit, vt etiam Rupert. in mystica expositione vestium sacerdotalium de quibus Exod. 28. adstruxit. *benè*, inquit Rupert. *per tunicæ circuitum, deorsum ad pedes, mala rubent, & tintinnabula concrepant, in ingressu sanctuarij, quia videlicet maximè in fine vitæ mortalis, operosa claruit dilectio Redemptoris. cùm enim, inquit Euangelista, dilexisset suos, in finem dilexit eos. tintinnabula, idest, dilectionis præcepta, quibus in illa Cœna personuit, totus mundus audiuit &c.* In signum igitur immensi huius amoris, ponit vestimenta; quia amor puer fingitur, quales reddit amantes, hinc Poeta.

Vnde puer, pueros quod facit ipse senes.

Rupert.

Personuit per orbẽ Christi dilectio in Eucharistia.

Virg.

Christus igitur senex de quo dicitur Ioan. 1. ℣. 1 *In principio erat verbum.* & Prouerb. 8. ℣. 24 *ab Aeterno ordinata sum & ex antiquis &c.* hic igitur non solum grandæuus, sed etiam grandis gigas, qui Psalm 18 ℣. 6. *exultauit vt gigas ad currendam viã*, vt perfectè amantis personam sustineret, debuit quasi repuerascere, & exinaniri; non poterat autem euidentius exinanitionis signum exhibere, quam deponendo vestes; quæ videtur fuisse mens D. August. in Caten. *posuit autẽ vestimenta sua*, inquit, *qui cùm in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit.* Ecce quomodo ponere vestimenta, est semetipsum exinanire, idest amantis amictus sumere; & sic bene *cùm dilexisset suos, qui erant in mundo in finem dilexit eos*. hoc etiam denotauit inconsutilis Christi vestis, cuius mysticam expositionem S. Cyprian. epist. de vnit. Eccl. ad fidelium vnionem refert. & D. Bernard. in Apol. ad Guliel. inconsutilem dicit fuisse Christi vestẽ, *propter indissolubilis charitatis indiuiduam vnitatem*; ideo *cùm dilexisset suos, in finem*, idest, *vehementer*, vt Euthym. vel *perfecta dilectione*, vt exponit Hugo, *dilexit.* Vel in finẽ, idest, *in victoriam* vt exponi etiam posse obseruat Barad. nam Hebraice *Nesach*, significat *& finem & victoriam*, quia Christi amor vicit omnes amores non solum de hominibus, & Dæmonibus, sed de ipso etiam Deo victo triumphauit; & ideo vestimenta posuit, vt sub proprio amoris habitu, idest, expoliatus, & nudus triumphantis currum, victor iniret. Voluit enim in Cæna & pedum ablutione positis vestibus, præludere sumptuosiori illi pompæ quam in Cruce pendens, erat magnificentius ducturus. Vel postremo dicamus, quod *posuit vestimenta*, quibus Petri, & discipulorum iam refrigescens charitas foueretur, & calefieret; enimuero obriguerat penè Petrus, qui Marc. 14. ℣. 54. *sedebat cum ministris ad ignem*; ideo *ponit vestimenta*, amoris calore feruida, si fortè ijs, Apostolorum animis charitatis æstum conferre possit, exploraturus.

Ioan. Christus amans repuerascit. Psalm. S. Aug. S. Cypria. S. Bern. Euthym. Hugo. Barad. Amoris Christi quæ victoria. Dat Christus vestes vt Apostolos foueat. Marc.

10 Pingebatur etiam Cupido cũ Aue, Delphino & herba; ad denotandam amoris prophani inconstantiam, & mutabilitatem; sed ad rem nostram tria illa videntur celeritatis indicium fuisse; Cuius auis in primis est appositum hieroglyphicum, iuxta decantatum illud: *pedibus timor addit alas*; eandem etiam Delphinus denotat, teste Pier. lib. 27. S. est & illud quẽ velocissimum omnium animalium vocat, cùm aquatilium, cùm terrestrium, herba demum, quæ citissimè arescit, accipitur pro subita, & veloci celeritate; vt Psalm. 36. ℣. 2. *quasi olera herbarũ cito decidant.* & Psalm. 89. ℣. 6. *mane sicut herba transeat; mane floreat & transeat; vesperè decidat, induret & arescat.* Plaut. de euanida amantis spe.

> *Quasi solstitialis herba paulisper fui;*
> *Repente exortus sum, repentino occidi.*

Hæc igitur celeritas, in dando, maximè probatur in amante, vt scilicet sit ad largiendum promptus, & celer: *amans enim, cum quicquid agit properat omnia* ex veteri dicto; tum etiam ex eodem comico in Bacchid. *celerem oportet esse amatoris manum*, ad largiendum, scilicet, & erogandum, idq; ad nuditatem vsque, quo scilicet pulchrior appareat. Quæ enim formosiora sunt corpora, ea reuelata magis alliciunt, ideo turpes mulieres vestibus, vel ætatis, vel corporis vitia, & deformitates occultant. Plaut.

> *Purpura ætas occultanda est, auro turpe mulieris;*
> *Pulchra mulier, nuda erit, quam purpurata pulchrior.*

amans igitur ex charitate, quo se Deo (cui omnes suas actiones probatas esse cupit) reuelet, cuncta largitur, nihil sibi reseruans; vt sic vel nudus diuini amatoris oculis nitidissimus, &

Amoris celeritas. Pier. Psalm. Plaut. Amor ad largiendũ celer. Plaut. Amor nudus, quia pulchrior. Plaut.

quoli-

quolibet purpurato pulchrior appareat, & ideo est ad largiendum celeri manu promptus. hinc de illa Dei sponsa, quæ vestes deposuerat dicitur Cãt. 5. ℣. 7. *tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.* Cui, post hæc, sponsus ait cap. 6. ℣. 2. *pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut Hierusalẽ.* facit ad hoc commentum Nysseni homil. 12. *aufertur*, inquit, *à custodibus pallium, vt pulchritudo desiderata videatur.* sed hæc despoliatio & ad elargiendum promptitudo, etiam munditiem in anima, & decorem corã Deo manifestat. de amante & sua profuse prodigente, ita loquitur seruus apud Plaut. *puras sibi esse vult ædes, domi quicquid habet verrit*; Hunc imitatur charitatiuus, qui sedula diligentia, quicquid sordium, & immunditiæ humana incuria conscientiæ ædes inquinauit, diligenti, & sedula in largiendo charitate verrit, & tollit. i. eleemosynis peccata redimit, & confessione tergit.

Cantic.

Nyssen.

Plaut. Amor, puritatẽ diligit cõscientiæ.

11 Est itaque largitio, & beneficentia adeo amoris propria, vt vel vna sufficiens sit vehementissimæ beneuolentiæ argumentum. Non est alibi facile in scripturis sacris maiorem amicitiæ nexum legere, quàm quo Ionathas, & Dauid mutuo coierunt; adeo vt ille res omnes fortunasque suas prodigere, & patris indignationem incurrere minimè sit veritus, dum se fidum Dauid amicum probaret. sed veram hanc amicitiam nusquam scriptura agnoscit, aut amoris nomine dignatur, nisi cum amicorum munificentiã commemorat. 1. Reg. 18. ℣. 3. *inierunt autem Ionathas, & Dauid fœdus, diligebat enim eum quasi animam suam.* sed quod nam exhibuit huius tantopere laudatæ dilectionis argumẽtum? quod introduxerit illum in aulam, reddideritque patri charum? quod eidem paternam simultatem patefecerit? minime. sed largitionibus hic amor innotuit, quibus eo vsque progressus est, vt seipsum spoliauerit: subdit enim statim post illa verba sacer textus ℣. 4. *nam expoliauit se Ionathas tunica qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua vsque ad gladium, & arcum suum, & vsque ad baltheum.* animaduertenda est in his verbis particula *nam*, quæ ab effectu reddit rationem eius propositionis, *diligebat enim eum quasi animam suam*, in cuius amoris experimentum, spoliauit se Ionathas vestibus suis, vestiuitq; iis Dauidem. *itaut*, ait Abulen. quæst. 9. in 1. Reg. cap. 18. *nudus remaneret tunc Ionathas*, & quidem, vt diximus, amor nudus pingitur: quare nudus remansit Ionathas, qui maximi amoris signum ostenderat. & quoniam videmur non tam largiri, quàm fœnerari, qñ amicis, & indigentibus damus. quod sentiebat Cyrus Persarum Rex, referente Xenoph. in Cyropæd. qui quodam ex assiduis largitionibus eius opes admodum imminutas obijciente; misit ad singulos amicos pecuniam postulatum; & quolibet conuenientem opibus suis summã pro symbolo conferente, maxima redacta fuit summa, qua in medium collata, ostẽdit, tutissimè, & honestissimè pecunias apud amicos asseruari; comprobans verissimum esse vetus illud dictum: *in bono hospite, atq; amico si quid sumas, quæstus est.* ideo Ionathas non tam sibi nudus remansisse, quàm in Dauide præclaris vestibus indutus videbatur. Quid itaque facere Christiani debemus, quibus non modo hoc tamquam vtile suadetur, sed tãquam præceptum necessario obseruandum præscribitur? iubemur enim non thesaurizare nobis thesauros in terra, sed in cælo; vbi opes pauperum manibus illatæ, cælestibus gazis inseruntur.

1. Reg.

Elargitione bonorũ, amor Ionathæ in Dauid ostenditur

Abul.

Fœneratur, qui amicis dat.

Xenoph.

12 Quòd si quis quærat, cur tantopere studeat amor amantem spoliare; adeo vt Ionathas in signum maximi amoris pro Dauide se spoliauerit. respondet Abulens. quæst. 10. in cap. 18. lib. 1. Reg. hoc factum, *quia amans in amicum se transfundit*, & ideo hanc transformationem exteriori aliquo

Abul.

Elargitione, amans in amatũ transfunditur.

signo

signo denotare volens Ionathas vestibus suis ornauit Dauid, quasi in eum mutatus, quem diligebat velut animã suam, noluerit aliquod in exteriori ornatu discrimen apparere. nobis igitur, dum sub pauperis, vel egeni inimici persona Deus apparet, conceditur quasi in Deum mutari, ipsomet dicente; Matth. 25. *quod vni ex minimis meis fecistis mihi fecistis*, his si vestẽ dederimus, Deus deinde nobis beatitudinis vestem retribuet. ita S. Chrysost. homil. 84. in Ioan. *eleemosyna*, inquit, *est vestis, quæ cum eo* (scilicet mortuo) *resurgit*. hac veste fulgebunt qui tunc audient Matth. 25. ℣. 36. *nudus eram, & cooperuistis me*. & hoc est maximum fœnus, quod pro eleemosyna recipimus, dũ corporali, & marcescibili, æternam vestem commutamus. idem S. Chrysost. hom. 33. tom. 4. *Hæc* (idest eleemosyna) *nos non sinit sordidis vestibus indutos in nuptijs videri, sed lauat, & niue mundiores reddit; si namq; fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur, Isai.* 1. hæc nos consideratio ad imitandum diuinum Iesu Christi amorem, & libenter benefaciendum potest commouere.

S. Chrys. — Matth. — S. Chrysol

Sacer text.

Dictum est antiquis: odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros.

CAP. XIII.

Colliguntur fragmenta ex Euangelio.



1 QVàm suauis, & iusta sit hęc Dei lex, de inimicorũ dilectione: *diligite inimicos vestros*, iniusta, & tyrannica illa à Diabolo inuenta; à Scribis, & Pharisæis vsu recepta, de odio in aduersarios: *odio habebis inimicum tuum*; vel ex eo maximè colligitur, quòd Dei lex charitatem, & concordiam præcipit. Diaboli verò, ac vindicantium lex scissuras, ac discordias suadet. Cicero 1. offic. *bono Principi*, inquit, *nihil iucundius ciuium concordia: at Tyranno nihil formidabilius*, ait autem S. Basil. in illud Lucæ 4. ℣. 1. *ductus est Iesus in desertum à spiritu &c. non verbo prouocans inimicum, sed opere visitans quærit desertũ. delectatur enim diabolus in deserto, nõ patitur esse in vrbibus, contristat ipsum concordia ciuium.* quia inquam sequũtur isti Tyranni diabolicum illud inuentum: *diuide, & impera*, tyrannico inquàm more. Deus verò verus, proprius, ac naturalis Dominus, & Pater, non Tyrannus, concordiam mandat: *ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros*. Dei ergo lex iusta: iniusta, & tyrannica diaboli illa impostura tenenda est.

Verus Princeps concordiã Tyrannus discordiã præcipit.

Cicer. — S. Basil.

2 Vide hinc quàm iniustè, & indebitè Diabolo, & sectatoribus illius legem condere vindictæ, & odij in inimicos ius competat, & tyrannicè vsurpant. Psalm. 24. ℣. 8. *Dulcis, ac rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via*. Genebrard. ex voce Græca Κρηστὸς *Cristos*, legit: *benignus, vtilis*, & ex Hebræa, *Tob, bonus, beneficus*. ideo ergo legem ferre, & legislatoris munere fungi Deo conuenit, & lex eius optima est, quia benignus, clemens, & clementiæ, & benignitatis dat iura. Nec non *vtilis*: ostendimus autem quantæ, & quam multæ sint vtilitates, dilectionis inimicorum insuper *beneficus*; quæ omnia longè distant à lege vindicantium, vt probauimus. Quænam autem sit lex ista bonitatis, vtilitatis, beneficentiæ, &c. explicat Propheta statim cum subdit: *diriget mansuetos in iudicio: docebit mites vias suas*. Genebrad. *Epithetum piorum in iudicio, idest, in via virtutis & salutis*, à qua maximè recedunt inimicantes.

Iniusta, & tyrannica lex vindicantium. Psalm. Genebr. Benigni dant leges

Lex vtilis, & benefica.

Genebr.

Lex vindicantiũ iniusta.

3 Ex hac iniqua sanctione de odio, & fundendo sanguine inimicorum, colligitur quàm iniustè legislatoris nomen, & munus sibi vsurpet diabolus, & vindicantes, qui dixerunt: *odio habebis inimicum tuum.* Arist. lib. 8. Ethic. cap. 1. *cùm amicitia*, inquit, *sit concordia similis, & hanc maximè sequuntur legislatores; & seditionem, quæ ei inimica sit, omni ratione exterminant.* & lib. 2. de Republ. cap. 9. *legum scriptor*, ait, *ne inter ciues seditio oriri queat, diligentia sua prouidere debet.* Demosthenes quoque orat. 2. contra Aristig. *Quæ sanè*, inquit, *corporibus eueniunt ægrotationes medicorum industria, & ope curantur: animorum verò ferocitatem propulsant legũlatorum sententiæ.* Cùm ergo lex hæc: *odio habebis inimicum tuum*, amicitiã, concordiam exterminet, & seditiones excitet, ferocitates animorum nutriat: conuincuntur inimicantes, legem esse iniustam, & legislatorem Tyrannum.

Arist.

Legislator, amicitiam, & concordiã in legibus ferendis sequitur.

Arist.

Demosth.

S. Thom.

Lex ad virtutem ordinatur

4 S. Thom. 1. 2. quæst. 92. artic. 1 in corpore hæc ait: *proprium legis est inducere subiectos ad propriam ipsorum virtutem. Cùm igitur virtus sit, quæ facit bonum habentem, sequitur quod proprius effectus legis sit bonos facere eos, quibus datur.* Et in argumẽto sed contra; *philosophus*, inquit, *dicit quod voluntas cuiuslibet legislatoris est hæc, vt faciat homines bonos.* Verus ergo, & legitimus legislator est Christus, dum ait: *diligite inimicos vestros*; quãta enim perfectio, & bonitas inde oriatur ostendit cùm subdit: *estote ergo perfecti sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* à qua rectitudine, & virtute, longè distant vindicantes.

5 Quòd iniqua, & execranda sit ista duellantium lex: *odio habebis inimicum tuum*; colligitur ex doctrina eiusdem S. Thom. par. 2. quæst. 95. in corpore *lex*, inquit, *humanitus posita, intantum habet de ratione legis, inquantum à lege naturæ deriuatur. Si vero in aliquo à lege naturali discordet, iam non erit lex, sed legis corruptio.* à natura autem docemur: *quod tibi non vis, alteri ne feceris.* sed quis seipsum odio persequitur? quis ferocia inductus in se crudelis, suum fundit sanguinem. imo Arist. 9. Ethic. cap. 8. docet, naturaliter vnumquemque sibi maximè esse amicum, seq; ipsum diligere, ex qua dilectione ortum duxit amicitia erga alios. non ergo lex est, *odio habebis inimicum tum.* sed legis corruptio, & deuastatio. ergo illa vera, & bona: *diligite inimicos vestros, benefacite &c.* hoc enim pro se facere, à Naturæ lege quisq; docetur. Cic. in princ. lib. de offic. *Principio*, inquit, *generi animantium omni est à natura tributum, vt se, vitã, corpusq; tueatur.*

S. Thom.

Lex inimicantiũ iniusta, quia à lege naturæ dissona.

Vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est.

Sacer tex.

6 Hæc nos filiorum Dei appellatio, stimulare deberet ad amorem inimicorum, pro quo tam honorifica nos Deus dignitate compensat. Agasicles Lacædemoniorum Rex, vt in Lacon. narrat Plut. cuipiam admirari se dicenti, cur cùm esset discendi auidus, non adiungeret sibi Philosophanem sophistam; respondit: *eorum malo esse discipulus, quorum sum, & filius.* regios mores, à regibus hauriendos persuasum habuit. vtinam in hac re sortem suam agnoscerent Christiani, qui cælestis Patris doctrina imbuti, merentur præclarum filiorum illius nomen; quam prærogatiuam ijs concedit Deus, qui præceptum de inimicorum dilectione amplectuntur. hos enim veluti magister edocet: *ego autẽ dico vobis, diligite inimicos vestros.* eosdemque vt Pater informat: *vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est.* diligens ergo inimicos, relictis sophistis, qui dicunt: *odio habebis inimicum tuũ*; Dei sit discipulus, & filius.

Plut.

Diligens inimicos, Deum habet patrẽ, & magistrum.

7 Imitatur in hoc Saluator Aquilam, quæ pullos adhuc implumes, feruentissimis solis radijs exponens, veros ab adulterinis dignoscit. ita quos

Deus, quasi Aquila filios solis radiis probat, idest, charitate.

charitatis solem, videt Deus minimè nictantibus oculis suspicere, hos dicit esse filios Patris, qui in cælis est; qui verò igneum huius solis iubar præ imbecillitate minimè potest sustinere, sed oculos misericordiæ claudens, ab inopum miseria se auertit, hic tamquā spurius à Deo omittitur; Soli amor comparatur: *diligite inimicos vestros, &c. qui solem suum oriri facit &c.* huic oculos claudit, qui non benefacit inimicis: audi Ioan. epist. 1. cap. 3. ℣. 17. *Qui habuerit*, inquit, *substantiam huius mundi, & videt fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo quomodo charitas Dei manet in eo?* negat charitatem, ac proinde signa filiationis Dei in eo inueniri, qui oculos, & viscera clauserit.

8 Hanc filiationem egregio facinore probauerat Dauid, qui in spelunca Sauli pepercerat, propterea de spelunca egressus, conuersis ad cælum oculis, quasi gratias Deo pro accepta de seipso victoria agens, fixis oculis solē aspexit; ita enim de eo S. Chrysost. homil. de Dauid, & Saul. *Dauid egressus est de spelunca, liberis oculis cælū intuens, & magis exultans, quàm cùm Goliath deiecisset &c.* notanda sunt verba illa, *liberis oculis cælum intuens*, quasi dicat: verum se cælestis Patris filium parcēdo probauerat esse Dauid, propterea instar legitimi Aquilæ pulli, liberius oculos ad solem extulit. Et benè etiam addit Chrysost. *magis exultans, quàm cùm Goliath deiecisset*; vt gloriosius esse sciamus inimicum diligere, quàm prosternere, seruando non occidendo victoriam comparari, imo regnum acquiri, ideo pro occiso gigante Regis filiam accepit, sed pro ciue, & inimico seruato, ipsius inimici ore, Rex proclamatus est. 1. Reg. 24. ℣. 21. *scio quod certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua Regnum Israel.*

Dauid Sauli parcens liberis oculis cælum intuetur. S. Chrys.

Gloriosius parcere, quam perdere.

1. Reg.

9 Sunt itaque amatores inimicorum filij Dei, & propterea qui animo iracundo Deum in quotidianis precibus Patrem appellant, mentiuntur, quos sub Hebræorum persona Christus reprehendit Luc. 3. ℣. 8. vbi vetat Iudæis, vt Abraham Patrem appellent. *ne ceperitis*, ait, *dicere: Patrē habemus Abraham.* & tamen Ioan. 8. ℣. 37. dixerat idem Saluator: *scio quia filij Abrahæ estis*. non cognationem illis Abrahæ vetuit, sed mendacium in quod incurrebant, dum se Abrahæ filios profitebātur, multum à Sāctissimi Patriarchæ virtutibus desciscētes. *nihil prodest*, inquit Chrisost. hic, *ex Abraham descendisse, cum secundum virtutem cognationem non obseruent.* ideo vetuit illos dicere *Patrem habemus Abbraham*. multo ergo grauius in Deum peccant Christiani, qui non terrenum aliquem, sed cælestem Patrem mentiendo sibi arrogant. *nam cognationis leges* ait S. Thom. in Catena ex Chrysost. *consueuit scriptura vocare non eas, quæ secundum naturam consistunt, sed quæ deriuantur a virtute, vel vitio: quibus namq; se aliquis conformem statuit, horum filius, vel frater vocatur*. ideo Christus Matth. 12. eos sibi fratris, sororis, & matris loco esse asseruit, quibus diuina præcepta cordi sunt. *quicunque enim fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est*, mendaces igitur sūt, qui hoc præceptum negligentes, cęlestem patrem quotidie compellare audent, cuius filiationem, toties factis, & iniquo animo deierant.

Luc. Vindicantiū Deus, pater non est. Ioan.

S. Chrys.

S. Thom.

Matth.

10 Potius filij Diaboli sunt appellandi; ita enim Iudæos appellauit Christus Ioann. 8. ℣. 44. *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere*, & explicans in quo ista cum Diabolo cognatio sita sit; *ille*, subdit, *homicida erat ab initio*; huius itaque se filios profitentur, qui cædibus delectantur. quin & ipsum diaboli nomen illis conuenit. *Satanas* enim quo nomine diabolus appellatur Matth. 4. *osorem, aduersarium*, & inimicitias cum aliquo exercentem

Vindicantes filij diaboli.

significat; & quia *omnis, qui odit fratrẽ suum homicida est* vt dixit Ioan. epist. 1. cap. 3. propterea qui mutuas cædes struunt, eo ipso diaboli se filios esse manifestant, cui sunt quam simillimi. D. Petr. Chrys. de diabolo ita locutus est serm. 96. *Diabolus*, inquit, *non quærit hominem, sed hominis interitum, ille nostris malis gaudet, turget ruinis nostris, nostris vulneribus conualescit, nostrum sanguinem sitit, nostra saturatur ex carne, nostris viuit ex mortibus*; Voluit his verbis, sanctus, diabolicos mores exprimere, & tamen omnes istæ conditiones, si diligenter expendantur vindicatiuis conueniunt. adeo enim inter se sunt similes Diabolus, & Vltor, vt quibus veluti coloribus diabolum delineandum iudicauit Chrysologus, ijs exactam vltoris imaginem representauerit.

Ioan.

S Chrys.

11 Hinc in scriptura non solum vindicatiui, sed etiam suasores vindictæ *Satanæ* appellantur. 2. Reg. 19. ℣. 22. persuadebãt quidam Dauid vt de obtrectantibus eius honori vindictam sumeret, offerebãtq; ad hoc strenuam, & promptam operam. in quos Dauid mitis acriter his verbis inuehitur. *Quid mihi & vobis filij Saruiæ; Cur efficimini mihi hodie in Satan*, vt sciamus pro *Satana*, idest, pro inimicis, & aduersarijs nostræ salutis reputandos esse libros, consiliarios, & malos amicos, qui ad vindictam sumendam hortantur. Contra iniuriosos itaque & insidiosos aduersarios, mansuetudine, & patientia pugnandum est. non pertinacia resistendum. S. Chrysost. in Caten. Luc. 4. *nouit*, inquit, *Diabolus arma Christi, quibus succubuit, ex mansuetudine eum capit, ex humilitate deuicit, Tu quoque cùm videris hominem effectum diabolum* (per odium) *& tibi obuiantem* (cum iniurijs) *eo modo deuincas.*

Suasor vindictæ, etiam Satanas.

2. Reg.

S. Chrys.

12 Verè dicit Chrysost. hominẽ per odiũ effici Diabolũ, nã propterea odium pessimum peccatorum appellatur. dicitur Genes. 37. ℣. 2. *accusauitq; Ioseph fratres suos apud patrem crimine pessimo.* Rupert. ad hunc locũ. *Quo crimine fratres suos accusauerit, quia scriptura non edixit, vaga opinioni locus datus est. quia multa sunt vitia, quorum consummatum opus, pessimum est.* Sed Interlin. relata in Caten. Lippom. optime ad propositum nostrum soluit hanc dubitationem. *accusauit*, ait, *crimine pessimo, quod est odiũ fraternum*, quod merito *pessimum* appellatur, quia opponitur charitati, quę est omnium virtutum optima, & summopere æstimanda.

Genes.

Odium, est peccatum pessimum. Rupert.

Qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos.

Sacer tex.

13 Finem scribendi nõ facerem, si sequutus Saluatoris intentum; amicitiam, amoremque inimicorum, soli compararem. nam neque pauca sunt, quæ Scriptores hac de re adnotarunt; neque acuta fugit ingenia, solis cõditiones ac proprietates, amori, eique inimicorum comparari. illud præcipuè Saluator instruxit, indiscriminatim amorem impẽdendum amicis, quo pacto sol æquè omnibus lucet, nec est qui se abscondat à calore eius. Operatiuum tamen (æquè ac solem) amorem esse debere, *benefacite his qui oderunt vos*: ex eo maximè patet, quod, Solem ἑκατόγχειρα hoc est, *Centimanum* appellauit Homerus, veluti Briareum, propter innumerabilia, & admirabilia illius opera, quæ sicut & sol ipse, patent. ita quoq; actuosus sit amor in proximos, & inimicos.

Amor sit opatiuus, & centimanus.

Homer.

14 Benè præterea Soli inimicorum amor cõparatur: sunt enim inimicitiæ tenebræ, quæ solis, hoc est, amoris ortu exterminantur. Isai. 45. ℣. 7. *Ego Dominus, & non est alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum.* Opponit ex directo pacem inimicitiæ, sicut opponitur lux tenebris. Interlin. *luci*, inquit,

Amor sol, inimicitiæ tenebræ. Isai.

Interlin.

inquit, *contrariæ sunt tenebræ, & paci bellum*. dicitur vero Deus *tenebras*, idest, *inimicitias creare*, permissiuè tantùm, cùm & tenebræ ipsæ nil reale sint, sed mera priuatio luminis. Sed cur dixit: *faciens pacem, & creans malum*; & non potius: *creans bellum*, vel *inimicitias*, vt ex terminis, & significatione ipsa, formalis explicaretur oppositio? an quia *mali* nomine omniũ ærumnarum genus intelligitur? Certè: nam præter animarum iacturã, etiam temporalia mala, eaq; innumera bella, & inimicitiæ secũ afferunt, vt supra probauimus, & experimento const a.

Inimicitiæ per antonomasiã malum dicuntur.

15 Ideo soli, eique Orienti inimicorum amorem comparauit: qui *solem suum oriri facit*. non dixit *illuminare*, aut *splendere facit*, sed *oriri*; siue enim in meridie, siue ad occasum pergens sol splendet: sed oritur, cùm quasi è tenebris nascitur; & sol amoris in oriente est, cùm ex odio, & inimicitijs progreditur quasi ex tenebris (vt diximus.) Vel ideo: *oriri* dixit, quia amor occasum, & defectum nescit: iugiter namque amat, qui verè amat. amor semper in oriente est, quasi innouatus semper nascitur. Vlterius quia in tenebris indigentiæ, & miseriarum existentibus, beneficentiæ, & subministrationis manibus, quasi tot radijs affulget, vt subueniat. nam ipsi solis ortui, & auroræ manuum multitudo tributa legitur: Eustat. in O lyss. *Auroræ*, inquit, *digiti, per allegoriam solis radij intelliguntur. cùm ipse sol in Iliade, Centimanus sit dictus*. in quem sensum dixit Zacharias in suo cantico ℣. 10. 11. Lucæ 1. *visitauit nos oriens ex alto, illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis*. Oriens fuit Christus, sedentes in tenebris miseriarum morti similium erexit, refecit, exaltauit, & omne bonum attulit, quod per *viam pacis* expressit, pax enim omnium bonorum mater, & nutrix. hoc & amantes imitantur.

Amor, occasum nescit. sẽper amat, qui verè amat

Amor subuenit indigentibus.

Eustat.

Auroræ tributæ manus.

Luca.

16 Illud quoq; non prætereundum; solem, Imperij dignitatem summam, actionumq; præclarè gestarum fuisse apud omnes hieroglyphicum teste Pier. lib. 44. In sacris quoq; Genes. 1. ℣. 16. *luminare maius, vt præesset diei*. Septuag. vertunt: *in principatum diei*. S. Iustin. Martyr quæst. 62. *antequam verò*, inquit, *astra fierent; lucis principatus, Dei determinatione efficiebat diem*. Sol ergo in figuram, & metaphoram dilectionis inimicorum proponitur: *diligite inimicos vestros &c. qui solem suum oriri facit super bonos, & malos*: vt vel hinc colligas, præcipua gloria dignum esse, vindictam de hostibus non sumere: inimicantium non fundere sanguinem; sed amore prosequi eos, qui nos odio persequuntur.

Sol Imperij, rectèque factorũ typus
Pier.
Genes.
S. Iustin.

17 Soli, & Marti, bellorum, armorumque Deo, idem animal fuit sacrum, & dicatum, nempè equus. Xenophon pædiæ Cyri lib. 8. & Plutar. problem. cap. 97. Herodot. lib. 1. in fine: *ex Dijs*, inquit, *vnum solem venerantur* (scilicet Persæ) *cui equos immolant*. Alexand. ab Alexand. lib. 6. genial. dier. cap. 4. *Scythæ*, inquit, *præcipuum Deorum Martem colunt, cui equos immolãt*. Ne ergo dum inimicis parcis, illa te frangat cogitatio; non vindicari, & inimicorum sanguinem non fundere, gloriosi, bellicosiq, non esse animi, sed ignaui, & formidolosi. illud te non lateat Soli, & Marti eandem deberi victimam. cùm ergo Soli sacrificas, imò Sol efficeris: *diligite inimicos vestros, vt sitis &c. qui solem suum oriri facit &c.* Marti in robore, animi vigore, & valore similis efficeris.

Equus, Marti, & Soli dicatus.
Xenop.
Plut.
Herod.
Alex. ab Alex.

18 Addidit Soli aquas: *& pluit super iustos, & iniustos*. hoc est, aquarum irrigatione, frugiferam reddit terram iustorum, & iniquorum. Sol enim sine aqua terram adurit, segetes incendit, nisi aqua ardores temperet; nam ex calore, & humore non solum vegetantium, sed sensibilium constat tem-

Sol, & aqua temperamentum, & vitã subministrãt.

pera-

Hesiod. peramentum. Hesiod. postquam de aqua dissetuit, & fluuiorum quorundam nomina contexuit: *hi sunt*, subdit, *qui mortale genus enutriunt vna cum sole*. Interpres addit: *aquæ enim, & sol nutriendi vim habent, eorumque beneficio res aluntur, & gliscunt.* Inde *Catull.* Catullus de flore quodã viuido, inquit:

Dum mulcent auræ, firmat sol, educat imber.

Amor frugifer. Sit ergo amor sol, propter rationes eas, quas adduximus. sit quoq; pluuia, idest, frugifer, & vberi prouentu multiplicans; non enim dixit tantùm: *diligite inimicos*, sed adiunxit: *benefacite his, qui oderunt vos.* Vel ideo recensito amore: *diligite*; pluuiæ, & aquarum meminit: *& pluit* &c. non enim dile- *Amor nõ sine lachrymis. Luc.* ctio sine pluuia, nec sine lachrymis amor. de Magdalena dicitur Lucæ 7. *dilexit multum*, en sol. sed & *lachrymis capit rigare pedes eius*. fuitq; amor lachrymarum pluuia madidus fertilis, frugifer: *attulit alabastrum vnguenti, & vnguento vngebat &c.* & ipsi Magdalenæ fructum remissionis edidit: *remittuntur ei peccata multa. vade in pace.*

Sacer text.

Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis.

19 Merces ergo illis non datur, qui eos diligunt, à quibus diliguntur. Scriptum est 1. Ioan. 4. ℣. 10. *in hoc est* *Ioan.* *charitas: non quasi nos dilexirimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.* ℣. 19. *nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos.* Diligimus itaque nos Deum, qui nos diligit, imò qui prior dilexit nos, & insuper, qui dat nobis gratuitò, & liberaliter vt eum diligamus. nulla ergo nostris operibus merces, nullũ pręmium, non Cælũ, non gloria, nõ vita æterna, quę tãtùm ex amore operãtibus datur & amor mutuus æternæ retributionis nõ habet mensurã, si vera est Saluatoris sententia in Euangelio: *si diligitis* *eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis.* S.Thom. in Catena: *amare,* *S.Thom.* inquit, *amãtem naturæ est; inimicum verò amare, est charitatis, ideo dicitur: si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis, scilicet, in Cœlo? nullam. de his enim dicitur recepistis mercedem vestram.* Nihilominus de fide est, pro mercede, Beatitudinem dari, vitamque æternam Deum diligenti, qui nos diligit, & prior dilexit.

Nulla merces datur in cælo amanti amante.

O diuini erga nos amoris inextimabilis magnitudo. nullius valoris, pro præmij acquisitione in Patria, pendit amorem eum, qui amanti in compensationem amoris refunditur. amorem verò illum, quem sibi nos amanti, & prius amanti, imo danti vt amemus, exhibemus, æterna gloria, & Beatitudine compensat. Vide charitatis abyssum, nostram sitientem charitatem, amoris fornacem exæstuantem, igniculum nostri amoris expectantem. Vide quoque quantum charitatem proximi commendet. se amari, redamantis amore, fit contentus. primus in amando est; & ipse dat nobis vt illũ amemus. retributionis, & compensationis est amor, quem illi exhibemus. sed nõ satis illi est, vt hoc amore proximum diligamus, intensiorem, perfectioremque requirit; *Estote ergo perfecti sicut pater vester cælestis*, vt eos etiam diligatis, qui vos non diligunt: quasi maiori, perfectiori, intensiorique amore diligendum velit proximum, quàm Deum.

Quantum Deus extimet amorem nostrum.

Charitatẽ in proximũ quasi magis quã erga te Deus commendat.

20 Adeat nunc peccator Deum, legemque quam tulit, obseruare compellat: *dilige inimicos tuos*. inimicus fui, peccatis ad iracundiam te prouocaui; tua est lex: *diligite inimicos vestros.* si diligis eos, qui te diligunt; si Sanctos tuos, perfectos tuos, donis cumulas cælestibus, quid magnum efficis? Ethnici, & publicani diligentes se diligunt: dilige Domine inimicũ tuũ, peccatorem, offensorem tuum amante illo qui iustificat, & præmiat. Exurge Domine Deus meus in præ-

Interpellatur Deus de amore in peccatores.

cepto

cepto, quod mandasti. *benefac ijs, qui oderunt te.* iustè conquereris Ioan. 15. ℣. 24. *oderunt & me, & patrem meũ, odio habuerunt me gratis.* sed *benefac ijs, qui oderunt te.* non dico: *ora pro persequentibus, & calumniantibus te;* omniũ enim es Dominus, nec habes, quem roges; habes tamen cui parcas, & indulgeas. solem gratiarum tuarum etiam super malos oriri fac; Psalm. 30. ℣. 17. *illustra faciem tuam per seruum tuum; saluum me fac in misericordia tua.* Eccli. 36. ℣. 1. *miserere nostri Deus omnium, & ostende nobis lucem miserationum tuarum.* & effunde super nos iniustos imbrem, roremque tuæ diuinæ benedictionis.

Ioan.

Psalm.

Eccli.

Sacer text.

Si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis? nonne & ethnici hoc faciunt.

Inimicantes Ethnicis peiores.

21 Ethnicis peiores inimicantes huius temporis, dum etiam salutationes denegant inimicis. non hoc arguit Saluator, sed vt certum supponens; maximum hoc non esse, Ethnicorum exemplo coarguit. miseranda Christianorum conditio, quos Ethnici docent, sed non discunt. quid igitur restat, nisi vt Ethnicorum etiam exemplo condemnandi sint in iudicio, sicut Niniuitarum, & Reginæ Austri exemplo dicuntur cõdemnandi pertinaces Iudæi? Matth. 12. Ethnici igitur resurgent in iudicio contra fideles, & condemnabunt eos, qui nihil supra infidelium merita operati sunt.

22 Erant hi Publicani, qui commemorantur à Christo, (vt diximus in expositione litteræ nu. 11. & 12.) Exactores vectigalium, quæ Populus Romanus Iudæis à se deuictis imposuerat, & docet Euthym. In horum intuens consuetudinem Saluator nos coarguit, non arduum esse inimicos salutare, cùm *Publicani*, hoc est, tributorum, & debitorum exactores hoc faciant cum eis à quibus vectigalia exigunt, siue amici, siue inimici sint. Vide pecuniarum studium, in soluendis debitis creditoribus, perspice repugnantiã: exactoribus, debitores reuereri, colere: & veluti adorare opus est eos, à quibus credita petunt; vulgò dicimus: *bisogna andare con la berretta in mano, e ginocchia scouerte, per hauere il suo.* & ò vtinam, his expletis, sua quisque consequatur. Nisi dicamus, cùm inimicantiũ, & signorũ humanitatis illis exhibendorum fit mentio; ideo in exemplum exactores creditorum adductos; qui enim sua repetunt, vt exigant, debitores offendunt, inimicitias contrahunt, neque sine iurgijs fit exactio. ita vt idem sit sua alijs commodare, aut ad censum tribuere, ac iurgia, & rixas seminare; sitq; pecunia inimicitiarum semen.

Reuerentur, et adorant, qui debita exigunt.

Sua exigens, debitorem offendit.

Sacer text.

Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.

23 Nostrorum bonorum operum occultationem, ab hominũ conspectu, his verbis suadet; sed Deo tantùm pateat oportet. de qua re nonnulla diximus fer. 4. Cinerum. Nunc hæc, ne sicco transeamus pede, addimus. Refert Plin. lib. 21. cap. 17. & 22. cap. 21. & 23. cap. 17. arborem quandam extare in Africa, cui nomen *Lotos*, seù *Celtis*. Hæc (vt ait etiam Pier. Val. lib. 52. tit. de Loto, & à Plinio desumpsit) *Ortus solis, est Lotos hieroglyphicum: idq; inde exortum, quòd ea ante solis emersum, implicata folia habeat, quæ ita sensim exsinuantur, aperiunturque, vti magis, ac magis tollitur iubar solis: maximè verò panduntur, vbi medium sol iter emensus est: eodem verò decedente, folia ipsa vicissim contrahuntur, complicarique incipiunt, ac insinuari, veluti nulli patere velint, quam numini quod venerãtur: atque ita, quibus liceat modis, eo abeunte,*

Plin.

Pier.

Arbor Lotos, orienti soli folia aperit, occidenti claudit.

te, *sese intra claustra cobibeant*. in ipso foliorum medio, habet hic fructus grana quædam veluti milium, ex quo gentes illæ panem conficiunt, vt scribit Plin. citato lib. 22. cap. 21. Sit Anima veluti flos iste *lotos* dictus, soli Deo vero soli sua pateant opera, ac viscera, cæteris claudantur. en hodie sol exoritur: *qui solem suum oriri facit &c.* Deo pãdenda cæteris occultanda mandantur opera: *attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* sed è cõtra: *pater tuus qui videt te in abscondito*. Pater inquam ille luminũ Deus. & de Sanctis viris dicitur *Iustus germinabit sicut lilium, & florebit in aeternum ante Dominum.* non coram alijs flores fructusque germinabit, sed ante Dominum, cuius, vt solis, solos requirit obtutus. splendeat licet lunæ, idest, mundi huius iubar; clausus quasi intonat flos iste: *non tali lumine*. Et quis scit si ad hæc respiciens, dixit illi Animę Spiritus sãctus Cãt. 7. ℣. 2. *venter tuus aceruus tritici, vallatus lilijs*, quo loco per *ventrem, cor* intelligi potest, ita Sanct. Ambros. Theodorit. & Rupert. Abbas, sicut est illud etiam Cantic. 5. ℣. 4. *venter meus intumuit ad tactum eius*, idest, cor meũ expauit: per *triticum* autem virtutes piæ animæ intelliguntur. vallatæ autẽ sunt huiusmodi virtutes lilijs, quia absconditæ ne alijs pateant Sanctus Ambros. de obitu Theodosij: *venter eius*, inquit, *non solùm iustitiæ, velut frumentario cibo replebatur, sed etiam gratiæ suauitate, qua florebat sicut lilium*. & in annotat. in Exodum Irenæo scribens: *venter tuus*, inquit, *aceruus tritici, muniti inter lilia.* sunt autem hæc septa, & vallationes ex lilijs, quia licet pia Anima tegere, & occultare sanctas operationes studeat; tamẽ ipsæ sese virtutes, proprio odore, quem effundunt, manifestant. audi Theodorit. *lilijs circumuallatum; vt per vallum, ac septum eius, quæ recondita sunt intelligamus; & per lilia* vndiq; ex eo fluentẽ percipiamus fragrantiam. non dissentit noster Pater Ghisler. sic eo loco inquiens: *cor piæ animæ plenum est huiusmodi lilijs tantam verò esse liliorum vim, vt extrinsecus quoque per odorem se manifestẽt*. & ideo in Euangelio postquam dixit: *attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis*, secretum operum per hæc verba præcipiens; redundatiam explicat cum subdit: *& pater tuus qui videt te in abscondito reddet tibi palam*, idest, propalando, & proferendo ad lucem, & notitiam omnium tua benefacta, vt diximus in expositione litteræ, & fusius fer. 4. Cinerum.

Cantic.

Pro ventre, cor aliquando intelligitur.

Virtutes vallantur ne pateãt.

S. Ambr.

Virtutes abscõditæ seipsas prodeunt.

Theodor.

P. Phisl.

24 Quasi delineat, pingit, & afformat Deus pulchram Animam in hoc Euangelio. duo sunt, quæ picturam decoram, & artificiosam reddunt lumina, inquàm, & vmbræ aptè dispo sita. vnde dicebat Plato de legibus dialog. 6. *pictorum ars, in singulis animalibus pingendis, nullũ alium finem habere videtur, quàm vt colores inducat, & deducat.* nostrum est, picturæ vmbras addere: *sit eleemosyna tua in abscondito. pater tuus, qui videt te in abscondito*. Deus lucidos colores, & lumina tribuit, operum nimirum manifestationem, & propalationem, vt sic Animæ quanta sit pulchritudo, cõspiciatur: *& pater tuus, qui videt te in abscondito, reddet tibi palàm, in propatulo.* vti diximus in expositione litteræ. Ex his fuit illa, de qua dicitur Cantic. 5. ℣. 6. *abstulerunt pallium meum mihi custodes murorũ*; erat hoc pallium humilitatis secretum, quo tegebat virtutes; seù erat vmbra diuinæ picturæ. Ruper. Abb. *inter ista*, inquit, *tulerunt mihi pallium meum illi custodes murorum, ita videlicet, vt totum quod erat in me secretum: facerem, quantum opus erat, illis manifestum.* hoc pallio secreto teguntur animæ virtutes, quod *auferunt custodes* idest, sancti Angeli Dei ministri. vt picturæ speciositas appareat. vnde dicebat

Plato.

Animæ pulchritudo ex occultatione operum, quæ Deus dilucidat.

Cant.

Rupert. Abb.

Nyssen.

Nyssen. Nyssen. homil. 12. *aufertur à custodibus pallium, vt pulchritudo desiderata videatur.* sed de huius generis pallio diximus fer. 4. Ciner. cap. 6.

25 Huc quoque pertinet quod dicitur Cantic. 1. ℣. 15. *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus:* vide Animæ pulchritudinem eximiam, & virtutes insignes. sed addit: *lectulus noster floridus.* Origen. homil. 2. *lectulus noster vmbrosus.* Sanct. Ambros. lib. de Isaac cap. 4. & in Psalm. 118. sermon. 4. *ecce formosus consobrinus meus & quidem: acclinatio nostra opaca.* quia pluribus ornata virtutibus, & donis; non quomodo alijs eluceret, ac pateret optabat: sed in opaco, & vmbroso degebat loco, ne quanta esset virtus Animæ conspiceretur. *ipse sponsus,* inquit Origen. *speciosus est, & vmbrosus,* idest, virtuosus, & quasi absconditus.

(Cantic. — Origen. — S. Ambr. — *Vmbra teguntur opera ne alijs pateant.* Origen.)

Sacer text.

Cùm ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te.

26 Secretum bonorum operum sic explicat: *noli tuba canere.* fuit enim *tuba,* reuelationis, & manifestationis eorum, quæ in animo occulta erant, signum, etiam in sacris litteris. Apocal. 4. ℣. 1. *ecce ostium apertum in Cælo, & vox prima, quam audiui, tamquam tubæ loquentis mecum, dicens: ascende huc, & ostendam tibi, quæ oportet fieri post hæc.* Cæli ostium clausum, aperitur; ventura, & secreta manifestantur, vox itaque, quæ occulta prodit, arcana detegit, & ostendit, vox quidem tubæ est: *vox tamquam tubæ loquentis mecum, dicens: ascende huc, & ostendam tibi, quæ oportet fieri &c.* Cùm ergo dici, *faciens eleemosynam, noli tuba canere;* idem est, ac si dixisset: ne eleemosynã, tuaq. pietatis opera, voce, signo extollas, aut ambitionis affectu propales; ne hominum oculis, & plausui aperias, quasi tuba proclamans, sed secretò custodias.

(*Tuba, publicitatis signum.* — Apocal. — *Opera bona nõ proclamanda.*)

27 Euehit autẽ nos adductus Ioannis locus in Apoc. vt hoc vlterius adnotemus. tuba cum Ioanne loquebatur: *tamquam tuba loquentis mecum.* in Euangelio autem tuba non loquitur, sed canit; *noli tuba canere,* quod est cantando, modulando pronunciare. an fortasse diuersitatis ratio est, quia simplex locutio, simplex enarratio, rem vt est purè aperit; rem autem canendo edicere, est vocis modulatione, inflexione, cantu, & harmonia affectũ mouere, sensus obstupefacere, rationem illudere, voluntatem capere audientium? hoc quidem. Dei eloquia, & mysteria, quia certa, & vera, simplici ratione Ioanni manifestãtur. fucato artificio bona sua opera hypocrita eloquitur, vt decipiat, ac veluti Sirenes dulci, fictioso tamen cãtu audientes obstupefaciat. vel ideo, *tuba canit* hypocrita, quia opera magnificat sua, extollit, exaltat, & ad cælum euehit: sicut est illud Virgil. Aeneid. 7. *Regemq; canebat,* hoc est, laudibus extollebant.

(*Hypocrita, fictiosè sua enarrat opera.* — *Hypocrita, sua canit, idest, magnificat opera.* Virg.)

28 Non dixit tantùm: *noli tuba canere,* sed addidit: *ante te.* quia post te canendum tuba est. hoc est, iustitiæ, & pietatis opera coram, & ante te, idest, dum viuis proclamanda non sunt; post te, te absente, & iam defuncto; vel etiam viuente (nolente tamen conspici, & videri) tuba canentur, cunctis nota fient, iuxta illud quod subditur: *& Pater tuus, qui videt te in abscondito, reddet tibi palã, in aperto, & in propatulo,* vt pluries diximus.

(*Mortuo, vel inuito laudes cõferuntur.*)

29 Sed quia tubæ sonitu, milites ad arma, & prælium inflammantur: illud quoque colligimus, hypocritam, sua opera, oculis hominum aperientem, *tuba canere;* prædatores enim conuocat, & vltores, qui bona iugulent, mortem inferãt, vt inquàm nullius valoris, & mortua opera sint; & mercedem suam, bonis suis operibus aliàs debitam, auferant. quapropter vbi nos legimus: *receperunt mercedem suam* legit Vatabl. *abstulerunt;* quasi prædatores tuæ mercedis congregasti, dum spectatores tuorum operum, tubæ sonitu aduocasti.

(*Hypocrita, prædatores, & vltores suorũ operum aduocat.* — Vatabl.)

DOMENICA PRIMA QVADRAGESIMAE.


MATTH. IV.

Sacer tex.

Ductus est Iesus in desertum à spiritu; vt tentaretur à Diabolo. Et cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esurijt. Et accedens tentator, dixit ei. Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Qui respondens, dixit: Scriptum est. Non in solo pane viuit homo: sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem: & statuit eum supra pinnaculum templi, & dixit ei, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Iesus. Rursum scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde: & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit illi. Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Tunc dicit ei Iesus. Vade satana: scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Tunc reliquit eum diabolus: & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.

Caput I.

Explicatur sensus litteræ.

1 

VCTVS est Iesus. Non hoc dicit Euangelista, quia sponte nõ secesserit, sed quasi significans quod spiritus humanus Iesu, secutus sit eiusdem Iesu diuinũ spiritum; propterea etiam si *ductus* dicatur, sponte tamen hoc facere elegit; vnde S. Chrysost. homil. 13. in Matth. *non solum*, inquit, *ductus dicitur, qui alicuius potestate ducitur; sed etiam ille, qui alicuius rationabili auctoritate placatur*. Quod euidentius apparebit si expendamus cũ Abulens. cur magis dicatur *duci*, quam *trahi*, aut *ire*. trahi enim est compelli, vt trahi in iudicium, quod non fit nisi repugnante voluntate. Duci vero est rationibus, suasionibus, aut precibus persuaderi ad eundum, nullo modo vim faciendo voluntati; ita hæc verba vsurpauit, & contradistinxit Seneca, ostendens vtriusque proprietatem, *generosus est*, inquit, *hominis animus, & facilius ducitur, quàm trahitur*. & alibi. *Fata volentem ducunt, nolentem trahunt*. qui enim sese rerum euentis accomodat, huic nihil accidit præter voluntatem, ideo à Fatis duci dicitur. & qui diuinæ se voluntati conformat in omnibus: tractus, & impulsus pænas non sentit; sed dulciter, suauiterque ducitur. Postremò *ire* est nec duci, nec trahi, sed suapte sponte moueri ad eundum; non itaque iuisse, nec tractus fuisse, sed *ductus* dicitur,

Sponte secedit Iesus in desertum.

S. Chry.

Non idẽ est duci, & trahi.

Seneca.

Homo potius suauitate quã asperitate regitur.

quia Spiritu sancto suadente tentationi se, non reluctando, neque resistendo, obiecit. Quod si quis verba D. Marc. 1. cap. ℣ 12. expendens, vim aliquam ijs significari cõtendat; dum dicitur, quod *expulit eum spiritus*, dicemus hæc mitius exponenda, & vt sensui & verbis D. Matthæi quanto magis fieri potest, accomodẽtur; alias ad hanc obiectionem respõsiones habes apud eundem Abul. in cap. 4. Matth.

Marc.

2 Lucas Brugensis, idcirco, inquit, nunc potissimum *ductus* dicitur, quia declaratus plenus Spiritu sancto, tamquam noua indutus persona argumenta ediderit manifesta agentis Spiritus sancti, ad aggrediẽda sublimissima Euangelij, ac Regni Dei negocia, qualia nunquam hactenus ediderat; vt propterea apposite addat particulam *tunc*, dum ait: *tunc ductus est Iesus in desertũ &c.* vt doceamur, quod ex quo per baptismum sumus Christi militiæ adscripti, statim nos ad futuras tentationes præparare debemus; vnde Glos. Ord. *tunc*, ait, *post baptismũ, quia nulla est mora à tẽtatione.* Vel vt eos instrueret, qui diuini Verbi prædicationi vacare debent, vt prius in deserta secedant, subducendo se ab hominum cõuictu, vt prius operibus, quàm verbis Euangelica præcepta promoueant, vt docet Tost. in cap. 4. Matth. quæst. 5. Auctor. de operibus Cardin. serm. de ieiun. & tentat. *voluit*, inquit, *Sapientia Dei primo erudiendo informare exemplo, & contra tentamenta proponere documenta.* fugit itaque hominum conuictum, & orationi, contemplationiq; solus vacat, quia (ait Luc. Brug.) *hoc maximè decet eos, qui aliorum Doctores futuri sunt, quibus suo hoc Saluator exemplo testatum reliquit*. in eo autem quòd *ductus* dicitur, non iuisse, docet, non temere tentationum occasiones nobis esse arripiendas, qui enim propter nostram infirmitatem vix illatas repellere possumus, temere ijs nos vltro obijceremus; & ideo Domini documentum fuit, quotidie orandum, ne inducamur in tentationes: quas sicuti vincere possumus cooperante diuina gratia, ita etiam in ijs vinci possumus ex nostra infirmitate; hoc considerauit S. Chrysost. homil. 13. in Matth. *propterea*, inquit, *Christum à Spiritu sancto ductum commemorat Euangelista, vt nos apertissimè signatum esse videamus, quia non sponte nos ipsos in tentationes oportet insilire, sed si constricti fuerimus viriliter repugnare.* similia his habet Theophyl. in 1. cap. Marci.

Brug. Cur potissimũ Iesus ductus dicatur.

Satim à baptismo ad tentationes preparantur. Glos.

Prædicatores subtrahant se mundo.

Auct. de oper. Card.

Brug. Aliorum eruditores vacẽt orationi.

Temerarium est tentationi se obijcere

S. Chrys.

3 *In desertum*, idest, in interiora illius deserti, quod prope Iordanũ est, qui locus postea à Christianis *Quarantana*, ob hoc quadraginta dierum ieiunium, vocatus fuit. Est autem hoc desertum mons arduus distans à Hierusalem, auctore D. Bonauent. in lib. de Vit. Chris. cap. 16. decem & octo milliaribus. Quamobrem autem Christus, tentandum se præuidens, in desertum locum secesserit, multiplex ratio reddi solet; poterat enim etiam in cultis, & ornatis locis tentatori se permittere. Sed noluit secundus hic Adã, ibi cũ antiquo hoste præliari, vbi primum hominẽ nouerat, (inter horti, scilicet, delicias) succubuisse; quæ fuit expositio Gloss. venerat enim Christus humani generis ruinas reparare, ideo debuit inducta ab Adã damna compensare; iste ab horto eiectus fuerat in terram infrugiferam, spinis, & tribulis plenam, tamquam in desertum; conueniebat itaq; vt Iesus de deserto ad hortum homines reduceret, aperiendo illis viam ad cælestia, quod facturus, primo desertũ ingreditur: audiamus hoc explicantem S. Ambros. *conuenit*, inquit, *recordari, quemadmodum de Paradiso in desertum Adam primus eiectus sit, vt aduertas quemadmodum de deserto ad Paradisum Adam secundus reuerterit; illius igitur, vt de deserto ad Paradisum redire possimus, vestigia perse-*

S. Bonau.

In delicijs facilè tentationi succumbitur.

S. Ambr. De delicijs ad desertum, de deserto ad Paradisum via

quamur. Vel in deserto tentari voluit, quia ii grauius tentantur, qui renunciantes Mundo desertum petunt; cum hos diabolus vehementius persequatur, quos à se quasi rebellasse considerat. Glossa *in deserto*, ait, *fit tentatio, quia non ante hostis se erigit, quàm homo de mundo exit*. qui ergo accepta Spiritus sancti gratia in desertum secedentes, stare se putant, cautè circumspiciant, necubi tentatoris fraude irretiti, cadant; quia vt admonet D. Hilar. in Caten. *in sanctitate maximè diaboli tentamenta grassantur, quia victoria ei magis est optata de Sanctis*; neque enim illis est infestus, quos sub suis quasi castris militare nouit; sed sæuius ijs bellum indicit, qui induti arma Christi, eius se militiæ verè addixerunt. in quam sententiam loquitur D. Augustin. serm. 93. de temp. *tamdiù aliquis diabolum contra se pugnantem non sentiet quãdiù opera eius exercere voluerit, qui verò illum reliquerit, & de petra bibens, Christum sequi elegerit, necesse est, vt illum patiatur infestum, cui iusto iudicio voluit præponere Christum.*

Sãctiones acrius tẽtatur. — Gloss. — S. Hilar. — Victoria de Sanctis diabolo iucundior. — S. Aug.

4 Admonet etiam solitarius hic ieiunij locus in quo Christus tentatur, quòd nullus locus est, in quo ab astutissimi tentatoris insidijs simus securi; cùm etiam qui in eremum venerit, non solum subtilius, sed etiam validius à tentatore inuadatur, cui solitudo opportunitatem præbere videtur; *quoniam diabolus*, ait Theophyl. in hoc Euang. *tentat nos, quando viderit solitarios, & non ab alijs adiutos*, vbique igitur infestus imminet hostis, qui numquam ab insidijs desistit, vt bene D. Hieronym. epist. 22. ad Eustoch. de tuend. Virgin. *quamdiù*, inquit, *fragili hoc corpore detinemur, quamdiù habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, nulla est certa victoria*, & quæ plura ibidem sanctus vir de se ipso in eremo agente, & inter asperas carnis mortificationes, maximas tentationes, passo, refert.

Nullus locus tentationi securus. — Theoph. — S. Hieron.

5 *A spiritu*. Vnanimiter ferè consentiunt SS. Patres Spiritum sanctum hic significari, ita S. Chrysost. S. Hierony. Imperf. & alij, quorũ sententia eo magis videtur admittenda, quia vt adnotat Brug. Syrus hoc expressit apud quem legitur *à Spiritu sancto*, & quãuis aliqui aliter senserint, quia infra in hoc Euangelio dicitur quod *diabolus assumpsit Iesum in sanctam ciuitatem, & statuit eum supra pinnaculum templi*, & iterum *assumpsit eum in montem excelsum valde*, tamen hæc intelligenda sunt permissa à Dño, diabolo tentanti, sicuti à Spiritu S. *ductus*, præbuit se tentatori. omnem hanc hæsitationem tollit S. Greg. homil. in hoc Euang. *dubitari*, inquit, *à quibusdam solet, à quo Spiritu sit Iesus ductus in in desertum, propter hoc quod subditur, & assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde sed verè, & absque vlla quæstione conuenienter accipitur, vt à Spiritu sancto in desertum adductus videatur, vt illuc eum Spiritus sãctus duceret, vbi hunc ad tentandum malignus spiritus inueniret.* quæ etiam repetit Haymo, addens quod hoc *Lucas euidentissimè expressit, cum dicit Cap. 4. regressus est Iesus plenus Spiritu sancto à Iordane & agebatur à spiritu in desertum, & tentabatur à Satana*; non itaque idem fuit qui duxit, & qui tentauit. Sed occurret hic quispiã, quòd cùm opera Trinitatis ad extra sint indiuisa (Augustin. de Trinit.) nõ debet dici potius à Spiritu sancto, quã à Patre ductus. Respõdet Barad. quod quamuis tota Trinitas Christum, qua homo erat, ad desertum petendum mouerit, motus tamẽ & ductus à Spiritu sancto dicitur per attributionem; Spiritui enim sancto inspirationes sanctæ, sanctique motus tribuuntur, etiam si à tota Trinitate proficiscantur; propterea in principio huius expositionis litteralis dicebamus, quòd diuinus Iesu Spiritus, qui idem est cum Patre, & Spiritu sancto, mouit humanum eiusdem Iesu Spiritum ad solitarium

Per spiritum. Sanctus spiritus intelligitur. — S. Chrys. — S. Hieron. — Imperf. — S. Greg. — Haymo. — Per appropriationem à Spiritu Sancto ductus dicitur Iesus.

tatium secessum, & tentationem.

Qui ! ten tar impo tet. S. Thom.

6 *Vt tentaretur à diabolo,&c.ten tare*, apud Latinos scriptores, est experiri,& periculum facere rei incertæ; quo sensu dixit Poeta *Quid tentasse nocebit*? ita ad notat D.Thom.par.1. quæst. 114. artic.2. transfertur etiam ad conatum, quem in re aliqua dubia impendimus, vt dixit Cicer. prim. Tusc. *tentaui quid in eo genere possem*, & Virg.3.Georg.

Cic. Virg.

—tentanda via est,
Qua me possim tollere humo.

Et quoniam hic conatus plerumque non caret astu, ideo *tentare* etiam sumitur pro conatu eius, qui callidè quippiam molitur, vt tētare iudicium pecunia;pro conari subuertere. Hinc *tentari* dicitur,qui maligno,& insidioso animo inuaditur,vnde *tentatio* nomen verbale,significat experimentum & conatum cum fraude ad euidentiā alicuius rei dubiæ habendam;sic accepit Liu.lib.4.*ægrè Hortensius pati tentationem esse credens patientiæ suæ*; Et quamuis plerumque *tentare* aliquis dicatur ad bonum finem, vt in loco allegato animaduertit Sanct.Thom.vt Deut. 13. *tentat vos Deus vester, vt palam fiat, vtrum diligatis eum*; quo etiam pacto Genes.22 ℣.1.dicitur *ten tauit Deus Abbram.*quo illius bonitatem sibi cognitam,& exploratam,alijs manifestaret.in hoc tamen loco in malum finem accipiendum esse, tentatoris malignitas suadet,quemadmodum etiam Actor.5.℣.3. *Anania cur tentauit Satanas cor tuum*? Voluit itaque tentari Iesus, idest exposuit se, & permisit, vt periculum fieret virtutis, patientiæ,& constantiæ ipsius (& hæc est causa, cur in desertum secesserit expressa ab Euangelista tamquam omnium præcipua) ad nostram vtilitatem;nouerat enim quantum ieiunantibus immineat periculi, vt propterea nobis ieiunasse dicendus sit.

Liu.

Tentare, aliquādo ad bonum finem sumitur. Deut.

Genes.

Actor.

7 Duæ enim sunt vtilitates, quæ nobis ex hoc ieiunio Christi proueniunt,auxilij nimirum, & exempli; dixit hoc D. Augustin.4. de Trinit.cap. 13. *diabolo tentandum se præbuit Dominus, vt ad superandas tentationes mediator esset; non solum per adiutorium, sed etiam per exemplum*; idem affirmant S. Cyprian. & D. Hierony. epist.54.ad Marcell.& hinc S.Maxim. Episc. Taurinens. hom.in hoc Euang. *peractum*,inquit, *à Domino Iesu Christo certamen, nostræ securitati, salutique proficit*. Securitati quidem, quia nostra fragilitas, reddita est per hanc victoriam robustior, debellato vaferrimo tentatore, in quo maximum huius Dominicæ victoriæ momentum posuit D.Damascen.lib.3.de fide cap. 20.*tentatus*,inquit,*est Dominus*,*ac superauit, vt nobis victoriam compararet, naturæque nostræ frangendi aduersarium vim tribueret, quo videlicet natura iam pridem victa, per eosdem impetus, per quos victa erat, victoriam ei, qui olim vicerat,extorqueret*. quod maximè Christo Saluatori conueniebat, qui cum pro nostra incolumitate asserenda venisset, *In eo*, vt ait Apost. ad Hebr. 2. ℣.18. *in quo passus est ipse, & tentatus, potens est, & eis,qui tentātur auxiliari.* In qua spe quantum assurgere, & confortari humana imbecillitas debeat, nemo nō videt, qui fractam hostis hactenus penè inuicti arrogantiam, depressum fastum,& retusam audaciam considerat; fiet enim vt sub tanti victoris patrocinio, securius, & maiori cum fiducia ingruentes tentationum impetus excipiamus, & repellamus. *Habemus enim* ait S.Petr.Chrysol. serm.1.de ieiun. qui est XI. *in bonis adiutorem Deum, qui dat posse quæ iubet, & quæ præcipit, facit ipse*. & hæc est maxima huius Dominicæ tentationis in nos redundans vtilitas,vt nos securius pugnare possemus, ita sentiunt Haymo, & S. Gregor. Pap. *iustum quippe*, inquit, *erat, vt tentationes nostras suis tentationibus vinceret, sicut mortem nostram venerat sua morte superare*, quam etiam rationem ex D. Gregor. assigna-

S. Aug.

S.Maxim

S.Damas.

Hebr.

S. Chrys.

Auxiliū, & exemplum ex Christi ieiunio.

assignauit D.Thom.in 3. part. quæst. 41.artic.1.

Tentatur Christus, vt in illo vincamus

8 Dicebat etiã D.Maximus, fuisse nobis has tentationes Domini saluti, quia exemplo nobis præiuit, ac docuit modum, quo innoxij ab hostis insidijs euadentes, salui simus. hæc fuit sententia D.Ambros.præfat.in cap.4. Luc.*tentari*, inquit, *se à diabolo Dominus omnium patitur, vt in illo vincere omnes disceremus*. vt sic impletũ fuerit Isai. vaticinium cap. 54. ℣. 13. *ponam filios tuos doctos à Domino*. vel vt legunt LXX. *omnes filios tuos discipulos Domini*; cùm itaque nos, quousque viuimus, tentari contingat; adeo vt bene, *humanam vitam* Iob.7. ℣.1. *militiam*, vel vt legit D. Ambros. lib. 2.de interpell.cap.2.& Hierony.lib.2 contra Pelagian. *tentationem* appellauerit, & cum contra illum aduersariũ militemus, qui quos spiritualibus donis ditatos nouit, hos vehementius inuadit, *vbi enim* ait Euthym. *diuitias videt, ibi aciem ex aduerso instituit*, propterea magno nostræ salutis bono factum est, vt modum euadendi cum victoria ab tam callidi hostis insidijs, tanti ducis exemplo disceremus.

D.Ambr. *Isai.* *Sept.* *Iob.* *Sãctiores tentantur.*

Christi tentatio exterius tantum facta.

9 Hanc vero Christi tentationem exterius tantum factam, verbis suasorijs,& per suggestionem, plures ex Patribus affirmant; nam interius diaboli instigationes, nullam inordinatam cupiditatem, aut motũ rationi repugnãtem excitare in Iesu potuerunt; neq; enim in eo erat repugnantia partis inferioris ad superiorem; sicut in nobis, in quibus, propter peccatum, pars sensitiua contra intellectiuam, & rationalem nititur, etiam plerumque nobis nolentibus, & in hoc Christus similis fuit Adamo, qui propter innocẽtiam originalem habebat easdem animæ põtentias subordinatas, ex sententia D. Damasce. de fide. lib.7 & D.Gregor. homil.16.*in hoc*, ait, *similitudinem habuit* (Christus) *cum primo homine in Paradiso posito, vbi exterius à dæmone tentatus est*. Considerandus est etiã is à quo dicitur tentandus, addit enim Euangelista, *à diabolo*, qui assiduus est humani generis hostis, & semper circuit quærẽs quem deuoret. Tres enim sunt humanæ salutis inimici, vt obseruat optimè Luc.Brug.ad hunc locum; qui hominem supplantare assiduo conantur; Caro, Mundus, Diabolus. ex quibus, à diabolo tantum, & mundo potuit Iesus sollicitari, qui à carne siue concupiscentia sua spiritui perfectè subiecta, ad peccatum minimè incitari poterat. *Hic igitur describitur quo modo diabolus, per se tentauerit Christum, postea verò, multæ mundi, idest, hominum mundanorũ tentationes narrantur*, ait idem Brug.quasi creuerint pugnæ, cùm post diaboli tentationes hominibus tentandus exponatur, qui quandoque dæmonibus ipsis in tentando peiores sunt; leuioribus ergo deuictis acriores insurgunt acies;& in facili palæstra quasi eruditus miles, grauiora aggreditur certamina.

Christus, potentias habuit subordinatas. *S.Damas.* *S.Greg.*

Brug.

Hom inũ tẽtationes quasi grauiores ijs quas inferunt dæmones.

10 *Et cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*, &c. Eiusmodi est ieiunij (si bene instituatur) emolumentum, vt Christus Dñs semper nostræ saluti intentus, eius nobis formam præscribere voluerit. siue enim ad tentationes im pẽdentes præparari velimus,& tentatorem eludendo vincere, ac vincendo eludere, ieiunio affligamur, quod quãtum carnem debilitat, tantumdem spiritum confirmat,& hostẽ deijcit, quia, vt ait Chrysol serm. 12.*ieiunantibus nobis, diabolus esurit qui nostris semper saturatur ex culpis*.& Euthym.*ieiunauit*, inquit, *innuens quòd magnum propugnaculum sit ieiunium ijs qui dæmoni repugnant*; siue Domino annui temporis decimas tãquam debitas offerre velimus, quadragenarium dierum numerum ieiunio impẽdere iubemur. hoc serio nos monet idem S.Chrysol. eod. sermon. *dedimus corpori annum, demus animæ dies, impendimus nobis tempora, tempus dependamus Auctori, viuamus Deo paululum, qui sæculo viximus* &c.

Ieiunio tẽtationes vincimus

S.Chrys.

Euthym.

Quam.

Mysteria quæ contineat ieiunium Christi per 40 dies.

11 Quamombrem autem quadraginta diebus, & totidem noctibus ieiunare Dominus noster voluerit, multis modis explicatur, & mystici eius rei sensus omittendi à nobis sunt in hac litterali expositione, quos congerunt D. Ambr. in cap. 4. Luc. Christian. Druith. Haymo, & Maldon. in expositione huius Euangelij. nobis hic illud animaduertisse satis sit, quòd totidem diebus in veteri etiam testamento leguntur ieiunasse insignes Dei serui Moyses promulgator legis diuinæ Exod. 24. Et Elias præcipuus omnium Prophetarum 3. Reg. 18. Et quoniam accingebat se Christus Euangelij prædicationi; præmisit hoc quadraginta dierum ieiunium, vt in nullo à veteri lege, vel Prophetis dissentiret; quin Euangelica præcepta admodũ illis esse conformia significaret. hæc fuit opinio D. Augustini lib. 2. de doctr. christian. cap. 16. *vt ostendat*, inquit, *Euangeliũ, quod tradere parabat, consonum esse legi, & Prophetis*: quam etiã rationem adduxit Haymo. Alia eademque potissima causa est, vt quadragesimali nostro ieiunio, & annuæ abstinentiæ initium, & mensuram daret. Initium quidem sumpsit à Christi ieiunio, quadragesimalis nostra abstinentia, quia vt ait D. Hierony. in 4. cap. Matth. *in hoc quadraginta dierum numero, Quadragesima nobis ostenditur Sacramentum*; Et contra Iouin. *Dominus*, ait, *quadraginta dierum christianorum ieiunium sanctificauit*; adeo vt Christi ieiunium fuerit institutio Quadragesimalis nostræ pœnitentiæ. *Videtis fratres*, ait S. Chrysol. sermon. 11. *quia quod Quadragesimam ieiunamus, non est humana inuentio, auctoritas est diuina, nec est de terreno vsu de cælestibus est secretis*. Conuenit hic numerus præsertim labori, & ieiunio vt obseruauit S. Augustin. de consen. Euangel. *numerus iste*, inquit, *laboriosi temporis Sacramentum est, quo sub disciplina Regis Christi, aduersus diabolum dimicamus*. & D. Hieronym. epist. 54. ad Marcell. scribit, *Hunc numerum ieiuniorum nobis commendatũ esse Christum voluisse, intellexerunt Apostoli*. mensuram enim, & terminũ eiusdem Quadragesimalis ieiunij hic numerus denotauit, quod ritè obseruare tenemur; ita sensit D. Chrysost. hom. 13. in Matth. *vt mensuram*, inquit, *Quadragesimi nostri ieiunij poneret quadraginta diebus, & quadraginta noctibus ieiunauit*; idem habet Imperfec. in Matth. hom. 5. & quoniam apud Hebræos hæc erat ieiunandi forma, vt interdiù à cibis abstinentes, noctu cibum sumerent, & reficerentur; propterea vt integrum, & completum absque aliqua corporali refectione ieiunium istud Christi fuisse ostenderet Euangelista, neque etiam noctu cibum ab eo sumptum addidit, dicens. *& noctibus*. Hinc vt Christi ieiunium continuum fuisse, & numquam per cibi sumptionem interruptum significaret D. Ambr. serm. 23. metaphora, à corporis continuitate, ducta, appellauit illud vnũ corpus. *Vnum*, inquit, *corpus effecit ieiunium*: quasi dicat, continuatis illis quadraginta diebus, & noctibus ieiunauit. & D. Augustin. non multum ab eadem metaphora recedens, à proprietate corporum appellauit hoc ieiunium solidum sermon. 77. de temp. *Quadraginta dierũ, & noctiũ curriculo, cibũ omnino non capiens vnum, ac solidum ieiunij tempus effecit*. propterea igitur additur *& noctibus* ne putaret quis, quòd diebus ieiunauerit, & noctu manducauerit.

S. Aug. — *S. Hieron. Quadragesimale ieiunium Christus proximè instituit.* — *S. Chryso.* — *S. Aug. Cur 40. diebus ieiunemus.* — *D. Hier.* — *S. Chrys.* — *Quid sit noctibus ieiunare.* — *S. Ambr.* — *S. Aug.*

Opiniones variæ de Christi esurie.

12 *Postea esuriit*. Quamuis visũ sit plerisque, quòd etiam intra quadraginta dierum spatium Christus esurierit, vt visi sunt tenere Caiet. in Matth. & Isidor. Clari. tamen communis, & magis recepta est sententia dicentium, non nisi exactis quadraginta diebus Christum esurijsse, quod ostenditur ponderando particulam illam *postea*, quæ non frustra addita fuit ab Euangelista, sed ad designãdum, quod post illos dies cæpit illum, quamuis

volen-

assignauit D.Thom.in 3. part. quæst. 41.artic.1.

Tentatur Christus, vt in illo vincamus

8 Dicebat etiā D.Maximus, fuisse nobis has tentationes Domini saluti, quia exemplo nobis præiuit, ac docuit modum,quo innoxij ab hostis insidijs euadentes, salui simus. hæc fuit sententia D.Ambros.præfat.in cap.4. Luc.*tentari*, inquit, *se à diabolo Dominus omnium patitur, vt in illo vincere omnes disceremus*. vt sic impletū fuerit Isai. vaticinium cap. 54. ℣. 13. *ponam filios tuos doctos à Domino*. vel vt legunt LXX. *omnes filios tuos discipulos Domini*;cùm itaque nos, quousque viuimus, tentari contingat; adeo vt bene,*humanam vitam* Iob.7.℣.1. *militiam*, vel vt legit D. Ambros. lib. 2.de interpell.cap.2.& Hierony.lib.2 contra Pelagian. *tentationem* appellauerit, & cum contra illum aduersariū militemus, qui quos spiritualibus donis ditatos nouit, hos vehementius inuadit,*vbi enim* ait Euthym. *diuitias videt, ibi aciem ex aduerso instituit*, propterea magno nostræ salutis bono factum est, vt modum euadendi cum victoria ab tam callidi hostis insidijs, tanti ducis exemplo disceremus.

D.Ambr

Isai.

Sept.

Iob.

Sāctiores tentantur.

Christi tentatio exterius tantum facta.

9 Hanc vero Christi tentationem exterius tantum factam, verbis suasorijs,& per suggestionem, plures ex Patribus affirmant; nam interius diaboli instigationes, nullam inordinatam cupiditatem, aut motū rationi repugnātem excitare in Iesu potuerunt; neq; enim in eo erat repugnantia partis inferioris ad superiorem; sicut in nobis, in quibus,propter peccatum,pars sensitiua contra intellectiuam, & rationalem nititur, etiam plerumque nobis nolentibus, & in hoc Christus similis fuit Adamo, qui propter innocētiam originalem habebat easdem animæ pōtentias subordinatas, ex sententia D. Damasce. de fide. lib.7 & D.Gregor. homil.16.*in hoc*,ait, *similitudinem habuit* (Christus) *cum primo homine in Paradiso posito, vbi exterius à dæmone tentatus est*.Considerandus est etiā

Christus, potentias habuit subordinatas.
S.Damas.
S.Greg.

is à quo dicitur tentandus,addit enim Euangelista,*à diabolo*, qui assiduus est humani generis hostis, & semper circuit quærēs quem deuoret.Tres enim sunt humanæ salutis inimici, vt obseruat optimè Luc.Brug.ad hunc locum; qui hominem supplantare assiduo conantur; Caro, Mundus, Diabolus. ex quibus, à diabolo tantum, & mundo potuit Iesus sollicitari, qui à carne siue concupiscentia sua spiritui perfectè subiecta, ad peccatum minimè incitari poterat. *Hic igitur describitur quo modo diabolus, per se tentauerit Christum,postea verò, multæ mundi, idest, hominum mundanorū tentationes narrantur*, ait idem Brug.quasi creuerint pugnæ, cùm post diaboli tentationes hominibus tentandus exponatur, qui quandoque dæmonibus ipsis in tentando peiores sunt; leuioribus ergo deuictis acriores insurgunt acies;& in facili palæstra quasi eruditus miles, grauiora aggreditur certamina.

rug.

Hom inū tētationes quasi grauiores ijs quas inferunt dæmones.

10 *Et cum ieiunasset quadraginta diebus,& quadraginta noctibus*,&c. Eiusmodi est ieiunij (si bene instituatur) emolumentum, vt Christus Dñs semper nostræ saluti intentus,eius nobis formam præscribere voluerit. siue enim ad tentationes impēdentes præparari velimus,& tentatorem eludendo vincere, ac vincendo eludere,ieiunio affligamur, quod quātum carnem debilitat, tantumdem spiritum confirmat,& hostē deijcit,quia, vt ait Chrysol serm. 12.*ieiunantibus nobis, diabolus esurit, qui nostris semper saturatur ex culpis*.& Euthym.*ieiunauit*,inquit, *innuens quòd magnum propugnaculum sit ieiunium ijs qui dæmoni repugnant*; siue Domino annui temporis decimas tā quam debitas offerre velimus, quadragenarium dierum numerum ieiunio impēdere iubemur. hoc serio nos monet idem S.Chrysol. eod.sermon. *dedimus corpori annum, demus animæ dies, impendimus nobis tempora, tempus depēdamus Auctori, viuamus Deo paululum,qui sæculo viximus* &c.

Ieiunio tētationes vincimus

S.Chrys.

Euthym.

Quam.

Mysteria quæ contineat ieiunium Christi per 40 dies.

11 Quamombrem autem quadraginta diebus, & totidem noctibus ieiunare Dominus noster voluerit, multis modis explicatur, & mystici eius rei sensus omittendi à nobis sunt in hac litterali expositione, quos congerunt D. Ambr. in cap. 4. Luc. Christian. Druith. Haymo, & Maldon. in expositione huius Euangelij. nobis hic illud animaduertisse satis sit, quòd totidem diebus in veteri etiam testamento leguntur ieiunasse insignes Dei serui Moyses promulgator legis diuinæ Exod. 24. Et Elias præcipuus omnium Prophetarum 3. Reg. 18. Et quoniam accingebat se Christus Euangelij prædicationi; præmisit hoc quadraginta dierum ieiunium, vt in nullo à veteri lege, vel Prophetis dissentiret; quin Euangelica præcepta admodũ illis esse conformia significaret. hæc fuit opinio D. Augustini lib. 2. de doctr. christian. cap. 16. *vt ostendat*, inquit, *Euangeliũ, quod tradere parabat, consonum esse legi, & Prophetis*: quam etiã rationem adduxit Haymo. Alia eademque potissima causa est, vt quadragesimali nostro ieiunio, & annuæ abstinentiæ initium, & mensuram daret. Initium quidem sumpsit à Christi ieiunio, quadragesimalis nostra abstinentia, quia vt ait D. Hierony. in 4. cap. Matth. *in hoc quadraginta dierum numero, Quadragesimæ nobis ostenditur Sacramentum*; Et contra Iouin. *Dominus*, ait, *quadraginta dierum christianorum ieiunium sanctificauit*; adeo vt Christi ieiunium fuerit institutio Quadragesimalis nostræ pænitentiæ. *Videtis fratres*, ait S. Chrysol. sermon. 11. *quia quod Quadragesimam ieiunamus, non est humana inuentio, auctoritas est diuina, nec est de terreno vsu de cælestibus est secretis*. Conuenit hic numerus præsertim labori, & ieiunio vt obseruauit S. Augustin. de consen. Euangel. *numerus iste*, inquit, *laboriosi temporis Sacramentum est, quo sub disciplina Regis Christi, aduersus diabolum dimicamus*. & D. Hieronym. epist. 54. ad Marcell. scribit, *Hunc numerum ieiuniorum nobis commendatũ esse Christum voluisse, intellexerunt Apostoli.* mensuram enim, & terminũ eiusdem Quadragesimalis ieiunij hic numerus denotauit, quod ritè obseruare tenemur, ita sensit D. Chrysost. hom. 13. in Matth. *vt mensuram*, inquit, *Quadragesimæ nostri ieiunij poneret quadraginta diebus, & quadraginta noctibus ieiunauit*; idem habet Imperfec. in Matth. hom. 5. & quoniam apud Hebræos hæc erat ieiunandi forma, vt interdiù à cibis abstinentes, noctu cibum sumerent, & reficerentur; propterea vt integrum, & completum absque aliqua corporali refectione ieiunium illud Christi fuisse ostenderet Euangelista, neque etiam noctu cibum ab eo sumptum addidit, dicens. *& noctibus*. Hinc vt Christi ieiunium continuum fuisse, & numquam per cibi sumptionem interruptum significaret D. Ambr. serm. 23. metaphora, à corporis continuitate, ducta, appellauit illud vnũ corpus. *Vnum*, inquit, *corpus effecit ieiunium*: quasi dicat, continuatis illis quadraginta diebus, & noctibus ieiunauit. & D. Augustin. non multum ab eadem metaphora recedens, à proprietate corporum appellauit hoc ieiunium solidum sermon. 77. de temp. *Quadraginta dierũ & noctiũ curriculo, cibũ omnino non capiens vnum, ac solidum ieiunij tempus effecit*. propterea igitur additur *& noctibus* ne putaret quis, quòd diebus ieiunauerit, & noctu manducauerit.

S. Aug. *S Hieron Christus ieiunium Christus suo exemplo instituit.* *S. Chryso.* *S. Aug. Cur 40 diebus ieiunemus.* *D. Hier.* *S. Chrys.* *Quid sit noctibus ieiunare.* *S. Ambr.* *St Aug.*

12 *Postea esuriit*. Quamuis visũ sit plerisque, quòd etiam intra quadraginta dierum spatium Christus esurierit, vt visi sunt tenere Caiet. in Matth. & Isidor. Clari. tamen communis, & magis recepta est sententia dicentium, non nisi exactis quadraginta diebus Christum esuriisse, quod ostenditur ponderando particulam illam *postea*, quæ non frustra addita fuit ab Euangelista, sed ad designãdum, quod post illos dies cæpit illum, quamuis

Opinione variæ de Christi esurie.

volen-

volentem, fames vrgere; si enim prius esurijsset, non hucusque tentationem diabolus distulisset, cui esuries Christi, animum fecit ad illũ inuadendum. obseruarunt hoc S. Hilar. *post quadraginta dies*, inquit, *non in quadraginta diebus esurijt*, & Sanct. Petr. Chrysol. sermon. 11. fuit autem hæc eius fames voluntaria, non necessaria, vt ostendit D. Thom. 3. part. quæst. 41. art. 3. ad 2. nam si naturalis fuisset, non potuisset tamdiù ieiunium tolerare, deficientibus prę inedia viribus, nisi cibo reficiãtur; voluit autem, longo ieiunio diuinam potentiam, sed subsecuta fame, humanam infirmitatem testari, quo vtriusque naturæ particeps esse ostenderetur; vt voluit D. Cyrill. lib. 2. ad Regin. Et D. Ignat. epist. 8. ad Philipp. Potuit autem purus homo quadraginta integris diebus à cibo abstinere, quia diuinitas per illud tempus cohibuit calidum naturale, ne ageret in humidum radicale consumendo, & sic istud conseruabatur sine refectione, & alimento: absolutis verò quadraginta diebus, cessante diuinitate ab illa conseruatione, cum natura humana relicta fuisset in puris naturalibus, illico successit fames D. Hilar. *igitur*, inquit, *cùm esurijt post quadraginta dies Dominus, non inedia subrepsit operatio, sed naturæ tunc hominem dereliquit*. Mirum verò videri posset, quòd cùm totidẽ diebus bis Moyses, & semel Elias ieiunauerint: in istis temen sicut in Christo nulla subsecuta sit fames. sed hinc apparet Domini, & seruorum discrimen, Moysen enim diuinum alloquium, quo illis diebus fruebatur inuisibili cibo aluit; Eliam verò in fortitudine cibi sibi cælitus transmissi, ambulasse, & ieiunasse sacræ litteræ testantur; ita vt neuter propria virtute ieiunium tolerauerit; sed Christus, & sua potentia abstinuit vt Deus, & volens esurijt, vt homo. S. Maxim. Episc. Taurinens. homil. 3. de Ieiun. *Moyses vtiq; non esurijt, vt in homine fragili operata diuinitas probaretur, esurijt Dei filius, vt aßumptionem carnis nostræ fragilẽ suscepisse hominem reuelaret. Quod non esurijt Moyses, cælestis est possibilitatis exemplum, quòd esurijt Christus, nostræ redemptionis est Sacramentum huiusmodi Deus peregit in sua carne mysterium, vt sicut Deus esse diuinis virtutibus creditur, ita & esse homo infirmitatibus dignoscatur humanis. & hinc est, quod Christus vt homo esurit, qui esurientes pascit vt Deus.*

S. Hilar.

Christi fames volũtaria. S. Thom.

Esuriei Christi ratio.

S. Cyrill. S. Ignat.

S. Hilar.

Cur Christus esurierit, nõ autẽ Moyses, & Elias.

S. Max.

13 Cæterum omnes ferè Patres affirmant, quòd esurire voluerit Iesus, (qui cùm esset Dominus naturæ suæ, poterat ab hac se afflictione seruare) vt occasionẽ tentãdi diabolo præberet, qui non ausus fuisset eum, in quo ad tam longum peragendũ ieiunium diuinam virtutem admirabatur, suis tentationibus aggredi, nisi fame vexatum non inexpugnabilem fore coniecisset. S. Chrysost. homil. 13. in Matth. *esurijt Christus materiam diabolo tentandi præbens*; quod ijsdem penè verbis S. Chrysol. dicit serm. 11. *esurijt Christus, vt materiam tentandi diabolus inuenıret; tunc enim putauit posse tentari, quando illum esurire callidus explorator inspexit*. ita D. Augustin. lib. 3. de mirab. sacr. script. Sanct. Ignat. epist. 8. ad Philipp. D. Basil. hom. 1. de Ieiun. & fusius Theodoret. serm. 10. de prouident. In quo certè mira apparuit Saluatoris nostri prouidentia, qui, quo versutum aduersarium elice ret ad prouocandum, foris exhibuit se esurientem, cùm intus nunquam esuriret, vt diabolus, qui esurienti insidiabatur, à nõ esuriente superaretur; propterea apposite D. Ambros. in cap. 4. Luc. hanc esuriem piam Domini nostri fraudem appellauit, qua astutum, & insidiosum captatorem cepit. *vt aduersarium*, ait Ambros. *iam timentem lacesseret, qui quadraginta dierum ieiunio fuerat vulneratus; & ideo fames Domini pia fraus est, vt in quo diabolus maiora metuens iam cauebat, famis specie lactatus, tentaret vt hominem, ne impediretur triumphus*. Con-

Esurit Christus, vt occasionẽ tẽtandi præbeat dæmoni.

S. Chrys.

S. Chryso.

Pia Christi fraus, in superãdo dæmone.

S. Ambr.

venit

uenit tamē fidelibus hoc in loco, cum Chrysost. hom. 5. ex var. in Matthæū: Christi Domini nostri tolerantiam admirari, qui cum Israeliticum populum per quadraginta annos, pane de cælis diuinitus præstito, per deserta loca peregrinantem aluerit, ieiunans pro nobis elegerit in deserto esurire.

14 *Et accedens tentator &c.* Emphasim addit particula *&*, quasi nulla interposita mora, postquam esurientem sensit, illico Dominum adortus sit; nō enim cunctatur diabolus, piger non est in tentando: obseruat tempus, locum, occasionem, qua vix cognita, irruit statim, suadet, allicit ad consensum. Et quod maiori consideratione dignum est, accipit inimicus occasionem tentandi ex indigentia naturali, idest fame, quæ est res naturalis in hominibus à cibo abstinentibus, vt erudiantur ij, qui ieiunant, non esse desperandum si fortè incidant in tentationes, sed ijs resistendo adspirandum ad victoriam. S. Chrysost. in Caten. *si ergo*, inquit, *ieiunaueris, & tenteris, ne dicas perdidi fructum ieiunij, nam & si non tibi profuit ieiunium tuum, ne tenteris, tamen proficiet vt à tentationibus non vincaris.* *Tentatoris* vero nomine *diabolum* significari ab ipso Euangelista discimus, qui supra scripsit, secessisse Christum in desertum, *vt tentaretur à Diabolo*; cuius sicuti proprium munus, ita congruum nomen est *tentatoris*; dixit hoc Gloss. quæ exponens illud Paul. 1. ad Thessal. 3. *ne fortè tentauerit vos is, qui tentat, idest, diabolus, cuius officium est tentare.* allegatur à D. Tho. 1. part. quæst. 114. art. 2. quod præsertim nomen illi conuenit, in hoc sibi maxime dubio experimento, quo periculum facere conatur rei sibi maximè incertæ; num scilicet Christus esset verus Deus; quod quamquam ex plerisque signis suspicaretur, non tamen deerant argumenta, quæ secus illi suaderēt, & hæc præsertim fames, qua post ieiunium sensit illum torqueri; vt enim dubium illum & animi incertum relinqueret Dominus, noluit vltra quadraginta dies ieiunium protrahere, ne manifestè appareret Deus.

Dæmonis celeritas in tentando.

S. Chrys.

Ieiunium tētationes vincit.

Tentare, officiū est dæmonis.

Gloss.

Thom.

15 In hac itaque hæsitatione, *accedens*, ait Euangelista, quasi suspenso gradu, sed magis animo, nō audacter præsumeret congredi, adhuc incertus cum quo esset præliaturus. S. Maxim. Episc. Taurin. hoc egregiè explicat. *errabundus, & anceps tentator, mollia, suspensaque tentamenta rimatur, quia licet carnalis viri speciem contemplaretur in Christo, præsentia tamen diuinitatis concitatus, suspicabatur, eum plus esse, quàm hominem.* Accedere amantis est, & pudenti gressu ad impetrandum id quod petit, commouētis; *ille*, ait S. Chrysol. *accessit tentantis dolo, non obsequentis affectu, accessit prius impudens, quàm recessit.* In quo actu figuram aliquam verò similem ab eo acceptam oportuit. *Accessit*, ait Beda, *per assumptam speciem tentandi*, (idest per eam figuram, quam sibi magis idoneam fore in hac tentationis actu putabat) *qui longè erat voto malitia*, vt quemadmodum in Paradiso sub serpentis figura deceperat, ita hic sub persona alicuius viri, Christo in fame compatientis superaret; *puta*, ait D. Dionys. Carthus. in 4. cap. Matth. *Hominis sancti eremum incolentis*, quod in hac priore tentatione verosimile videtur; sed in alijs, & præsertim in tertia absurdū fuisset, quempiā sub tali habitu, omnia regna mundi polliceri. Vel itaque in duabus posterioribus tentationibus laruā & personam, quam induerat mutauit; vel eam primo assumpsit, sub qua omnibus tentationibus posset idoneus videri.

Dæmon meticulosè Christum tentat. S. Max.

S. Chrys.

Beda.

Hominis forma assumit tentator, vt sub specie pietatis decipiat. D. Carth.

16 Superest considerādum quis nam ex innumera dæmonum turba fuerit hic tentator, qui cum tanto viro congredi ausus fuit; quamuis enim totis illis quadraginta diebus, desertū dæmonum agminibus Christo varijs sub figuris monstruosis insultantium, plenum fuerit, vt propterea fortasse

A dæmonū Principe tentatur Christus.

dixerit Marcus illum inter bestias fuisse; ad hoc tamen singulare certamen, cum cæteri omnes impares futuri viderētur ipsum Dæmonum principem processisse à probabilitate non videtur alienum, vt propterea Euangelista hunc tentatorem in principio istius narrationis *diabolum* appellauerit, *vt tentaretur à diabolo* secutus morem scripturæ, quæ hoc nomine principem Dæmonum sæpius expressit, vt apud eundem Matth. cap. 25. ℣. 41. *qui paratus est diabolo & Angelis eius*. & Apocal. 12. ℣ 9. *proiectus est Draco magnus, qui vocatur diabolus &c.* & hoc fortasse significatur in translatione Syriaca huius loci, quæ vertit, *& accedens tentator ille*, idest, omnium supremus, ita tenuit D. Augustin. 9. de Ciuit. Dei cap. 21. Hic enim fuerat, qui sub figura serpentis in Paradiso Euam allocutus, toti illius posteritati exitium procurauit, vt notat D. Hieron. in 3. c. Habac. & propterea Christo Redemptori humani lapsus reseruatum erat illū prosternere, per quem vniuersum genus humanum corruerat, *Hæc*, inquit Ambros. sermon. 44. *est vera victoria, vt qui Adam immortalem, & gloriosum, & opulentum subuerterat, nunc ab homine mortali, humili esurienteq; vinceretur*; vt propterea hic tētator, *Archidæmon*, à Chrysost. homil. 5. ex varijs in Matth. appelletur.

Matth. Apoc. S. Aug. S. Hieron S. Ambr. S Chrys.

17 *Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant*. meminerat diabolus insignis illius victoriæ, quam cum totius humani generis pernicie de Adamo per gulā tulerat in Paradiso, propterea etiam Christo præsertim esurienti, simili tentamento occurrit; *esurienti enim* ait D. Hierony. *congruè dicitur, dic vt lapides isti panes fiant*; propterea hanc primam adhibet artem, qua diuinum athletā deijciat, cui multum fidebat. gulam enim malorū omnium radicem appellauit D. Basil. homil. de abdicat. rerum corpor. *inde* itaque *incepit*, vt notat D. Ambros. in 4. cap. Luc. *vnde vicerat*. conueniunt autem omnes sācti Patres, quod quamuis de gula videatur Saluatorem tentare, intendebat nihilominus ab eo diuinitatis suæ veritatem extorquere, de qua admodum dubius, & incertus hucusq; fuerat: habebat enim vtrimque argumenta; sciebat quidem in eius Natiuitate Angelorū cælestes cantus personuisse, sed sub ijsdem diebus infantem Iesum ab Herodis sæuitia per fugam in Aegyptum fuisse subductum. nouerat Magos eum tāquam Regem salutatum venisse; sed in vili tugurio quasi latitantem inuenisse; audierat paulo ante cæleste Patris testimonium *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite*, sed tanto præconio celebratum in eremum secessisse non ignorās, non poterat de eo magni quicquam suspicari. commouerat illū austerū Quadragesimale ieiuniū, sed erexit in spē subsecuta fames *cognouerat*, vt ait D. Ambr. *Dei filium esse venturū, sed venisse, per hanc infirmitatem corporis, non putabat*; his itaq; cogitationibus agitatus, incertus, & tentabundus; *maxima* inquit Chrysost. in hac hom. *conclusus angustia, voces emittit ancipites*. neque enim volebat illum filium Dei fateri, nec audebat diffiteri. *impossibile ei videbatur*, ait Auctor de oper. Cardin. Chris. *vel quòd esurire posset diuinitas, vel quòd tanta tolerantiæ posset esse, tantæque potestatis corporalis humilitas; duplicem itaque inquisitionem sinuosa calliditate orditur, vt de Christo vtrum naturalis Dei filius sit ipso respondente certitudinem habeat, & cum Deum confessus se fuerit, absurdum videatur quod Deus esuriat*. propterea ait: *si filius Dei es*. ac si diceret. si verū est Dei testimonium, quo te filiū suum esse professus est, vt quid modo esurientem videns, sinit extrema fame confici (vt enim adnotat S. Ambros. *hic tentat vt exploret, hic explorat vt tentet*) postquam igitur vides ab eo te pro derelicto haberi, ipse tibi subueni, & propria virtute tibi de victu consu-

S. Hieron Gula omnium malorū radix. S Basil. S. Ambr. Dæmon, quare dubius de Christi natiuitate. S. Ambr. S. Chrys. Auctor. de oper. Cardin. S. Ambo.

le, lapides istos circumiacentes in panem vertens. ita hunc locum accipiendum esse volũt Theodoret. serm. 10. de prouid. in Psalm. 90. & Chrysost. qui asserit voluisse diabolum per hanc tentationem, Christo suadere, vt non crederet voci de cælo auditæ *hæc dicebat*, inquit, *vt ipsum de infidelitate conuinceret*.

Dæmon suadet Christo incredulitatem. S. Chrys.

18 Quòd si verba expẽdere paulo accuratius velimus: duo diabolum diuinitatis argumenta requisiuisse inueniemus; primum per eam vocem Dic, quod est proprium Dei, dicendo nimirum, facere: *qui solus dixit & facta sunt* Psalm. 148. ideo ex obseruatione Euthym. non dixit: *fac de lapidibus panem*; sed, *dic vt fiant* quemadmodum in mundi exordio, dicendo, cuncta extiterunt. Alterum diuinitatis argumentum erat, ex lapidibus panes facere; trasmutare enim (realiter non apparenter vt etiam Magi faciũt) substantias rerum, solius Dei est, vt dicit Ambros. orat. de fide Resurrect. Quod autem Lucas, & Matth. verbis dissentire videantur, neminem turbare debet, cùm in sententia conueniãt, Lucas enim in singulari locutus est, *dic*, inquit, *lapidi huic vt panis fiat*, in quibus verbis vt animaduertit Lyran. accipit singulare pro plurali, quod & alibi in scriptura factum obseruant, præsertim Exod. 8. ℣. 24. dicitur, *venit musca grauissima in domos Pharaonis &c.* cum tamen ingens muscarum numerus irruerit; imò muscarum species diuersæ, & multæ, ℣. 21. *immit tam in te, & in seruos tuos, & in populum tuum, & in domos tuas omne genus muscarum, & implebuntur domus Aegyptiorum muscis diuersi generis*; sicq; Matthæus, & Lucas consentiũt.

Dicere Dei, est facere.

Psalm.

Euthym.

Transmutatio substantiarũ Dei tantũ est.

S. Ambr.

Luc.

Lyr.

Exod.

19 *Qui respondens dixit: scriptũ est, non in solo pane viuit homo &c.* Miris, & plane diuinis respõsionibus, omnia diaboli tentamenta eludit sua sapientia Christus; quod animaduertit S. Maxim. Episc. Taurinens. hom. 2. *Rerum*, inquit, *Dominus, qui & panes de lapide potest efficere, & exploranti, humanæ nollet clarescere salutis Sacramentum, sic suum moderatus est sancto in ore responsum, vt nec ipse qui veritas erat, mendacium loqueretur; nec ille, qui ab initio mendax est quam non erat crediturus posset agnoscere veritatem.* neque enim se esurire negauit, neque ad eliciendum miraculosè de lapidibus panem cogi à necessitate manducandi professus est, hoc responso è diuinarum scripturarum auctoritate desumpto; sunt autem hæc verba Moysis Deut. 8. ita Israeliticum populum alloquentis. *afflixit te Deus penuria, & dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu, & Patres tui, vt ostenderet tibi quòd non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei.* his postremis verbis vsus est Saluator, vt intelligeret aduersarius intempestiuam esse illius suasionem ad miraculum, cum aliunde posset Deo iubente refici: consueuit enim Deus eos, qui in eo confidunt, & in eius diuinis promissis magis, quã in humanis viribus spes suas collocãt, vel insperato, & nequaquam ab hominibus intellecto pane, sustentare; vt Israelitas manna de cælo præstito, cibo hominibus hactenus ignoto, (*quod ignorabas tu, & Patres tui*, ait Moyses) ac proinde non oportere eum, qui esurit, solum panem expetere, cùm solo Dei iussu, & ea re, quam iubendo illi præparauerit, possit satiari. & notandum quòd à sua humilitate non discedit, neque turget, etiã si Dei filius à diabolo appellatus fuerit, nihil sibi supra humanam conditionem arrogans. neq; exigenti miraculum obtemperat, non solùm ne subdolæ tentatoris petitioni nõ satisfaciat, sed etiã quia nulla id exigebat necessitas; miracula autem faciẽda sunt, vel vt proficiant ijs, in quorum gratiam fiunt, vel vt ex ijs Deus glorificetur. Sanct. Chrysol. serm. 11. *potest*, ait, *Christus de lapidibus facere panem, qui aquas conuertit in vinum; sed signa fidei præ-*

Eluditur diaboli tẽtationes.

S. Max.

Deuter.

Christi humilitas cõmendatur

Miracula necessitati & saluti deseruiũt

S. Chrys.

ftanda sunt, non alijs; credenti danda sunt, non sunt danda tentanti diabole, vt quid tibi signa, cui nihil subuenit ad salutem? ideò lapides in panem minimè conuertit.

20 *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam Ciuitatem &c.* Animaduertendus est ordo, quem in his tentationibus narrandis obseruat D. Matthæus. nam vt notat Interlin. & Gloss. Ordinar. hæc tentatio fuit vltima historialiter, ideo Lucas illam postremo loco posuit. Matth. autem ita istas tentationes disposuit, vt responderent tentationibus Adæ, vt dicit Christian. Druithm. in exposit. huius Euang. vel vt nos admoneat quantopere vigilare debeamus, quos non sola fragilitas carnis deprimit, sed mentis elatio extollit ad ruinā, ex obseruatione Chrysost. quem citat D. Thom. in Catena. *Homines sancti post quam omnem necessitatem carnis vicerunt, per vanam gloriam cadunt.* Et quod maius est, ne in sacris quidem locis concedit nobis aduersarius ab insidijs quietem, sed vbique tentat, nullibi non insidias, & laqueos parat; nec sanctitas ciuitatis, neque templi Maiestas illius impetus retardat; significauit hoc S. Remig. in eadem Catena exponens hæc verba, *in sanctam Ciuitatem*, inquit, *in quo ostenditur, quia diabolus fidelibus Christi, etiam in sanctis locis insidiatur.* Dicitur autem *Ierusalem, Ciuitas sancta*, vel quia ibi templum, & veri Dei cultus fuit, vt vult Gloss. Raban. Beda, Haymo. Vel quia adhuc ibi aliqui viri iusti cōmorabantur, vt existimat Christi. Druith. sed probabilius est sanctam dici à Deo quondam præcipuo amore delictam, & per templi sāctificationem habitatam, vt exponit Euthym. vt per hoc distinguatur ab alijs Ciuitatibus, in quibus idola colebantur, vt sentit D. Hieron. epist. 250. ad Heluid.

Elatio, quàm efficax ad ruinam.
S. Chrys.

Semper, & in sanctis etiam locis diabolus tentat.
S. Remig.

Ierusalē cur dicta ciuitas sā cta.

21 De modo, quo Iesus a diabolo assumptus dicitur in hanc sanctam Ciuitatem, & supra tēpli pinnaculum statutus, maior est dubitatio. Placuit plerisq; quod pedes à tentatore suasus fuerit, Origen. homil. 31. in Luc. Christian. Druithm. in hoc Euang. quo etiam verba D. Ioan. Chrysost. videntur inclinare, qui Christum ascendisse dicit; *Ascēdit*, inquit, *supra pinnaculum templi inimicus, vt prouocaret, sequitur Dominus vt triumphet.* hom. 5. ex var. in Matth. Alij volunt quod permittente Domino, illum diabolus assumendo, portauerit ad locum tentationis, sic exponit Euthym. quod videtur inconueniens D. Cypriano; seu quis sit alius Auctor de oper. Cardin. Christi. Media videtur sententia Haymonis, *non quidem* inquit, *diabolus Dominum alicubi inuitum statuere, vel ducere poterat, sed cum sua quadam arcana dispositione Dominus supra pinnaculum templi staret, percepta occasione tentandi, ait, si filius Dei es. &c.*

Varię opiniones de Christi assumptione in sanctā ciuitatem.

S. Chrys.

Haym.

22 Erat autem hoc *templi pinnaculum* (vt multa expositorum dicta minimè necessaria omittantur) murus, qui extra templi parietem prominebat ad prospectum in inferiora; in Palæstina enim tecta erant plana, & æqualia, non super impositis imbricibus arcuata; *Mos erat in illa Prouincia*, ait Christian. Dhruith. *tecta equalia facere, vt homines desuper ambulare possent* (quibus etiam hic Neapoli videmus domos cooperiri) *& eo modo erat preparatum desuper templum, & habebat cancellos, ne quis inuitus decideret ad terram.* In his itaque tectis, murus prominens, instar subgrundis erat per quem stillicidia à parietibus arcerentur, vt colligitur ex Ioseph. lib. 15. cap. 14. Antiq. neq; in hunc solum vsum hic murus constructus erat, sed vt inde sacerdotes, & legis periti conuenientibus turbis, legem exponerēt. idem Druith. *ibi*, inquit, *soliti erant sacerdotes legem legere, & turbis deorsū stantibus exponere*. Hæc autem vox *pinnaculum* noua est apud Latinos, inducta ad exprimendam Græcam vocem πτερύγιον, quæ propriè *paruam alam* significat, cum sit diminutiuum

Pinnaculum quid sit.

Chr. Drut

è templi pinnaculo leges populo dabant ur.

Pinnaculum, parua pinna, seu ala.

alæ

alæ; hanc igitur *pinnulam*, seù *pinnaculum* reddit Interpres. Tales enim dici possunt ædium partes prostantes, quas nostrates appellãt *mœniana*; maximè si vniuersas ædes circumdent, vt in templo Hierosolymitano videtur fuisse. dicuntur autẽ πτερύγια, quia ad reliquum ædificium sunt instar alæ Auium expansæ. Vsus est hac græca dictione apud Latinos Plin. lib. 36. cap. 5. in descriptione magnificentissimi Mausolæi ab Artemisia Regina cõstructi. *supra ptera pyramis altitudine inferiorem aequauit.* significans eam fuisse admirabilis illius operis structuram, vt supra murum hunc prominentem, in quo desinere moles illa poterat, quintus artifex ad ostentationem artis pyramidem inferiori ædificio æqualem construxerit. Quo loco adnotant expositores *ptera*, seù *pteromata*, quorum diminutiuum est πτερύγια, esse parietes adstructos templis, & ædificijs magnificis, in hoc tamen à mœnianis differentes, quod illa ab ipsis templi fundamentis ducta, ad eius altitudinem vtrimque assurgant; sic dicta quòd alarum instar explicentur, ædificiumq; protegant. sic Strab. lib. 17. πτερὰ, inquit, *muri duo sunt, templo pares altitudine, prima & infima parte paulo plus distantes ab inuicem, quàm lata sit crepido templi, deinde curuatis lineis procedentes, ac prominentes ad quinquaginta vsque, vel sexaginta cubitos.* In his itaque *muris*, siue *alis* Doctores, & legis periti versabantur. vnde de istis quidam exponunt illud Matth. 10 ℣. 27. *quod in aure audistis, prædicate super tecta.* appellantur enim hic *tecta*, quorum pars quædã erat *pinnaculum*, seù *ala*; supra quam assumptus hic dicitur & statutus Iesus, vt iterum tentaretur.

Plin.

Strab.

Matth.

23 *Si filius Dei es, mitte te deorsum, &c.* Victus in primo congressu diabolus, ex Christi victoria, quæ illi debuerat esse confusioni, occasionem iterum sumit illum callidè inuadendi; sciebat enim eum, quem gula non vicerat, posse vanagloria superari: *experientia enim didicerat* ait S. Cyprian. de oper. Cardin. Chris. *& in multis probauerat, vitiorum victores, sæpè nugis laudationũ corruptos; & cognatum propinquumque esse virtutibus malum adulationem*; à qua orta ambitio, tunc facilius humanis sese mentibus insinuat, cum aliquid in se habent per quod extollantur. iudicauit itaque recentem de diabolo victoriam, posse Christo esse elationis causam; quia vt dicit S. Ioan. Climach. in Scal. Parad. grad. 21. *tunc aptissimus est homo, vt inanis gloriæ spiritu impetatur, cùm contra spiritualia nequitiæ dimicans, de Principibus tenebrarum victor euasit.* neque enim hic ambitionis, & inanis gloriæ affectus, humanam mentem inuadit, nisi quando in ea virtutum semina pullularunt, vt propterea maximè seruis Dei soleat esse infesta. S. Chrysost. in cap. 6. Matth. citatus in Catena: *Cum omnia mala seruos diaboli vexent, concupiscentia vanæ gloriæ magis vexat seruos Dei*, adhæret enim virtuti, & propinquius est hic appetitus gloriæ, & illi assiduo insidiatur. experitur itaq; inimicus Christum ad vanam gloriam, & iactantiam inducere, quod illius propositũ fuisse in hac tentatione volunt D. Gregor. hom. 16. in Matth. Gloss. Interlin. Haymo, & Beda in Matth. conatus proinde illi persuadere, vt è pinnaculo præcipitem se daret, quo illæsum se conseruans, & Deum se esse probaret, & apud populum, qui semper circa templum sacrificiorum causa conuenire cõsueuerat, hoc se mirabili opere iactaret. mostrauerat enim in responsione ad priorẽ tentationem Iesus, totũ se a Diuina prouidentia pendere, à qua, et sine pane posse esuriẽ suam refici professus fuerat; ab hac itaq; in Deum confidentia, occasione accepta, suadet vt se deorsum præcipitet, fore enim vt Deo, cui tantum fidebat, seruante, incolumis euaderet. S. Chrysost. hom. 13. in Matth. videtur sentire, quòd ad

S. Cypr.

Adulatio cognatum malũ virtuti.

Elationis quanta sit vis.

S. Clim.

S. Chryso.

De ambitu tentatur Christus.

De insidelitate tētatur Christus.
S.Chrys.

incredulitatem voluerit Christū perducere, nisi illum è pinnaculo præcipitem sedantē Deus seruasset, quem filium dilectum appellauerat. *frustra* (ait Chrysost.) *te filium appellauit, talique donatione decepit.*

24 Nos interim hic cōsideremus cum D.Hierony. Glos. Imperf. & alijs, quod conuenienter diabolus vtitur hac voce, *mitte te deorsum*, qui neminem vellet ascendere sursum, vnde ipse cum ignominia expulsus est; omnes ad terrena tantum conuerti procurat, vnde facilis ad ima descensus. *mitte te deorsum: vox*, inquit Hieron. *diaboli, qui semper homines cadere deorsum desiderat*. Nam si verè experiri volebat an filius Dei esset, conuenientius erat illum hortari, vt in cælū ascenderet, tamquam ad suam propriam sedem; sed ascensum ad superna in hominibus reformidat, & quasi nec per iocum quidem, aut tentationis sub nomine, & palliatione, aut fictione, cælestem patriam nominare, & illam hominem ascendere, suadere duci potest. benè hoc adnotauit Sāct. Maxim. hom. 2. in hoc Euangel. *numquid*, inquit, *non rectius dixisset ascende in cælum? sed inimicus Dei, ne tentando quidem, ascensum vult suadere cælestem; deorsum, & in ima prouocat, quia optat omnes cadere, qui se sentit præ omnibus cecidisse.* similia verba habet S. Chrysol. serm. 13. sicuti è contra Christus sæpissimè fideles suos ad cælestem patriam reuocat, illius memoriam frequentissimè inculcando; Matth. 6. *thesaurizate vobis thesauros in cælo.* Luc 6. *merces vestra multa est in cælo*. & alibi passim. In hoc tamen, diaboli astutiam eludere possumus, si meminerimus, & animo assiduo reuoluamus, quòd quamuis suadere præcipitium nobis possit, præcipitare tamen nisi volentes non potest, ideo dicendo tantum hortatur: *mitte te deorsum*. D.Hierony. vbi supra. *persuadere*, inquit, *potest, præcipitare non potest.*

Dæmon ad descensum impellit.

S. Hieron.

Nec fictè ascensum ad cælum suadet dæmon.

S. Max.

S. Matth.

Luc.

25 *Scriptum est enim, quia Angelis suis mandauit de te. &c.* Voluit vti scripturarum testimonio, per quod primum illius impetum Iesus reiecerat. Consueuit autem semper diabolus, cum aliquid è sacris scripturis ad decipiendos incautos depromit illud vel mutilare aliqua ex parte, vel in alienum à vero sensum detorquere; vt in tentatione Adam contigisse obseruat in hunc locum S. Chrysostom. Nunc autem Christum tentans, primò malè interpretatur scripturam, cùm verba quibus significatum fuit ad litteram, quod Deus omnibus iustis per auxilium suū præsto est, de ipso Christo filio Dei prophetata fuisse vult persuadere. quasi diceret: tuto potes te dare hinc præcipitem si tu es ille filius Dei, de quo Dauid in spiritu dixit, quod ei nullibi Angelorum sint defutura præsidia; quoniam si ille es, vereri non debes; *in manibus enim portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum* Quam eius in scripturis non benè applicandis vafritiem his verbis seuere reprehēdit D. Ignat. epist. 8. *falso*, inquit, *obtendis scripturā dicere, quoniam Angelis suis &c. cætera simulas te ignorare, furtim ea subtrahens, quæ de te tuisque ministris prophetauit: super aspidē, & basiliscum ambulabis &c.* & D. Hierony. sensum illorum Psalmi Dauidici verborum aperiens ait. *in Psalm. 90. non de Domino, sed de viro sancto prophetia est*; ita exponunt eundem locum Psalmi Gloss. in Catena. Haymo in hoc Euangel. cum tamen diabolus de solo Messia venturo, cui tanquam Deo præparata sint diuinitus Angelorum ministeria illa interpretetur. Quamuis non desint viri grauissimi, qui hæc verba, etiam litteraliter, Christo conuenire posse arbitrentur, vt Caiet. in 4. cap. Matth. Augustin. in psalmos. Euseb. lib. 9. demostr. Euangel. cap. 7. & alij. sed operepretium est hic considerare, cum D. Bernard. serm. 14. in Psalm. *Qui habitat*, quod etiam si de

Dæmonis fraudes in tentando.

Dæmon scripturas adulterat.

S. Ignat.

Christo

Christo intelligantur hæc verba, tamē in prauum sensum detorta sunt, & male adducta, neque enim custodiendum fore dixit psaltes præcipitem se dantem, sed in vijs ambulantem. verba Bernard. sunt. *Animaduertite, & videte, quoniam subticuit malignus, & fraudolentus, quod malignitatis suæ commenta dissolueret; quid enim mandauit? nempè quod in Psalm. sequitur; vt custodiant te in omnibus vijs tuis; Numquid in præcipitijs? qualis via hæc de pinnaculo templi mittere se deorsum? non est via hæc, sed ruina, & si via est, tua est, non illius.*

S. Bern.

26 In eo etiā diaboli fraus agnoscitur, quòd locum scripturæ non integrum, sed mutilum adducit. *Inciuile esse dixit* Celsus in l. Inciuile 24. de legib. *nisi tota lege perspecta, vna aliqua particula eius proposita, iudicare, vel respondere. in ciuile*, idest, *iniustum*; quare sub hac diaboli scripturæ mutila allegatione, aliquid fraudis lateat necesse est. oportebat enim, & ea subiungere, quæ in eodem Psalmo subdidit Dauid: *super aspidem, & basiliscū ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem*, quæ quoniam contra se dicta nouerat callidus hostis, consulto reticet; neque hunc eius astum dissimulant SS. Patres, S. Ignat. in verbis supra allegatis; D. Hierony. *si verè*, ait, *de Saluatore scriptum nouerat; debuerat & illud dicere, quod in eodem Psalmo contra se sequitur, super aspidem, & basiliscum ambulabis &c.* Imperf. in Matth. sic contra diabolum exclamat. *O diabole, quomodo filius Dei Angelorum manibus portatur, legisti; & quia super aspidem, & basiliscum calcat, non legisti? sed exemplum illud profert quasi superbus, hoc autem tacet quasi astutus*; dissimulare callidi est, & sibi nocitura occultare vafri.

Mutilat diabolus scripturā.

S. Hieron

Imperf.

27 *Ait illi Iesus: rursus scriptum est. non tentabis Dominum Deum tuum &c.* Christianus Druithm. sic interpungit hæc verba,. *ait illi Iesus rursus*; vt hactenus sint verba Euāgelistæ, significantis, dixit illi iterum Iesus; quę vero sequuntur sint verba Domini, aliud scripturæ testimonium proferentis. Brugens. putat particulā *rursus* coniungendam esse cum illis verbis, *scriptum est, vt significet*, inquit, *non tantum iterationem, sed etiā contrarietatem, & opponi scripturam scripturæ*: quasi dicat, quamuis scriptum sit, *quod Angelis suis mandauit de te, &c.* tamen scriptum est etiam, *non tentabis Dominum Deum tuum*, qui videtur esse aptior, & robustior horū verborum sensus; *nam sic lex legi obijcitur*, vt ait S. Cyprian. de oper. Card. *& satan auctoritate Sacræ scripturæ abutens, veritate sincera confunditur.* voluerat enim Christo suadere tentator, vt nulla exigente necessitate se dimitteret, vt sic ad iactantiam extolleretur; optimè ergo Iesus illum scripturæ locum inducit, ad hanc hostis fallaciam retorquēdam, quo similis actio temeraria reprehenditur, per quam Deum, nimium de illius auxilio confidentes, offendimus. *non tentabis*, inquit, *Dominum Deum tuum*, idest, ne temere, & sine ratione periculis te obijcias, imo si aliter potes ab impendente necessitate liberari, noli experiri, an te Deus liberaturus sit miraculosè. Euthym. ita sensit, sic exponens; *Tentat Dominum, qui nulla instante necessitate se ipsum in manifestum præcipitat periculum, ob habitam in Deo fiduciam.* quem secutus Brug. fusius, & clarius declarans, quid sit tentare Dominum, quod nos facere ille scripturæ locus prohibet; ait. *Tentat Dominum, qui experimentum vult sumere potentiæ Dei, sapientiæ, bonitatis, aut fidelitatis in seruandis promissis, vbi necesse non est, promissiones ipsius subijciens iniusto examini.* ita Theodor. in cap. 6. Deutor. quæst. 5. S. Cyprian. loco allegato, & omnes fere vnanimiter Expositores. sumpta sunt autem hæc verba ex cap. 6. Deutor. vbi Moyses suadet, & præcipit populo, ne velit Deum irritare, signa ab eo in necessi-

Brug.

Suismet armis Satan vincitur.

S. Cypr.

Quid sit tentare Dominū.

Euthym.

Brug.

tatibus

Deuter.

tatibus absque causa implorando. Verba sunt. *Non tētabitis*, vt legit Pagnin. seu *non tentabis* vt LXX. *Dominū Deum tuum. sicut tentasti in loco tentationis.* reducit illi populo in memoriam locum illum, qui *Tentatio* dictus fuit; ab hac populi contra Moysen, & Dominum murmuratione; quod ibi, vt legitur Exod. 17. contra Moysen in aquarum penuria acerbè murmurauerint; adeo vt Moyses illos deinde increpans, inter cætera, tentationis qua Dominum irritauerant, meminerit, dicēs: ℣. 2. *Cur tentatis Dominum?* Nam quāuis non videretur tentare Dominum, qui extrema cogente necessitate miraculosè liberari implorabant; tamen ex obseruatione Lyran. & Hug. Cardin. in dicto Exod. loco, tentabant Deum in hoc, quod experiri volebant, vtrum illos posset miraculosè potare in deserto. ijsdem itaque verbis vsus Saluator, vt quid (ait diabolo) vis mihi persuadere, vt ob eam quam in Deo fiduciam habeo, Deum tentem, an me seruare velit, datum ex hoc pinnaculo præcipitem, cùm nulla ad hoc subeundum periculum, & ad hoc experimentum de Diuino præsidio faciendum, me adigat necessitas? nam vt inanis tantùm gloriæ studio, quod tu fortasse contendis, faciam, multum ab humilitate mea abest, qui gloriam in hoc mundo nullam quæro: audire oportet Sancti Maximi verba in exposit. huius Euangel. *Hoc quod suades diabole*, ait, *tentationis præparatio est, non cōsilium sanitatis, iactantiæ vanitas, non virtutis exemplum, inane est enim omne miraculum, quod vtilitatem saluti non operatur humanæ.* Quin non solum subeundam non esse, sed si fieri possit euitandam miraculorū sine graui causa edendorum occasionem, nō his tantum verbis, sed factis etiam docuit Dominus; dum à Iudæis, qui illius vitæ insidiabantur, non eos prosternendo, quod facere potuisset, sed fugiendo, & latendo, euadebat.

Israelitæ tentauerūt Dominū in deserto.

S. Max.

Miracula ad alicuius sunt vtilitatē facienda.

28 *Iterum assumpsit eum Diabolus in montem excelsum valdè, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum.* extremus hic est, & validissimus conatus, quo fore vt inuictus athleta cadat, sperat inimicus. nullam non Vrbem expugnatum iri dicebat Philippus Macedo, ad quam asellus auro onustus ascendere posset. Quid non igitur hanc sibi pugnā confectam crederet tentator, qui inconcussam adhuc Iesu Christi constantiam, non modico auro, sed totius mundi prolatis diuitijs arietabat? *Frustratus*, ait hic Euthym. *impetu inimicus, ad tertium insuper præparatur, & per auaritiam, quam nouissimè seruabat, vtpotè periculosiorem deijcere conatur.* hæc enim famem excitat inexplebilem de qua Poeta 3. Aeneid.

Diuitiarū appetentia quam præualeat.

Tertia Christi tētatio grauissima. Euthym.

Virg.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

hæc ambitionem, & iactantiam alit, vnde idem 6. Aeneid.

Aurum, iactantiā alit.

Aurea nunc verè sunt sæcula, plurimus auro
Venit honos.

Virg.

sola itaque hac postrema tentatione famem, ambitionem, & auaritiā complexus est diabolus, vt minimè mirari debeamus, quòd in ista omiserit conditionem illam; *si filius Dei es*, quia id ex huius tentationis euentu exploratum sibi, & compertum fore intelligebat, si enim oblatam in mūdo amplissimam, & Imperialem potestatem sublimi generositate cōtēnere potuisset, cælorum Imperio dignum cælestibus tantum diuitijs capi posse conijciebat; in summa, solū Deum hunc esse credebat, ideo non vtitur superuacua illa conditione *si filius Dei es &c.* sed *hæc omnia tibi dabo si cadens adoraueris me.* nam quod Orig. hom. 30. in Luc. & B. Gaudent. omissa ea verba dicunt, quia iam ex superioribus tētationibus eius diuinitatem cognouerat, præter quam quod aliorum Patrum expositionibus repugnat; frustra etiā à Deo petijsset adorari, si eum tamquā talem tentauisset. præterea in hac tentatione

Orig.

nullo

nullo vtitur scripturarum testimonio, quia rem mundanis hominibus facilem persuasu proponit; quos vel nudis verbis oblatas diuitias, & præsertim Regias laxato sinu excipere nouit; ac ne oblatas quidem cupidissimè appetere, & insatiabili auiditate deuorare. Iterum itaque assumptum, duxit in montem excelsum valdè. nō hic est magnopere laborandum, quod pleriq; irrito conatu faciunt, quisnam fuerit hic mons, num altissimus montium totius Orbis, an idem mons in quo ieiunauit Christus, vel alius, consultò enim hoc omisit Euangelista, *quia*, ait Euthym. *superuacuum fuisset nomen adscribi montis, quæ enim inde fuisset consecuta vtilitas?*

Diuitiis facile homines inescantur.

29 Ex monte isto excelso, *ostendit ei omnia regna mundi*; quod explicatu non est facile, qua scilicet ratione ex aliquo habitabilis terræ loco, omnia regna ostendere potuerit. multa comminiscuntur interpretes. putāt quidam non regna ipsa, Ciuitates, & Prouincias, sed eorum in hac terrena machina situs, & positiones fuisse Christo ostensas, breuiter cuncta recensendo; puta Orientali plagæ, hæc & illa regna subijciuntur, ad Occidentem hæ & illæ Nationes incolunt, singulas nominando, & quicquid in ijs memorabile, & admiratione dignum continetur exponendo; ita explicat hunc locum Imperf. *ostendit autem*, inquit, *ita non vt ipsa regna, vel ciuitates eorum, vel populos, vel argentum, & aurum videret, sed partes terræ in quibus vnumquodq; regnum, vel vniuscuiusque regni ciuitas posita erat, vt puta si ascendas super excelsum locum digito extenso dicam tibi, ecce ibi est Roma, aut ibi est Alexandria.* subscribit huic expositioni Euthym. quam etiam videtur sequi D. Thom. 3. part. quæst. 41. artic. 4. ad 7. & Abulens. in 4. cap. Matth. quæst. 49. Cæterum quia hanc ostensionem in momento factam expressè meminit D. Lucas; propterea hæc expositio plerisque minimè videtur probabilis; quib. Placuit, non tātā tribuendā fuisse diabolo potestatem, vt proprijs viribus potuerit hoc facere, cum potius videatur dicendum, quod Deus in momento omnia hæc regna mundi diabolo ostenderit, & ille deinde Christo; vnde Interl. *non quod diabolus, sed virtus diuina hoc possit*, & clarius Haymo; *diabolus non tantæ fuit potestatis, vt Domino regna vniuersa potuisset ostendere, sed ita est tenendum, quod ipse Dominus totam mundi machinam potentia sua diabolo videndam præbuerit, sicut & D. Benedicto ostensam legimus.* ita etiam tenet Christian. Druithm. quam etiam expositionem à D. Remigio approbatam, D. Thom. in 4. cap. Matth. non videtur admittere. Orig. homil. 30. in Luc. & Beda in hoc Euangel. per regna mundi intelligūt homines mundanos, quibus diabolus, tamquam Princeps huius mundi dominatur; *quorum*, ait Beda, *alij propter fornicationem, alij propter auaritiam, decepti à diabolo reguntur in mundo*; ita sentire videtur S. Augustin. tract. 52. in Ioan. sed, vt alia omittamus, non vsquequaque videtur improbandus primus exponendi modus, neque enim admodum repugnare videtur, breuissimo temporis spatio omnium præcipuorum regnorum situm fuisse à diabolo Christo descriptum.

Quomodo intelligatur, quod tentator ostenderit Christo regna.

Imperf.

Euthim. S. Thom.

Interlin.

Haymo.

Druith.

Orig. Beda.

Mundani sunt regnum diaboli.

S. Aug.

30 Addit Euāgelista, *& gloriam eorum*. idest omnia ea, quæ in singulis admiranda sunt, & spectabilia, India mittit ebur, molles thura Sabæi; Occidens auro diues, oriens gemmis nobile. vox enim qua *gloriam* significat Euangelista apud Hebræos, diuitias, delicias, dignitates, honores, & quicquid conducere potest, vt aliquis inclytus appareat significat, vt obseruat Nuz. tract. 8. §. 54. sed hæc in momento ait D. Lucas fuisse ostensa, quomodo enim in tempore ostendantur, quæ cum tempore prætereunt, & labuntur? in momento itaque ostenduntur quia momentanea sunt, vt

Gloria regnorum mundi sūt res in illis spectabiles.

Nuza.

Momentanea est mūdi gloria.

propterea etiam ostensa dicatur non tradita. *in momento temporis benè ostensa dicuntur*, ait D. Gregor. *quia tam breui tempore durant, vt ostensa magis quam data dicantur*; ijs itaque verbis vtitur hic Spiritus sanctus, quibus præceps rerum terrenarum lapsus exaggerando proponitur; dum & in momento tantum, & ostensa dicuntur hæc regna. *Benè in momento temporis*, ait D. Ambr. *sæcularia, & terrena demostrãtur, qua dicendi forma, non tam conspectus celeritas, quam caducæ potestatis fragilitas ostenditur; in momento enim omnia illa prætereunt, & sæpè honor sæculi abijt ante quam veniret.* & notandum quod regna ostendit, & eorum gloriã, quia volebat ad eorum desiderium illum excitare, callidè tamen occultauit regnantium miserias, & infelicitates, quas qui probe nosset, ne inuentum quidem in via diadema tolleret dicebat Alexander; dissimulat itaque mala, quæ regibus imminent, alioquin nemo regnum affectaret.

D. Greg.

Mũdana bona ostẽduntur nõ dantur.

S. Ambr.

Diabolus occultat calamitates regnantium.

31 *Hæc omnia tibi dabo, si cadẽs adoraueris me* &c. exorsus penè à minimis ad summa progreditur, petierat primo mutationẽ lapidum in panem, de quo dubitari penè potest, num sit peccatum; inde ad maiora progressus ad inanem gloriam dominum stimulauerat, postremo his verbis, ad maximum, & summum criminum illum sollicitat, vt cadens se adoret; adhuc eum antiqua illa sua phrenetica ambitio agitat, & similis Deo esse, quod illi præcipitium peperit, per omnia affectat. Mundanarum omnium rerum præmia extremo huic tentamento reseruauit; *illud*, inquit Chrysost. *reseruauit extremum, quod omnibus violentius esse iudicauit.* Quid verò audacius, & arrogantius excogitari potest diabolica malitia, qui vniuersa regna mundi pollicetur, cum nullius sit Dominus, nisi Deo permittente, ita enim mortales decipit aliena promittendo, cui propria non suppetunt. admiratur hanc eius impudentiam Chrysost. homil. 5. ex var. & veluti ei illudens; *regna*, inquit, *mundi promittit ei, qui regna cælorum credentibus præparauit, gloriam sæculi pollicetur ei, qui Dominus est gloriæ cælestis, spondet se vniuersa dare, qui nihil habet; ei qui omnia possidet.* Sed videamus quo præcio hæc regna mundi, quamuis non sua, licitetur, offert enim exigua, vt magna accipiat, dat caduca, & exigit æterna, rebus transitorijs, animam, quam perdere per peccatum satagit, commutat.

Ordo diaboli in tẽtationib.

S. Chrys.

Diabolo multa promittenti non fidendum.

S. Chryso.

Diaboli tentantis fallaciæ.

32 Sed & illud ad eius explorandam calliditatem animaduertendum est, quod pro præsentibus rebus, quas sibi mancipare prætendit, futura pollicetur, de quibus nemo certus esse potest, an ea sit consecuturus; *si cadens* modo, *adoraueris, dabo*, in futurum est hæc consideratio S. Gregor. Nazianz. orat. in sanct. Bapt. *à nobis semper petit, quod de præsenti exhibeamus, qui quæ promittit in futurum reseruat*; quod vernacula lingua diceremus *Mercante che vende in contanti, & compra à credenza*. Petit vt *cadens adoret*; considera arrogantiam petentis, & quam impudenter diuinum sibi honorem arroget, audacter petit, vt in spem regnorum mundanorum, & terrenæ potentiæ eum veneretur; quod eo fortasse fecit confidentius, quia ambitiosi etiam ad vilissima quæq; ob honorum cupiditatem adiguntur; nam vt præclarè docet B. Ambros. in Caten. *ambitio vt dominetur alijs prius seruit, curuatur obsequio vt honore dominetur, & dum vult esse sublimior, fit demissior.* propterea liberius cum ambitiosis agit, nihil nõ illis imperans; *inuerecundè* ait S. Cyprian. sæpius citatus *ambitiosos aggreditur, liberè petens, vt cadentes eum adorent*; vult adorantes *cadere* idest ei obaudiẽtes, de supremo meritorum culmine corruere; incuruat enim se homo, & prosternit tunc, quando subdolis eius suggestionibus aures accomodat; qua in re non est prætereunda grauis S. Maxim. admonitio homil. 2. in hoc

Diabolus præsentia vult, futura promittit.

Gregor. Nazian.

Ambitiosos facile diabolus superat.

S. Ambr.

Ambitiosorum vilitas.

S. Cypr.

Ambitiosos decipit diabolus

S. Max.

Euan-

Euagel. *sollicitè*, inquit, *fratres animaduertite quia cadere est omne quod sua det inimicus; vere enim procidit, qui adorat diabolum.* Imò non solum procidit qui adorat, sed etiam qui ausculat diabolum; *quia*, vt ait Christian. Druithm. *adorare venerari est, tunc autem homo illum veneratur, quando illius suggestiones Dei mandatis præfert.* In quo præcipuè illorum deploranda miseria est, qui auro, & honoribus inhiantes non verentur ab alto humanæ dignitatis fastigio, ad vile se submittere & pudendum obsequium; quod ij faciunt, qui animo dominandi, scurris, & plebeis blādiuntur, quorum opera se promouendos fore sperant. cui enim non se subijciant, qui diabolum cadentes adorant? *nihil sic diabolo subijci hominem facit, vt inhiare opibus, atque huiusmodi desiderio superari* dicebat Chrys. hom. 13. in Matth Tendunt itaque ad honores, seù potius repunt per lapsus, & casus; & vt ad regiū culmen euadāt prius iubentur cadere.

Chr. Druit.

Adorant diabolum qui illi obsequuntur.

Vilibus actionibus honores quidā captant. S. Chryso.

33 *Vade satana; scriptum est enim Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* non tulit tam impudentem audaciam dæmonis, & insolentē præsumptionem, quamuis patientissimus, Iesus; quia ad Patris sibi gloriam, & honorem vsurpandum inimicum adspirare cognouerat; (quamuis prius æquo tolerantique animo iniurias sibi à tentatore illatas tolerasset) sed increpantis voce iubet eum recedere, & à suis tentationibus facessere, imperio simul illum ad abeundum vrgens; vt maximam illi de paterna gloria curam esse ostenderet; ita Imperf. Euthym. Theophyl. & Chrysost. qui ait. *Christus cum passus fuisset tentationis iniurias; dicente diabolo, si filius Dei es mitte te deorsum; non est turbatus, neq; diabolum increpauit, nunc autem quando diabolus vsurpauit sibi Dei honorem, exasperatus est, & repulit eum dicens, vade satana: vt nos discamus nostras quidem iniurias magnanimiter tolerare, Dei autem iniurias, nec vsque ad auditum sufferre.* Appellat illum *satanam*, quæ vox, quamuis ex Hebraicæ linguæ deriuatione, varijs modis apud Latinos reddatur, plures tamen ex Interpretibus sacris conueniunt, hic *satanam* significare *contrarium*, seù *aduersarium* (quod præsertim adnotāt Hiymo, & Euthym.) aut osorem, & inimicum, quoniam enim in humanum genus continuo, & crudeli odio sæuit, propterea à Scriptura per excellentiā osor, seù inimicus dicitur. ex tunc .n. cæpit hæc inimicitia, quando Deus dixit serpenti Genes. 3. ℣. 5 *inimicitias ponā inter te, & mulierem* &c. ex quo tempore non cessat hostili nos odio prosequi.

Zelus diuini honoris in Cristo.

Imperf. Euthym. Theoph. S. Chrys.

Nostras iniurias tolerare debemus, diuinas remouere.

Haym. Euthym.

Quid significet satan.

Genes.

34 Addit increpationi diuinæ Scripturæ auctoritatem, desumptā ex Deuteror. cap. 6 ℣. 16. scriptum est, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi* &c. In Hebræo pro *adorabis*, est *timebis*, & sic vertit in Deut. etiam vulgatus. Neque tamen detorsit scripturam Iesus, etiam si dixerit *adorabis*, cum timere, & adorare idē significet apud Sacras litteras pluribus in locis, idest reuereri, colere, & omni honoris, & obsequij officio venerari; & hinc iusti, & sancti homines, qui vero cultu Deū adorant, dicuntur *timentes Deum*, & sic appellatus fuit Iob cap. 1. ℣. 8. est autem idem adorādi verbum apud Latinos ambiguæ significationis, plerumque enim significat cultum, qui hominibus magnis, puta Regibus, & Principibus exhiberi solet, pro reuerentia, & inclinatione qua eos honoramus: ita 1. Reg. 24. Dauid adorauit Saulem. secundo accipitur pro illa tantum adoratione, qua verum Deum veneramur; quo pacto in veteri lege interdicitur, ne quis alienos Deos adoret. Græci hæc duo adorationis genera discrimināt, nā adorare quatenus pertinet ad Deū dicūt προσκυνεῖν, quatenus verò ad homines trāsfertur κλίνειν vt hic obseruat Christian. Druith. non absimilem distinctionem oportet obseruare, in illo verbo *seruies*, vt tolla-

Deutor.

Timere Deum est illum adorare.

Iob.

Adorare plura significat.

1. Reg.

verbū adorādi apud Latinos ad cultū erga Deū, & erga homines trāsfertur. Christian Druith.

Ad Galat. Ephes.

tur dubitatio, quæ oritur ex verbis D. Paul. ad Gal. 5. ℣. 13. per *charitatem seruite inuicem*, & ad Ephes. 6. ℣. 15. *serui subditi sint Dominis*; quæ vidētur Dominicæ huic doctrinæ, ex sacro scripturæ fōte desumptæ repugnare, cum hæc iubeat soli Deo seruire. obseruanda est vis Græcorum verborum. nā illa seruitus, quā Deo supremo omnium creatarum rerum Domino exhibemus Latria dicitur, & seruitium quod illi impendimus, debitum eidem tāquam Deo honorem, & cultum deferentes λατρεύσις, & sic soli Deo iubemur seruire; prout autem seruitus transfertur ad homines, seruire Græci dicunt δουλεύειν & seruum δοῦλον; & in hac significatione dicebat Paulus Apostolus, vt per charitatem inuicem seruiamus, quatenus charitas ea iubet inuicem præstare officia, quæ serui Dominis suis exhibent; ita soluunt Sanct. Augustin. 10. de Ciuit. adductus in Caten. Beda. & Druth. in expositione huius Euangel. & alij. vnde pendet discrimen inter duo nomina *Duliam* quæ hominibus, & *Latriam* quæ ferè semper Deo exhibetur ex August.

Latria quid.

Dulia quid.

Conciliantur dicta Pauli cū dicto Euāgelistæ. S. Aug. Beda.

35 *Tunc reliquit eum diabolus, & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.* Multiplicem pugnam, & de hoste victoriam, insigne excepit trophæum. difficilem in agone luctam nobilis corona, & generoso nostro duci fugatis iam, fusisque infernalibus hostibus clariori, circumstans cælestiū ministrorum agmen lætabundū plaudit, vt in posterum fidentius ij pugnare audeant, qui in huius mundi dubio conflictu iactantur, excitati spe præmij cælestis, & Angelici ministerij, à quo post pugnam recreabuntur. *sicut enim* ait Glos. ordin. *in hoc agone militia nostra præstruitur, ita in obsequio Angelorum gloriosa remuneratio docetur.* respiret itaque Christianus athleta, qui perpetuum iuratumque bonorum suorum hostem, iam tandem fractum intelligit tentandi artes reliquisse; dicitur enim *quod tunc reliquit eum diabolus*; vt iam impletum videamus id quod dixit Dominus Luc. 11. *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet, si autem fortior illo superueniens vicerit, vniuersa arma eius auferet*; vicit, fortem pridem diabolum, Christus; & nobili de illo reportata victoria arma abstulit, vt iam sit inermis, & ideo *tunc reliquit eum*; *quod ad nostram proficit consolationem*, ait Augustin. 9. de Ciuit. Dei citat in Caten. *quia non tamdiù homines diabolus tentat, quamdiù vult, sed quamdiù Christus permittit.*

Christi de victo diabolo nobilis triumphus.

Glos. ord.

Angeli dæmones vincentibus ministrant.

Luc. 11.

Victoria Christi nobis vtilitatē attulit. S. Aug.

36 Sed in hoc gaudio de Christi victoria, & nostra fiducia, meminerimus eius quod Lucas in eiusdem historiæ narratione dicit cap. 4. *discessit*, inquit, *vsque ad tempus*, quia inducias aliquas agit, firmam pacem ab pertinacissimo hoste non est cur expectemus. hoc tamē peregit Christus de illo triumphando, vt qui ante inuictus neminem formidabat, nunc simplicibus etiam virginibus, & imbelli sexui sit ludibrio. *& ecce.* vides scenæ huius subitam mutationem, abit Princeps tenebrarum, accedunt Angeli lucis, infestis dæmonum turbis, obsequiosa beatorum spirituum ministeria succedunt; squallidum ante, non tam loci horrore, quam malignorum spirituum incolatu desertum, repente in amænissimum Paradisum euasit; qui sanè fuit victoriæ fructus, vt iam victor secundus Adam Paradiso voluptatis restitueretur, *Angeli* igitur *accesserunt*, quia instante conflictu admirabundi cominus adstiterant, vt per se non, illorum subsidio vicisse probaretur. Chrysostom. hoc voluit in Caten. & Imperfec. in homil. 5. *non dixit descendentes Angeli, vt ostendat, quia semper ad ministerium eius erant in terris, sed sed tunc præcipiente Domino recesserāt ab eo, vt locus diabolo aduersus Christum daretur, ne fortè videns Angelos circa eum non appropinquaret ad eum.* Piè hic considerat Luc. Brug. quod in hoc accessu sub visibili humanaque

Lucæ.

Ad tempus tantū intentatos nos dimittit diabolus.

Cur Angeli dicantur accessisse.

S. Chrys.

Imperf.

Brug.

forma

Sub humana forma Angeli Christo ministrabant.

forma apparuerint. & sanè congruum videbatur, vt sub qua specie Christum diabolus tẽtauerat, sub eadẽ ei Angeli honorem officiumque omne præstarent. porro ministrare illi dicuntur, cui & cælestes cibos ad reficiendum exhaustum corpus apparabant, & in præcipiti, ac senticoso montis ardui descensu adstabant, *vt qui super aspidem, & basiliscum ambulauerat, & conculcauerat Leonem, & Draconem Angelicis manibus in planitiem deduceretur, ne in ipsa inaccessibilis montis descensu offenderet ad lapidem pedem suum* ait idem Brug.

Diuinæ consolationes molestias toleratas mitigant.

Brug.

Sacer tex.

Dic vt lapides isti panes fiant.

CAP. II.

Peccatum in principio difficile, consuetudine fit facile.

1 
NOVA est, & inaudita hęc metamorphosis, quã à Christo diabolus insidiosè exigit; *dic vt lapides isti panes fiant.* omninò enim insolitum est lapides in panem mutari; quoniã sunt hæc duo, nedum distantia, sed disparata, & oppositis qualitatibus prædita. Panis sensui proportionatus est, iucundus, & mollis, lapis contra durus, asper, & ad cibum ineptus; vnde Luc. 11. ℣. 11. maximã horũ discrepãtiã significaturus, dixit Christus: *Quis autem ex vobis, Patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? aut piscem, nunmquid pro pisce serpentem dabit illi? aut si petierit ouum numquid porriget ei scorpionem?* quibus verbis ostendit oppositionem maximam inter panem, & lapidem; qualis etiam est inter piscem, & serpentem; ouum, & scorpionem. vnde Sanct. Thom. eo loco in Catena ex Orig. *itaque*, inquit, *nec vice panis Deus propinat lapidem, quem valebat diabolus à Christo manducari*. & ex August. *sine pane, mensa inops: cui contraria est cordis duritia, quam lapidi comparauit*. & tamen ijs non obstantibus, admirabili, totiusque philosophiæ principijs repugnãte transmutatione, lapidem in panem conuerti tentator suadet: *dic vt lapides isti panes fiant:* inter ea quæ symbola sunt, & similibus qualitatibus prædita, facilis est trãsitus; sed inter ea, quæ adeo disparata sunt, vt penè contraria censeri possint, difficilis est transmutatio. Soluunt aliqui hoc dubium, dicentes, ideo diabolum hoc petijsse, quia lapideo eius cordi, aptum absonium est lapis, cuius in peccando pertinacia, instar lapidis obduruit; sic Haymo; *congruè*, inquit, *de lapidibus panem fieri postulat, qui lapideum cor habebat*. quasi lapideam suam duritiem, mullitiei diuinæ bonitatis, velit opponere. vel vt aliquorũ hominum beneficentiæ conditionem ostẽderet, qui similia, ac diabolus præbent beneficia, nimirum lapidea de quibus Seneca 2. de benef. cap. 7. *Fabius Verrucosus*, inquit, *beneficium ab homine duro, asperè datum, panem lapidosum, appellabat*. ideo esurienti Christo, panem, & lapidem miscet, & offert diabolus, qui conditione durus, asperè, etiam dat, vt fit ex Euangelij historia notum.

Quàm distet lapis à pane.

Luc.

Thom.

S. Aug.

Diaboli pertinacia lapidi cõparatur.

Haymo.

Beneficia lapidea, quæ.

Seneca.

2 Sed nos moralẽ sensum eumque acutiorem perscrutemur, vt aliquid ad vtilitatem nostram eruamus. est hæc in tentationibus diabolica ars, qui dura cupit mollescere. tentat enim nos, & ad peccata perpetranda impellit; quos cùm tentationis initio duros ad resistendũ, & instar lapidum reluctantes inuenerit, repellentes tentatorem, & eius technas eludentes: instat nihilominus, sperans fore vt si semel, atq; iterum peccauerimus, peccatum quod initio difficile, & durum

Peccatũ initio lapis, consuetudine fit panis.

vide-

videbatur, vsu & consuetudine facile euadat; omnia enim malorum initia aspera & dura sunt, quæ in vsu posi sita, facillima fiunt; propterea dicebat Seneca epist. 116 *nullum est vitium sine patrocinio: nulli non initium est verecundum, & exorabile; sed ob hoc latius funditur.* S. Chrysost. in Matth. cap. 4. *Qui peccatum*, inquit, *sibi conuertit ad vsum, lapidem conuertit in panem*; vix enim cum primo nos aggreditur, ad peccatum perpetrandum adducit; refugimus enim peccati duritiem, quod tamquam lapis nedum degluriri, sed nec dentibus mandi potest: ipsa autem quotidiana, & repetita peccandi consuetudine, lapis in panē conuertitur; ex reiteratione enim, & frequentia, facilitas quædam, & procliuitas oritur ad peccandum, adeò vt verè *qui peccatum sibi conuertit ad vsum, lapidem conuertat in panem*. Quia verò huius facilitatis nos ipsi causa sumus, ideo non ipse diabolus lapides conuertit in panem, sed nos ad hanc transmutationem assiduo instigat: *dic vt lapides isti panes fiant*, quasi velit suadere nostrum esse, vt recidiuando, hanc habilitatem, & promtitudinem ad peccandum comparemus. Imò ad ostendendam summam procliuitatem peccatoris non dicit: *fac*: sed *dic*, verbo enim nihil magis operatiuum, & velocius, vnde *alata verba* appellauit Homer. quorum velocitas ad operandum exprimitur Ps. 45. ℣. 5 *ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit & creata sunt*, & Ps. 23. ℣. 6. *verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum*. Diabolicam hanc in tentando artem in Petro examinemus; quo nihil firmius, ac durius visum fuit, dum Matth. 26. ℣. 33. dicebat: *etiam si omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor*; & ℣. 35. durissimum se lapidem futurum professus est, dicens: *etiam si oportuerit me mori tecum non te negabo*, demum lapidis duritiem debuit præseferre si volebat esse Petrus, quod significat *petram*, cui à Saluatore dictum fuerat Matth. 16. ℣. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram &c.* tentatus autem, & interrogatus an discipulus Christi esset, primùm quasi resistit; nam ancillæ dicenti Matth. 26. & 69. *& tu cum Iesu Galilæo eras*, respondit: *nescio quid dicis*; sed iterum tentatus ex lapide factus est panis, nam non solum Magistrum negat, sed iterato, & ter hoc facit, imò periurium etiam addit Matth. 26. & 27. *& iterum negauit cum iuramento, quia non noui hominem*; hucusque illum iteratio negationis impulit.

Seneca. *S. Chrys.* *A nobis est peccandi facilitas.* *Peccatoris velocitas in peccando.* *Homer.* *Psalm.* *Psalm.* *Matth.* *Petrus peccās, ex lapide fecit panem.* *Matth.* *Matth.* *Matth.*

3 Et est diligenter notādum, non in quemlibet cibum, sed in panem, conuertendos lapides, diabolo visum fuisse; cum contra famelico Christo opportunius fore videri possit, & ad alliciendum eius consensum medium aptius, suauiores cibos proponi, & lautiora obsonia. cur nō ergo in hæc, sed *in panem* vult conuerti lapides *dic, vt lapides isti, panes fiant*? Est panis, quotidianus cibus, numquam nauseam faciens, etiam pluries qualibet die sumptus, semper sapidus, ac iucundus. cæteræ vero epulæ etiam si lautiores, & ad irritandam gulam aptiores, si sæpius, & frequentius sumantur, ex consuetudine fastidium generant. vt ergo non nauseam, sed assiduā peccandi auiditatem in eo esse demonstret Euangelista, qui frequenter peccando, pronus ad peccandum est redditus, non in quemlibet cibum, sed *in panem* petit conuerti lapidem; vt clare ostendat verum esse, quod proponimus, consuetudine & vsu peccandi ex lapidibus panem effici, idest, quæ difficilia prius apparebant, facillima reddi; & ipsa peccatorum initia licet parua videantur, plurimum tamē augeri; verum est enim quod Cic. de fin. 5. dixit: *omnium rerum initia parua sunt, sed suis progressibus augentur*, quod cum in alijs quibusque humanis rebus, tum præsertim peccan-

Peccatū, panis quotidianus peccatori. *Cic.*

tium

tium progressione, experientia ipsa comprobatur.

4 Est enim vnum peccatum præcedens, ad alia subsequẽtia tamquam *fax acersemana*, quæ italicè dici potest, *Paggio di torcia*; cùm viam ostendat, & iter pandat alioquin quasi imperuium ad peccandũ. hac similitudine vsus est Salomon Prou. 31. ℣. 4. *Lucerna impiorum peccatum*, ac si dixisset: veluti *fax acersemana* noctu ambulãtibus, ignaris viarum, iter quãtumuis difficile, siue penitus incognitum clarè mostrat, vias aperit, fugat tenebras, timorem excutit, pedes dirigit, atque promptos reddit; faciliq; & lucido ductu ambulanti præit, qui itineris difficultate, & obscuritate progredi timuisset. Non secus peccatum, incautos, & quasi nouitios ad peccandum, quiq; obscuram, & imperuiam nequitiæ viam ignorant, ita dirigit, & per occultos fornices comitando deducit, donec qui hospes erat ad peccandum, peccandique viam ingnorabat, peccati semitas discat, & peccati familiarissimus euadat: ex quo euenit, vt quod prius propter simplicitatem timebatur, postmodum nimia familiaritate, & vsu diligenter conquiratur, verbi gratia. vult aliquis fieri princeps? huius intellectum illuminat ambitio, aperitque viam ad iniurias, & iniustitias erga subditos, ad fraudes erga æmulos, & competitores; huic illicitos contractus, persuadet esse licitos, & per fas, & nefas licere ad honorum gradus sibi viam sternere. vult alter ad inhonestæ cupidinis finem peruenire? huic luxuria dictat, vt lenocinijs, muneribus, deinde etiam (mirum!) fascinationibus vtatur, his omnibus instar fulgentissimæ facis prælucet turpis appetitus; & sic bene dicitur *fax impiorum peccatum* exemplo fuit Dauid, qui ex vno adulterio cum Bethsabee, ad plurima homicidia, & ad multa alia scelera viam sibi aperuit. aliter lucerna seruis Dei splendet, quibus diuina mandata sunt instar facis acersemanæ, Dei, lex, & proximi dilectio mentis aciem illuminat, qua illustratus regius psaltes dicebat, Psalm. 118. ℣. 10. *lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*. quo loco noster P. Agell. *lex tua*, inquit, *& verbum tuum, mihi de nocte ambulanti, lucernæ vsum prabet, necubi offendam, & peccem: vbi verò die sit ambulandum, luminis, ac solis munus obire videtur*, & viam ostendit ad reliqua semper in bonum peragenda Psalm. 83. ℣. 8. *ibunt de virtute in virtutem*, semper in melius.

Peccatũ quasi fax acersemana.

Prouer.

Lex Dei, fax etiam co mostrans.

P. Agell.

Psalm.

5 Eadem fax, cui peccatum comparatur, aliter ad eiusdem rei explicationem nos iuuat. adeo nimirum peccato, per assuidatem frequentius peccantes coniunguntur, vt veluti sponsam perpetuo illud sibi, & indissolubili vinculo connectãt, si enim Pier. Valer. credimus, is lib. 46. tit. de facibus, testatur, quod *erat nuptiarum index fax illa, quàm prætextatus puer apud Romanos præferebat &c.* & lib. 43. §. eiusdẽ boni &c. refert, *institutũ apud veteres fuisse, vt noua nupta curru vecta traduceretur*; quod obseruatum etiam monet ab Hesiodo in Herculis scuto describendo. peccatum ergo per *facem* denotatur, vt diximus *fax impiorum peccatum*; hæc fax impias nuptias denotat, quibus peccator cũ omnibus criminibus coit quasi indissolubili vinculo. quod eò etiam melius cõfirmatur, quia peccatum ad peccatoris domum instar sponsæ plaustro vehitur, vt visus est dicere Isai. 5. ℣. 18. *va qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum*; quem locum paulò infra fusius ponderabimus. peccator itaque peccata, nuptiali sibi vinculo copulat; ex quo fit, vt vberrima proueniat aliorũ peccatorum soboles, iuxta illud Psal. 7. ℣. 15. *ecce parturijt iniustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem*; neq; enim vnico partu effæta redditur anima, quæ cũ peccato copulatur, sed sæpius parturit, & concipit denuò,

Peccator, peccatum sibi sponsat.

Pier.

Isai.

Peccatorum proles multa.

Psalm.

6 Neque

Peccator peccatorũ fruges seminat, & metit vberrimas.

6 Neque prætereundũ est, quod in Hebræo in illo 31. Prouer. ℣. 4. pro *lucerna* ponitur *Nir*, idest, *aratio*, vel *nouale*; & sic potest esse sensus; *peccatum est aratio, seù nouale impiorum*; quemadmodum enim ager inaratus, est sterilis, ita nisi ager humani cordis aliquibus præuijs fuerit peccatis præparatus non germinat nequitias; quod si hæc terra cœperit peccatis proscindi, iam redditur ad alia peccata vberrimè producenda idonea, adeò vt deinde minimum in ea proiectum granum, largiter multiplicet; quod colligitur ex Eccli. cap. 7. ℣. 3. *fili mi* inquit, *ne semines mala in sulcis iniustitiæ, & non metes ea in septuplum*; in quibus verbis Comparatur humanum cor sulcis; quia sicuti sulcis præparatur terra ad recipiendum semen, ita cor hominis præ imbecillitate carnis, nimium est procliue ad recipiẽda peccatorum semina, ita explicat Dionys. Carthus. *per sulcos*, inquit, *intelliguntur corda procliuia ad lapsum, sicuti sulci dispositi sunt ad seminis susceptionem*; peccando autem, hos sulcos iterum proscindere, & veluti noualia iterare videmur, excolentes, & melius ad semen accipiẽdum, idest, noua peccata producenda disponentes, quod ad litteram visus est significare Osee 10. ℣. 13. *arastis*, inquit, *impietatem*, quæ vero fruges ex hac cultura & aratione pullularunt? *iniquitatem* subdit, *messuistis*; quæ verba exponens Ribera, optimè ad rem nostram, & ad propositum accessit. *terra*, inquit, *in qua hactenus laborastis, fuit impietas, & ita fructus quem collegistis, fuit iniquitas, idest, multiplicata sunt peccata vestra*, neque multiplicata solùm extensiuè, sed etiam aggrauata intensiuè, quia peccatum quod per pœnitẽtiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit. proscindunt itaq; terrã cordis sui, qui impiè operantur, & iniustitię illi semina committunt: subdit Eccli. quàm vberi prouentu fructificent: *non metes*, inquit, *ea in septuplum*; quicumque itaq; seminat mala in sulcis iniustitiæ, ea in septuplum metet à contrario sensu; septenarius numerus est vniuersitatis, & consummationis. vnde Joannes Apocal. 1. scribit *septem Ecclesijs*, idest ad vniuersitatem Ecclesiarum, & ponitur hic indefinitè pro maiori quouis numero. sic exponit Hugo dicens: *septuplum, idest perfectè*: septuplum igitur, iniustitiam, quam seminauit metit peccator, in quo omnigena iniquitatum seges, ex paruo proseminato grano, vberrime multiplicatur; adeo vt qui vno se peccato commaculauit, nequeat deinde à frequenti plurium, & penè quotidianorum peccatorum iteratione abstinere. ad quod facit id quod Pier. tradit lib. 36. §. frequens, affirmans, Hebræos, *septem*, pro re pluries repetita, ponere consueuisse, *vnde*, inquit, *argentum septies purgatum pro sæpius Psalm. 11. dictum, hoc est vt Euthym. explicat, donec quicquid in eo terreni fuerat igne abstersum, exhalauit, & Psal. 79. redde vicinis nostris septuplum interpretes aiunt, septuplum, Hebræorum more, positum pro multiplici*. & paulo post: *iam Chrysostomus*, subdit, *actione in Iudæos quinta septinarium numerum ait in diuinis infinitæ multitudinis signum habere*. ex quibus colligimus ex vno peccato, in infinitorum penè criminum barathrum lapsum præparari.

Peccator peccandi consuetudine ad omnia peccata protrahitur.

Hugo.

S. Carthus.

Osee.

Ribera.

Pier. Numerus septenarius pro multitudine ponitur.

Ierem.

Peccatoris in peccãdo progressus.

7 Contra hos inuehitur Ierem. 2. ℣. 20. *à sæculo*, inquit, *confregisti iugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti non seruiam: in omni enim colle sublimi, & sub omni ligno frondoso tu prosternebaris*. quasi dicat Dominus: cæpisti quondam sicut solutus, & vagus equinus pullus, præcipiti, & incomposito cursu temere vagari, non qua ratio eundum suadebat, sed qua appetitus trahebat raptus; cæpisti, inquam peccare; & hoc est *confregisti iugum, rupisti vincula*, quare ad omnia postmodum scelera prolapsus es, & factus ad peccata procliuis, *sub om-*

ni ligno ambulans, recidiuans; & nota ly *omni*, quod omnigenam peccatorum multitudinem significat; hinc Dei seruitutem abiecisti, *& dixisti non seruiam*, hucusque enim eorum qui semel peccandi licentia insanire cœperunt peruenit stultitia, vt Deo seruire improbe renuant, nec memores sint quod seruire Creatori, regnare est.

8 Vtitur dæmon (quo facilius homines ad peccata perpetranda impellat) ea diligentia, quam solent adhibere parentes; si quos enim habeant pueros erudiendos, illos idoneis magistris committũt, qui prima litterarum elementa agnoscere, voces articulare; mores etiam componere, & formare laboriosè, & sedulò edoceant, & solerti disciplina officiosè curent. Non minori diligentia, & labore diabolus erga eos vtitur, quos tamquam filios ad omne nefas instruere, & erudire contendit. habet enim filios suos etiã diabolus, de quibus Ioan. 8. ℣. 44. dicit Christus: *vos ex patre diabolo estis*; hos, peccato, veluti pædagogo, & magistro erudiendos tradit; cùm enim in domum, & conscientiam peccatoris vnum peccatum recipitur, hoc ad multa committenda crimina instruit: Inductionem scilicet, regulas, modum, cæterasque peccandi circumstantias admonendo aperit; atq; peccatorem, diligẽtissimè, vice magistri docet; quare benè magister appellatur Iob. 15. ℣. 5. *docuit iniquitas tua os tuum*, vt sit sensus, peccatum te oratorem, doctorem, eloquentemq; ad omne malitiæ genus effecit; ita vt te simul, & alios ad peccandum exhortari ritè possis. ita exponit D. Gregor. Pap. *iniquitas*, inquit, *os docet, quando ex mala vita concipitur quod peius est*; atque hic est miserandus peccantis progressus, vt qui prius sub peccati disciplina tyro didicit, paulo post adeo proficiat, vt aliorum possit esse Magister.

9 Hinc oritur, quòd peccatũ, seù peccator, Magistri vices gerens, atque pædagogi, etiam scholas ad alios instruendos palàm aperit. Ierem. 2. ℣. 33 *Quid niteris bonam ostendere viam tuam, ad quærendam dilectionem, quæ insuper malitias tuas docuisti vias tuas?* quorum verborum sensus est: contendis ostendere te non peccasse, & vias tuas esse bonas, atque prauas effugere, docuit te peccatum, seù peccator, quia omnia facinora, quantumuis pessima sua falsa suggestione facilitare præsumpsit; neque solum peccasti, sed insuper, *& malitias tuas, docuisti vias tuas*, quia magister in huiusmodi arte euasisti, & aliorum doctor; te simul & alios ad peccandum instruendo. Hinc S. Chrysol. serm 2. de filio prodigo, expendens verba illa Luc. 15. ℣. 15. *misit illum in villam suam, vt pasceret porcos: quod diabolus*, inquit, *mercenarios suos mittit ad porcos, facit hoc insatiata crudelitas, quæ non contenta est homines criminosos fieri, nisi eos vitiorum duces, criminum faciat, & magistros*. Prodigus enim filius, discipulus, paulo ante fuerat & ignorans, sed breui tempore magister euasit, factus peccatorum, seu porcorum dux, quibus pascendis, & omni criminum cibo saginandis, præpositus fuerat, in dæmonis villa, quæ mundus est, vt idem Chrysol. ait eodem loco his verbis. *ille* (scilicet diabolus) *nos mittat in villam suam, hoc est, ad huius sæculi illecebrosas conualles*, in quibus cœno vitiorum inuoluti peccatores, paulò post mactandi dæmonum delicijs reseruantur.

10 Explicare etiã possumus hanc peccantium semper in deterius pergentium ad pessimum lapsum, funis similitudine, pro quo consideranda sũt verba Isai. 5. ℣. 18. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatum, & quasi vinculum plaustri peccatum*. reprehendit eos, qui peccata nouorum semper criminum accessione cumulãt, & multiplicant, sic enim Glossa: *trahitis, idest, pergitis in iniquitate, peccatis peccata adnectentes*; trahit igitur vnũ

Peccator scholas aperit ad docendũ. Ier.

Peccatũ, veluti pædagogus instruit peccatorem.

Iob.

S. Greg. Papa.

S. Chrys.

Mundus, dæmonis villa. Chrysol.

Isai. Peccata, funi varijs filis insertæ, cõparata

peccatum cõmissum aliud peccatum, sicq; peccator assiduo progreditur in via peccatorum, cui quæ prius patratu difficilia videbantur, facillima euadũt, vnde D. August. in Psalm. 108. *In modum funis*, inquit, *qui ex plurimis minimis semper crescit, in malum peccata semper tamquam longo fune tenduntur*. Et sanè conueniens est similitudo peccati, & funiculi; hic enim dum incipit fieri paruus est, lentus, & nullo labore fragilis, quippe cum tenuis sit, & simplex: sed paulatim alijs adnexis filis, & nouorum funiculorum accessione auctus, fit solidissimus, & ad plaustra trahenda, ac retinẽdas naues idoneus. Est hæc imago expressa peccati, quod in principio tenuè apparet, & facilè solubile, sed additis quotidianis recidiuationibus, in fortissimũ funem excrescit, à quo se nullis viribus expedire peccator, miserè implicatus, potest; vnde meritò S. Hieronym. inquit; *iniquitas in funiculis vanitatis trahitur, quia peccata peccatis facilè connectuntur, & inania sunt & fila aranearum. sed si exire voluerimus tamquam solidissimis vinculis tenemur*. quod S. Basil. aptius confirmauit, dicens. *exemplum huius sententiæ, sit aliquis propensus ad lubricitatem explendam; obserua per quot sibi crescit peccatum luxuriæ; primo corpus suum componit*, hoc est tenuissimum veluti stupæ filum, huius funis exordium; *crines hoc modo circum tondentur*, ex his aliud filum conficitur; *taliter veste amicitur*; aliorum demum accessione crassescit hic funis. *per hoc ostentat ambitiosam, & superfluam curam suæ venustatis; deinde suppeditat pecunias, vt redimat fruitionem pulchritudinis scorti, verba adornat, compotationes, & conuiuia. his omnibus sibi accersit flagitium prostitutæ pudicitiæ*. & sic paruus ille funiculus, paulatim per connexionem ad robustissimi vinculi formam perductus, peccatorem arctissimè constringit, neque sinit elabi.

S. Aug.

Ex minimo filo in maximũ funem crescunt peccata vsu peccandi.

S. Hieron.

S. Basil.

Luxuriosæ peccãtiũ incrementa in peccatis.

11 Nota quoque, hoc in loco, ly *trahitis iniquitatem, & quasi vinculum plaustri peccatum*. quæ ita interpretari possumus, quasi in triumphum, scelestos homines, ducat peccatum, idcircò instar regis, aut triumphatoris, currui insidet, & peccator indigno eius iugo colla subijciens illud trahit. imitatur enim peccatum in subiugandis peccatoribus veteres tyrannos, qui in patriam victores ex hostibus redeuntes, victos præ curru agebant, & celebri pompa ad Capitolium ascendebant; ita peccatum deuictis peccatoribus, illis tyrannicè dominatur, ad cuius intolerabile imperium, & iugum excutiẽdum hortabatur nos Apost. ad Rom. 6. ℣. 12. *non regnet peccatum in vestro mortali corpore*; quicumq; itaque indignè peccati currui collum subiecerunt, de illis dicitur *trahitis iniquitatem, & quasi plaustrum peccatum*. Vtimur etiã curru ad languentium cõmoditatem, qui præ lassitudine aliter circumire non possunt. ægrotat plerumque peccati fomes, debilitatur cõcupiscentia, & languet voluntas, vnde Sap. 9. ℣. 7. in persona iniquorum dicitur: *lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, ambulauimus vias difficiles*; sed veluti in plaustro illas conquiescere facimus, easque trahimus, dum vires addimus, & ad peccandum reficimus, quasi nos ipsos stimulantes, & incitantes ad peccandum. ideo dicitur *trahitis iniquitatem, & quasi vinculum plaustri peccatum*, vt sic non fatigentur peccatores assiduo delinquentes, sed refecti, & refocillati de malo in pessimum procedant.

Peccatũ est tyrannus de peccatoribus triũphans.

Roman.

Peccatũ vires addit peccatori ad peccandũ.

Sap.

12 Hinc efficitur, quòd primo peccator lento gradu, procedens, paulatim velocissimo cursui se accomodat; quasi viribus restauratis, quod significauit Iob 31. ℣. 3. *ambulauit in vanitate, & festinauit in dolo pes meus*. prius peccator ambulat, idest, lento passu procedit, per vanitates vagatur; postea peccatis peccata cumulans, *festinat*, in dolis, atque

Peccatoris progressus in peccatis. Iob.

malis

malis.& nota quòd prius *in vanitate*, leui culpa deliquit, deinde *in dolo*, idest grauiori, à quo demum ad pessima dilabitur. obseruat hoc Interlin. *vanitas*, inquit, *ad leuitatem pertinet*, *dolus ad malitiam*; cõsueto itaq. vtitur ordine, quia per leuia progrediendo, peruenitur ad malitiosa, & ad maxima, in quibus in principio prauæ vitæ, haud facilè peccamus.

Interlin.

13 Hunc eundem ordinem, & progressum in peccando ostendit Salomon Prou. 1. ℣. 15. *fili mi, ne ambules cum eis, probibe pedem tuum à semitis eorum*; ad eum est sermo qui adhuc erat in via iustitiæ, quem hortatur, ne peccatoribus, peccatisque misceatur; ostendit autem, quomodo ex peccandi consuetudine surgant incrementa; & primo ostendit peccatum per *deambulationem*, quæ leuiter incedendo fit *: ne ambules*; sed statim demostrat progressionem *: pedes enim eorum ad malum currunt*; quin & cursum intendunt, maiorem eidem addentes velocitatem, ideo additur, *& festinant vt effundant sanguinem*; cursus enim celerrimus significatur, dum qui currit, etiam festinus esse dicitur. In eundem sensum inquit Ierem. 2. ℣. 5. *elongauerunt se à me, ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt*; vanitas inducit ad grauiora, de quibus subditur ℣. 23. *Quomodo dicis non sum polluta, post Baalim non ambulaui?* accelerata deinde ambulatione in cursũ, ad omne scelus effusa est, & propterea additur : *Cursor leuis explicans vias suas*; in quibus verbis notat Hugo Cardin. totalem recessum à virtute, *hæc enim lenta est*, & moderata, *vitium impetuosum*; illa enim verba, *cursor leuis*, de caprea exponit Glossa, vt citissimus, & incõpositus cursus significetur, qualis est capreæ, quæ dum in siluis vagatur, à virgultis impeditur ne possit currere, cùm autem in latum deuenit campum liberius, & citius non retardata discurrit; verba eiusdem Hugo. ad hũc sensum alludentis sunt: *explicans vias suas*, scilicet, *in campo lato, quas habet implicatas, dum in silua manet*, quod faciunt, qui impedimenta peccandi sustulerunt, vt promptius ad omne scelus ruant.

Prouerb.

Excrescit in dies malitia peccatoris.

Ier.

Hugo Car

14 Idem probatur Ierem. cap. 8. ℣. 2. *eijcient*, inquit, *ossa Regum Iuda, & ossa Principum eius de sepulchris suis, & expandent ea ad Solem & Lunam, & ad omnem militiam cæli, quæ dilexerunt, & quibus seruierunt, & adorauerunt*; in sensu litteræ, sermo in his verbis dirigitur ad idolatras, qui Solem, & Lunam, & stellas venerabantur, vero Deo penitus relicto. moraliter verò ad sensuales, qui quos impudicè amant, Solem, Lunam, & stellas appellant; quod si pro omnibus peccatoribus accipiantur, possumus in ijs notare progressionem ex leuibus ad maxima: oritur in illis primũ amor, & inordinatus appetitus, qui est initiũ cuiuslibet praui operis, *dilexerunt*; hic paulatim in obsequium, & seruitium transit*: & quibus seruierunt*; sequuntur officiosæ blandiciæ, visitationes, & salutationes *: postquã ambulauerunt:* his si medijs finem assequi non possint, muneribus, & pollicitationibus rem aggrediuntur: *quæ quæsierunt*. postremo creaturas tamquam Deum venerantur, obliti diuini cultus, quare dicitur: *& adorauerunt*, exhibentes rebus creatis, Creatori debitum cultum, quod pessimum est crimen.

Ier.

Ostenduntur incrementa peccatorum.

15 Sępius in Scriptura peccatum serpenti comparatur, Eccli. 21. ℣. 2. *quasi à facie colubri fuge peccatum*. cuius etiam typus fuerunt serpẽtes quorum venenato morsu in deserto Israelitæ quamplurimi perierunt, vt Numer. 21. de quibus Theodor. quæst. 39. *erat*, inquit, *serpens figura peccati, & maledictionis*; est autem inter cæteras quædam serpentis species, Amphisbæna dicta, de qua meminit Herodot. lib. 4. quæ etiam in cauda caput habet. *amphisbæna serpens*, inquit, *vtrimque caput habet, vtralibet corporis parte pro cauda vtitur*; huic serpen

Eccli.

Theodor.

Herod.

Peccati finis, initiũ est alterius peccati.

tis generi simillimum est peccatum quod vtrimque capitatum fit assuetudine. peccator enim quando ad caudam peruenisse se peccati credit, idest, finem peccandi fecisse, vel facere arbitratur, in cauda caput reperit, quasi rursus peccandi initium facere coactus, adeò vt in capite & cauda, idest, in principio, & fine vitæ semper sit in peccandi initio. Et vide quàm aptè, proprietates amphisbænæ peccatori recidiuanti conueniant, de ea enim scribit Solinus: *amphisbæna consurgit in caput geminum quorum alterum in loco suo est, alterum in ea parte qua cauda: quæ causa efficit vt capite vtrinque secus nitibundo serpit, tractibus orbiculatis.* ita certè peccator, & qua incipit, & qua desinit peccare, caput habet, idest, vbiq; & semper mentem, & intentionem peccandi, designatam per caput; ex quo fit vt quasi orbiculariter, in peccando incedat, vt paulo post dicemus. improbis & infidis solent probati auctores plura capita tribuere; vnde Horat. epist. 1. lib. 1. vulgus, cui minime sit credendum appellat *beluam multorum capitum*; in quo nimirum quot capita tot sententiæ; ad quem locum Commentator adducit locum Platonis, amorem πολυκέφαλον idest, *multicipitem* nominantis, qui enim peccandi amore desipit, multiceps dicetur, totus in turpibus cogitationibus voluatur, vbicunq; illum apprehenderis caput inuenies, idest, promptitudinem & facilitatem ad mala opera, quod illi semel peccandi, idē recidiuationis; & iterationis est principium. hoc considerabile fuit in Petro, qui cùm primùm ad focum Christum negauisset, inde digressus, & alibi moratus, iterum eidem foco assidens, negauit non solum pluries, sed cum iuramento, vt narratur Ioan. 18. vnde S. August. de consens. Euangel: *non autem foris ante ianuam iterum negauit, sed cum redijsset ad focū, vt peccatorum orbem impleret.* vides obseruatam ab Augustino in peccatis Petri orbicularem progressionem.

Solin.

Peccator orbiculariter, idest, sēper peccat.

Horat.

Amor multiceps dicitur.

S. Aug.

16 Hanc ob causam peccatum comparatur scorpioni, & quidem iure, tradit enim Plin. lib. 11. cap. 37. *scorpionibus in cauda dentes sunt*; eiusmodi est peccatum, quod dum blādiri videtur, lethaliter ferit: & quoniam duo sunt præcipua humanarum operationum in corpore nostro organa, caput propter cerebrum sedem mentis, & cor in quo vita residet, ideo Dauid Psalm. 11. in humano etiam corde hā duplicitatem animaduertit esse omnis peccati initium: dicit enim ℣ 3. *labia dolosa, in corde & corde locuti sunt.* sermo est in hoc Psal. de pessima hominum ad peccandum consuetudine, ideo ℣. 2. *defecit sanctus*, inquit, idest interpretatur Bellarm. *vix inuenitur in mundo aliquis verè pius*, ad ostendendum itaque quod humana malitia ad summum sit progressa, subdit: *labia dolosa* &c. Lorin. ex Hieronym. *labia dolosa*, pro ipsis dolosis, & iniquis poni existimat, sicuti quosdam appellamus, linguas mendaces, & ora impudentia; quæ etiā fuit mens Vgo: Cardin. ad illum locum; *labia dolosa*, inquit, *idest ipsi existentes labia dolosa, sicuti dicitur, Dauus est ipsum scelus.* isti itaque *in corde, & corde locuti sunt*, vel vt Symmachus legit: *in corde alio, & alio*, quod idem est ac si dixisset: *duplici corde*; loqui autem intelliguntur non solùm verbo, sed etiam factis, vt animaduertit Vgo de S. Victor. elucidat. in Psalm. cap. 10. *locutio*, inquit, *non incongrue intelligi potest, non solum in voce, sed etiam in operatione, indicium cordis non solum vox est, sed etiam exhibitio operis*, ideo dicuntur operari seù loqui duplici corde mala, quod idem est, atque gemino capite (instar amphisbænæ) in malis repere.

Plin. Scorpio in cauda dentes habet, sic peccatum.

Psalm.

Lorin.

Hugo Car

Symmac.

Vgo de S. Vict.

17 Et melius hoc intelligemus, si quod supra ex Solino de Amphisbæna adduximus, consideremus, illam videlicet serpere tractibus orbiculatis; talis est improborum vita, in qua ve-

Peccator orbiculariter, idest, sēper peccat.

luti

luti in rota, & corporibus orbicularibus, neque initium, neq; finis est circa voluntatem ad peccandum. Hoc dicitur Sapient.4.℣.12. *Inconstantia concupiscentiæ, transuertit sensum*; pro quo Ceruantes reddit: *Circumrotatio concupiscentiæ*; est orbis, sphæricus, & rotundus, qui nullo stare & consistere loco potest, nullum finem habens, sed se in se semper volutans, & peccator de peccato in peccatum, absque consistentia progreditur; nam sphæricam figuram dicebat Arist. in libb. de cæl. esse motui perpetuo aptissimã; vnde nec peccatores propriæ cupiditatis rotationem secuti, quiescere vsquam à peccando possunt. quare Isai.1.℣.16. ab assiduis peccatis homines reuocaturus, quos tamquam in rota videbat circumagi, *quiescite*, inquit, *agere perversè*, idest, sistite iam effusum hunc peccatorum cursum, neque velitis vlterius progredi ad finem sine fine tendentes. nolite, inquam, vlterius inconsultos gressus in ruinam, cæco lapsu promouere, quibus ad profundum, vnde ad superiora non sit reditus, temere pergitis.

Sap. / Ceruantes / Arist. / Isai.

18 Præcipitem hunc lapsum proponit psaltes Psal m.68 ℣.16. *non me demergat tempestas aquæ*, idest, peccatum, quod est aqua iuxta illud Iob.15 ℣.16. *qui bibit quasi aquam iniquitatem*; hic est primus gradus; *neque absorbeat me profundum*, quibus verbis alter gradus denotatur, de putei nãq; & gurgitis summo in profundum abripitur, vnde vix vlla supersit spes emergendi, nam vt habetur Prouerb. 18.℣.3. *impius cùm in profundum malorum venerit, contemnit*, est autem profundum ex mente Hug. Cardin. *peccatorum contumacia, defensio, iactantia, desperatio, præsumptio, excæcatio intellectus, corruptio affectus*. his gradibus fertur in præceps, & ruit ad profundum; quo qui peruenerit, quia iam omnem amisit ex inferiori hoc lacu euadendi spem, propterea subiungit Dauid: *neque vrgeat super me puteus os suum*; clauso enim putei ore iam nõ licet inde amplius exire. Idem exprimitur Psalm. 114. gratias enim acturus Deo Dauid, à quo liberatus fuerat ab isto lapsu; *dilexi* &c. inquit, *quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacbrymis, pedes meos à lapsu*. peccatum est mors animæ, à qua vel sperat se liberatum iri, vel gratias agit quia iam fuerit liberatus; in futuro explicat Hugo Card. *eripies*, inquit *in futuro animam meam de morte peccati; oculos à lacbrymis*; quia peccatum perpetratum inducit multas miserias animæ, & corporis; & ideo etiam lachrymas afferre solet; sed vide quomodo crescat oratio gradatim *pedes meos à lapsu*, non iam peccatum, sed peccandi facilitas memoratur, Hugo Cardin. *à lapsu, idest, à pronitate peccandi*, parum est de peccato, quod est mors animæ, peccatorẽ erui, nisi etiam *pedes à lapsu*, scilicet, de facilitate, & propensione ad peccandum eripiatur.

Psalm. / Iob / Progressus in peccatis. / Prou. / Hug. Car / Psalm. / Peccatũ excrescit semper. / Hug. Car / Hug. Car

19 Pier. Valerian. lib. 17. tit. Ibis, scribit Ibin, seu Ciconiam animal esse serpẽtibus infestissimum, nihilominus ex illius ouo Basiliscum nasci, quod quidẽ mirum est. *causam* inquit Pier. *eam Philosophi afferunt, quod auis ea multiuora sit, & serpentum venenatorumque genus omne abliguriat, quorum virulenta putredine, oua ipsa prædita, animal id perniciosum efficiunt. Aegyptij sanè, cùm Ibin alioqui egregiè colant, oua tamen eius, ne quid tale progenerent, inuenta frangunt*. Est etiã simile dissidium naturale inter hominem, & peccatum, cuius turpitudinem omnes auersamur, nam malum nemo appetit, sed omnes refugiunt sub specie mali, quãuis sub specie boni, multos decipiat; vt docet Arist. & eius interpres 1. Eth. nichom. oderunt itaq; omnes homines peccatum tamquam malum, quod semper illis mortẽ machinatur; decepti tamen falsa apparentia idem peccatum deuorant, & absumunt, qui Iob 15.℣.16. *bibunt quasi aquam iniquitatem*; quia inconsidera-

Pier. Ex ouo Ciconiæ, serpentib. infestissimæ, basiliscus nascitur. / Arist. / Ex peccato peccatum nascitur. / Iob.

tè, & licentiosè peccant. *Qui enim bibit vinum*, ait ibi Lyran. *quia timet inebriari, bibit temperatè, sed bibens aquam, hoc non timet*, isti itaque qui peccata abliguriunt, de quibus Iacob. 1. ℣. 5 *in luxuriis enutristis corda vestra*, perniciosam pessimorum peccatorum sabolem inde producunt, & ipso basilisco nocentiorem; vnde Dauid Psalm. 7 ℣. 15. *ecce parturijt iniustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatē.* i. inquit Vgo Card. *grauius, & nequius peccatū.* apud S. Cyprian. serm. de Ieiun. & Tentat. Domin. eadem exprimitur similitudo; *stultis*, inquit, *vanisque promissionibus nullus à corde Christiano dari debet accessus; sed primis titilationibus obuiari debet, nec foueri debet coluber, donec in draconem formetur*; sed expressius Dauidica illa sententia ex Psalm. 7. habetur Iob 15. ℣ 35. *concepit dolorem, & peperit iniquitatem, & vterus eius præparat dolos*, *idest* vt exponit Glossa: *mens, in qua, cogitationes generantur*, (tamquam ex Ibis ouo basiliscus) *maiorem malitiam concipit*, & semper de malo in pessimum progreditur; ita Lyran. *vterus eius præparat dolos*, idest, *post detectionem suam, non mutauit mentem quia si posset haberet adhuc nocendi voluntatem*, quam concipit; & post partum, *dolos præparat*, id est, quasi fæcunda peccatorum fætibus, statim ac peperit, denuò concipit.

Iacob. Vgo Car. S. Cypr. Iob Gloss.

20 Et nota quæso, in his Dauidis Psalm. 7 ℣ 15. & Iob locis, præposterum seruari ordinem in hac peccatoris exponenda ad deteriora progresione; nam prius dicitur *Ecce parturijt*; deinde *concepit*, postmodum *peperit*; si prius parturijt, quomodo concepit? naturaliter enim conceptio partum præcedit, & nihilominus ait psaltes *parturijt iniustitiam, & concepit*; animaduerterunt hoc plerique ex sanctis Patribus, & Expositoribus huius loci, & varias attulerunt solutiones, vt hoc quasi incommodum euitaret D. Hieronym. transtulit: *ecce parturijt iniustitiam, concepto dolore*, adeo vt sensus esse possit: post quam concepit dolorem, parturijt iniustitiam, peperit iniquitatem; & ita etiam Felix reddidit: *enixus est iniquitatem, post quam concepit afflictionem*. sed vt ad vulgatam reuertamur, omissis multis interpretum responsionibus, quod ad nostrum facit propositum adducemus. Agitur hic de peccatore habituato, qui ex iteratis operationibus, habitū, & procliuitatem ad peccandum acquisiuit, quod colligo ex illis verbis supra in eodem Psalm. ℣. 10. *consummetur, idest*, ait Bellarminus *perficiatur, & ad summum perueniat nequitia peccatorum*; ad hunc statum cùm peruenerint, tunc illis contingit quod in hoc ℣. 15 dicitur: *ecce parturijt iniustitiam, concepit dolorem*, quia parturire, & eniti vnum peccatum nihil aliud est, quam aliud subsecuturum cōcipere; est enim partus vnius, cōceptio alterius, & primum peccatū ad aliud ducit, & vnum pariendo, quasi necessario aliud concipitur absque mora: ideo postquam parturijt iniustitiam, hunc fœtum vix dum editum, alterius cōceptio sequitur, & nouus itidem partus, vt sit quasi indefinita peccatorum, & scelerum sese inuicem excipientium series. visus est accedere ad hanc expositionem S. Chrysost. qui reddens rationem huius inuersi à Dauide ordinis ita loquitur: *In muliere deiectum semel semen, ipsum etiam formatur; in ijs autem, qui dolos construunt*(idest peccatoribus habituatis) *hæc hodie deiecta est cogitatio, & cras rursus alia, & sunt innumerabiles malorum seminum deiectiones, & sunt singulis diebus conceptiones & partus dolores.*

S. Hieron. Fel. Peccatū vnū aliud parturit. Bellarm. S. Chrys.

21 Vel dici potest quod confusus iste Dauidis ordo confusionem, & incompositum peccandi ordinem in ijs denotat, qui semel peccatorum sese laqueis implicarunt: qui quamuis in principio stimulante, & remordente conscientia prius conciperent peccatum, deinde parturirēt, postmodum

Peccata peccatis implicata.

tamen laxatis conscientiæ frænis, *parturiunt, concipiunt, & pariunt* peccata nullo seruato ordine; sed in omne quod libuerit, effusa licentia ruunt, quod est perditionis maximũ signum, temerè quæcumque libido suadet, incedendo; Didym. in Catena Lippom. *grauissima, inquit, est & perniciosa iniquitatis operatio, quæ talento plumbeo comparatur (nihil enim magis deprimit quàm iniquitas, quæ ad infima quæque sibi inhærentem adigit) ob inordinatam verò malitiam, ante conceptum, dolor partus appellatus est. In his enim quæ vterum ferunt, post conceptum, dolor; post dolorem partus sequitur. hic verò ante conceptum dolor dictus est, cùm nullum in iniquitate, aut ordinem, aut seriem habeat.* in quibus verbis ad propositũ in quo sumus obserua obiter, quod benè peccatum talento plumbeo comparatur, quod metallum ob grauitatem deorsum velocissimè fertur, & iuxta proprietatem motus naturalis, semper velocius mouetur in fine, quàm in principio, ita etiam peccator assiduè peccando velocior fit, & promptior ad peccandum sicuti supra dicebamus ex Psalm. 13. ℣. 3. *veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem* quousq; ad centrũ ipsum, & locũ intimum perueniant, vbi quieti sibi esse videntur in scelerum loco; ideo aliqui quod Prouer. 18. ℣ 3. vulgata habet: *impius cum in profundum venerit contemnit* legunt: *impius cum in centrum peccatorũ venerit &c.* Sed quod ad inordinationem, & confusionem in peccando, quæ in peccatoribus habituatis cernitur spectat, expositionem adductam, & ex Didymo cõfirmatam sequitur etiam Ludulphus, *inordinatio, inquit, litteræ inordinationem peccati; significat.* Cùm enim quis suimet imperium peccato permiserit, iam absque aliquo ordine, & confusè suis voluptatibus, & libidinibus, absq; remorsu, obsequitur; nihil æstimans, neque tempus aliquod interponens inter scelera, quæ parit, & alia quæ concipit, sed pro eodem ducit peccatum opere exequi, & aliud intentione concipere. Quæ expositio confirmatur ex Steucho, qui *Hebraice*, inquit, *idem est (parturijt iniustitiam) atque secundum (concepit dolorem)*. ita mens peccato um semper criminum nouis fæcundata seminibus, sed obtenebrata malis, in partu videtur sibi concipere, & è contra. nam quando pariunt iterata peccata, non solùm non sentiunt dolores parturientis; sed potius voluptatem, & titillationẽ concipientis; quę potest etiam esse tertia responsio ad explicandum non seruatum a Dauide ordinem; dicitur enim prius parturire deinde concipere; quia nedum dolet pariendo peccata, imò potius illas experitur voluptatum illecebras, quas sentiunt concipientes.

Didym.

Peccator per peccata velocior redditur ad peccandũ.

Psalm.

Peccator in peccatis tãquã in centro.

Prouer.

Lodulph.

Peccator morã non interponit inter peccatum, & peccatum

Peccator cum peccatum parturit, non dolorem partus, sed delectationem conceptionis sentit.

22 Perpulchra etiam, & sapida scriptura est ad cõfirmandam propositam à nobis conclusionem, quam hic liber expendere, apud Isai. n. 30. ℣. 28 habetur: *& frænum erroris, quod erat in maxillis populorum &c.* Sermo hic est de populi peccato, quod per *erroris* nomen denotatur; vnde Septuag. transtulerunt: *& persequetur eos error, & assumet eos contra faciem eorum*, idest, ipsummet eorum peccatum erit contra eos, persequẽdo, & impugnando, vt ipsimet contra se ipsos sint. Hũc *errorem*, seù peccatum, *frænum*, vocat, *quod in maxillis populorum erat*, quasi actualiter illo infrænati. ex ipsa autem fræni natura, & munere colligere licebit, cur peccatum fræno comparetur. Vsus fræni est ad domandos, & coercendos equos; imposito enim in equi ore fræno, potest illum sessor regere prout libuerit, & quo vult ducere; & reducere; qua etiam loquendi metaphora vsus est Dauid Psalm. 31. ℣ 9. *in camo, & fræno maxillas eorum constringe qui non approximant ad te;* & B. Iacob. Apost. in epist. sua Canon. cap. 3. ℣. 3. *potest etiam fræno circumducere totum corpus; si autem equis fræna in ora mittimus ad consentiendum*

Isai.

Peccatũ pugnat cõtra peccatorem.

Peccatũ frænat, domat ac ducit peccatorem ad peccata.

Psalm.

Iacob.

nebis, & omne corpus illorum circumferimus; fuitq; celebre Scipionis dictum ad Antiochi legatos, tũ de pace agentibus, cum se iam Romanis armis victos intelligerent; *id*, inquit Scipio, *prius factum oportuit, non postquam, & frænum, & sessorem accepissent.* Homo, præcipuè peccator, equo comparatur; Eccli. 33 ℣. 6. *equus emissarius sic & amicus subsannator; sub omni suprasedente hinnit*; & Isai. 31. ℣. 3. *Aegyptus homo, & non Deus, & equi eorum caro, & non spiritus*; horum sessor Diabolus est, qui quasi eques super peccatores equitat, vt multi Doctores dicunt in illud Apocal. 6. ℣. 5. *& ecce equus niger, & qui sedebat super illum, habebat stateram in manu sua*; vbi Vgo Cardin. Vieg. & alij per *equum nigrum* peccatorẽ, & per eum, qui sedebat super illum, Dæmonem intelligunt; hic itaque vt peccatorem pro arbitrio, & voluntate ducat quo vult, ne viam mandatorum Dei currat, sed vt potius ad omnem nequitiam pergat, frænum inijciat opus est; hoc autem vt dicebamus, est peccatũ, quod statim atque perpetratum fuit, veluti frænum in ore peccatoris, insidenti Diabolo deseruit, vt peccatorem ad omne ducat scelus; hanc expositionem excipio ex S Hieron. qui sic habet: *& frænum erroris, quod erat in maxillis populorum, vt pro voluntate diaboli circumferrentur.* frænatum equum, autem in ore habere dixit. Horat. quia habenis laxatis, vel reductis quasi magistri vocem audit o...ita peccator ad minimum insidentis Diaboli nutum circum agitur, & omnibus illius imperatis obtemperat.

Scipionis dictum celebre.

Eccli.

Isai.

Diabolus equitat super peccatorem.

Apoc.

Vgo Car. Vieg.

Peccatũ frænum peccatoris

S. Hieron

23 Adde, quod ideo etiam benè equo frænato videntur peccatores comparari, quia quemadmodum ferocientes equos priusquam fræno recipiendo, & ferendo assuescant, diligenter tractant equisones; primo enim oblatum frænum impatientes respuũt obnitẽdo; postmodum verò paulatim cicurati, illud vltro recipiunt, ita peccator, cùm primùm peccati frænum est recepturus (natura turpitudinem peccandi auersante) multum obnititur, & instar generosi equi calcitrat, & fræna ferox spumantia mandit. sed vbi semel aut sæpius assueuerit, iam quasi cicur regendum se permittit sessori. Videtur itaque Diabolus in peccatore primum domando eadem arte vti, qua in subiugando Bucephalo Alexandrum Magnũ vsum refert Plutar. in eius vita; affirmans generosum hunc equum fuisse initio morosum, & tractatu difficilem, nec frænum, aut sessorem recepisse; aduertit autẽ Alexander, quod ab incurrente, & agitata ante oculos vmbra percelleretur, quare eum ad solem conuertit, vt vmbra pone iacta desineret cespitare, & sic leniter iniecta chlamyde in eum insiluit, & primo frænum placide adducens, sine verberibus impetum eius repressit; mox pedum pulsibus, & calcaribus etiam incitauit ad cursum. Hæc est expressa Diaboli peccatorem frænantis imago; hic enim primùm ad ipsam vmbram, idest, ad apparentem turpitudinem peccati percellitur, & commouetur; vmbra enim peccati typus est vt docet Vgo Card. ad cap. 9. Isai. ibi: *sedentibus in regione vmbræ mortis &c.* ex Hierony. Hoc animaduertẽs Diabolus hominẽ ab huiusmodi peccatorum turpitudine auersum, conuertit ad Solem, ostendens ei prosperitates, & cupiditatum illecebrosas voluptates, quas per solem significari dicit Hierony. in cap. 26. Isai. adducẽs locum Psalm. 120. ℣. 6. *per diem sol nõ vret te neque Luna per noctem, idest, nec prosperis*, ait Hierony. *nec aduersis vnquam de tuo moueberis gradu*; hominibus itaque ad mundanas prosperitates conuersis, & eorum oculis huius solis luce obstupescentibus, facile est Dæmoni in illos insilire: & primo leuiter mulcet peccata suadendo, & ad minimos errores inducendo; mox effuso cursu in latissimum totius turpitudinis campum laxatis habenis vagari

Diabolus domat peccatorem reluctantem.

Quomodo domitus Bucephalus ab Alexand.

Quomodo diabolus domat peccatorem.

Vgo Car


S. Hiero.

gari cogit, subditis assiduarum tentationum calcaribus. & sic probatum iam relinquitur progressus peccatoris in peccatis, quomodo lapis in panem conuertitur, peccandique principium dificile, assuetudine fiat facile.

Tunc assumpsit eum Diabolus in sanctam Ciuitatem, & statuit eum supra pinnaculum templi, &c.

CAP. III.

Ambitiosos Diabolus assumēs, mittit deorsum, & deturbat

1 

Lena Christianæ eruditionis, & vtilis doctrinæ sunt hęc Saluatoris tentamenta, quæ subtili sunt à nobis indagine peruadenda, vt proficere ex Euangelica scientia possimus. Verbum illud, *assumpsit*, non est absque ponderatione prætereundum. Iam patet ex sensu litterali, hoc de reali translatione, qua Christo Domino permittente, illum Diabolus supra templi pinnaculum constituit, accipiendum esse, quo non ambulando, & per gradus ascendendo, sed per aera delati, peruenerunt, vt ostendit Abulen. in 4. cap. Matth. quæst. 34. & 35. vnde Luc. Brug. ita hoc contigisse, ait, sicut maleficos nonnumquam in diuersa loca per aerem defert. In quo videtur Christus voluisse ijs assimilari, quos Diabolus suis artibus, non per meritorum gradus, eleuat ad honores, sed ignota quadam via (Deo hoc permittente) extollit, vt deinde illis suadeat: *mitte te deorsum*. Hæc expositio desumitur ex significatione huius vocis, *assumpsit*, qua scriptura sacra alibi sæpè vtitur, cùm aliquem ad honores vtcumque eleuatum fuisse, voluit significare; vt 1. Reg. 19. ℣. 22. *assumens itaque Samuel Saulem, & puerū eius &c.* describitur his verbis prima Saulis ad regnum ascensuri promotio, & hoc *assumendi* verbo, prælatio & dominium, ad quod euehendus erat, exprimitur. Et alibi etiam, cùm priuata persona ad regni fastigium esset promouēda, eadem vox vsurpatur: postquam enim in pœnam idolatriæ, in quam, nequicquam bonis viris reclamantibus, lapsus fuerat Salomon; auferendam ab eius posteris maiorē regni partem, prædixit Deus; Ieroboam pro eo super decem tribus regnaturo, his verbis regnum pollicetur 3. Reg. 11. ℣. 37. *Te autem assumam, & regnabis super omnia quæ desiderat anima tua, erisque Rex super Israel*. sic demum Paul. ad Hebr. 5. ℣. 1. Pontifices, & Rectores Ecclesiarum dicit ex hominibus assumi; *omnis Pontifex ex hominibus assumptus &c.* quasi hoc verbo à statu priuato, & vili, ad publicum & honorificum mutatio significetur. sic igitur diabolus Christum ambitionis stimulis tentaturus, illum honorum, & inanis gloriæ pollicitatione assumpsit, & supra pinnaculum templi statuit. Solet enim Diabolus quemadmodum cætera Dei opera æmulari, ita in hoc assumptionis ad honores ascensu, omni suo conatu ambitiosis hominibus fauere, vt de stercore erigat pauperē, quem collocet cum Principibus populi. sed longè diuersa est via qua Diabolus, & Deus suos ad honores ducunt; ille enim non per honestas actiones ad præmia illis aditum facit, nec vt Romani prudentissimè iudicauerunt, per templum virtutis ad honorem eos dirigit, sed absque gradibus, per aerem sublimè volitans, & quasi capillis apprehensos supra pinnaculum sistit: vt deinde adeptæ dignitatis, & honoris præmium ab illis exigat, dicens: *mitte te deorsum*. postquam enim Magistratum, Præsulatum,

Abulen. | Brug. | *Assumere, quid significet.* | 1. Reg. | 3. Reg. | Hebr. | *Christus de ambitione tentatur.* | *Quomodo suos ad gradus eleuat diabolus.*

Episcopalem dignitatem est aliquis consecutus, multa facere illi necesse est in gratiam eius, quo intercedente, euectus fuit; multa cum corporis, & animæ bonorum iactura perpetranda; multa insuper perpetienda, ac toleranda amara, & iniucunda. imò plerumq; post alia grauissima incommoda, cogit suos Diabolus *mittere se deorsum*, idest, de Magistratus & dignitatis gradu, vel inuitos cedere; cùm ad terram vnde assumpti erant iterum rediguntur. quibus enim medijs infernalis hostis suos eleuauit, per eadem, sæpissimè solet eos dimittere, & deijcere.

2 Primum eius rei documentum in Petro Apostolo habemus, de quo dicitur Luc. 22. ℣. 54. *Circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum, quem cùm vidisset ancilla quædam ad lumen, & eum fuisset intuita, dixit; & hic cum illo erat. at ille negauit dicens: mulier non noui illum*. opportunè, & subtiliter hoc loco quærit S. Ambros. Cur primo ancilla Petrum ad negandum Christum sollicitauerit? Si enim Muliebri curiositati hoc tribuerimus non aberrabimus maxima enim est mulierum curiositas, & perscrutandorum alienorum factorũ ardor; & intuendi hominum vultus procliuitas; ideò omnibus prior ancilla Petrum intuetur, cum eo confabulandi arripit occasionem, & suis colloquijs ad negationem Magistri discipulum impellit. Sed hæc responsio, & si bona, non tamen omninò est adæquata, cùm deinceps & milites idipsum à Petro exquisierint, dicentes: *nonne ego te vidi in horto cum illo?* Soluit hoc dubium Ambros. adducta mystica responsione, qua in præsens omissa, hanc moralem adduco erutam ex Ioan. cap. 18. & 15 *sequebatur autem Iesum Simõ Petrus, & alius discipulus: discipulus autem ille erat notus Pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium Pontificis, Petrus autem stabat ad ostium foris*. nondum enim fuerat introductus Petrus in domum Pontificis; sed mox ab ancilla ostiaria patefacta ianua, ipso se Ioanne interponente, intromissus fuit. *exiuit ergo discipulus, qui erat notus Pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrũ.* Vt ergo videas quàm infirma, & volubilia sint in aulis ea auxilia, quæ te promouent, & per quæ Diabolus suos subleuat: eadem ostiaria, quæ Petrum introduxerat, prima illum impellit, & stimulat ad peccandum, & ad negandum, etiam cum periurio. Videbatur magnum hoc beneficium fuisse, nocturno tempore, & intempestiuo Petrum introductum fuisse in domum Pontificis, & Principis: sed magno luit Petrus hanc apparentem gratiam. Ita magnum quid videtur cùm quispiam in mundanorum Principum gratiã recipitur per quam ad honores euehitur; sed ipsamet ancilla ostiaria, idest diabolica introductrix decipit, & peccandi occasionem subministrat, vt ad ruinam stimulet: do cuit hoc frequens experientia, vt qui primo aulicum fouere, & coram Principe promouere visus est, idem incautum, & nihil sibi ab eo mali suspicantem, ob sua propria commoda decipiat.

3 Eleuauerat Dauid Ioab in Israelitica militia, adeo vt vnus post Regem supremo ducis munere fungeretur, & vt Theodor. quæst. 25. in 1. Reg. dicit: *Imperatorem exercitus fecerat*; sed regia hæc beneficia, eximia ista munera, peccandi offendiculum extiterũt, idem enim tantopere à rege auctus, rege iubente, in grauissimum scelus innocentis, scilicet, viri cædem, iniqua consensione prolapsus est, factus ex strenuo milite, iniustæ necis minister; ita enim habetur 2. Reg. 11. ℣. 14. *Factum est ergo mane, & scripsit Dauid epistolam ad Ioab, misitq; per manum Vriæ scribens in epistola; ponite Vriã ex aduerso belli, vbi fortissimũest praliũ & derelinquite eum, vt percussus intereat*. has sibi exitiales litteras inscius Vrias, alter Bellerophon, in castra delatas, Ioab reddidit, qui regijs benefi-

Luc.

S. Ambr.

Mulierũ curiositas

Ioan.

Ruinam ministrãt qui alios ad honores eleuãt.

Theod. Ad præcipitium impellit, qui ad dignitates promouet.

2. Reg.

-ijs cumulatus, non dubitauit impio ministerio, ea compensare; ex quo factum est, vt cùm Vriam in incommodo, difficilique aciei loco collocasset, ab hostibus contra Israelitas praeualentibus, nō ipse modo, sed potissima Israelitici exercitus pars, immaniter caesa fuerit: *Igitur cùm Ioab obsideret vrbem, posuit Vriam in loco, vbi sciebat viros esse fortissimos, egressique viri de Ciuitate, bellabāt aduersum Ioab, & ceciderunt de populo seruorum Dauid, & mortuus est etiam Vrias Hethaus.* non ergo vnius tātum, sed multiplicis caedis crimine hinc Dauid iussu, inde Ioab ministerio coinquinati sunt; sic enim Lyranus: *ex quo*, inquit, *aggrauatum fuit ipsius peccatum, quia occasione illius, quem volebat mori, fuerunt etiam alij interfecti*. vides rerum vices, & quod non caret praecipitio subita hominum ad gradus elatio, quem enim humanus fauor extulerat, eundem detrudit; quàm iniquè res cō mutantur? Ioab summus dux, summus euasit proditor, & cui exercitus cura demandata fuerat, milites hostili manui caedendos exposuit. haec est enim Principum, & magnatum quorundam conditio, vt quos honoribus, & dignitatibus cumulant ab ijsdem tyrannicè exigāt omnem impietatem, tamquam debitum tributum adeptae dignitatis, licereque sibi putant, semel ipsos supra honorum pinnacula constitutos, praecipites dare.

Lyran.

Mundani Principes aliquos extollunt, vt deinde praecipitēt

4 Sed quid in Ioab hoc euenisse miramur, si omnium hominum sapientissimo Salomoni ex Sacra scriptura discimus, id maximorum peccatorum, & perditionis causam fuisse, quod ille tamquam regni stabilimentum, & fulcrum procurauerat? Quo enim non propriae solùm potentiae viribus staret eius imperium, sed affinium etiam auxilio augeretur Regia sua dignitas, & maiestas, Pharaonis Aegypti Regis filiam vxorem sumpsit; quasi gentiles, & populares suas faeminas connubio sibi iungere dedignaretur, sperans fore vt ex hoc coniugio, & tutius regnum suum stabiliret, & prolem inde verè regiam susciperet, quae in regni administratione perennaret, ita 3. Reg. 3. ℣. 1. *Confirmatum est igitur regnum in manu Salomonis, & affinitate coniunctus est Pharaoni regi Aegypti, accepit namque filiam eius &c.* in quo coniugio maximè Salomonem regni sui stabilitatem, & firmitatem spectasse docet Lyran. *affinitate*, inquit, *coniunctus est Pharaoni, qui erat potens, & regno eius propinquus, & ideo cum eo contrahit affinitatem, & regni firmitatem.* media quibus suadente Daemone eleuari in mundana potentia, & stabiliri homines cupiunt, ac sperant, à Dei mandatis eos auocantia, adigūt ad ruinam: ideo Salomon humanis cogitationibus ad altiora euectus, vnde firmitatem regni sperabat, inde praeceps actus fuit; mundana enim regni fulcra eligens, alienigenas dilexit, *super quibus* inquit sac. text. 3. Reg. 11. ℣. 2. *dixit Dominus filijs Israel, non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras*. habes in rege Salomone ex hoc cum alienigenis connubio, imperij celsitudinem; cōsidera modo, quod hoc idem, regalis dignitatis fuit in eius posteris labefactatio; tantopere enim hanc Pharaonis filiam adamauit, vt in illius gratiam vero Dei cultu posthabito, idolorum se cultui addixerit; ex quo indignatus Dominus, auferēdum ab illius filijs regnum praedixit ℣. 11. *Quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum, & praecepta mea, quae mandaui tibi*, ducendo scilicet filiam Pharaonis, vt regnum tuum confirmares, hinc maximè regnum tuum reddam caducum, & infirmum, & scissile. *disrumpens*, inquit, *scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo.* vnde Tertull. lib. 5. cap. 9. *Salomon*, inquit, *audeo dicere, etiam quam habuit in Deo gloriam amisit, per mulieres in idolatriam vsque prolapsus.* & S. Aug. praefat. in Psalm. 126. *a mulieribus*, inquit, *etiam idolis sacrificare cogitur*;

Quaerit Salomō Regni stabilimentum

3. Reg.

Lyran.

Eleuari se cogitās Deo postposito, ruit.

3. Reg.

Tertull.

S. Aug.

quid mirum si cecidit Salomon? prima autem ad tantam impietatem stimulatrix fuit filia Pharaonis, quam regni confirmandi causa assumpserat, per eandem in grauissima crimina prolapsus, regno excidit, & è pinnaculo in quo constitutus fuerat deorsum missus est.

5 Pulcherrimam eius rei figuram proponit Spiritus sanctus apud Zach. cap. 5. ℣. 7. *& leuaui*, inquit Propheta, *oculos meos, & vidi, & ecce duæ mulieres egredientes, & spiritus in alis earum, quasi alas milui, & leuauerunt amphoram inter terram, & cælum:* interpretatur hanc prophetiam Ribera de excæcatione Iudæorum, sed aptius ad rem nostram S. Greg. in his duabus mulieribus, elationem, & fastum agnoscit eorum qui in sublime honorum solium, & pinnaculum eleuãtur, quos per amphoram à duabus mulieribus eleuatam dicit designari lib. 14. moral. cap. 16. *Quid aliud*, inquit, *in his duabus mulieribus accepimus, nisi duo principalia vitia, superbiam scilicet, & inanem gloriam, quæ impietati absque vlla dubitatione coniuncta sunt. quæ & in alis suis spiritum habere narrantur, quia in actionibus suis, satanæ voluntati deseruiunt.* isti instar amphoræ illius propheticæ, inter cælum, & terram eleuantur, quia ad dignitatis alicuius celsitudinem euecti, reliquos præse homines nihili ducunt, & tumido fastu inflati, cælum sibi videntur digito attigisse. subdit itaque Greg. *Superbia, & vana gloria habent hoc proprium, vt eum quem infecerunt, in cogitatione sua, super cæteros extollãt, & modo per Ambitum rerum, modo per desiderium dignitatum, quem semel captum tenuerint, in honoris altitudinem eleuent.* vides hominem ita eleuatum, vt vix non sibi cælum adeptus videatur, cum tamẽ neutribi sit, sed inter cælum, & terram medius pendeat. Benè etiam isti per *amphoram* designantur, quæ vas luteum est, despectum, & fragile; non ex pretioso aliquo metallo: euadunt enim ad honores ij qui nec doctrinæ auro, neque eruditionis argento splendent, neque sunt aliquarum morum, & vitæ grauitate conspicui; hæc amphora fictilis extollitur, & in pinnaculo sistitur. sed quandiù in hoc statu perseuerat amphora? quandiù spiritus à quo elata fuit, illam sublimẽ retinet? profectò respondet Sanctus Nilus Abb. orat. 7. *animus superbi valdè extollitur in sublime, vnde præceps ruit in profundum.* & si de eadem re S. Chrysost. interrogemus respondet homil. in hoc Euangel. quòd *homines sancti, postquam omnem necessitatem carnis vicerunt per vanam gloriam cadunt.*

6 Si eundem Prophetam consulamus, respondebit quod ei Angelico ore responsum fuit; *& dixi*, inquit, *ad Angelum, qui loquebatur in me, quo ista deferunt amphoram? & dixit ad me, vt ædificetur ei domus in terra Sennaar.* mulieres amphoram eleuant è terra, mulieres super aerem extollũt, in apice dignitatis statuunt; mulieres namque aliquando laborant, seque interponunt, vt honores alijs concedantur. quid igitur sibi firmum fore polliceantur, qui muliebri infirma manu sustentantur? ideo eandem amphoram mulieres deorsum portant, Deo sic permittente, vt qui mulierum ministerio eleuatus est, idem earundem amore captus, è culmine honoris ruat; & in terram *Sennaar*, quæ vt ait Greg. loc. citat. *fætor eorũ* interpretatur decidat, cum is in cuius decore, & magnitudine omnium oculi intentè erant defixi, in ignominiam, & fętorem prolabatur; quemadmodũ enim amphora fictilis ab aere decidens abit in frusta, & si quid tetri odoris continebat adstantium nares offendit; ita isti è sublimi dignitatis gradu in terram deiecti conteruntur, & emittunt tætrum vitiorum, quo imbuti erant odorem; sic enim amphora in terram *Sennaar* deijcitur, quæ *fætor* interpretatur. Vel potius ad dignitates euectus, & qui ad

cælum

Zacch.

Honores, per amphoram Zacch. denotantur. S. Greg.

Superbia, & inanis gloria per mulieres denotãtur

S. Greg.

Indigniores ad gradus eleuãtur.

S. Nilus.

Superborum casus S. Chrys.

Superbus deiectus, fætorem redolet.

Ambitis domus in fætore.

cælum vsque, & ad sidera filios, & nepotes ducere præsumit, tandem, Deo vindice, *in terra Sennar domus eius extruitur*, quia pessimæ famæ fętorem derelinquit, nam vt loc. cit. ait S. Greg. *sicut bonus odor ex virtute, ita è contrario fætor ex vitio, & quia quodlibet malum per auaritiam generatur, dignũ est, vt domus auaritiæ in fætore construatur* Interlin. *Sĕnaar*, idem ait est, ac *excussio dentium*, per quam turpissimus exitus, & ruinosum exitium denotatur, sicut est illud Psalm. 3. ℣. 8. *quoniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa, dentes peccatorum contriuisti.* quo loco noster P. Agell. *dentes autem*, inquit, *impiorum, intelligit vim illam hostium, qui rapere bona Ciuium, iustos viros capere, diuexare, lacerareque moliebantur; itaque Iob conterebam moles iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam, & Psalm. 123. benedictus Deus, qui non dedit nos in captionem dentibus illorum*. has vires, hanc gloriam, hanc dominandi potestatem excutit Deus, & cõterit dum de summo ad ima proijci patitur, & de templi pinnaculo deorsum mitti. Et nota, quòd *mulieres hæ duæ*, quæ *domum in terra Sennaar* ædificant, *habent alas quasi milui*, quia vt ait idem S. Gregor. ibidem *miluus semper studet rapturæ pullorum*. & de rapina ædificat sibi domum, sic qui sunt ministri ad aliorum regimen destinati. Hisque rectè congruit interpretatio Sennaar, idest, *excussio dentium*, dentes enim illos, quibus aliorum bona mandebãt in altum elati, conterit Deus, & obstupescere facit. sed hoc obiter.

S. Greg.

Interlin. Exitium superborũ.

Psalm.

P. Agell.

Superiores raptores.

S. Greg.

7 Hanc amphoram imitatus est Aabsalom, qui adulantium vocibus tamquam muliebribus manibus eleuatus, per blanditias, & obsequia popularium animos sibi cõcilians, vt 2. Reg. 15. narratur, postquam subditorum plausibus satis sibi in aerem eleuatus visus est, in Patrem conspirare, & populi seditione commota illum è regno deijcere conatus est; sed tumida hæc amphora, in medio aere pendula, disrupta est, deciditque ignominiosè, & cum extremo exitio; ita enim habetur 2 Reg. cap. 18. ℣. 9. *Cumque ingressus fuisset mulus subter cõdensam quercum, & magnam: adhæsit caput eius quercui; & illo suspenso inter cælum, & terram, mulus cui insederat pertransiuit.* Hæc fuit debita audaci ambitioni pæna; benè caput tumidis cogitationibus plenum, & impudentis licentiæ contra Patrem sedes, pænas dedit, dũ *adhæsit caput eius quercui*. benè regiũ diadema, quod capiti imponere volebat in feralia querna folia, vilium brutorum, & ignis alimenta desijt. S. Chrysost. in Psalm. 3. hoc factum egregiè dilatat: *ex pilorum*, inquit, *coma, à coma arboris tenebatur, & coma tenebat coma tyrannum; illic eum contundens, vbi paternum diadema gestare contendebat.* & vt vaticinium amphoræ propheticæ, in eo completum intelligas, *videbatur*, pergit Chrysost. *Absalom suspensus in medio cæli, & terræ: cælum eum non admittebat, è quo primus insurrector diabolus eiectus est; terra eũ auersabatur, non ferens pollui passibus parricidæ.* nota quomodo cuncta contra ambitiosos conspirent, elementa, arbores, & creaturæ, ipsa etiam cicura animalia, nam mulo celeriter prætergresso, è coma pendulus remansit Ambsalom; ipsa etiam corporis membra laqueum fastuosis, & superbientibus parant: nam culta, & compta cæsaries, instar restis fuit, quo ligatus interijt; & de mulo bene dicit Glossa: *iste mulus super quem sedet superbus, est gloria mundana, quæ citò transit 1. Ioan. 2. ℣. 17. mundus transit, & concupiscentia eius, & superbus per Absalom figuratus, remanet suspensus in arbore*; & clarius S. Chrysost. in Psalm. 7. *capilli*, inquit, *ad lignum eum alligarunt, & brutum animal eum tradidit; & pro fune quidem coma, pro ligno autem arbor extitit: pro milite autem adduxit eum mulus*. quo igitur mulo euasurum se sperauerat, per illum interijt,

Absalonis ambiẽtis exitiũ.

2. Reg.

S. Chrys.

Cuncta cõtra ambitiosum conspirãt

Gloss.

Mũdi gloria citò transit.

S. Chrys.

terijt,

feriit, & quam cæsariem ad pulchritu dinis ostentationem,& fauoris lenoci nium nutriebat, eam infestam sibi, & exitiosam expertus est.

8 Demum (vt clarius appareat, quod initio huius capitis dicebamus) quod eadem media,quæ sibi ambitiosus ad gloriam captandam elegerat, illi cõuertuntur ad exitiũ, & dedecus noto,quod quercus cadite apprehẽdit superbum Absalom. *adhæsit caput eius quercui*, est enim hæc arbor principatus, & Imperij hieroglyphicum, vt refert Pier. Valer. lib.51. *Sceptrum*,inquit,*cum folijs quernis in columna quadam ex alabastrite Viterbij spectare licet, inferioribus quippe ramis amputatis, superioribus autem ita mutuo complexis, vt oculi speciem reddant. Plutarchus Osirim huiusmodi signo redditum arbitratur, qui vt nonnulli prodidere, non Aegypti solùm, verum & Italiæ, & totius ferè terrarum Orbis imperium obtinuerit*. & post pauca. *Quercus principatum ostendit &c. Sceptrum ex quercu nouissimo Neronis anno, de Augusti manibus excussum fulmine, imperium casoribus diuinitus abrogatum indicauit*. & quia principatum intempestiuè, & impudenter patri rebellando,expetiuit,ideo ab ipsa arbore(quæ principatus erat typus) punitur,& interimitur. Vaticinatus est idem Isai.cap.2. ℣.13. diuinam vltionem super *Quercus Basan* exercendam fore minatus.per *Quercus* homines arrogantes interpretatur ibi Chrysost.igitur puniendi sunt, sed qua pœna? ea quam maximè abominantur nimirum ignominia; quod significat alia Prophetæ vox: *Basan* enim interpretantur D.Basil.& S.Hierony.*ignominiam*. hæc est ergo pœna reddenda superbis,& ambitiosis,vt sint *Quercus* non imperij, & principatus, sed dedecoris, & *ignominiæ*, ita quos diabolus assumpsit supra pinnaculum, deorsum mittuntur, ita superbi iuxta commutatione deponuntur de sede, vt exaltentur humiles.

Pier.

Quercus, Imperij hieroglyphicum.

Dignitates, ad ignominiã præcipitant ambientes.

Isai.

S. Basil. S.Hieron

9 Præcipitia hæc elati ambientis animi, optima similitudine explicat Dauid Psalm. 130. ℣. 1. *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei; neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me: si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam.* Sermo hic est de eo,qui elationem auersatur, &,vt ait Origen.*per hæc auditorem instituit, ne rursus ad superbiam redeat, ex malis, quæ ex illa proficiscuntur.* explicatur autem, quidnam inter cætera sit malum: *neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus*: sumitur similitudo ab ijs, qui super funem extentum in aere ambulant, facilè se præcipitio exponentes.ijs similes sunt superbi, qui incedunt *supra pinnaculum in montem excelsum valdè &c.* proximi ruinæ, *mitte te deorsum; si cadens adoraueris me*; hoc est *ambulare in magnis, & mirabilibus*, ad quam similitudinem respexit Sanct. Cyprian.serm.de Ieiun.& tentat. Domin. vbi explicans hæc verba *mitte te deorsum*, inquit, *hac igitur occasione loci, hortatur, & consulit, vt in Vrbe sancta, & frequentia populorum quasi nouus funambulus in excelso pendulus, se deorsum ad spectaculum vulgi iactet intrepidus &c.* hæc quotidie spectacula ambientium cernimus; superborum casus intuemur sedulo; & horum omnium, Principum, & magnatum Curiæ sunt theatrum.

Psalm.

Origen.

Ostenduntur præcipitia ambientium.

S. Cypr.




Sacer tex.

Statuit eum supra pinnaculum templi; & dixit illi: mitte te deorsum.

CAP. IV.

Causidici, facilè animarum iacturam patiuntur.

1 

Diximus in expositione litterali, ex Plinio, & alijs, quòd *pinnaculum* supra quod tẽtãdus Christus à diabolo statutus fuit, vt Matth. & Lucas narrant, erat murus circa templum editus, & prominens, appellatumque noua hac Latina voce *pinnaculum*, cum Græca vox πτερύγιον potius *paruam alam*, seù *pinnulam* significet. Gloss. & alij ex Sanctis Patribus, exponentes hunc locum, aditum nobis faciunt ad proficuum hinc documentum excipiendum. Inter cæteras enim causas, quas aliqui redd ũt, cur diabolus *supra templi pinnaculum* hoc, siue *Alam* tentare voluerit Saluatorem: vna, eademque præcipua illa est, quia ibi de multis in lege peritis, & in humana sapientia confidentibus, victor euaserat. Quoniam igitur ex responsione Christi ad primam tentationẽ, desumpta ex libris legalibus, eum in scripturis versatum esse sibi persuaserat, respondebat enim Christus: *scriptum est: non in solo pane viuit homo*, &c. propterea vt securius hoc secundum certamen iniret, locum elegit, quem sibi pridem multorum exitio fauorabilem expertus fuerat; *ibi* (ait Glossa citata etiam à D. Thom. in Catena) *erat sedes Doctorum vnde populo loquerentur, ibi multos capit vanagloria magisterij inflatos, in eo igitur loco Christum tentat, vbi multos decerat*. plures enim inde versutus inimicus præcipitauerat ad ruinam, ideò, vt Christum in lege eruditum agnouit, in loco Doctorum ponit tentandum, & præcipitandum. Quod profectò nobis explorato documento esse potest, quòd quamuis in alto positi Magistratus, Officiales, Curiales, Causidici, & cæteri iura tractantes: tamen eorum sedes palæstra est, è qua sæpissimè victor recedit inimicus, in qua propterea grauiores excitare tẽtationes solet, & tamquam de victoria certus, ac securus dimicare confidentius. Hæc fuit expositio S. Remig. apud eũdem D. Thom. in Catena affirmantis, quòd *pinnaculum erat sedes Doctorũ*, &c. quam etiam sequitur Christian. Druthm. in expos. huius Euangelij.

Pinnaculum, parua ala est.

In sede Doctorũ sistitur Christus, vt ruat.

Gloss.

2 In hac itaq; veluti Doctorum cathedra, quæ instar tribunalis fuisse videtur, tamquam in harena sibi sæpius experta anthagonistã suum prouocare securius præsumit; sperans in sede Magisterij per inanem gloriam illum à se vinci posse, quem in deserto famelicum per gulam superare non potuerat. supra hoc *pinnaculum*, & sedem extolluntur in hoc mundo magnates, Officiales forensium negociorum, & ius in Ciuitatibus administrantes, eminentes propter dignitatem, prominentes propter auctoritatem mundanæ potentiæ. Et benè *pinnaculo*, seù *alæ* imponuntur, dilatata enim auctoritate fiunt *Aquila illa grandis magnarum alarum* Ezech. 17. v. 3. sẽper volatum ad altiora eleuãtes; Causidicus enim ad Iudicis, Iudex ad Consiliarij, hic ad Præsidis officium suspensis alis adspirat; quamquam sæpè contingat, vt cereis humani plausus, & fauoris liquescentibus alis, immani ruina instar Icari præcipites in miseriarũ mare deferantur; *ita enim* dicunt Origen. & Ambr. *vt dum putat vnusquisque ad altiora ascendere, sublimium vsurpatione, ad inferiora trudatur*. Has Principum, & Magistratuum *alas*, sed pauperum sanguine cruentatas

Ezech.

Ambientium appetentia, & casus.

S. Ambr. Orig.

Ierem.

Iudices, ac Principes aliorũ sugunt sãguinem.

describit Ierem. cap. 2. ℣. 34. *In alis*, inquit, *tuis inuentus est sanguis animarum pauperum, & innocentum*. loquitur Propheta sumpta metaphora ab auibus rapacibus, quarum pennis, & alis adhæret sanguis auium deuoratarum; obijciens, quod frustra dissimulant Iudices, ac Principes iniustitias suas occultare, sicuti frustra Aquila conaretur se innoxiam ab auium laniena simulare, cùm rapacitatis suæ signa circumferat in alis sanguine madentibus; quem locum ad nostrum proposit sic ad litteram interpretatur egregie, Vgo Cardin. in Comment. *in tuis*, inquit, *Principibus, qui alios regere, & protegere deberent, inuenta est substantia pauperum, quæ ideo dicitur sanguis, quia est vita hominis pauperis, vnde qui rapit eum, rapit vitam, & homicida est*. Eccli. 34. ℣. 25. *panis egentium vita pauperum est, qui defraudat illum, homo sanguinis est*. Vel *alas* expandunt Officiales isti, & Curiales, idest, diuitias, latifundia, dominia, & status ampliantes, vt honores, & dignitates sibi concilient, & per aera volitent. cùm redundantes diuitiæ, potius in vsum, & sustentationem pauperum sint erogandæ maximè ab ijs qui in Ecclesiasticis sunt dignitatibus constituti. hæc eadem fuit sententia eiusdem Vgonis in eodem loco: *alæ* inquit, *prælati sunt diuitiæ, per quas debent defendere populos à paupertate, sed contra eos expoliant, & conculcant* Osee. 4. *ligauit eum spiritus in alis suis*, idest, diabolus ne per diuitias releuarent paupertatem pauperum. alæ itaque istæ, quæ super pauperes extendi deberent, amicis, propinquis, cognatis tantum obumbrant. Postremò per *alas*, quibus iustitiæ Ministri, & Officiales euehuntur, possumus accipere obsequia subditorum, & clientium litigantiũ munera ipsosq; honores, & dignitates, quibus supra reliquos extollũtur, & spectabiles fiũt. his deficiẽtibus, è pinnaculo deorsum feruntur cum exitio Doctores; nam &

Vgo Car.

Eccli.

Diuitijs vtuntur aliqui ad honores proprios, & pauperum ruinam.

Vgo Car.

Quomodo Causidicis alæ uell... [illegible]

de potentibus in mundana administratione, & alas Aquilæ habentibus dicit Daniel cap 7. ℣. 4. *Euulsæ sunt alæ eius, & sublata est de terra & super pedes quasi homo stetit*. idest, missi sunt deorsum, & sentiunt se esse homines, qui nimia potentia abutebantur. Vgo ibi in Comm. *super pedes*, inquit, *quasi homo stetit: quia qui se prius quasi Deos æstimabant, se esse homines, & humilis fragilisque naturæ intellexerunt*. Hic itaque est lubricus, & præceps Officialium, & Curialium locus, ruinæ, & exitio maximè expositus, diabolo tentatori fauorabilis, qui maximas inde animarum prædas reportat, quas vehementissimè istis verbis assiduè ad lapsum hortatur, *mitte te deorsum*, vt non Deos, sed homines se agnoscant.

Daniel.

Vgo. Causidici terrenos Deos se extimant.

3 Hoc fortasse significaturus D. Lucas in eiusdem historiæ narratione, alium à Matthæo ordinem secutus, hanc tentationem in pinnaculo, postremò recensuit, vnde ait cap. 4. ℣. 13 *& consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo &c.* eò quòd, eos qui in hac sede Doctorum, ac Magistratuum constituuntur, omni tentationum genere vexare soleat; & quasi omne malitiæ suæ penu erga eos exhaurire. Vel hic dicitur: *consummata omni tentatione*, quia iste locus Doctorum maximis, & exquisitissimis tentamentis diabolicis pateat, qui enim dicit, *omne*, perfectum quid, & omnibus absolutum numeris dicit Arist. 1. de cæl. tex. 1. & 2. *omnem* itaq;, idest, vehementissimam, & maximam tentationum hic intentat, dum in cathedra Doctorũ, & in loco iudicij Christum sistit, quasi locus hic sit veluti epilogus, seù compendium breue omnium possibilium tentationum. cum ergo eo loco Christus fuerit constitutus, in quo sedes erat Doctorum, nõ tamen victus à tentatore fuerit, quasi compendialiter omnẽ vicerit tentationem, dicit Lucas: *consummata omni tentatione, diabolus discessit ab illo*, sed ali-

Luc. Causidici omni tentationum genere vexantur.

Arist.

ter quoque exponi potest. Nullam aliam tentationem obiecerat diabolus Christo præter gulam, auaritiam, & inanem gloriam; non itaque omnem machinam adhibuerat, & nihilominus dicitur *consumata omni tentatione*. numquid non mille diabolo nocendi artes? Sed bene dicit Euangelista, *consumata omni tentatione*. quia eas adhibuerat artes, quibus qui resistit, inuictum se esse manifesto probat; illas enim tentationes elegerat, in quibus aliæ omnes continentur; vnde D. Ioa. Chrysost. homil. 13. in Matth. *& quomodo inquies, Lucas ait, quia omnem tentationem consummauerit? Mihi quidem videtur ipsa tentationum capita ille cuncta, dixisse, vt ea quoque omnia pariter intelligas, quæ sub istis quasi principalibus continentur. Seruire ventri; inanis appetitu gloriæ quippiam facere, ac furioso pecuniarum amore superari.* Ita enim dicitur 1. Ioan. 2. ℣. 16. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Sed hoc obiter.

Gula, inanis gloria & auaritia, omnium tentationum capita.

S. Chrys.

4 Vt ergo ad propositũ nostrum redeamus; Curiales præsertim ij esse videntur, quos his verbis *mitte te deorsum* stimulat Dæmon, quibus humanarum rerum pondere grauitatis, non vacat, ad cælestia, & diuina respicere, vt mirum, & inusitatum sit, si aliquis ex istis officialibus diuinis, supernisq; rebus tota se mente addicat: multorum meminerunt Euangelistæ, in sacra historia, iustorum hominũ expectantium cum fiducia beatam illam spem futuræ gloriæ per Christum obtinendæ. de nemine tamen specialiter, & expressè hoc dicunt, præterquam de Ioseph ab Arimathia, qui pio erga Christum affectu, Dominici corporis humationem procurauit, audacter ingressus ad Pilatum; de quo Marcus cap. 15. ℣. 43. *venit*, inquit, *Ioseph ab Arimathia nobilis Decurio, qui & ipse erat expectans regnum Dei.* Satis laudatus esse videbatur Ioseph ab Euangelista à pietate, & cultu erga Christi corpus; à nobilitate generis (notat enim Glossa quòd fuit Consul) à Patria; ab officio Decurionatus; & postremò nõ parum ad illius commẽdationem facit quòd audacter introire præsumpserit ad Pilatum, ex quo eius in Prætorio, & Regia auctoritas conijcitur. Sed ex abundanti videtur additum fuisse, quòd *& ipse erat expectãs regnum Dei*, quid maximum, & mirum dixisse se putat Euangelista; & inter tot præclara Ioseph ab Arimathia enumerasse gloriatur, quòd *erat expectans regnum Dei*? & quis Dei regnum, & gloriam, illamq; æternam nõ expectat, & anhelat Beatitudinem? Existimo, hanc peculiarem prærogatiuam, Euangelistam non additurum fuisse; nisi tamquam rarum, & inusitatum memorabiliter obseruari hoc Spiritus sanctus voluisset, in homine Curialibus officijs implicito aliquam rerum supernarum curam, aut cogitationem inueniri potuisse. Vel dixit: *qui & ipse erat expectans regnũ Dei*; quia alioquin suspicari aliquis potuisset, illum potius humano affectu, & propter aliquod lucrum, quàm cælestis regni expectatione Christi corpus procurasse ad humandum; insolitam in tali officio constitutis, gloriæ cælestis expectationem denotans. Erat enim Decurionatus, officium curiæ, vt S. Thom. in Caten. Marc. 15. explicat ex Beda. *Decurio*, inquit, *vocatur, quòd sit de ordine Curiæ, & officia curiæ administraret, qui etiam Curialis, à procurando munera Ciuilia solet appellari.* quẽadmodum etiam exponit hanc vocem Lyran. *Decurio, idest, vnus ex curialibus. Decuriones enim dicuntur, qui sunt de Curia alicuius magni Principis; dicuntur etiam Decuriones, quia accipiũt curam plebis.* non permittit istis diabolus, vt vel cogitatione, aut expectatione ad Cælum, & cælestis Patriæ felicitatem eleuentur; quin potius assiduo ijs inculcat: *mitte te deorsum*, idest, de terrenis cogita. Videtur idem significare voluisse D. Lucas cap. 23. ℣. 50.

Curiales difficilè ad cælestia aspirant.

Marc.

Tãquam rerum notatur curialem de cælo cogitare.

Curiales, propter terrena lucra tractant cælestia.

S. Thom.

Lyran.

Luc.

51. *& ecce vir nomine Ioseph, qui erat Decurio, vir bonus, & iustus; hic non cõsenserat consilio, & actibus eorũ, &c.* cũ Decurionẽ illũ appellasset, statim ijs illum virtutibus, & animi dotibus insignem fuisse subdit, per quas ab alijs Curialibus distingueretur, sua bonitate, & iustitia: quas egregias qualitates rarum est in eiusmodi vitæ hominibus reperire, quòd *esset vir bonus, & iustus*, ait Salmeron. to. 10. tract. 49. *magnum est encomium diuitis, & Senatoris.* & propterea Lyran. subtiliter, exponens verba Lucæ, *qui expectabat & ipse Regnum Dei*; distinxit de quo regno loqueretur Euangelista, dicens *non temporale, & terrenum sed cæleste, & æternum*, in quo à suis collegis maximè differebat, & propterea, *non consenserat consilio, & actibus eorum*. Ex quibus verbis confirmatur expositio Bedæ, & Lyrani supra allata, de officio decurionatus, quæ alioquin videri alicui potuisset suspecta, cum Romæ Decurionatus potius inter militaria officia constitueretur; Quare Græco nomine βουλευτὴς denotatur, quòd Cõsultor, aut Senator; & officialis Curiæ fuerit, vt etiam docet D. Tho. in Matth. 26. ex D. Hieronym. in municipijs enim Decurio dicebatur, qui Romæ Senator. & quoniam magnum est Senatores, & Consiliarios potius cæleste, & æternum, quàm caducum, & temporale Regnum expectare: ideo hoc fuit encomio celebrandus, *qui & ipse erat expectans regnum Dei*, tamquam nouum quid, aut arduum.

Iustũ esse maximũ encomiũ Curialis, & diuitis

Salmer.

Quodnam Decurionis, & Senatoris fuerit munus.

5 Videntur enim huiusmodi homines in hoc mundo regnum fundasse, non expectare in futuro, in terrenis magis quàm cælestibus delicijs Paradisum collocantes. Paradisus hortus interpretatur, quare magnates etiã sumptuosos, & magnificos hortos sibi parare videmus, & maximis sumptibus adornare; eueniet tamen illis id quod Isai. vaticinatus est cap. 1. ℣. 29. *erubescetis super hortos, quos elegeratis, cùm fueritis sicut quercus defluentibus folijs, & velut hortus sine aqua*. sperant insuper mundanam hanc potẽtiam diuturnam fore, & de se dictum putant id quod Christus Luc. 22. Discipulis suis promisit: *Ecce dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater regnum, vt edatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel.* quæ de futura gloria exponunt D. Ambros. Beda, Theodor. S. Thom. & alij. Ij itaque quibus datum est in hoc mundo ad iudicandum sedere, hæc de terreno regno interpretantur, summam sibi fælicitatem contigisse existimantes, ac retributa sibi ea gaudia in via, quæ sanctis, & electis Dei debentur in Patria; fructum scilicet beatitudinis illis verbis indicari ratì, *vt edatis, & bibatis, & sedeatis super thronos iudicantes*, ignari quòd inter vana hæc mundi gaudia, obrepit diaboli astutia, præcipitium ijs præparantis; qui sicut illos *in pinnaculum* mundanæ elationis eleuauit, ita humanæ fragilitatis immemores, huius tantùm vitæ commodis, & voluptatibus indulgẽtes, futurorum bonorum non possessione solùm, sed etiam expectatione defraudat. Quoniam enim duo promittit Deus electis suis; cibum, & potum in mensa; & sessionem in thronis, propterea Iudices sæculi vtrumq; consecuti, iam se beatissimis pares esse existimant. Maximè cum in ipsa etiam Scriptura Deo quasi æquales statuantur, in qua Iudices Dij nominantur, vt Exod. 22. ℣. 8. *Si latet fur, Dominus domus applicabitur ad Deos, & iurabit.* & clarius Psalm. 81. ℣. 1. *Deus stetit in Synagoga Deorum*; alij legunt ad rem nostram: *In conuentu Iudicis*; Deorum enim loco habentur, propter iuris dicendi potestatem; quos Plutar. in lib. Maximè cum Principib. Philosophis &c. *Vicarios Dei* appellauit. Sed sicut hæc illis verba sunt honorifica, ita sequentia terrifica: *in medio autem Deos dijudicat*, quibus monentur iusta iudicare, vt ad maioris Iudicis tribunal securius accedere possint; qui iudicandi

Curiales, Paradisũ in terra collocant.

Isai.

Luc.

Crapula, & auctoritas, Paradisus iudicum.

Iudices, Dij, seù Dei Vicarij.

Exod.

Psalm.

Plutar.

sunt *in medio*, ab eo scilicet Iudice, qui qui scrutator est cordium, & occulta cognoscit, cuncta illorum opera examinanda, non secundum apparentia, sed quo animo iudicauerint reuelando, vt exponit Agell. confirmans hoc ex translatione Aquilæ. *In interioribus Deos dijudicabit*. Vel *medium* appellat opera virtutum, quæ in mediocritate consistunt, de quo iudicio dicitur Psalm. 74. ℣. 2. *Ego iustitias iudicabo*. Vel demũ *in medio* iudicabit; idest crapulam maximè, & nimium luxum Officialium arguet, vt qui in cibo, & potu, & auctoritate sedis suam felicitatem collocabant, inde ruinam sibi parasse cognoscant. Vgo Cardin. exponens locum illum Psalm. 81. *in medio*, inquit, *iudicabit Prælator, idest, propter ventrem, & ingluuiem multos condemnabit. Mich. 6. Humiliatio tua in medio tui*.

Interiora luxum, et crapulam officialisi iudicat Deus. Psalm.

Vgo Car.

6 Pilatum, quem summa Dei prouidentia elegit in summa, & toto orbe memorabilissima causa (qua Vnicus Dei filius homo factus, iniustè, sæuissimæ morti damnatus est) optimè crediderim Iudicum, & aliorum Forensium officialium typũ expressissimum fuisse, vt dixit S. Ambros. in cap. 13. Luc. in quo ea considerare, & inuenire poterimus, ex quibus intelligatur in quàm præcipiti statu ij constituti sint, qui ius dicunt; & quàm maximis diaboli tentamentis pateant. Id patebit Pilati tantum nomen expendẽdo, vnde iudicũ fraudes quas in pauperum perniciem struunt clarè patebunt. S. Thom. in Caten. ex Hierony. *nomen Pilati, ait, est quasi malleatoris, qui domat ferreas gentes*. Nulla figura crediderim magis ad viuum exprimi posse Causidicos, & Iudices forenses, à quibus incauti, & male prouidi clientes, & disceptantes in tribunalibus (quos propter pertinaciam, & resistentiam in litigando, ferreos magis, quã carneos dici posse putauerim) linguis quasi malleis domãt, & torquent. Vt si quis fori iudicialis archetypum, & Hieroglyphicum quæ rat, non aliunde aptius quàm è fabrorum ferrariorum officinis desumi posse, existimem. In quibus neruosi, & robusti homines, plurimo cibo, & vino refecti, vt magis labori pares esse possint, grauissimis ictibus ferream massam ignitam conterunt, & tundunt ad lassitudinem in incude. Ita profectò accensos istos disceptandi ardore, & ferreos litigantes; ab epulis, & luxu, de quibus paulo supra loquebamur, turgidi, hinc Iudices, et Officiales, inde Causidici, et Tabelliones tamquam in incude tundunt; et nunc timoris ictibus verberant, mox malleũ attollentes in spem illos excitant, versantque tandiù inter spei, et metus contusiones, donec re tota familiari decocta, serò sentiant, solam sibi scoriam, & purgamenta è sua massa relicta esse.

Pilatus, idest, malleator.

S. Thom.

Litigãtes quasi ferrum ignitum causidici percutiunt.

7 Quòd si altius huius rei mysteriũ penetrare velimus, adeamus oportet Genes. cap. 4. ℣. 21. 22. vbi habetur quod primus malleator fuit Tubalcain *Tubalcain fuit malleator, & faber in cuncta opera æris, ac ferri. & nomen fratris eius Iubal: ipse fuit pater canentium cithara, & organo*. Et si Pilatus qui Iudex fuit, & Iudicum typus (vt diximus) *malleator* interpretatur, vt quid primus Malleator, siue Iudex dicitur frater Inuentoris Musicæ; nisi quia vel ab ipsius Mundi primordijs, etiam cum iudicia non fuerant constituta, diuina nos docere voluit sapientia, Iudicibus charissimos, & instar fratrum amabiles futuros eos, qui suauiorem nouerint Musicam inuenire blandientium adulationum, obsequiosarũ laudum quibus ambitiosorũ officialium aures demulcent? Vel eos Soni inuentores dicamus fratres esse Tubalcain Iudicis, qui obtusas alioqui, & surdas Officialium Curiæ aures, pecuniarũ tinnitu, argenteo, & aureo sonitu arrigere didicerint, & pulsare. hos loco fratrum habet Malleator, sed instar furis expilat. Quòd si meminissent Curiales, & Iudices, ex iniuncto

Genes.

Quænam musica causidicorũ aures delectet.

sibi officio, se teneri *regere populos in virga ferrea*, vt dicitur Psalm. 2. ℣. 9. i. in iustitia inflexibili, vt exponunt Sáct. Augustin. & Vgo Card. quæ Psal. 44. ℣. 7. appellatur *virga directionis* (quia dirigere debeat hominum mentes in iudicijs) intelligerẽt profectò non esse ferreum, & rigidum iuris robur remittendum, aut inflectendum, in alicuius obsequium, & fauorem. Cum tamen ipsi ferreas leges, candenti munerum auro, tamquam igne emollitas, ita malleo contundant, ac versent, nunc dilitantes, nunc coercentes verborum sensus, dicta Iuriscõsultorum ampliando, limitando, distinguendo, inducendo vt in quamcumq; voluerint formam, velut ductilem ceram durum illud legum ferrum, redigant; & iura recti, ac iusti normam, ac ferream illam virgam directionis, quam amat Deus in ijs, qui resto sunt corde incuruent; Quin & ex ipso nomine *Tubalcain*, quod ex D. Hieron. interpretatur *humana possessio*, conijcere possumus malleatores istos, idest, Iudices, plus iusto terrenarum rerum possessionem appetere, & reliquis rebus omnibus anteponere.

Psalm. *S. Aug.* *Vgo Car.* *Psalm.* *Causidici leges emolliunt, flectunt, & incuruãt.* *S. Hieron* *Causidici possessiones appetunt.*

8 Et insuper obseruandum, quòd non ipsi tantùmmodo Curiales, & Officiales, de quibus loquimur, in præcipiti versantur; sed iustis etiam, & probis viris perniciosum, & suspectum solet esse eorum contubernium, à quo quantum possunt admonentur se subducere, qui Deo famulari cupiunt, exemplo Petri Apostoli, quem cùm neque armati milites in horto terruissent, quin eorum vni auriculam absciderat; qui cæteris fugientibus discipulis Christum secutus est; qui audacter dixerat inter cœnandum paratum se pro illo mori; hunc intrepidum, & qui primus Apostolorum Christi diuinitatem pia confessione fuerat professus Matth. 16. ℣. 16. *Tu es Christus filius Dei viui*. Hunc inquam antea impensè pium, & amore feruentem, in atrio algentem sedere legimus, & præ timore à mulierculis, ostiarijs impium, & Christi defectorem redditum. Quare admirabundus exclamat Vgo Card. in c. 26. Matth. *Nota quòd Petrus semel intrauit Curiã, & ibi vigorẽ animi perdidit, & Christum negauit. quid si diù permansisset in Curia?* & quod animaduersione dignũ est non prius pœnituit, aut amarissimis lachrymis peccatum restinxit, quam foras egressus fuerit, & de concilio impiorum secesserit, ne in cathedra pestilentiæ sedens, adhuc fieret nocentior, vnde Matth. 26. ℣. 75. dicitur: *egressus foras fleuit amarè*; neque enim facile homines ibi lugent peccata, vbi diabolus multum præualet; *non fleuit Petrus in Prætorio Iudæorum, vbi difficilis est innocentia*, ait D. Ambros. in cap. 22. Luc. Quod etiam adnotans D. Thom. in Catena: *In atrio*, inquit, *Caiphæ non poterat agere pænitentiam, vnde foras egreditur de impiorum concilio vt pauida negationis sordes, amaris fletibus lauet*. vt explorato hoc exemplo admoneantur ij, qui his peccãdi periculis expositi, in hoc *pinnaculo* sedent; per egressum, & secessum à Curialibus negocijs ad pænitentiã esse recursum. Sẽsit hoc integerrimæ, & inculpatæ vitæ Paulus de Aretio; (cuius se consortio nobilitatum Clericorum Regularium noster ordo gloriatur) qui consideratis curiæ periculis, vltrò se officio Consiliariatus, quod Neapoli laudabiliter exercebat, abdicauit; & inter nostrates Clericos Regulares, tamquam in portum se recepit, licet postea à sanctissimo Pontifice Pio V. ad Eminentissimam Cardinalatus dignitatem, præter vota, euectus: Neapoli Præsul in Domino obdormiuerit; cuius vita, præclaræque actiones (ex sacræ Congregationis Rituum decreto) à Rotæ Romanæ Auditoribus discutiendæ, inuestigandæque traditæ, susceptæq; sunt. Sed vt à Paulo ad Petrũ reuertamur; manifestò eius negationem loco, in quo morabatur, ad scribendam notauit S. Ambros. loco citato: *Vbi negat Petrus? non in monte, non in templo,*

Causidicorum domus, & contuberniũ iustis officit. *Matth.* *Vgo Car.* *In Curia liũ dom peccata non deplorantur. Matth.* *In Curia difficlis innocẽtia. S. Ambr.* *S. Thom. Extra Curiam est pænitẽtia.* *Paulus de Aretio C.R. Consiliaratus muneri se abdicat.* *In Curia Deus negatur.* *S. Ambr.*

non in sua domo sed in Pretorio Iudeorum in domo Principis sacerdotum, ibi negat vbi veritas non est. in quibus postremis verbis videtur subindicari causa cur in Prætorio negauerit: quia non poterat fateri nosse se eum, qui dicit Ioan. 14. ℣. 6. *Ego sum via veritas, & vita:* vbi ignota est veritas; quæ ad Iudices raro ingreditur eliminata à maledictis, obtrectationibus, & calũnijs. Hinc Christo dicenti Io. 18. ℣. 72. *omnis qui est ex veritate audit vocem meam*; admirabundus dixit Pilatus: *Quid est veritas?* ignorant enim quid sit veritas sibi inuisa, qui in aulis, & Curijs versantur, destituti clarissimo eius splẽdore. Magi ab extremi Orientis plagis profecti, per tot Prouincias, ac Regna peregrinati, inter gentiles, ac barbaras nationes iter faciẽtes, nusquam præeuntis stellæ, fulgentissimo ductu caruerunt; sed cùm primum in Herodis Curiã sunt ingressi, remouet se stella à ductu, quia veritatẽ quærebant, vbi nõ est. i. in aula inter curiales *vbi est qui natus est Rex Iudaeorum?* &c. sed vix dum ab aula digressis, iterum clarissimo iubare stella micat: *& ecce stella, quam viderant, antecedebat eos, vsque dum veniens staret supra vbi erat puer* Matth. 2. ℣. 9. quia ad Christum tendentibus, in Curia dux deficit, & tamquam in tenebris ambulant, qui ad cælestis lucis radios oculos non extollunt; ideo Magi in Curia caruerunt stella, vt adnotarunt Beda, & Vgo Card. in 27. cap. Matth.

In Curia nõ est veritas.

Ioan.

Ioan.

Curiales, veritatis lumen nõ aspiciunt.

Matth.

9 Occurrit etiam pro eiusdem rei confirmatione, & vt constet liquidò quantum istiusmodi Officiales desiderio, & cogitatione à Christi, & verorũ eius sectatorum proposito absint, insignis locus apud Matth. narrauerat Euangelista aliquot miracula, & insignes curationes, quas mirabiliter (vt solebat) operatus fuerat Iesus; mundans vno verbo leprosum, sanitatem restituens puero Centurionis, à socru Petri febrim (solo contactu) dimittens, & à multis Dæmones solis verbis eijciens, quæ signa suspiciens vnus ex scribis, eius itinerum comitem se fore vltro pollicitus, ait illi cap. 8. ℣. 19. *Magister sequar te quocumque ieris:* promptam, & alacrem illi operã suam pollicetur, ideoque gratum à Domino responsum expectabat; *& dixit illi Iesus: vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput suũ reclinet.* Quærebat Christus discipulos sibi, Deo famulos conciliare, satagebat vt animas ad Deum conuerteret, in hoc se venisse dicebat, vt ijs opitularetur, quibus opus erat Medico. denique querebatur; quod messis quidem multa, operarij autem pauci; & tamen hunc scribam tam promptè, tam alacriter comitatum illi offerentem, non solùm nõ recipit, sed inexpectata responsione penè excludit. neque in expectata tantùm, sed etiam minimè opportuna vt videtur responsione, quid enim cum scribæ verbis, vulpes, aut aues habent? dixisset saltem, nolo vt me sequaris, vel ad sequelam admisisset. sed diuina sapientia non est ineptæ responsionis damnanda. Erat hic scriba Doctor in lege, solitus sedere *in pinnaculo*; auro, & lucris, quæ per signa à Christo edita se consecuturum sperabat, fraudolenti obsequij incommoda redempturus: propterea Christus optimè hac responsione animum eius reuelauit; nec ad illius verba, sed potius ad mentem respiciens, obiecit illi paupertatem suã *filius hominis non habet vbi caput reclinet.* qua audita, non amplius scribæ libuit illi comitem se præbere, cùm nec ea quidem commoda sperari à Christo posse intellexisset, quę bestijs nociuis, vt vulpibus, & solo naturæ ductu sustentatis, vt auibus non negantur. respexit ad hanc expositionem D. Hieron. apud D. Thom. in Caten. *ostendit,* inquit, *nobis & ob hoc scribam repudiatum, quòd signorum videns magnitudinem, sequi voluit Saluatorem, vt lucra ex operum miraculis quæreret;*

Matth.

Dolosam seruitutẽ Deo exhibent Curiales.

Curiales, virtutis prætextu pecunias quærunt.

S. Thom.

hoc

hoc idem desiderant, quod & Simon magus à Petro emere voluerat. Quod intelligens optimè Saluator, ab hac illum inani spe, significata sua paupertate remouit, dicens: *vulpes foueas habēt, & volucres cæli nidos &c. ac si dicat,* inquit S. Hieronym. *Quid me propter diuitias, & mundi lucra cupis sequi, cū tantæ sim paupertatis, vt nec hospitiolum quidem habeam, & tecto vtar non meo?* vt intelligeret scriba suorum commodorum, rerumque terrenarum studio addictos, minimè idoneos esse, vt Christi discipuli sint, à cuius institutis longè eorum studia, & cogitationes absunt, quare ita respondit, vt non apertè illum repelleret, sed per paupertatis tolerantiam inter suos illi locum fore innueret; nam, vt addit D. Thom. ex Chrysost. *hoc non erat auertentis, sed arguentis quidem malum consilium, concedentis autem si vellet cum paupertatis expectatione sequelā. & vt discas eius malitiam audiens hoc & correctus, non dixit, paratus sum sequi.* vnde non mirum quòd Causidici etiam audita clientium tenuitate, eorum causas minimè suscipiant. Iudices etiam, & officiales aureas tantum oues libenter tondeant, pauperes, viduas, pupillos, qui nec foueas habent, nec nidos in summa egestate, deserant, vt propterea illos Deus per Isai. cap. 1. ℣. 23. infideles appellauerit: *Principes,* idest, *Iudices* (quo nomine omnes eos, qui iura administrant complectitur) *tui, infideles, socij furum.*

S. Hieron

S. Thom.

Causidici paupertatē fugiunt

Isai.

10 Neque prætereundum, quòd scribam hunc fallacem, quamuis tacitè, *vulpem, & volucrem* appellauit, illius rapacitatem, & elationem taxans; vtpotè cuius præcordia iniquarum cupiditatum latebræ factæ erant, & elatarum cogitationum receptaculum. vnde D. Augustin. de verb. Domin. *Vulpes,* ait, *habent foueas in corde tuo, quia dolosus es; volatilia cæli habent nidos in corde tuo, quia elatus es; dolosus, & elatus non me sequeris.* eodem prorsus modo hunc locum exposuit S. Gregor. 19. moral. cap. 1. *vulpes,* inquit, *fraudolenta sunt animalia, quæ in fossis, vel specubus se abscondunt, cùmq; apparuerint, numquam rectis itineribus, sed tortuosis anfractibus currunt. Volucres verò vt nouimus alto volatu se in aerem subleuant. Nomine ergo vulpium dolosa, atque fraudolenta; nomine volucrum, hæc eadem superba dæmonia designātur. ac si dicat: dolosa, & fraudolenta dæmonia in corde vestro, idest, in cogitatione superbiæ inueniunt habitationem: filius autem hominis &c.* quæ vulpium, & volucrum allegoria, optimè Officialibus, Iudicibus, & Curialibus quadrat; ipsi enim qui iustitiā præseferunt, animalia rapacia sunt; vt in ijs locum habeat opinio Stoicorum relata à Seneca epist. 113. Iustitiam animal esse dicentium.

Curialis dolosus, & elatus Christum non sequitur.

S. Aug.

Cor Causidici dæmonis habitaculū.

S. Greg.

Senec.

11 Constituens Iacob Dan Iudicem, sicut in aliorum filiorum benedictionibus multa (reuelāte Dei spiritu) præuidit, ac prædixit; ita Dan, qui futurus erat Iudex, vt eius nomen indicat, benedicens, pleraque tangit ex ijs, quæ Curialibus in suis muneribus exercendis, maximè solēt esse exitialia, & plerasque Iudicum qualitates expresit, propter quas, hæc *pinnaculi* sedes, non tam expetenda, quàm fugienda esse videatur. Verba sancti Patriarchæ in quibus longè ventura enunciat sunt Genes. 49. ℣. 15. *Dan iudicabit populum suum sicut & alia Tribus Israel. Fiat Dan coluber in via, Cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro. Salutare tuum expectabo Domine.* præter ea, quæ in hac scriptura alibi annotauimus, obseruādum est, quod ait Isidorus, quem citat gloss. Doctorum Duacens; quod aliqui per hæc verba putant prædici Antechristum de Tribu Dā futurum, vt ex D. Gregor. 31. moral. cap. 18. refert Lippom. in Caten. Genes. 49. & Rupert. Abb. lib. 9. in Genes. cap. 32. quod expresè dixit D. Ambros. de benedict. Patriarch. cap. 7. & Theodoret. in Genes. Alij verò de Iuda prodi-

Genes.

Isidor.

S. Greg.

Rupert.
S. Ambr.

tore

Dan, Iudex, Iudę proditoris, & Antichristi figura.

tore hæc vaticinata affirmant, vt refert idē Lippo. ex eodē Isidor. in quorum grauissimorū PP. dictis, oportet animaduertere quarū personarū typū, & figurā dicat scriptura gerere Dā Iudicem, iniquissimi .s. proditoris, qui acceptis argenteis, iustitiam vænundatus est; & impijssimi humani generis hostis. Dan Iudex, significat Iudam, qui *fur erat, & loculos habens* Ioan. 12. ℣. 6. & Antichristum, iustorum conculcatorem, eleuatorem impiorū. Iudam, cui omnia erant vænalia: & Antichristum, qui per iniustitiam regnabit; propterea D. Ambros. loco mox allegato Iudicis dolos ex ijs reuelat, quæ de Dan dicta fuerunt. *Sæuus*, inquit, *Iudex, & tyrannus immanis iudicabit populum suum, tamquam serpens in via sedens, deijcere tentabit eos, qui viam ambulant veritatis, supplantare cupiens veritatem; hoc enim est mordere equi calcaneum, vt veneni suffusione equus saucius, & vulneratus dente serpentis leuet calcaneum.* Sæuitiam primo, & immanitatem in ijs erga miseros, & afflictos taxat, vt non tam à iure dicendo Iudices, quàm à violenta potentia Tyrannos dici debere intelligamus, ideo Iudices quorum Genes. 49. ℣. 5. Iacob detestatur concilium, sub personis *Simeon, & Leui*, quamuis in vulgata dicantur *vasa iniquitatis bellantia* propter emulationes; Lippomanus tamen interpretatur; *Vasa iniquitatis, seù violentia*; quę iniquè vim afferant legibus vt ad suū propositum eas extendant; & ita quemadmodum Principes, si per vim imperium velint inuadere, tyrāni fiūt, sic qui iuris dicēdi potestate in subditorum contumeliā, & damnū abutuntur, in tyrannidē degenerant. subdit Ambr. *sedens tamquam serpens in via*, insidiantur enim incautis, quo eos facilius decipiant, & ad litigia prouocent; vt hic locum habeat paræmia vetus: *latet anguis in herba*, super quam dum securus incedit viator, incautè latentis aspidis dente sauciatur. Et quod *sedere* dicat, vel

S. Ambr.

Iudex tyrannus.

Genes.

Ambr.

Causidici insidiosi.

ad officium Iudicis exprimendum apponitur: vel quia Iudices sedendo, & quiescendo insidias struant in quo eorum conditio melior est conditione publicorum prædonum, qui vt viatores expilent, vitam maximis exponunt periculis; isti verò securi, & quieti in aliorum bona, & famam grassantur. Vnde additur quod *deijcere tentat eos, qui viam ambulant veritatis*. sæpè enim contingit, vt duo competitores ad idem munus adspirent, quorum alter viam veritatis ambulat; iste facile æmuli insidijs cadit, & prosternitur, nequicquam meritis suis cōfidens; aut viam veritatis ambulantes, idest, ipsam Iustitiam, quam custodire deberent, deijciunt, sæuo dente vulnerantes; qua loquendi forma vsus etiam fuit Gratian. 1. quæst. 3. *Cito vulneratur auro iustitia, nullamque reus culpam pertimescit, quam redimere numis existimat*. Postremo dicebat D. Ambros. quod equi calcaneum venenato dente inficere conantur, quod est minima quæque & infima competitoris vitia, & labes obtrectando mordere, vt eo prostrato per occulti veneni suffusionem, corruat ascensor, & qui pedum, & operum suorum pernicitate præponendus erat, insidiatoris veneno infectus, langueat, nec gratiam in Curia inueniat. Neq; suo mysterio carēt posteriora Patriarchæ verba; qui cum alijs filijs multa à Deo bona tēporalia, vel spiritualia precatus fuisset, Iudę victoriam de hostibus, *manus*, inquit, *tua super dorsum inimicorum tuorum*. Zabulon prosperum successum in maritimis negociationibus; *iuxta mare habitabit, & pertādet vsque ad Sidonem*; huic fruges terrę, alteri benedictionem de cælo; benedicturus, & precaturus Dan qui Iudex fuerat constitutus, tantummodo illis verbis vtitur; *Salutare tuum expectabo Domine*. siue vt legūt LXX. *salutem tuam*; vel vt Chaldæus: *Saluationem tuam expectabo &c.* quasi Iudicis deplorata salus, non possit sine speciali Dei fauore, & auxilio ser-

Veritatē Iudex reijcit.

Aurum, iustitiam vulnerat. Grat.

Venenum est apud Curiales.

Causidicorum salus difficilis.

uari

uari; propterea hoc se filio *in isto pinnaculo* posito, & in hac cathedra sedenti, asserit præstolari.

Eccle.

12 Multa de varijs rerum humanarum euentis, quæ assidua cogitatione lustrauerat, aperit Ecclesiastes, & præsertim cap. 9. vbi ex ijs, quæ in hac vita contingunt, non posse certum argumentum duci adstruit, *Num quis amore, an odio dignus sit*; pro cuius rei demostratione multa adducit; sed præsertim ℣. 11. habet hæc verba: *Verti me*, inquit, *ad aliud, & vidi sub Sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum diuitias, &c.* vt omittamus varias huius loci mysticas expositiones, allatas à D. Hierony. Carthus. & alijs; putauit Lyranus admoneri his homines incertitudinis bonorum fortuitorū, quæ potius à casu, quàm humana dispositione pendere videātur. admonet enim eos, qui se alicuius vitæ instituto addixerunt, illudque neruis omnibus, & viribus vrgent, ne ita humanis rebus, & consilijs suis confidant, quin aliquando frustrari vota sua posse credant; vt enim omnia humana incerta sunt, ita sæpissime, nostris optatis euentus non respondent; nam *nec velocium est cursus*, quando ij, qui pedum pernicitati confidunt, in stadio deficiunt, nec metas attingunt; *nec fortium bellum*, quando strenuis fortissimisque viris bellum vnde victoriam sperabant affert exitium. de quibus. Iuuenal. satyr. 10.

Illustratur Salomon. Lyran.

Iuuen.

—— *viribus ille*
Confisus perijt, admirādisq; lacertis.

Addit: *nec sapientium panis*, quia altissima contemplantibus, quæ vera sapientia est, non vacat, ex agricultura victum sibi parare. vnde Hor. epist. 12. lib. 1.

Miramur si Democriti pecus edit agellos
Cultaq; dum peregrè est animus sine corpore velox?

Quod Ecclesiastis dictum exponens D. Hierony. *non est*, inquit, *sapientibus panis: quotidie multorū probatur exemplo, qui cum sapientissimi sint, necessarijs indigent.* hos quidem omnes euentus plurimum à Fortuna præter humanam opinionem variari, vetera tempora testantur; sed quamobrem neget Doctorum esse diuitias, propter harum rerum disparitatem, nulla probabilis prima facie videtur ratio reddi posse. Lyranus hoc dictum putat, quod Philosophi apud Gentiles contempserint diuitias, vt patet de Socrate, Diogene, & pluribus alijs. cui expositioni non benè adaptari possunt ea verba, *sed tempus, casusque in omnibus*; quibus verbis significatur rerum vicissitudines casui imputandas: nam Gentiles illi Philosophi, non casu, & fortuitò; sed electione diuitias, spreuerunt. & certè si quæsita laboribus præmia plerumque in casum cadere volebat his verbis sapiens significare, potius dicere debuit: *nec Doctorum scientiam*, aut *doctrinam*, quas illi dotes muneri suo explendo necessarias, quærere in primis & sectari debēt: sed ad rē nostrā benè *diuitias* dicit *nō esse doctorū*, seu vt vertit Pagnin. *Rectorū*, quia Officiales, & Ministri illas ita auidè consectantur, sicuti veloces victoriam in cursu, & fortes in bello; ita isti habendi studio toto se animo addicunt; rationum, & redditiuum libros, diligentius, & maiori cum cura quam Iurisconsultorum responsa expendentes; vt merito doctorum vitam in diuitijs magis cogendis, quàm scientia cōparāda occupari significet Ecclesiastes. In quo illud obseruandum ex eorum ignorantia iuris, grauissimos sæpè errores oriri; cùm in ijs, qui iudicare debent, scientiam in primis requisierit Moyses Deut. cap. 1. ℣. 12. *date ex vobis viros sapientes, & gnaros, &c. vt ponam eos iudices in vobis.* ideo erudiri eos iubet Deus Psalm. 2. ℣. 10. qui iudicaturi sunt terram *erudimini qui iudicatis terram* vbi optimè legit Cyprian. lib. 3. *emendamini*, vt ante actos errores ipsimet, qui ab alijs iudi-

Sapientes in egestate.

Lyran.

Causidici diuitias appetunt.

Scientia necessaria curialib.

Deuter.

Psalm.

Cyprian.

S. Hieron

cari non possunt, corrigant. Addit psaltes ℣. 12. *apprehendite doctrinam*, ex versione chaldaic. vt abiecta terrenorum cogitatione discant cælestia sectari; sic enim fiet, vt neque in humanis iudicijs à via iusta, & recta pereant, aut aberrent, & in templi pinnaculo constituti, ruinam minimè formident.

Sacer tex.

Iterum assumpsit eum Diabolus in montem excelsum valde, &c.

CAP. V.

Ecclesiastici viri gloriam mũdi debent despicere.

1 NON vacant mysterio, etiam minima, quæ in hac historia gesta narrantur, sicut & reliqua facta Saluatoris. Quid est quod diabolus, dum ad omnia regna muudi, & ad gloriam eorum concupiscendam inducere Christum vellet, eum de templi pinnaculo ad montem excelsum ducit, vnde illi mundanas opes, & cuncta in eis spectabilia demostraret? Matth. 4. ℣. 8 *Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me*. cum maximè posset tentator, ex ipsomet templi pinnaculo, hæc eadem ostendere, sicque allicere ad concupiscendum; erat enim Hierusalem in editiore totius Iudææ monte, vnde qui in Hierusalẽ proficiscebantur, ascendebant; sic enim dicitur Luc. 2. ℣. 4. *ascendit Ioseph à Galilæa* &c. & quoniam templum Domini in monte Moria constructum, & monte Sion, & alijs circunstantibus collibus eminebat, ideo ex superiori templi parte, idest, *pinnaculo* ad remotissima prospectus esse poterat; non igitur necessarium erat de templi pinnaculo descendere, vnde commodius, quàm ex alicuius montis vertice, mundi regna poterant Christo demostrari, & præcipuè, si expositioni illorum adhæreamus, qui hanc ostensionem non realem & veram, sed imaginariam fuisse contendunt, fieri enim non poterat, vt mons adeò excelsus reperiretur, ex quo cuncta mundi regna cõspici possent. Verùm, quia omnis Christi actio nostra est instructio, & quod gestum est in capite futurum erat in corpore; ideo possumus conijcere, quod voluerit Christus in hac tentatione ostendere, quomodo præcipuè Ecclesiastici, & Ecclesiarum præsules erant tentandi, iuxta Apostol. ad Heb. 4 ℣. 15. *habemus Pontificem tentatum per omnia pro similitudine sed absque peccato*. Contẽplare quæso mecum hominem quempiam è deserto, idest, vili & inculta progenie oriundum, egenum, de quo non *esuriijt*, sed *esurit* dici possit, ad *sanctam Ciuitatem* ascendere, idest Romam, quæ sancta dicitur, proficisci; ibi modico temporis spatio *supra pinnaculum templi* ponitur, ad ecclesiastica regimina vocatur, de quo dictum videtur illud Isai. 16. ℣. 1. *Dominatorem terræ de petra deserti ad montem filiæ Sion*, in quo iam deberet cõquiescere, suo muneri vacare, animarum curæ, & saluti vigili studio incumbere, commissas sibi oues verbo, & exemplo pascere. Sed humanæ mentis insatiabilitatem secutus, & prioris suæ cõditionis oblitus, non contentus templi pinnaculo, posthabita animarum cura, illud tantùm cogitat, quo pacto temporalia bona, mundanos honores sibi suisque comparet; mundanum fastum præsefert, & ad pompas cuncta sua ordinat. Quod quantùm à veri Pastoris munere distet Apost. Paul. ostendit ad Hebr. 5. ℣. 1. *omnis Pontifex*, inquit,

Hierusalem in alto collocata.

Luc.

Hebr.

Assũptio abiecti hominis ad honores.

Isai.

Ecclesiasticus mũdi quærẽs diuitias.

Hebr.

Diuina quærat Ecclesiasticus.

quit, *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum.* si instar Christi, assumptus es in sanctam ciuitatem, *& statutus supra pinnaculum templi*, scias, ac memineris, quòd *ex hominibus assumptus es, & pro hominibus constitutus*, non pro ijs, neque in ijs, quæ mundi sunt, sed *in ijs quæ sunt ad Deum*, nimirum *vt offeras dona, ac sacrificia pro peccatis, & condolere possis ijs, qui ignorant, & errant.* peccata, & peccatores corrigere, curare, docere, & Deum sacrificijs, & orationibus placare, non rebus temporalibus inexplebili auiditate inhiare. Lyran. *ex hominibus*, inquit, *assumptus, idest, ex communi statu hominum super alios eleuatus, & quia non debet quærere proprium commodum, sed subditorum salutem, ideo sequitur, pro hominibus constituitur; & quia non instituitur, vt præsit in temporalibus, sed magis in spiritualibus, ideo subditur, in his, quæ sunt ad Deum, idest, in spiritualibus, & diuinis.* & Theodoret. in illud Exod. 39. ℣. 2. *fecit igitur, & superhumerale de auro hyacintho, & purpura* &c. inquit. *Quare & tunica sacerdotis Aaron aerij coloris fuit? hyacinthinus enim erat, vt hoc colore conspecto, mentem in cælestia subleuaret.* qua de re vide etiam tradita à Pier. Valer. lib. 40. §. Ilithia, qui similiter huc transfert hunc sacerdotalis vestis colorem.

Lyran.

Theodor.

Mens Ecclesiastici sit cælestis

Pier.

2 Vt autem appareat, quàm indecorum, & turpe sit, eum qui in Ecclesiastica est dignitate ad mundi regna, & gloriam cogitatione, & desiderio recurrere, & diabolo regna mundi ostendenti assentiri, expedit ponderare Euangelici huius tentatoris versutiam. Obseruat diabolus sẽper locum, tempus, & occasionem tentandi opportunam. Dum Christus in sancta ciuitate degeret, supra pinnaculum constitutus, nõ proponit ei diabolus mundi regna, & gloriam eorum, sed extra sancta loca illum abducit: *inde assumpsit eum in montem excelsum*, vbi oblitum sui muneris facilius capere, & tentando decipere posset. qui enim ecclesiæ regimini se meminit præpositũ, & ad gloriam Dei augendam constitutum, proprijs lucris renunciare, suæ ac consanguineorum exaltationi minimè debet studere. nihilominus videmus aliquos non vereri opere adimplere id, ad quod diabolus ne tentando quidẽ auderet illos impellere, qui regnorũ cupiditatẽ Christo in pinnaculo constituto, quasi erubuit proponere; ideo dum supra templi pinnaculum erat Christus cõstitutus, mundi regna, & gloriã eorum non ostendit, neque ad possidendum ea allicit, sed extra templum ducit *& seorsim* in montem excelsum, vt locus tentationi esset opportunus.

Horret dæmon, Ecclesiæ prælatis, mũdi gloriã suadere.

3 Obserua præterea tentatoris artem. vult ieiunantem Dominum de gula tentare, petit vt lapides in panem vertat: *dic vt lapides isti panes fiant*; addit tamen: *si filius Dei es*; hoc enim solius Dei erat proprium, petit etiam vt de templi pinnaculo det se præcipitem, vt si incolumis euasisset, Deum illum esse iure intelligeret, ideo dicit: *si filius* Dei es, *mitte te deorsum*; nunc verò in postrema tentatione, *ostendens ei omnia regna mundi, & gloriam eorum.* non dicit sicut in cæteris: *si filius Dei es*; ratio diuersitatis est. quamuis enim summoperè malignus, nouerat tamen, Dei filium Ecclesiæ Põtificem, non debere regna, & gloriam eorum attendere, ideo non dicit: *si filius Dei es, hæc omnia tibi dabo*, nimirum omnia regna mundi, & gloriam eorum; si enim Dei filio pontifici, & ministro oblata fuissent omnia regna mundi, respondisset vtique illud Ioan. 18. ℣. 36 *regnum meum non est ex hoc mundo*; si gloria, & honores eorum, dixisset ex Ioan. 8. ℣. 50. *ego gloriam meam non quæro.*

Sãctorum non est mundi regna, & gloriam quærere.

Ioan.

Ioan.

4 Eadẽ pastorũ cura erga diuini cultus propagationẽ, & diuinæ gloriæ augumentum colligitur ex solutione cuiusdam dubij, quod hoc loco pro-

poni

Dei gloriam non suã quærant præpositi Ecclesiæ.

poni solet. nõ repugnauit Christus, dũ diabolus ill nunc in desertũ (ex quorundam expositione) duceret, nunc ad tẽpli pinnaculum assumeret, in quibus omnibus diaboli conatibus, illius insolentiam, & impudẽtiam sustinuit; sed cur in tertia tentatione, *hæc omnia tibi dabo, si cadẽs adoraueris me*, illum acriter reprehensum, & contumelia affectum repulit, dicens: *vade satana*? Respondet S. Thom. hoc loco *Nota*, inquit, *quod Christus audierat multas iniurias, sed non curauit; sed hoc, si cadens adoraueris me, non sustinuit; quia prima cedebant ad iniuriam sui, sed hoc ad iniuriã Dei*. Vnde etiam Chrysost. *iniuria propria toleranda est, iniuriam Dei dissimulare nimis est impium, & ideo dicit, vade retro, scilicet in infernum* 2. Reg. 19 *zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum suum filij Israel*. hæc Chrysost. cui adstipulatur etiam Sãct. Hieronym. aduers. Vigilant. *iniuriam meam*, inquit, *patienter fero, iniuriam autem Dei ferre non possum*. ex quo patet ad Dei, non ad sui gloriam, & commodum præfici homines in Ecclesia Dei, neque ad ea conquirenda, quibus propriam personam, familiam, aut consanguineos augere, & extollere possunt.

S. Thom.

S. Chrys.

S. Hieron

5 Quo tempóre inter Philistæos, & Israelitas frequentes conflictus succedebant, vt 1. Reg. 4. habetur; populus Israel[illegible] sit in Silo tulitq; inde Arcam Domini, vt ad castra conducerẽt: *erantq;* ait scriptura, *duo filij Heli cum Arca fœderis Dei, Ophni, & Phinees*; horum pater erat Heli Sacerdos, & Pontifex Domini. accidit vt pugnantibus Philistæis, cæsus sit Israel, & Arca Dei capta. ℣. 10. 11. *cæsus est Israel &c. & Arca Dei capta est. duo quoq; filij Heli mortui sũt Ophni, & Phinees*; expectabat anxius Heli audire pugnæ exitum, *sedebat super sellam, contra viam spectans*; neque illum de filiorum fortitudine audire paternus affectus stimulabat, neque de illorum exitio suspensus erat; *sed erat*, inquit tex. *cor eius pauens pro Arca Dei*. non tam pro filijs, & de filijs timebat, quàm pauebat pro Arca Dei, vt optimus Dei Sacerdos, ne ab alienigenis, & idolatris caperetur, & contemneretur, propterea Lyran. *erat*, inquit, *cor eius pauens pro arca Domini magis quàm pro filijs suis*; idque probauit euentus, nam cum nuncium mortis filiorum. æquo animo tulisset, audita Arcæ iactura, de sella retrorsum corruit, vnde ℣. 18. *cumque ille nominasset Arcam Dei, cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est*. non dolore filiorum prostratus, quorum necem interritus audiuerat; pro iactura Arcę consternatus, corpore ad terram prolapso, animã reddidit; vt quo tempore Philisthym Arcam possidebant, & ludibrio habebant; ipse corpus animæ Arcam, & domicilũ, sepulchri ignominijs derelinqueret. Confirmat id quod dicimus Ioseph. Hebr. lib. 5. antiquit. cap. 16. vbi adductam historiam referens inquit: *De summa perditione formidantes Hebræi, miserunt ad seniores, atque Pontifices, vt Arcam Dei adferrent, ignorantes, quòd maior esset Arca, ille, qui calamitatem eis inferre decreuerat, & Pontificis filij, quibus præceperat pater, vt si capta Arca viuere voluissent, ad eius faciem non venirent*. magis eligẽs proprios filios ad necem quasi impellere, quàm Dei arcam captam audire.

1. Reg.

Præsuli solicitudo de Ecclesia magis quàm de proprijs.

Lyran.

Heli supra filiorum mortem sentit Arcæ capturam.

Ioseph Hebr.

6 Non absimilis est historia, quã legimus Exod. 32. ex qua perspicue cernitur, quòd non tantùm cognatis fauere debent Ecclesiastici, sed etiam ipsos reprehensionibus, & pœnis mulctare si delinquant. peccauerat grauiter, Dei maiestate læsa, populus Israeliticus in adorátione aurei conflatilis vituli: quod cum rescisset Moyses dixit ad populum ℣. 26. *Si quis est Domini, iungatur mihi: congregatiq; sunt ad eum omnes filij Leui*, qui de ordine erant Leuitarum, *quibus ait; hæc dicit Dominus Deus Israel: ponat vir gladiũ*

Exod.

Sãctiores suos euã cædũt, vt Deo pareant.

super fæmur suum, ite, & redite de porta vsque ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum. Feceruntque filij Leui iuxta sermonem Moysi, cecideruntque in die illa quasi viginti tria millia hominum. circa quæ scribens S. Ambros. epist. 56. ad Romulum inquit: *sanctiora cæteris ad hoc munus eliguntur ministeria Leuitarum, quorum portio Deus: nesciunt enim suis parcere, qui nihil suum norunt:* ex inordinato igitur affectu erga res proprias fit, vt plerique suis parcant, & studeant; quorum si Deus portio esset, suos flagellis mallent cædere, quàm opibus euehere; quòd qui faciunt, clarè ostendunt, quòd non Deus, sed mundus ipsorũ portio est.

S. Ambr.

7 Primo Paralipom. 6. fusius genealogia Leuitarum recensetur, inter cæteros autem Iohanam commemoratur his verbis ℣. 10. *Iohanam genuit Azariam; ipse est, qui sacerdotio functus est in domo, quam ædificauit Salomon in Hierusalem;* in alijs sacerdotibus recensendis omittit eorum opera, laudibusque ea minimè prosequitur eo loco scriptura: quid igitur mirum operatus est iste Iohanam, quod inter cæteros sacerdotes, & templi ministros specialiter sic laudatur? nec .n. magnũ est, aut nouum sacerdotem in templo, sacerdotio fungi, ita vt hoc omitti non posset. nonne alij etiam sacerdotes, & templi illius ministri sua munera, redeuntibus vicibus, exercuerunt? cur ergo de ipso tantùm nominatim exprimitur, *hic est qui sacerdotio functus est in domo &c.* numquid alij hoc neglexerunt? minimè, hoc enim narraret scriptura. soluit dubium Raban. dicens: *Iohanam specialiter laudatur, quia viriliter restitit Oziæ Regi per se sacrificare volenti, & constantia animi, & zelo legis expleuit officiũ sacerdotis.* idem ergo importat, *sacerdotis officio fungi,* & Regem impedire, ne templi ministerijs, rebusque Ecclesiasticis se admoueret. omittunt ergo munus sacerdotis, qui non solùm non prohibent, sed ipsi vltro sæculares ad Ecclesiastica bona possidenda, & administranda tamquam propria inuitãt; si enim Iohanam, Regi illud postulanti annuisset, sperare poterat maiores honores, propinquorum exaltationem, & nepotum gloriam, sed ipse nihil horum curans, fortiter, & animosè Regi restitit; etiam si suorum exilium, & exterminium iuste formidare posset; quę tamen nõ expauit, quia in templo veri sacerdotis officio fungi statuerat; neque ad regna mundi, & gloriam eorum mentem conuerterat.

1. Paralip.

Sacerdotes Ecclesiastici non sæcularibus, laudatur.

Raban.

Sacerdos esse desinit, qui ad res Ecclesiasticas admittit sæculares

8 Animarum ergo lucra tantùm, non bona, redditus, possessiones curet Ecclesiasticus quisquis est. exemplo Saluatoris nostri hoc docemur. dum Matthæi ad Apostolatum vocationem consideramus. erat Matthæus diues valdè, sedebat lucro studens in Telonio Matth. 9. ℣. 9. *Cum transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi; sequere me.* quam vocationis formulam ponderans S. Chrysol. serm. 28. *dixit,* ait, *veni sequere me, non dixit affer ad me, quia Matthæum, non Matthæi sacculos requirebat;* & post pauca subdit: *itaque Christus quod Matthæum vocat, non est illa pecuniæ ratio, sed est ratio tota virtutis.* sit Christus Dominus exemplo Episcopis, sit Ecclesiasticis omnibus, præcipuè regularibus, ne in procurãda animarum salute, magis pecuniarum quæstum, quam fidelium profectum spectent; proponantque inæstimabilem animarum mercem, vili opum emolumento animas tantum quærant. discãt non pecuniarũ sacculos nummis, sed conscientias peccatis esse euacuandas. meminerint in summa non in ijs, quæ sunt ad se, sed *in ij, quæ sunt ad Deum* ipsos fuisse constitutos dicant fidelibus *sequere me,* non *affer ad me*. propterea Christus suis iter facientibus peram adimit, & sacculos. Luc. 10. ℣ 4 *nolite portare sacculum, neque peram;*

Animarũ lucra, non temporalia curet sacerdos. Matth.

S. Chrys.

Christus, Matthæũ non Matthæi bona ad se trahit.

Cupidi Ecclesiastici arguuntur.

Luc.

Pier. quæ Theologi ait Pier. Valer. lib. 4. *trãsferunt ad impedimenta humanæ vitæ, quæ animũ alioqui paratũ ad disciplinas interturbãt.* impedimẽta vitę merito appellãtur, quæ tẽdẽtes ad cæleſtẽ patriã ſuo pondere remorantur. ſubdit Pier. *eodẽ facit & ſacculus, quẽ habere non licet, hoc eſt in hac peregrinatione minime theſaurizandum eſſe. Quod ibi apertius: facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt*, hæc cum cunctis fidelibus, tum in primis Apoſtolis, Eccleſiaſticis, & prædicatoribus, & ſeminatoribus Diuini Verbi præcipiuntur.

9 Idipſum idem S. Chryſol. iterũ explicat ſerm. 88. in illud Luc. 1. *Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita eſt deprecatio tua, & vxor tua Eliſabeth pariet tibi filium.* videbatur hic Pontifex, in templo orans, incenſum adolens, non cõmiſſi ſibi populi commodum, & vtilitatem ſpectare, ſed ad domeſticas ſuas res, earumq; propagationem reſpicere; inquit ergo Chryſol. *putas ne ſacerdos tantus, ſic eſt populi, ſic vniuerſitatis oblitus, vt de conceptu veteranæ coniugis, de partu deſperatæ ſterilis rogaret; vt ſibi ſoli, legatus omnium tunc adeſſet; vt aduocatus omnium, pro ſe ſingulariter oraret; vt tantum pontificatus officium intra domeſticas arctaret curas; inter familiares clauderet, & occuparet anguſtias, & incenſum totius plebis, in ſolum deſiderium proprij pignoris addiceret veteranus Antiſtes?* nefas de ſancto Præſule hoc ſuſpicari, ſubdit. *abſit fratres, abſit, vt hoc de ſancto Zacharia fidelis anima ſuſpicetur;* qui enim ſuorum commodorum oblitus, Meſſiam, eiuſque præcurſorem ad ſui populi, totiuſque orbis ſalutem venturum precabatur, diuinam gloriam priuatis vtilitatibus præferebat. vnde idem Chryſol. addit: *Quam ſacerdos ergo iſte iam ſui neſcius, iam ſibi mortuus, extraneus coniugi, ſoboli iam negatus egerit, omnibus impetrarit, mox Angelo referente diſcamus; & multi in natiuitate eius gaudebunt. non eſt vni genitus, qui eſt cunctorum generatus ad gaudium.* & vt Angelus dixit ad Zachariam, *multos filiorum Iſrael conuertet ad Dominum Deum ipſorum &c. vt conuertat corda patrũ in filios, & incredulos ad prudentiam iuſtorum parare domino plebem perfectam.* Neq; obſtat quod dixit Angelus Zachariæ: *pariet tibi filium*, quaſi illi tantùm hic partus ſit profuturus, ſignificat enim *pariet tibi*, ideſt, ex te; *tibi* igitur *filium pariet*, omnibus Prophetam; imò vt Matth. 11. dicitur *plusquam prophetã:* Meſſiæ præcurſorem Ioann. 5. ℣. 75. *ille erat lucerna ardens, & lucens ante dominum.* quæ merito Hebræis in nocte ignorantiæ caligantibus præluxit, quouſque verus iuſtitiæ ſol apparuit. Erat cæleſtis preco. Ioann. 1. *ego vox clamantis in deſerto.* Cũctis terris fuit Angelus, ita enim ore Angelico prænunciatus fuit Malach. 3. ℣. 1. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. & ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum dominator quem vos quæritis.* Hanc prolem meretur optimus ſacerdos cui neſcius ſibi mortuus pro omnibus orans.

Luc.

Chryſol.

Zacharias Dei gloriam, non ſuam vtilitatẽ à Deo poſtulat.

Sacerdos ſui neſcius, ſibiq; mortuus ſit.

Matth.

Ioan.

Ioan.

Malach.

10 Quàm alieni à rebus mundi comparãdis eſſe debeant Sacerdotes, & Eccleſiaſtici Deo conſecrati, oſtendit perpulchrę hiſtoria, quæ narratur Ierem. 32. ℣. 6. *Factum eſt verbum Domini ad me dicens: ecce Hanameel filius Sellum patruelis tuus, veniet ad te dicens: eme tibi agrum eum, qui eſt in Anathoth: tibi enim cõpetit ex propinquitate, vt emas. & venit ad me Hanameel filius patrui mei ſecundum verbum Domini ad veſtibulum carceris* (detruſus enim in carcere eo tempore ob verbi Dei prædicationem detinebatur Ieremias.) *& ait ad me poſſide agrum meum, qui eſt in Anathoth in terra Beniamin: quia tibi competit hæreditas, & tu propinquus es, vt poſſideas. intellexi autem, quod verbũ Domini eſſet, & emi agrum &c.* erat enim in veteri lege ſancitum, ne poſſeſſiones ſacerdotum de vna Tribu,

Ierem.

Sacerdotum poſſeſſiones propinquioribus vendebãtur in veteri lege.

aut

S. Hieron. aut familia, ad aliam tribum, aut familiam transirent; sed proximior in gradu ex eorundē sacerdotū ordine acciperet. vnde S. Hieronym. *erat*, inquit, *locus in Anathoth de suburbanis, quæ sacerdotibus per singulas tribus, & Ciuitates dabātur ex lege. nec licitum erat possessionē de tribu transire ad tribum, nec de familia ad aliam familiam; præcipueque suburbana sacerdotum nulli alij poterant vænundari, vsque ad annum remissionis: nisi ei, quem propinquitas sanguinis expetebat. venit ergo ad eum patruelis frater suus, & offert emptionem quæ illi ex propinquitate debetur.* si iuxta legis præscriptum agri illius emptio Ieremiæ Prophetæ competebat, quid est quod Ieremias moras ducit in emendo; Dei reuelationem expectat; diuino insuper præcepto quasi adigendus est ad agri emptionem? hoc.n. de la ant ea verba: *factum est verbum Domini ad me* &c. *intellexi autem quod verbum* Domini *esset, & emi agrum.* Erat Ieremias ex sacerdotum genere, Propheta insuper ad corripiendos hominum mores destinatus. Ierem. 1. ✠. 9. 10. *ecce dedi verba mea in ore tuo. ecce constitui te super gentes & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas & dissipes, & ædifices & plantes.* reputabat secum proinde Propheta sanctus, quam indecorum sit, populisque scandalosum, & quantum Diuini verbi prædicationi afferat detrimentum, si Ecclesiastici nimiam curam in emendis possessionibus, & ampliandis opibus ponere videantur. in titulis, gradibus, honoribus sibi suisque comparandis; ideo quamuis lege permittente hoc facere posset, expectauit nihilominus Dei oraculum, ac præceptum: *intellexi quòd verbum Domini esset, & emi agrum*; sed qualē agrum, aut quo prætio? *& appendi*, inquit, *ei argentum septem stateres, & decem argenteos*, idest vt exponit Sanct. Hieronym. *decem & septem siclis. siclus autem viginti habet obolos, vt in Ezechiel. extremo volumine scribitur*. nimirum cap. 45. ✠. 12. non oppida, aut magnas vrbes, ingenti prætio empturus erat, sed prædiolū modica pecunia. & tamen scrupulosè anxius, & deliberandus Propheta, speciale Dei mandatum expectat. vnde Sanct. Petr. Damian. lib. 4. epist. 12. *ecce* inquit. *quàm exilis, quā paruulus ager ille fuisse perpenditur, vt decem dumtaxat argenteis, & septem stateribus emeretur, & tamen super eū, verbum* Domini *ad se factum Propheta testatur.* & Sanct. Hieronym. in hunc locum *intellexi inquit verbum* Domini *esse, & emptionem meam, argumento, & vaticinio Domini cooptandam, & ideo acquieui præcepto eius, vt emerem*, non debent igitur qui alijs regendis exemplo, & doctrina instruendis præficiuntur in dominijs, & opibus cumulādis tātopere insudare: sed potius cogitare, quòd magni nō in sæculo, sed coram Domino esse possunt, si quæ animarum saluti deseruiunt, fecerint, & docuerint. fuit hæc pulcherrima obseruatio Sanct. Thom. in Catena Luc. 1. ibi: *erit magnus coram Domino* &c. *multos filiorum Israel conuertet ad Dominum* &c. *non fines alicuius*, ait Sanct. Thom. ex Ambr. *propagauit Imperij, non triumphos bellici certaminis reportauit; sed quod est amplius, prædicans in deserto, delicias hominum, corporisque lasciuiam, magna animi virtute depressit.* hæc prædicatio proficit: hæc exempla instruunt.

Ieremias qui Propheta, Dei reuelationem expectat vt agrum emat.

Ierem.

Quàm sit indecorū Ecclesiasticos opes augere.

Nec minimas possessiones sine Dei mandato emunt Ecclesiastici S. Hieron.

S. Petr. Damasc.

S. Hieron.

Ecclesiastici fiant magni nō opum, sed virtutum augmētis. S. Thom.

S. Hieron.

11 Idem Sanct. Hierony. in illud 2. Paralip. 1. *dixitq;* Salomon Deo &c. *da mihi sapientiam & intelligentiam, vt ingrediar, & egrediar coram populo meo* &c. quæstion. in 2. Paralip. inquit, *non aurum, non diuitias, non terrenam gloriam à Deo petit, sed vt sciat populum* Dei *regere, & iudicare. si hoc elegit rector corporum, multo magis hoc eligere debent rectores animarum, vt ingressum ad fidem, & egressum ad spem populo Dei demonstrent*, sed quonam modo efficere hoc possunt, vt alios doceāt fidem, & spem in Deum,

Rectores animarū lucra temporalia non quærant.

qui

Annui Ecclesiæ prouentus ad Dei gloriã, & in pauperum vsũ erogandi. Caut.

qui coaceruandis auro, & diuitijs student, & coram tentatore cadunt, vt oblata regna ab eo accipiant? Aurum, diuitias, & terrenã gloriam non appetit, qui annuos Ecclesiæ prouentus, non in suum, & suorum commodum conuertit; sed ad Dei gloriam, ad Ecclesiæ splendorem, & pauperum curam, cuiusmodi fuit qui dicebat Cãt. 7. ℣. 13. *mandragora dederunt odorem suum. in portis nostris omnia poma noua, & vetera dilecte mi seruaui tibi.* nam sic iungendi sunt hi versus secundum nostrum Ghisler. per mandragoras odorem dantes, tempus messis, & collectionis fructuum exprimitur Genes 30 ℣. 14. *egressus autem Ruben tempore messis triticeæ in agrum, reperit mandragoras.* non enim alio tempore in Mesopotamia reperiebantur. per *poma* verò omnis generis fructus intelliguntur. sensus ergo est, quòd verus Ecclesiæ Prælatus dicit Deo: iam tempus aduenit quo fructus vineæ, idest, Ecclesiæ meæ colligam, non mihi, & meis percipiendos; nam etiam perceptos hoc est *vetera seruaui tibi dilecte mi, tibi*, idest, Ecclesiæ tuæ, *tibi*, idest, pauperibus; sub quibus te pasco potius, quàm meos familiares ditem.

Illustratur Salomon. P. Ghisl.

Genes.

Genes.


Propinquis non seruanda bona Ecclesiæ.

Sacer text.

Iterum assumpsit eum Diabolus in montẽ excelsum valde, &c.

CAP. VI.

Reprehenduntur (si qui sunt) Ecclesiastici, qui ad regna mundi, & ad gloriam eorũ animum conuertunt.

1 
DIXIMVS de ijs, qui iuxta Apostolum *ex hominibus assumpti pro hominibus cõstituuntur in his, quæ sunt ad Deum*; qui nimirum iuxta Euangelium, quod præ manibus habemus, supra templi pinnaculum constituti, nequaquam patiuntur duci se ad montem vnde regna mundi, & gloriam eorum respiciant: nũc ij reuelandi sũt, qui à templo ad concupiscenda, & cõquirenda regna mundi gradiuntur; qui quamuis in his, quæ sũt ad Deum constituti fuerint, tamen opus Dei negligenter tractantes, potius ea, quæ sũt ad se, & ad suos tractant: eiusmodi est illud hominum genus, qui vbi proprij emolumenti spes non affulgeat, etiam in ijs quæ Dei Gloriam respiciunt, desides sunt; neque erubescunt cessante lucro, ab egregijs operibus cessare. tũc verò festini manus admouent rebus, cùm vnde manus impleant copia suppetit. Isai. 6. ℣. 8. anxius erat Deus de inueniendo, & diligẽdo aliquo quem tãquã præconem mitteret: *quem mittam, & quis ibit nobis?* adeo ne diuinorum ministrorum numerus decreuit, vt qui mittendus sit nullus occurrat? adeo ne omnes, alijs impediti negocijs, renuunt Deo suo ministerium, vt vnus tantùm Isaias Illud offerat dicens: *ecce ego; mitte me.* non ne honorificum hoc futurum erat diuinæ legationis munere fungi, ex qua plurimũ Dei gloria esset amplificanda? vtique, sed nullum promittebatur ei qui mittendus erat emolumentum; ex ijs erat, quæ sunt ad Deum, non ad se. pondera vt hoc percipias ipsiusmet Dei verba; non enim dixit: *quis ibit*, sed *quis ibit nobis?* nimirum pro totius Trinitatis, & omnium personarum gloria; ideo dicit *nobis*, quasi dicat, pro nostro honore. Quòd si dixisset *quis ibit sibi*, nõ defuissent innumeri operam suam offerentes; cùm maximus sit eorum numerus, qui sua malunt, quàm quæ Dei sunt curare. & isti Dei non sunt. audi ad hoc propositum S. Chrysol. serm. 142. exponentem verba illa Luc. 1. *Concipies, & paries filium &c. non dixit*, inquit, *tibi, dixit tuum. Quare?* quia *sanctum vocabitur filius Dei.*

Non facilè inueniuntur qui quæ ad Dei gloriam sunt tractent. Isai.

Illustratur Isaias

S. Chrys.

Deo consecratus, Dei, non suus est.

quia

quia ergo *sanctum*, nõ tibi, quæ enim Dei sunt, & sancta, non tibi, sed Deo sunt, non ad tuum commodum, sed ad Dei honorem data, & ordinata sunt, qui ergo Deo sacri, & ad diuinum cultum mancipati sunt, sciant non sibi datos, & natos, non ad suum cõmodum, & consanguineorum vtilitatem Ecclesiastica demandata ministeria, sed ad Dei laudem, & gloriam. *suum* est munus, & dignitas, quia ipsi committitur exercitium; sed non *sibi*, sed Deo cedere debet ad gloriam, & honorem id quod sunt, & operantur.

Refugit Isaias tristia annũtiare.

2 Quin neq; adeo promptus ad offerendum Deo postulanti ministerium suum fuisset Isaias, si tristia sibi populo annuncianda præsciuisset; ideo vana spe delusus, cogitauit lætũ aliquid, & plausibile esse id cui prædicando destinabatur, alioquin tardior forsitan fuisset. in hanc sententiã scribit Sanct. Hieron. in expositione illius loci: *putat*, inquit, *Isaias se bonum nunciaturum, & ideo dicit mitte me; & ideo se vltro offert; sed quia audiuit dic populo huic aure audietis, & non intelligetis, &c. excæca cor populi huius, & aures eius aggraua &c. cùm postea dicatur sibi clama: non statim clamat, sed interrogat, quid clamabo?* audiens aerumnas esse prædicendas populo, frigescit in illo ardor eundi, moras ducit, & interrogatiunculis differt implere, quod obtulerat, si fortè posset subterfugere; quia solent homines lentè ea exequi vnde nullum prouenturum sit lucrum, imò potius popularisũ mæstitia. Idem Ieremiæ exemplo confirmat Sanct. Hieronym. inquiens: *Ieremias quoque cui dictum est cap. 25. accipe calicem, & propinabis ad omnes gentes; libenter accipit suppliciorum calicem, vt aduersarijs gentibus propinaret; cum autem audit, primo propinabis Hierusalem; respondit: decepisti me Domine*. erga gentem suã beneuolus, alacriter gentilibus aduersa obtulisset; sed cùm illa suis primum audit communicanda, oblati ministerij vix non illum pænituit. vnde idem Sanct. Hierony. in adducta verba Prophetæ cap. 25. ℣. 15. ex Ieremiæ persona sic loquitur: *putabam quod solis gentibus calicem propinarem* (erat enim ipse ex Hebræis, qui lege, institutis, & voluntate gentibus aduersabantur) *& ideo me huic ministerio lætus obtuleram; sed inter cæteras gentes, imo ante cæteras propinaui Hierusalem, & Ciuitatibus Iuda, & Regibus eius, & Principibus, vt darem eos in stuporem, & in solitudinem, & in sibilum, & in maledictionem; sicut & præsenti probatur exemplo; vnde dicit & supra: seduxisti me Domine & seductus sum, inuoluisti, & potuisti*. vide quantus sit amor aliquorum Ecclesiasticorum in suos.

S. Hieron

Lentè exequimur quod lucrum non affert.

S. Hieron

Amor Ecclesiasticorũ in propinquos.

S. Hieron

3 Inter cætera, quæ ad Dei cultum restituendum facta à Iosia commemorantur 4. Reg. 23. ℣. 10. dicitur: *Contaminauit quoque Topheth, quod est in valle filij Ennom: vt nemo consecraret filium suum, aut filiam per ignem, Moloch*. erat Moloch idolum Ammonitarum: dicit autem gloss. eo loco ad mẽtem Hebræorum, quod *Idolum Moloch fuit habens caput vituli, & manus hominis extentas, atque paratas ad suscipiendum*. per imaginem vituli sacerdotes denotari omnes patres consentiunt; sic Arnob. in Psalm. 67. S. Greg. 1. Reg. 6. 14. 16. & homil. 37. & quando dicitur Psalm. 21. ℣. 13. *circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederũt me*; de sacerdotibus Iudæorunt intelligi dicit, contra Christum in passione insurgentibus; idem docet S. Hieronym. proem. in Euangel. Matth. & reliqui passim. imo omnes Ecclesiastici, & diuini verbi ministri per boues denotantur, secundum sententiam Apostoli, qui illud Deutor. 25. ℣. 4. *non alligabis os Boui trituranti*, ministris Ecclesiæ accomodat. 1. ad Corinth. 9. ℣. 9. *numquid de Bobus cura est Deo? an propter nos vtique dicitur: nam propter nos scripta sunt; quoniam debet in spe qui arat arare, & qui triturat spe sua fructum percipere*. de his

4. Reg.

Gloss.

Vitulus, sacerdotis typus.

Arnob. S. Greg. Psalm.

S. Hieron

Corinth.

dici

Zach.

dici potest illud Zach. 11. ℣. 17. *ò pastor, & idolum derelinquens gregem*; Caput habet vituli, quia Ecclesiæ Dei minister est; sed vnde ei *manus extentæ, & paratæ ad suscipiendum*? monstrum est in natura, humanas manus in esse vitulo, cui vngulas, manuum vice tradidit natura; quem ad iugum, & laborem subeundum fecit. quo itaque pacto manus paratas ad suscipiendum nactus est? *non alligandum* dicimus *os Boui trituranti*, quia vt dicit idē Paul. 1. Corinth. 9. ℣. 13. *qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt, & qui altari deseruiunt, cum altari participant*. sed manus quæ ad auri, & pecuniarum coaceruationem extenduntur alligandæ sunt; vnde subdit statim Zachar. *gladius super brachium, & super oculum dextrum eius; brachiū eius ariditate siccabitur, & oculus eius dexter tenebrescens obscurabitur*. scindet Dominus brachium, & manus tuas, quibus commissarum tibi ouium non tam lanam tōdes, quàm cutem deglubis, quibus prouentus Ecclesiasticos ad tuum commodum rapis, & auide congeris *extentas manus habens, & paratas ad suscipiendum*. cōtractas autem ad adiuuandum, & subueniēdum Ecclesiæ, & pauperibus. & *oculus* quo diligentissimè quid accipias circumspicis, & consideras, *tenebrescens obscurabitur*. in furibus enim æquè circumspecti esse solēt oculus, & manus Cic. 6. Verr. *infurando oculis suis, manibus illorum vtebatur*, præbent sibi alternas operas oculus, & manus in rapina. Nisi & hoc alio modo exponere velimus. *Oculus dexter* Ecclesiastici viri qui nomine tenus Ecclesiasticus est (re vero ipsa sæcularis) est nepos ille, de quo multo magis est sollicitus, quàm si filius esset, pro quo laborat, desudat, & totus est in acquirendis, & augendis illi opibus, & honoribus, huic cuncta sua chara destinat, huic nobilem vxorem cum ampla dote procurat; hic inquam est *dexter oculus*, qui & vulgo dicitur *l'occhio destro* vel: *non vede per altro occhio*, ad ostendēdum summum amoris affectum. hic *dexter oculus tenebrescens obscuratur*, cùm prolem ex eo Deus denegat; vel subita morte interceptus occumbit, nullo relicto stipite, familiaq; extincta, & obtenebrata; cuius honori, splendori, & gloriæ auunculus desudauerat; & quem domus suæ *brachium* nominat, italicè: *il braccio dritto di mia casa*; vel *mi è vna mano dritta*, idest, in eo omnes spes meas repositas, & sitas habeo; hic nepos vitæ virore priuatur, ideo dicitur *brachium eius ariditate siccabitur*. Vel dicamus quod quemadmodum lucidus, & perspicax oculus, mentis etiam aciem acutè peruadentem denotat; ita tenebricola oculorum acies insipientiam mentis designat. Quos igitur nepotes auunculi rebus gerendis, & subditorum regimini instar oculorum præficiunt, isti obscurantur, & cum dedecore tenebrescunt; in quo Deus Ecclesiasticorum superbiam retundit, qui cum nepotes perspicaces esse desiderent, fit plerumque vt omnium euadant stupidissimi.

Qui sacerdotes manus extendunt ad rapinam.

1. Corint.

Manus, & oculos diripientium bona Ecclesiæ destruit Deus.

Cicer.

Oculus dexter, & brachium Ecclesiasticorum aliquorū sunt nepotes.

Nepotes Ecclesiasticorum destruuntur.

4 Contemplemur etiam istiusmodi hominum (qui in templi pinnaculo constituti, ad omnia regna mūdi, & gloriam eorum mentem conuersam habent) mores, egregiè à psalte delineatos Psalm 78. cuius titulus est: *psalmus Asaph*, idest, vt exponit Vgo Cardin. *psalmus congregationis, idest, Ecclesia, quæ propriè dici potest Asaph, idest congregatio, nihil enim aliud est Ecclesia, quàm congregatio fidelium*. Quid autem conqueratur, & tāquam miserandum deploret Ecclesia, in ipso Psalmi initio aperitur: *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerūt templum sāctum tuum, posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam*. quo loco Vgo Cardin. (à quo maximè huius loci expositionem desumimus) *venerunt*, inquit, *quasi dicat ingesserūt se, veniunt non vocati: cùm potius vocati trahi deberent. Gentes, idest gigantes, Prælati; siue quicumque Canonici*,

Vgo Car. Asaph, idest, congregatio, siue Ecclesia.

Psalm.

Vgo Car.

Conditio aliquorū Ecclesiasticorum exprimitur.

aut Clerici: gentiliter secundum legem Machometi in delicijs, in luxurijs, in idolatria auaritiæ viuentes, in hereditatem tuam, idest, in Ecclesiam, quam multo labore, & effusione sanguinis acquisiuit. qui in Ecclesia Dei eiusmodi sunt, hæreditatem Dei, quæ est Ecclesia, suam facere student; hi sunt de quibus dictum fuit Psalm. 82. ℣. 13. *qui dixerunt hereditate possideamus sanctuarium Dei. subijciamus*, nimirum, *nobis* exponit Vgo. *sanctuarium Dei, idest, Ecclesiam*; vel vt interpretatur P. Agell. noster; *templum ipsum acquiramus nobis. Hebræum autem verbum etiam caulas significat*; ouium scilicet, quæ pastoribus Ecclesiæ traduntur in regimen, & custodiam, non in rapinam, & perpetuam suam, & suorum possessionem: quod importatur per ly *hereditate possideamus*, idest, vt docte interpretatus subdit Agell. *quasi hereditario iure ad nos pertinentem terram firma possessione transmittamus ad posteros: hec enim duo complectitur hereditate possidere, primum vt possideatur quasi hereditario iure, deinde vt firma possessio relinquatur heredibus.*

Qui Ecclesiam Dei suam & suorū faciunt, vt ditentur.
Psalm.
P. Agell.

5 Pergit Propheta ea explicare, quæ præter antedicta huiusmodi Ecclesiastici fecerint, quorum mores describimus: *polluerūt templum sanctum tuum*, haud dubium quin per *tēplum sanctum* Ecclesia intelligēda sit, quam Prælati Ecclesiastici *polluerūt*, cùm Ecclesiasticos redditus & prouētus, non in ipsarum Ecclesiarum reparationem, ornatum, & cultum, sed ad suum, & suorum commodum impenderunt. polluta itaque dicuntur sacra templa, quorum parietes squallent, & vix non ruunt; quorum pauimenta immunda; quorum suppellectilia, & sacræ vestes laceræ sordescunt. Vel si hoc ad mores malis trahere, cum Vgone Cardin. *polluerunt Ecclesiam male intrando, & male ibi viuendo: Ierem. 2 ℣. 6. ingressi contaminastis terram meam, & hereditatem meam posuistis in abominationem*; quæ omnia sacerdotum, & Ecclesiasticorum in diuinis negligentiæ, & ad rem familiarem cumulandam studio tribuenda, & imputanda esse subditur ℣. 7 *sacerdotes non dixerunt vbi est Dominus.* quasi dicat: non est mirandum quod tot mala in Ecclesiam inruant, cùm nec ipsi sacerdotes, *quorum* vt ait S. Thom: *est ducere in Deum*, me quæsierint, aut de me cogitauerint: *neque* (vt ait Chrysost.) *de me sunt locuti.* vias, ceremonias, & præcepta mea, nec ipsi curauerunt, nec alios docuerunt. *& tenentes legem, nescierunt me*; quo pacto legem Dei scire, Canones, Theologiam, Sacramq; scripturam addiscere possunt; qui dies noctesq; non scientiarum studijs tribuūt; sed conscribendis libris negociationum, ac expensarum summa expēdenda, assiduo vacant? & quod ab his superest tempus, delitijs tribuunt? *Et pastores præuaricati sunt in me.* munus enim suum, nequaquam executi sunt; sed pro grege sibi commisso, seipsos, propriamque familiam saginarunt. *& propheta prophetauerunt in Baal*, quod interpretatur *idolum*, aut dominans: ea tñ loquuntur, quæ ei qui dominatur, Principi inquam sæculari, quem tamquam idolum venerantur, & colunt, grata fore coniectant; vnde vota sua impleant, & quæ mundi sunt accipiāt, negligētes quæ Dei sunt. si quæ oriatur controuersia legis, aut iurisdictionis, non tam veritatem, & Deum in ea dirimenda sibi ob oculos ponunt, quàm Principis mētem; & sic ex *Baal*, & in *Baal* loquuntur & *prophetant*, & *idola secuti sunt* mente, doctrina, & corporalibus etiā, ac officiosis obsequijs, sæcularibus Principibus ministeria exhibentes, & in aulis eorū cōmorantes.

Polluunt Ecclesias qui bona eius diripiunt.
Vgo Car. Polluunt Ecclesiā qui malè viuūt Ecclesiastici
Ier.
S. Thom. Sacerdotū est ad Deū ducere. S. Chrys.
Peruersi Ecclesiæ Prælati describuntur.

6 Si qui inueniuntur huius generis Prælati a Propheta Ieremia descripti; de his dici potest, quod in allegato Psalm. 78. subdebat Dauid: *posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam. Hierusalem Ecclesia* (vt exponit Vgo Cardin.) per *poma* autem vineæ, &

Psalm. Per poma omnes fructus intelliguntur.

poma-

pomaria, omnis generis fructus intelliguntur, iuxta illud Iob. 9. ℣. 26. *sicut naues poma*, idest, *fructus portantes*; & Cantic. 7. ℣. 15. *omnia poma noua, & vetera seruaui tibi, &c.* idest, omnes fructus. est ergo sensus, *posuerunt Ecclesiam in custodiam fructuum*. quid autem est Ecclesiã poni in custodiam fructuum, ac pomorum, nisi eatenus prælaturas, & munera Ecclesiastica retinere, quatenus vberes eorum fructus, & prouentus pericpiant? vt propterea tandiù, ad hoc vigilent, ac resideant in Ecclesia, quousque fructus colligant. quod accommodatè ad rem nostram exponit Vgo Cardin. *quia*, inquit, *sicut arbores pomi custodiuntur dum in eis sunt poma matura, & collectis pomis relinquuntur; ita Ecclesiæ, tempore messium, & vinearum custodiuntur à curatis, vt decimas colligãt, sed collectis illis derelinquunt eas*. sua tantum curantes.

Iob. Cant. Illustratur Dauid

Vberes Prouentus aliqui curãt in Ecclesiis, nõ lucra animarum.

Vgo Car.

7 De istis sermo est Cantic. 8. ℣. 12. *vinea fuit pacifico*, idest, Christus, qui est Rex pacificus, habuit vineam, idest, Ecclesiam. *tradidit eam custodibus*, idest, Prælatis, Rectoribus. Cassiodorus, & Beda obseruant iure Ecclesiarũ Rectores *Custodes* potius quàm colonos vineæ appellari, non enim doctrina, & exemplis excolunt Ecclesiæ spiritualem vineam; sed materialem custodiunt vineam, & agros ex quibus prouentus, & census exigant. Isaias quoque id ipsum vaticinatur cap. 1. ℣. 8. *& derelinquetur filia Sion, vt vmbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario*. ad quem locum Interlin. *filia Sion*, idest, *templum, relinquetur quasi tugurium, quod ablato fructu custodes vacuum relinquunt*. Et pressius Lyran. *vmbraculum in vinea derelinquitur à custode, ipsius vindemia collecta; quia non habitat ibi vltra; & sicut tugurium in cucumerario derelinquitur à custode cucumeribus collectis*. Et Procop. *est verò derelictionis absolutæ signum, desertum vineæ tẽtorium. quandiù enim fructus habet vinea, à custode habitatur tentoriũ, iis collectis derelinquitur*. nomẽ custodis cum illorũ nomine congruit, qui speculatores in Ecclesia appellantur, hoc enim significat Episcopus; isti ad Ecclesiã assumuntur, & supra templi pinnaculum, vt inde proximorum saluti, & incolumitati vacent; qua neglecta, ad regna, & ad gloriam eorum possidendam (si fieri possit) contendunt ascendere. ex quo fit, vt cùm graui, & deploranda Christi animarum iactura id eueniat, quod narratur in eodem Psalmo a Dauide: *posuerunt morticina seruorum tuorum, escas volatilibus cæli, carnes Sanctorum tuorum bestiis terræ*, idest, ex expositione Vgon. Cardin. *animas subditorum gladio peccati occisas, escas Dæmonibus, qui in aere volitant, quærentes quem deuorent. occidunt animas Clerici, & Sacerdotes, qui locum seruorum Dei tenent; sed tamen Diabolo seruiunt; & effuderunt sanguinem eorum &c.*

Cant.

Cassiod. Beda. Prælati aliqui custodes rerum temporalium non animarum. Isai.

Interlin. Relinquitur à nõnullis Prælatis Ecclesiis sine fructu tẽporali. Lyran.

Procop.

Vgo Car.

8 Non est prætereundus in hac speculatione locus ille Ierem. cap. 2. ℣. 34. *in alis tuis*, inquit, *inuentus est sanguis animarum pauperum, & innocentum*; dirigitur hic sermo Domini ad eum, cui animarum cura tributa est, ad Ecclesiarum prælatum, in cuius *alis* dicitur. *inuentus sanguis animarũ pauperum*. In sensu litteræ, similitudinẽ sumit Propheta ex voracibus auibus, quæ raptu victitant, veluti Aquila, Accipiter, Miluus, quæ dum discerpunt, & manducant prædam, non solùm os, & rostrum, sed pennas etiam, ac alas sanguine cruentant. his similis hic dicitur malus Prælatus, qui dum animarum curam negligit, permittit diabolo, qui 1. Petr. 5. *circuit quærens quem deuoret*, vt æterna morte oues occidat. cùm verò Prælatus sua culpa hoc fecerit, tunc *in illius alis inuentus* dicitur *sanguis animarum*, & dum de redditibus Ecclesiæ eleemosynas pauperibus non elargitur, & pauperes pereunt, instar occisoris est iuxta decantatum illud: *si non pauisti, occidisti*. &

Ierem.

Malus Prælatus voracibus auibus similis.

1. Petr.

Occidit qui nõ pauit, cùm opus est.

Senec. Senec. in prouerb. *qui succurrere pereunti potest, cum non succurrit, occidit.* ideo *in alis tuis inuentus est sanguis animarum pauperum*. Addit: *& innocentum*, quos sub delicti prætextu inquirit, & spolia, quę sudore, & sanguine comparauerat, sibi arrogat. Sanctes Pagnin. per *alas*, intelligit *vestes*, vnde vertit ex Hebr. *in oris vestimentorum tuorum.* Vatabl. *in veste tua.* Septuaginta non in singulari *sanguis*, sed in plurali legunt *sanguines inuenti sunt*, videlicet, Christi Domini, vt dicitur Act. 20. ℣. 24. *attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Et sanguines Sanctorum. Apoc. 18. ℣. 24. *& in ea sanguis Prophetarũ, & Sãctorum inuentus est, & omnium, qui interfecti sunt in terra.* Et sanguines subditorum, quorum bona diripiunt Ezech. 34. ℣. 3. *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: lac comedatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis*, idest, vndecumque commoda, & vtilitates, quas poteratis ex ouibus corradebatis; & propterea hi sunt *sanguines inuenti in vestimentis tuis*: ò Præsul Ecclesiæ: nõ *in ore* tantùm, idest, in superfluis ciborum copijs, & immoderato vẽtris cultu, sed etiam *in vestimentis tuis* pretiosis, quibus vteris, & tapetibus, & aulæis, quibus parietes ad ornatum circum vestiuntur, in aureis, & argenteis vasis ad vilia etiam ministeria deseruientibus; cùm contra in Ecclesia sanctissimum, & venerabile Christi Domini corpus parum decore asseruetur: *& in vestimentis tuis inuenti sunt sanguines*, idest, in rebus superfluis, & voluptuosis, in villarum nimio, & sumptuoso ornatu, in nemorum, & Vrbanorum ædificiorum splendido apparatu, in fontibus deducendis, non aquarum, sed sanguinum Dei, animarum, & pauperum non salientium in vitam æternã, sed in æternam mortem defluentium scaturigines inueniuntur.

Innocẽtes noxij iudicantur à cupidis.

Pagn. Per alas, vestes intelligitur Vatabl. Sept.

Actor.

Apoc.

Ezech.

Sãguines Dei, Sanctorũ, & subditorũ in ore, & vestibus prælatorũ

9 Est & alia metaphora sub alarum nomine comprehensa. datæ sunt alæ auibus à natura ad volandum, & ad extollendum se è terra, atque in alto collocandum. erit ergo sensus verborum Ieremiæ, quòd Prælatus, de Ecclesiæ cẽsibus, & fructibus, quos *sanguines* Christi, Sanctorum, & pauperum esse diximus, non solùm os coinquinat, magis quàm deceat, ad ingluuiem ijs vtendo; sed & *alas* quoq; ijsdem sanguinibus fœdatas habet, vnde Regia Isidor. & Vatabl. *quin & sub alis tuis*, idest, præter os, etiam *in alis*, & *sub alis*. Quia verò diximus alas subleuationis, seù elationis esse typum, quod ijs auium corpora in altum extollantur, non erit incongruum per *alas* intelligere dignitates, & honores, quibus supra cæteros extolluntur, & in alto, eminentiq; loco collocantur, iuxta sententiam D. Greg. lib. 33. Moral. *Diabolus dicitur iumentum, Draco, & Auis; humanum genus tribus vitijs valde tentat; in eis igitur quos ad luxuriam, iumentum est; ad nocendi malitiam, draco; ad superbiam auis est*, quo qui se crimine commaculant, in illis *sanguis, & sanguines animarum pauperum, & inocentum inuenti sunt*; quia faciunt sibi gradum ad honores, & dignitates elargiendo magnatibus, potentatibus, & aulicis Principum bona Ecclesiæ, & pauperum, & per hæc ad prælationis culmina pertingunt, & eleuantur. Consonat versio L x x. Interpr. qui pro *alis*, legunt *in manibus*, pro eodem sumentes manus, & alas; quasi ex manibus præbentibus, & porrigentibus, alæ nascantur, & acquirantur dignitates. Vel ideo *in manibus sanguines animarum pauperum*, quia diripiunt bona aliorum, quæ sanguines sunt, sanguine, & sudore conquisita; ideo bona, alter sanguis hominis dicuntur. postremo pro eodem sumuntur manus, & alæ, quia nonnulli dignitatibus, & officijs vtuntur pro manibus, quasi ad hoc sibi data sint regimina, vt aliorum spolia, & diuitias

Reg. Isid. Vatabl.

Dignitates aliquorũ sanguine Christi Sanctorũ, & subditorum plenæ sunt. S. Greg.

Sept. Interp. Alæ pro manibus acceptæ.

Cupidi, aliorum sanguinẽ sugunt.

Aliqui, dignitatibus, pro manibus vtuntur.

rapiant, sed de huius Ieremię loci pon deratione satis; pergimus ad alia.

10 Præcessit rei huius figura in Dauide adhuc iuuene, qui ouium cu stos existens, oues ipsas deserens ad Saulis Regiam profectus, mundanis cæpit honoribus studere, vnde dicitur 1. Reg. 16. ℣. 20. *tulit itaque Isai asinũ plenum panibus, & lagenam vini, & hædum de capris vnum, & misit per manum Dauid filij sui, Sauli: & venit Dauid ad Saul, & stetit coram eo; at ille dilexit eum nimis, & factus est eius armiger.* & cap. 27. ℣. 20. *surrexit itaque Dauid mane, & commendauit gregem custodi; & onustus abijt.* typus hic Dauid gerebat Prælatorum, quorum munus est pascere greges animarum sibi commissos, & propterea supra templi pinnaculum cōstituuntur. isti honorum, & bonorum desiderio illecti gregem derelinquunt, Regiam petunt, vbi honores dispensantur, pergunt autem quantum meritis vacui, & destituti, tantundem onusti muneribus. *onustus abijt*; non enim aliter itur, neque aliter emitur fauor, & gratia Principum; *onustus abijt*; bona Ecclesiæ, fructus ouium deferunt, quibus aulicorum gratiam demereantur, quæ cum impenderint, & consumpserint, minimè redeunt onusti, sed potius dehonestati; fraudati enim suis desiderijs reuertuntur; ita enim Dauid oblatis Sauli, & aulicis eius muneribus, quæ attulerat 1. Reg. 17. ℣. 15. *abijt, & reuersus est à Saul, vt pasceret gregem* hic est, vt plurimum Principũ ritus, & ambientiũ sors, vt consumptis, & elargitis quæ ad curiam detulerunt prætensores, vacui ad propria redeant.

1. Reg.

Pastor gregẽ derelinquẽs Regiam petit.

Aulicus admittitur bonis temporalibus onustus.

Consũptis donis, reuertuntur aulici.

1. Reg.

11 Et benè dicitur, quòd *factus est armiger eius*, & ℣. 23. *Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu sua & refocillabatur Saul, & leuius habebat*, hæc duo munera armigeri, & citharædi, quę adeo dissidere inter se videntur, vna iunguntur in aula: *factus est armiger, & tollebat citharam.* armigeri enim sunt aulici, quia etiam malè gesta Principum suorum, quibus deseruiũt, defendunt, & pro illis propugnant; vel quia bellum adoriuntur contra reliquos prætensores cum quibus iugis pugna est, & conflictus, si non armorum & manuũ, saltem animorum, & voluntatum, quibus de concilianda sibi Principis gratia digladiantur, de primatu, & honoribus. Præterea cithara personant, idest, adulationibus Principem mulcent, & blandis obsequiosisque, palpationibus eius gratiam inire contendunt; *Princeps enim facile*, vt apud D. Cyprian. dicit Auctor de operib. Cardinal. *assentatorum can ticis porrigit aures, & laudatorum mo dulationibus delectatur*; & hinc iurgia illa, & rixæ in aulis; cum & Dauidi a cæteris aulicis obiectum fuerit ℣. 28. *Quare venisti, & quare reliquisti paucu las illas oues in deserto? ego noui superbiam tuam &c.* statim in iniurias prorumpũt. sed nota quòd ij, quorum figuram gerebat Dauid, errantes in deserto, feris expositas relinquunt oues (vbi nemo est qui regat, & verbo Dei populum pascat) *reliquisti paucu las illas oues in deserto.* Nota etiam, cùm primùm potentium domos ingrediuntur aulici, dicunt cum Dauide, ℣. 26. *Quid dabitur viro?* Dei gloriam, bonum Ecclesiæ regimen, subditorum salutem minimè attendunt; *supra templi pinnaculum* constituti, templi custodiã negligunt; sed *ad regna* (si possibile est) *& ad gloriam eorũ* peruenire, omnis illorũ cura est, ideo anxie quærunt *quid dabitur viro?* Videor mihi sub his vocibus audire loquentes eos qui circa Ecclesiasticos redditus nego ciãtur, perquirẽtes; Quãtũ illa Ecclesia reddit? & ille Episcopatus vberior est; & illius Abbatia quot aureorum red ditu taxatur? *Quid dabitur viro?* Quid detur tantum perquirunt, hi sunt sermones, quos assiduè in ore habent aulici ambitiosi, et cupidi tandem cum Gigante Goliath viribus robustissimo, potentissimo ferro onusto (qui huiusmodi sunt) bellum ire non formidant,

Aulicus, armiger, & citharedus, & quare.

Aulicorũ pugna

Aulicorum adulationes.

S. Cypr.

Rixæ inter aulicos.

Lucra quærunt aulici, nõ salutem animarũ.

Dauidis exemplo; si quis enim inter Principis familiares sit potentissimus, & in maxima gratia, onustusque non ferro, sed auro quem erogat semper, cum hoc congredi audet aulicus ambiens, vt illum deijciat, seque extollat.

12 Hos iustè Dominus Ioan. 10. ℣. 12. mercenarios vocat, distinguens eos à veris pastoribus, quorum omnis cura ad Dei gloriam, & animarum salutem dirigitur: *mercenarius*, inquit, *& qui non est pastor, & cuius non sunt oues propriæ, &c.* nequit esse pastor, qui est quæstuosus, & mercenarius, qui lucra tantum quærit temporalia, vt enim ait S. Thom. in sua Caten. ex Greg. *sunt nonnulli, qui dum plus terrenam substantiam, quàm oues diligunt, merito nomen pastoris perdunt: non enim pastor, sed mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oues Dominicas, sed ad temporales mercedes pascit:* & post pauca: *in eo quod ouibus praest, non oues diligit, sed lucrum terrenum quærit;* ac si dicat, qui in pinnaculo templi constitutus ad regna mundi adspirat, non pastor est, sed quæstor, quia *ad eum non pertinet de ouibus*, sed de bobus, de mercatura, & prouentibus ampliãdis, quia mercenarius est, idest, ita se gerit circa crediras eius custostiæ oues, ac si ad eum de ijs minimè pertineret. Auersatur summopere istos Deus, ita vt ne nomẽ quidem eorum sustineat audire. meminisse oportet historiæ illius, quam Christus Dominus discipulis proposuit Luc. 15 de duobus filijs frugi, & prodigo; hic consumpta substantia, pastor effectus pecorum, fame prope consumptus, *in se reuersus dixit: quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo*; & tandem post longam deliberationem ita constituit: *surgam, & ibo ad patrem meum: & dicam ei pater peccaui in cælum, & corã te; iã non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum ex mercenarijs tuis.* ita animatus perrexi hæc impleturus, quæ iam proposuerat in mente. *& surgens venit ad patrem suum &c. dixitq; pater peccaui in cælum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus.* rationabilem & subtilem hic dubitationem proponit S. Augustin. de quæst. Euangel. cur hic filius prodigus in patris conspectu pleraq; ex ijs omiserit, quæ pro sua excusatione, & pro impetranda venia, dicenda sibi esse constituerat: neque enim coram patre dixit: *fac me sicut vnũ de mercenarijs tuis; nec dixit omnia* (inquit August.) *quæ dicturum se esse promiserat, non addit quod in illa meditatione dixerat: fac me sicut vnum de mercenarijs tuis.* soluere nos ad propositum nostrum hoc dubium possumus; quod qui à se, & à Deo recessit, porcis sociatur, porcorum fit rector, mercenarius est, nec filij nomen meretur: attamen reuersus ad patrẽ, paterno amore susceptus, in domo Dei & coram diuino patre humiliter procidens, *mercenarij* nomen tacet. *mercenarius esse* (inquit August.) *post osculum patris, generosissime iam dedignatur*, sed nec cælestis benignus pater id permisisset, vt quem in filium recipiebat mercenarium se profitentem audiret; quare cum illa verba protulisset, *non sum dignus vocari filius tuus;* timens pater ne ad reliqua, quæ constituerat pergeret, & in dilecto filio mercenarij nomen auersatus, sciens hæc omnia Deus, cui omnia nuda, & aperta sunt, statim seruos alloquitur; *cito, proferte stolã primam, induite illum. date anulum in manu eius &c. vitulum saginatũ, &c. occidite &c.* hæc omnia properat congerere, vt loqui præterea volentem filium impediat, & ne eius quidem ore mercenarij nomen in diuina domo resonet. huiusmodi omnino sunt, qui in pinnaculo templi constituti, regna mundi quærunt, eiusque gloriam, qui quantùm Deo inuisi, & abominabiles sint, ex dictis liquet.

Ioan.

Pastor mercenarius.

S. Thom.

Nomen mercenarij Deus non sustinet.

Luc.

S. Agu.

Nomen mercenarij coram Deo reticetur.

S. Aug.

Qui filius Dei, hic non mercenarius.

Ostendit

Sacer tex.

Ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum; & dixit ei: hæc omnia tibi dabo, &c.

CAP. VII.

A cælestibus mentem auertit, & redditur ad peccandum proclinis, qui diabolo regna mundi ostendenti, obsequitur.

1 
Endacij diabolũ arguijt S. Chrysost. quòd in hac tertia tentatione (vt habetur Luc. 4.) postquã regna totius Orbis illi ostendit, dixerit ℣. 8. *Tibi dabo potestatem hãc vniuersam, & gloriam illorum, quia mihi tradita sunt, & cui volo do illa*; falsus enim est in his verbis, qui nequit quicquam dare hominibus, quibus vult, sed volentibus tantum, quare mentitur dicẽs: *cui volo do illa*, inquit Chrysost. in Caten. Matth. 4. *ea quæ per iniquitatem fiunt in mundo, vt puta per furtum, aut periuria acquisitas diuitias, diabolus dat; non ergo diabolus quibus vult diuitias dare potest sed his, qui volunt ab illo recipere*. Cautè itaque, & diligenter subdolæ illius oblationes circumspiciendæ sunt, quibus terrena pollicetur, & proponit, vt adimat cælestia; offert caduca, vt excludat ab ęternis. Quoniam enim sicuti loco, ita etiã natura longissimè sunt dissita cælestia, & mundana bona, ideo (quod etiam de maxime distantibus elementis Philosophi affirmant) maximè sunt pugnãtia & contraria, stare simul nescia. Et hæc est alia ratio cur tentator, cùm in prima tentatione dixisset: *si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant*; quia ex substantiarum trãsmutatione Christi diuinitas poterat innotescere: & in secunda, *si filius Dei es mitte te deorsum*, quia incolumis euadens Diuinitatem suam probasset; in tertia demum tentatione non addiderit: *si filius Dei es*; tentaturus enim de vana gloria, de diuitijs, & de Regnis possidẽdis; ostẽdens illi omnia regna mundi, & gloriam eorum, secum reputauit impossibile esse ad regna mundi, & gloriam eorum mentem conuertere, eaque supra modum amare, & simul filium Dei se profiteri; ideo superfluum fuisset addere *si filius Dei es*, quia is qui filius Dei est, non potest mundanorum cupiditate teneri, cum non conueniant esse filium Dei, & diuitias quærere, & gloriam ex terrenis dignitatibus aucupari. accedere ad hunc sensum videtur S. Chrysost. homil. 5. ex varijs in Matth. circa finem: *tertia*, inquit, *tentatione, gloriam sæculi, & diuitias mundi proponit, per quos vt refert Apostolus aliquantos à fide naufragere fecit, & à calesti gloria ad terrena transire. suadet autem hominibus terrenos honores, vt auferat calestes, hortatur ad mundi diuitias, vt spirituales diuitias adimat*. quasi dicat: nouit diabolus, hæc duo bonorum, & diuitiarum genera instar ignis, & aquæ insita contrarietate pugnare; ideo sedulò ingerit terrenorum cupiditatem, vt his receptis, cælestia dimittantur.

Luc.

Mendacij arguitur diabolus.

Chrysost.

Dissita sunt à terrenis cælestia.

Qui Dei sunt mundana non quærunt.

S. Chrys.

2 Et nota in verbis Chrysost. quod inimicus per *diuitias naufragare facit homines à fide*; quasi in infidelitatis vndis periclitentur, earum amatores. ex quo patet quam sit infelix illorum cõditio, in quibus ipsamet fides (*sine qua impossibile est placere* Deo) in summum discrimen venit; ideo prætium omnis mũdanæ gloriæ pro sui adoratione, & fidei abnegatione offert illis verbis: *hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me*. & hoc est, quid dixit etiam Isai. 2. ℣. 7. post quam dictũ fuit, quod

Diuitiæ naufragare faciunt homines à fide.

repleta eſt terra argento, & auro, & non eſt finis theſaurorum eius; ſtatim ſubditur Verſ. 8. *& repleta eſt terra eius idolis*; vt quam proximus ſit ab immodico diuitiarum amore, ad idolatriam prolapſus intelligatur; vnde & Luc. 12. cum ab immoderato externorum bonorum deſiderio Ieſus diſcipulos dehortatus fuiſſet: *& nolite in ſublime extolli*; reddit rationem ℣. 30. *hæc enim omnia gentes inquirunt*; appellat *gentes*, ſeù *gentiles*, & barbaros eos, qui terrena inquirunt; ſunt autem gentiles alieni à fide; vnde D. Thom. in Catena ex Gregor. Nyſſen. optimè obſeruat, quod *adhibere ſollicitudinem rebus apparētibus, proprium eſt eorum, qui nullam ſupponunt ſpem futuri ſæculi, neque metum iudicij*, vt etiam ſenſit D. Cyrill. Alexand. In Ioan. lib. 3. cap. 7. *Inanis*, inquit, *gloriæ cupiditate, optimæ rei, fidei videlicet, in eum, iacturam illos facere oſtendit. hoc & Paulus apertiſſimè dicit, ſi enim hominibus placerem, inquit, Chriſti ſeruus non eſſem. quaſi enim natura neceſſarioq; accidit omnibus, qui gloriam hominum venantur, vt gloriam Dei amittant, & à ſolo Deo decidant.*

Iſai. — Luc. — D. Thom. Spem gloriæ, & metum iudicij nō habet, qui terrenis inhiat. S. Cyrill.

3 Et hinc fortaſſe D. Paul. 1. Timoth. 6. ℣. 20. dixit: *Radix omnium malorum cupiditas diuitiarū*, vt enim plures huius propoſitionis expoſitiones omittamus, illa noſtro propoſito inſeruiet. Cætera mala ramos incidūt, & fortaſſe etiam truncum; ſed radicē, & ſtirpem, ex qua iterum pullulare poſſint frutices, & in nouam arborem creſcere, non auferunt: at per cupiditatem diuitiarum radix ipſa inareſcit, quia ſpes conuerſionis ad Deum quaſi in illo extinguitur, qui nimium amat diuitias: habet enim radicem infectam, cuius noxium virus toti trunco communicatur, & exitiale alimentum ſubminiſtrat. Vel appellatur *radix omniū malorum*, quia in deuotorum Deo virorū cordibus hæc radix minimè germinat. in ſeminibus ſerēdis, & pagendis radicibus obſeruant agricolæ, vt quoniam non omnia vbique proueniunt, nec omnis fert omnia tellus; cōuenientibus quæque locis ſerant. hæc itaque radix cupiditatis diuitiarum in terra deuotorum cordium, & Deo dicatorum non apprehendit; ſed in mentibus auarorum nullius non ſceleris cauſa, & origo exiſtit; ideo diabolus Chriſtum tentans non dixit *ſi filius Dei es; hæc omnia tibi dabo*; quia hanc radicem non pangit in arida illorum humo, qui terrenas ſuperfluitates non amant. Vel poſtremo appellatur *malorum omnium radix*, quia nihil ex ea bonum, & laudabile prouenire poteſt: cogitationes omnes, & ſtudia, verba etiam, & opera eorum, qui ditari vehementer cupiunt, à virulē a radice profecta, venenata ſunt; vnde verba illa exponens Theodor. *cædes*, inquit, *& præſtigia, furta, & rapina, fraudes, & mendacia, iuriſiurandi violatio, & alia genera iniquitatis ex hac radice pullulant.* non abſimili metaphora Horatius plurimorum malorum cauſam hāc cupiditatem eſſe ſignificaturus. lib. 3. carm. od. 24. inquit,

1. ad Timot. — Spes conuerſionis quaſi extinguitur in eo qui mundana quærit. — Omnia mala ex appetitu temporalium Theod. — Horat.

Eradenda Cupidinis
Praui ſunt elementa.

dicit hunc appetitū eſſe inſtar elementorum, & quemadmodum *mali Corui malum ouum*, vt prouerbio dicitur, ita ex prauis elementis, non poteſt niſi peſſimum compoſitum exiſtere. Quo igitur pacto peſſimæ arbores in diuinum pomarium, & Paradiſum diuinæ voluptatis plantari poterunt: aut ex viliſſimis elementis compactum compoſitum Dei delicijs connumerari?

4 Hinc mirari deſino quòd mitiſſimus Ieſus, ſæuiſſimum ſe tamen eorum vindicem profeſſus fuerit, qui diuitiarum quæſtū diuini cultus prætextu velabant, nam Marc. 11. ℣. 15. *eijciebat omnes ementes, & vendentes in templo; & menſas numulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit*. zelo nimirum diuini cultus incenſus, oſtendit, quod ſicut non conueniunt, nec vniuntur ſimul iſta; *ſi filius*

Marc.

Dei

Dei cultus, & diuitiarum affectus non conueniunt.

Dei es, & hæc omnia tibi dabo; ita templum Dei, & cultus: cum quæstu stare non possunt, & quod potius Deus inhonorat, qui in templo, deuotionis loco, ad res mundanas animum applicat, & negociationes tractat; vnde Ioã. 2. ℣. 14. narratur, quod *cum fecisset quasi flagellum de funiculis; omnes eiecit de templo, oues quoq; & boues &c.* indicans, quod non benè cohærent pecunia, & templum; sacræ ædes, & nummulariorum mensæ; diuinum obsequium, & homines mundani diuitias nimio affectu cumulantes; ideo videns Iesus hæc omnia mixta, & confusa in templo Dei; separat illa, & mundat templum Dei à diuitijs, pecuniæ deditos, à diuinis; tamquam impossibile quasi moraliter sit, terrenas diuitias inordinato affectu possessas, ac conquisitas, cum vitæ inocentia, & Dei donis, ac virtutibus posse coniungi, & ideo diuersa consideranda sunt diaboli, & Christi molimina. ille enim adducit in montem excelsum, idest, cogitatione eleuat ad sublimia, vnde regna mundi, ostendat; sed Iesus negociationes, & lucra in Dei tẽplo, idest, in anima Christiana, de qua 2. Corint. 6. ℣. 16. *vos. n. estis templum* Dei; exerceri non posse ostendit. Moralem hũc sensum colligo ex S. Thom. in Catena Ioan. 2. ex Origen. *cùm ergo*, ait, *hos inueniret Saluator in domo sacrata, facto de funiculis flagello fugat illos, vna cum venalibus ouibus, & bobus suis: & spargit æris pondera, velut indigna in domo Dei retineri*. hæc ergo causa est cur mercatores, & eorum negocia è templo prorsus eliminantur. verum est enim quod S. Thom. in Catena Matth. 6. ex Sanct. Chrysost. tradit. *non in hoc solum nobis nocent diuitiæ, quòd latrones aduersus nos armant, & quod intellectum obtenebrant; sed etiam à seruitute Dei nos expellunt*. merito itaque à templo, quod diuino cultui dicatur, diuitiarum sectatores expelluntur; neque ista duo iunguntur: *si filius Dei es, & hæc omnia tibi dabo.*

Ioan.

Corint.

S. Thom.

Diuitiæ à Dei seruitute nos expellunt

5 Sed boues isti, quorũ fecimus mentionẽ, & quos extra templũ Iesus dicitur eiecisse, mentem excitant, vt in adductæ propositionis argumentum ponderemus id, quod gestum legimus 3. Reg. 19. præcepit Deus Eliæ ℣. 16. *Eliseum autem filium Saphat, qui est de Abelmeula vnges prophetam pro te*; pergit Elias vt mandata impleret, subditq; sacer textus ℣. 19. *profectus ergo inde Elias, reperit Eliseum filium Saphat arãtem in duodecim iugis boũ, & ipse in duodecim iugis boũ arãtib. vnus erat: cũq; venisset Elias ad eũ, misit palliũ suum super illum*. sicq; vnxit Eliseũ in prophetam Domini; quo completo subditur ℣. 20. *qui* (scilicet Eliseus) *statim relictis bobus cucurrit post Eliã*, prophetiæ spiritu imbutus, Dei seruitio, & ministerio adscitus, quos possidebat boues dereliquit, eosq; in pauperum vsum cæpit erogare, vnde subditur ℣. 21. *tulit par boum, & mactauit illud, & in aratro boum coxit carnes, & dedit populo, & comederunt, consurgensq; abijt, & secutus est Eliam, & ministrabat ei*. sciebat namque spiritu Dei ipsum illuminante, quàm difficile sit Deum sequi, non dimisso rerũ temporalium onere, & quantum terrenæ diuitiæ probatis moribus repugnent; quod in hoc Elesei facto adnotauit S. Ambros. lib. 1. offic. cap. 30. dicens: *Dominus non vult simul effundi opes, sed dispensari; nisi fortè vt Eliseus boues suos occidit, & pauperes pauit de eo, quod habuit, vt nulla cura teneretur domestica, sed relictis omnibus in disciplinam se propheticam daret*. & Rabban. in eundem sensum; *statim*, inquit, *cessauit terrenis lucris inhiare, sæcularibus desiderijs deseruire*. eijcit itaque Dñs boues de tẽplo, & eosdem deserit Eliseus, quia non bene cælestium desideriũ cũ caducis bonis miscetur, nec filio Dei dicitur *hæc o ĩa tibi dabo.*

3. Reg.

Deo adscitus omnia relinquit.

Ministrat pauperib. Dei spiritu tactus.

S. Ambr.

Rabb.

6 Redit etiam in assumptæ propositionis argumentum, quod refert Matth. cap. 8 ℣. 21. *alius autem de discipulis suis, ait illi. Dominẽ permitte*

Matth. 8

me primùm ire, & sepelire Patrem meum. Iesus autem ait illi: sequere me; & dimitte mortuos sepelire mortuos suos. S.Thom. in Catena ex Chrysost. mouet dubium, cur erga patrem, tale pietatis officium, filio Christus interdixerit? *Quid enim*, inquit, *magis necessarium erat, quam sepelire patrem? quid etiam facilius? neque enim multum tempus consumendum erat.* nihilominus nõ fuit illi permissum debitum penè officium impendere. Huic dubitationi respondet ibidem S. Doctor; propterea vetitum filio, Christi discipulo, ne ad sepeliendum patrem pergeret; *post sepulturam enim*, inquit, *necesse iam erat, & testamenta scrutari, & hæreditatis diuisionem, & alia huiusmodi, & ita fluctuationes ex fluctuationibus ei succedentes, longè eum à veritate abducere poterant.* noluit itaque discipulum exponi maximo periculo desciscendi ab ea, quàm Christus profitebatur simplicitate, & paupertate; reserato enim post humatum patrem testamento, si se ex asse hæredem institutum comperisset, paterna bona potius, quàm Christi famulatum maluisset. hanc exponendi rationem secutus est B.Isaias Abb. orat. 21. quæ est de pænit. *venienti ad se*, inquit, *& dicenti: sequar te Domine, sed permitte vt prius disponam ea, quæ in domo mea sunt, prohibuit: quoniam si ea vidisset, cor eius iterum ad ea declinasset* solo aspectu, bona illa Christi discipulum infecissent, tanta nimirum est diuitiarum, & bonorum temporalium potentia ad se trahendi corda hominum; sciebat enim Dominus, quod si filius iterum paternorum bonorum cupiditate fuisset sollicitatus, viam virtutis quam inierat facile derelicturus fuisset; ea est enim diuitiarum cõditio, vt possessores suos, vel studiosos, & cupidos, à diuinis arceant, & perfectionem spiritualis vitæ tenere non sinant. pellit enim innocentiam auri cupiditas, vnde Plin. lib. 33. cap. 1. *quam innocens*, inquit, *quam beata, imo verò & delicata esset vita, si nihil aliud de ea, nisi quid supra terras concupisceret.* Nota verò & expende adducta ex S. Thom. verba: *fluctuationes ex fluctuationibus ei succedentes, longe eum à veritate abducere poterant*; quibus verbis id confirmatur, quod supra dicebamus, amorem pecuniarũ naufragium animabus suscitare; his enim verbis diuitum pericula, naufraganti comparantur, & merito, ait namq; Stob. serm. 95. Aristonymum Philosophum solitum dicere: *pauperum vitam similem esse nauigationi iuxta littus; diuitũ ei, quæ in profundo pelago fit. illis. n. facile esse funem eijcere, appellere, & nauim extrahere, diuitibus non item.* quorum pericula magis exitio sunt proxima.

S.Thom. — Mundanorum cura a diuinis auertit. — S.Thom. — B.Isaias. — Auri cupiditas innocentiã pellit. — Plin. — S.Thom. — Naufragium animarũ diuites sustinent. — Stob.

7 Deseruiet huic rei comprobandæ quod legimus 2. Paralip. 12. euenisse Regi Roboam, nam ℣. 1.2. dicitur. *Cumque roboratum fuisset regnum Roboam, & confortatum, dereliquit legem* Domini, *& omnis Israel cum eo*; idest, post quam diuitijs, bonorumq; omnium affluentia ditatus fuit Roboam, tunc reiecta vera religione, ad idolatriam deuolutus est. cuius exemplum secutus populus, & ipse contaminatus fuit; sed abstinuerat iste Rex à flagitiosis criminibus, priusquam rerum temporalium copia affueret, propterea in hanc sententiam propendens Ioseph. lib. 8. Antiquit. cap. 10. hæc habet: *reor quia sæpius causa malorum, & iniquitatis existat hominibus magnitudo, rerumque ad potiora conuersio. Vides enim Roboam regnum suum augeri, ad impias, & iniustas cõuersus est actiones, & spreuit Dei religionem.* cui non dissimile est, quod tradit Seneca in Prouerb. *Damnum*, inquit, *nisi ex abundantia rarò venit.* affluentia namque bonorum est, quę hominem à Deo separat. & confirmat S. Chrysost. homil. 2. in Matth. vbi loquens de Ioram Rege, de quo dicitur 2. Paralip. 21. ℣. 6. *& fecit malum in conspectu* Domini, inquit, *Ioram interpretatur Dominus altitudo; forsan &*

2.Paral. — Rerũ temporalium copia a Deo auertit. — Ioseph. — Senec. — S.Chrys.

proui-

Elatus magnitudine diuitiarum. *prouidentia Dei; quia impius erat futurus, & superbus; sic eum nominari voluit; nam magnitudine diuitiarum elatus est, & valde impiè gessit in* Deũ. *Nam & fratres suos occidit, quos ei quasi adiutores, & consiliarios reliquerat Pater.* hic considera quot mala patrauerit, qui *Dominus* erat, & *in altitudine*, ac celsitate positus, vt etiam intelligas quod perditionem eorũ molitur diabolus, quos in montem excelsum ducit, & mundanorum regnorum ostentatione fallit.

8 Scita, & nostræ huic sententiæ explicandæ apta fuit doctrina illorum, qui diaboli astum, mundanos mediantibus diuitijs captantis considerantes, has, appellauerũt laqueum, & funem, alligant enim terrenis hisce rebus, neque permittunt, vt eorum amatores mente, ac cogitatione ad cælestia ascẽdant. Paul. 1. Timoth. 6. ℣. 9. *qui volũt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli.* obserua primo ex Chrysost. Theophy. & alijs. immodicum desiderium diuitiarum damnari, & ideo non reprehenduntur diuites, sed *qui volunt diuites fieri*. & benè his laqueum tendit inimicus, quia cõprehensos, & compeditos illos detinet diuitiarum retinaculis. hinc Chrysost. homil. 5. ex var. in Matth. *Per occasionem*, inquit, *auri, & cupiditatem diuitiarum inimicus multos illaqueare, & decipere consueuit.* Haymo verò laqueum exponit *damnationem*; & D. Chrysost. homil. 17. *laqueum* interpretatur *infidelitatem, quæ alibi in scripturis hoc nomine designatur*; ex quo corroboratur, quod paulo ante diximus, per diuitias homines fidei naufragium incurrere. Eadem laquei appellatio tribuitur diuitijs Apocal. 9. ℣. 13. nam in verbis illis: *Solue quatuor Angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate*; per *Euphratem* significatur *fecunditas, & fructuũ exuberantia*, iuxta Pier. lib. 21. tit. Iustitia. alligati itaque dicuntur ad Euphratem, qui in rerum omnium vbertate viuunt, & ducunt in bonis dies suos; nam etiam gloss. locum istum sic exponit: *Euphrates, frugifer interpretatur; & ideo significat cumulationem diuitiarum, cuius appetitu alligati sunt dicti quatuor.*

1. Timot.

Diuitiæ sunt laqueus.

S. Chrys.

Haymo. Diuitiæ sunt damnatio, & infidelitas

S. Chrys.

Apocal.

Pier. Diuitiæ alligatos tenent homines.

9 Est similis loquendi modus ad significandam diuitum sub diaboli laqueo seruitutem Eccles. 12. ℣. 6. *Antequam rumpatur funiculus argenteus.* significãtur enim per hunc *funiculum* opes, quæ etiam si argenti prætium, & splendorem præseferant, nihilominus sunt *funiculus*, quo diabolus captiuos retinet cupidos. argentum ostendit inimicus, sed laqueum occultat; escam circumponit, vt piscis latẽtem hamum deuoret. exponit hunc locum de diuitijs etiam Pineda, per hunc funiculum argenteum, ex Olympiodoro, opes intelligens; *antequam*, inquit, *funiculus auaritiæ scindatur, qui materiam prabet omnibus peccatis ad homines implicandos.* quàm igitur cautè diuitiæ tractandæ sint, & quàm sit difficile ab hoc laqueo, & fune intactum seruari, vel hinc cognoscamus, quòd materiã suppeditant omnibus peccatis. Hunc tamen durum laqueum, & adamantinum funem abrumpendum esse, suadet sapiens, vt sic ab his terrenis curis soluti, ad cælestia promptius properemus. si enim sola fragilia calceamentorum vincula Moysi, ne accedere ad Deũ posset, impedimento erant; quanto magis argenteus, & solidus iste diuitiarum funis, ab accessu ad Deum nos remorabitur? *Hunc laqueum*, dicit Ambros. in Psalm. 118. *diabolus tetendit etiam Saluatori*; & paulopost: *ac ne mediocrem hunc laqueum putes, hic laqueus Iudam Apostolum strangulauit.* soluamus itaque vincula colli, qui captiui detinemur, vt de futura simus salute securi; & illud D. Bernar. serm. in Psalm. qui habitat audire possimus: *Vos qui diuitias huius sæculi penitus reliquistis, quid timetis à verbo aspero, quoniam iam liberati estis à laqueo?* confidant de mundo superan-

Eccle.

Diuitiæ funiculus argenteus

Pineda.

S. Ambr.

Laqueus diuitiarũ Iudam strangulauit.

S. Bern.

do, quibus potior mūdi machina iam debellata,& subuersa litigant.

10 Lis vertitur de possessione humani cordis inter Deum, & Mundum. Deus enim totum sibi hominis cor vendicat Luc. 10. ℣. 27. *diliges Dominum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua &c.* Eiusdem temeraria præsumptione dominatū sibi mundus arrogat, nititurque bona sua supra Deum diligi; hinc est quod diuitiæ volunt pro Deo haberi Apocal. 5. ℣. 12. vbi vulgat. habet; *dignus est Agnus, qui occisus est ab origine mundi accipere diuinitatem*: Græc. text. pro *diuinitate* habet πλοῦτον idest, *diuitias*, idem est nomen diuinitatis, & diuitiarum. Vel quia diuites habentur pro Dijs, & ijs omnia obediunt, & subijciuntur, vt dixit Sapiens Eccle. 10. ℣. 19 *pecuniæ obediunt omnia.* & ex gentilibus. Horat.

— Omnis enim res
Virtus, fama, decus, diuina humanaque, pulchris
Diuitijs parent: quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, iustus, sapiens etiam & Rex
Et quicquid volet.

Vel quia diuites ipsos, instar Deorum venerantur homines. cùm itaque diuitiæ (apud plerosque) instar Numinum habeantur, humanum cor occupare conantur; quod probatur ex illo Act. 5. ℣. 3. dixit Petrus Ananiæ; *Cur tentauit Satanas cor tuum, vt mentireris Spiritui sancto?* inusitata certe est, & noua hæc locutio; reperimus sæpè in scriptura hominem tentari; sic Exod. cap. 16. ℣. 4. dictum fuit: *vt tentem eum*, & Genes. 22. ℣. 1. *tentauit Deus Abraham*. sed nusquam alibi legitur, quod tentetur cor alicuius. Eruemus huius rei mysterium ex lect. Syriaca, quam sequitur Beda. *Cur*, inquit Syrus, *ita impleuit Satanas cor tuum, vt mentireris in spiritum sanctitatis, & interuerteres ex pecunia pretij fundi illius?* inuehitur Petrus cōtra Ananiam, qui fundum suum vendiderat, & simulata charitate partem prætij in commune contulerat, ponēs illam ad pedes Apostolorum; aliam verò partem sibi clam reseruauerat, huius *cor* dicitur Satanas *impleuisse*. non impletur, nisi quod vacuum est; quomodo ergo *Satanas impleuit cor* illius, cùm discipuli, & credentes *omnes repleti sunt Spiritu sancto?* nimirū recedit spiritus sanctitatis adueniente pecuniarum affectu, neque cohabitare, & in vna sede morari possunt. tentauit Satanas cor Ananiæ, illius sibi possessionem vindicans, & vsurpans, conatus illud implere falsorum bonorum cupiditate superuacua; ideo dicitur: *Cur impleuit Satanas cor tuum.* in quæ verba ait Beda: *quasi dicat, cor, & mens hominis à solo Deo impleri potest, cur ergo tu permisisti illud impleri, & occupari à diabolo, eiusque plena possessione?* Vbi etiam cogites diligenter velim, quantopere decipiantur homines, quorum animus & mens, cùm sit infinitorum penè capax bonorum, adeo vt inexplebilis plerisque visus sit; tamen modica illa pecunia iam se impletum, diabolo decipiente, Ananias sibi persuaserat, vt illi dixerit Petrus: *cur impleuit &c.* atque vtinam implerentur; sed miseri dum diuitijs inhiant, & Deo vacui remanēt, & ab opibus non implentur; quare Vgo in cap. 5. Eccl. dicit quod *pecunia vanitas est, quæ nihil replet*; ideo B. Virgo in suo Cant. Luc. 1. ℣. 53. dicebat *diuites dimisit inanes*, hoc est, vt exponit P. Agell. *quasi è sua domo expulit, & quidem nec viatico, aut commeatu vllo; nec mercede data*, idest, penè nudos, & vacuos; in quam vacuam possessionem se diabolus intrudit.

11 Atque vtinam esset saltem iusta hæc possessio, sed (graue dictu) tyrannica immanitas est, cui se mundani vltronei mancipant, cùm enim diuitiæ possideri debeant, è contra potius possident; ita dixit Horat. *imperat, haud seruit collecta pecunia cuique*

Luc.

Apoc.

Diuitiæ pro diuinitate habentur.

Eccle.

Horat.

Diuitiæ cor occupant.

Act.

Exod.
Genes.

Spiritus sanctus non est in corde diuitis.

Diuitiæ implent, sed non satiant cor hominis.
Beda.

Vgo.

Luc.
P. Agell

Diuitiæ tyrannidem exercent in possessores

Horat.

quod

Psalm.

quod significauit David Psalm. 75. ℣. 6. *dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt in manibus suis, omnes viri diuitiarum*; non dicit, *diuitiæ virorum*, sed vt ostendat quòd illæ dominantur appellauit, *viros diuitiarum*; quod adnotauit Sanct. Ambr. lib. de Naboth. cap. 14. *benè viros diuitiarum appellauit, non diuitias virorum, vt ostenderet, non possessores esse diuitiarum, sed à suis diuitijs possideri.* Quam tyrannicam, & vix ferendam dominationem non solum in corpora, sed & in animos, optimè descripsit Hildel. Episc. Cænoman. tom. 3. Bibl. epist. 47. *Imperiosus*, inquit, *Dominus est amor habendi, facilius impugnans animos, quàm corpora. Siculorum immanitas tyrannorum.* quo prouerbiali schemate ij designantur, qui crudelius exercent imperium (vt Siculi fuerunt) & maximè auiditati habendi quadrat. Vel enim ad Phalaridis taurum referatur, cuius pœna primò in artificem retorta est, significat cupidos, dum alijs volunt imperare, ipsos primum meritò Phalarismon experiri, sub propriæ passionis, & diuitiarum cupiditatis intolerabili imperio cruciatos. Nam quemadmodũ in tauro illo morientes, pro humanis vocibus, mugitum reddebant, supposito igne flagrantes; ita inter diuitiarũ nimios æstus, cupidi mugiunt, quibus ex veteri prouerbio: *Bos in lingua.* Vel ad Dionysij ensem respexit Hildeb. (dũ cupiditatem habendi *Siculam immanitatem* appellauit) è summo laqueari, nudis ceruicibus imminentem: eiusmodi enim diuitiæ sunt, quæ instar acutissimi ensis, possidentium imminẽt exitio, cùm plures opes quam hostile ferrum extinxerit, vnde Iuuenal. sat. 10

— plures nimia congesta pecunia cura
Strangulat; & cuncta superans patrimonia census
Quam Delphinis Balena Brittannica maior.

12 Sed non his contenta limitibus diuitiarum tyrãnis, adhuc progreditur. *nemo est* (addit Hyldeb. loco allegato) *cui tamdiù, tam deuotè seruiatur, quocumq; vult secum ducit seruum; vix enim de cupiditate triumphat, de quo semel cupiditas triumphauit.* Ex quibus patet, eo grauius esse sub immani hoc tyranno seruitium, quo difficilius est ab eo euadere cùm tyranni instar de diuitiarũ affectatoribus triumphet, ac proinde diabolum, regna mundi ostendentem, non debuisse addere: *si filius Dei es, &c.* quia nedum Dei filius; sed minimus, & vilis seruus est, qui se opũ sinit desiderio duci. Quod ex eo etiam melius confirmatur, quia cùm proprium Dei sit leges condere, quarum semper auctoritas ad diuinam potestatem relata fuit; e cõtra studium diuitiarum (tyrannico more) leges tollere, & euertere contẽdit. quod significauit idem Hildeb. loco allegato: *cupiditas*, inquit, *habendi, leges obliterat:* in quo etiam tyrannos imitatur, qui quo liberius suis cupiditatibus indulgeant, iustas leges tollunt, & iniustas pro ijs substituunt, nam verus Magistratus leges custodit; vt testatur Arist. 5. Eth. cap. 6. & quoniam, *vbi lex dominatur* dicebat Plat. 4. de legib. *Magistratus subest, vel subseruit*; ideo tyranni, qui dominari volũt, leges infringũt, & per hoc ẽt tyrannidẽ suã ostendit auiditas pecuniarum, quæ *leges obliterat.* Nota, *obliterare*, est æternæ obliuioni tradere: dum itaque cupidi obliuioni leges tradunt, & acquirẽdi desiderio mandata Dei postponũt, neutiquam æternæ beatitudinis fructum expectare possunt, quod ijs est reddendum, qui leges seruant, & custodiunt. Quòd si melius velimus cognoscere, quàm verè opes tyrannis comparentur, oportet memoria repetere id, quod de tyranno dixit Seneca: *necesse est multos timeat, quem multi timent.* aurum autem multorum insidias formidat, quare Diogenes interrogatus, cur aurum palleret: *quoniam*, inquit, *plurimos habet sibi insidiantes, pallent autem qui metuunt.*

13 Neq; solum leges obliterat, sed

S. Amb. — Cupiditas tuã animorũ tyrannus. Hildeb. — Siculi immanes. — Diuitum pœna. — Pericula diuitum. — Iuuen. — Hildeb. — Diuitiæ triumphant — Diuitiæ, leges tollunt. — Hildeb. — Arist. — Diuitiæ, æternæ obliuioni Dei leges tradunt. — Seneca.

Hildeb. Diuitiæ, ius perse quuntur. Dion. Demost.

sed *ius omne* (addit Hildeb.) *persequitur*, quia iniurias fouet; vnde circumfertur Dionysij dictum illud: *Tyrannis ipsa mater est iniuria*; consentit etiam his Hildeberti verbis illud Demosth. in Philipp. *omnis tyrannus, legum est aduersarius*, & hinc est, quod cupiditas diuitiarum persequitur, & inimicitias agit cum iure; illa enim fas omne deprimit, & conculcat, nefas omne promouet, bonorum simultate, malorum gaudet consortio; non sinit cupidus ius consistere, quod vel apertè adoritur, vel occultis insidijs, & technis prosternit. Denique si volumus intelligere, quòd verè animus cupidi iustitiæ semper insidias parat, audiamus vocē illius qui *ad omnia regna mundi*, vnico Romano Imperio comprehensa, animum applicauerat; Iulius inquam Cæsar Eteoclis versus apud Euripidem in Phænissis vsurpasse dicitur, teste Cicer. in offic. *Quod si violandum*, inquit, *est ius regnandi causa violandum est*.

Cic.

14 Addit postremo Hildeb. quod eadem cupiditas habendi, *diuinas abradit sanctiones*: quasi pietatē omnem exuant, qui hāc cupiditatem induunt; hinc Seneca in Thyeste.

Hildeb. Cupidi, pietatem exeunt.

— *sanctitas, pietas, fides*
Priuata bona sunt, qua iuuat Reges eāt.

Senec.

Cæterum, adhuc acutior videtur sub istis Hildeberti verbis sensus latere; dum enim cupiditas habendi *abradere diuinas sanctiones* dicitur, hoc significatur; quòd cætera vitia luxus, inuidia, æmulatio &c. diuinam legem trāsgrediuntur, & contemnunt, non tamen illam tollunt, aut demoliuntur; sed inexplebilis diuitiarum cupiditas, delet omninò & *abradit* præcepta, & mandata Dei. Lacerant plerique legem, de quibus dicitur Abac. 1. ℣. 4. *lacerata est lex*, sed non omninò illam tollunt; vnde Vatabl. legit: *debilitata est lex*, quia alij peccatores, quasi eneruant, & debilitant legem, quæ tamen, quamuis languida, & imbecillis, adhuc stat; sed cupidi eam *abradunt*, & de medio tollunt; in quo eo deliquūt grauius, quia reliqui à lege desciscentes, saltem non impediunt ne alij diuina mandata mediteutur, & impleant; quæ qui obliterant, & *abradunt*, occasionem alijs, eadem legendi, & seruandi præripiunt, ita ergo se habent diuitiarum cupidi, qui diuina mādata, & legem nō solùm ipsi non seruant, imò potius in causa sunt, vt nec reliqui opere impleāt; imo nec illa sciant, sed nec legere valeant, hoc enim importat, *obliterare*. contra hos talionis pænam proponit Dauid Psalm. 68. ℣. 29. vt quoniam diuinas *abradunt sanctiones*, ipsi etiam iure meritò, *deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur*. In abrasores scripturarum, tamquam grauissimè delinquentes humana etiam iura seuere animaduertunt; tenentur enim pæna l. Cornel. de falsis, l. qui testam. ff. ad leg. Cornel. de falsis; Cuius pæna est deportatio, & bonorum omnium publicatio, l. 1. §. final. ff. ad leg. Corn. de sicar. Deportari dicebatur quis, cùm compedibus vinctus, seruis publicis tradebatur, vt eum in aliquam longinquam, & certam insulam transferrent. hac pæna plectuntur qui ob nimiam pecuniarum cupiditatem relegantur Matth. 22. ℣. 13. *tūc dixit Rex ministris: ligatis manibus, & pedibus, mittite eum &c.* & clarius S. Chrysol. de diuite ser. 3. *Quid est*, inquit, *quod: dicis mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti in aquam? ergo iuxta te est aqua? si iuxta te est, quare de proximo non sumis? quare? Quia vincta sunt manus tuæ.* isti itaque compediti portantur in remota loca, nam de diuite qui epulabatur quotidie, ait Theophyl. quod *ad infernum deductus est*, & D. Chrysost. homil. 5. in Luc. de Lazaro, & diuite: *illum*, inquit, *Angeli, istum pæna suscipiunt: ille portabatur in humeris Angelorum, iste fertur ad pœnas.* in longinquas insulas deportabantur, qui hac pæna damnati erant, & ad diuitem dixit Abraham Luc. 16. ℣. 26. *magnum Chaos inter nos, & vos firmatum est*; & ibidem ℣. 23. diues

Diuitiarum cupiditas abradit Dei legem.

Abac.

Aliqui peccatores legem Dei debilitant.

Pæna talionis cōtra diuites abradētes Dei legem Psalm

l. Cor. l. qui testam.

l. 1. §. fin.

Diuitiarum cupidi deportantur.

Matth.

S. Chrys.

Theophy.

S. Chrys.

Deportatorum & diuitum conueniētia.

Luc.

cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longe. Deportatorum perpetua erat pæna; & in inferno nulla est redẽptio ijs, quibus semel dictum fuerit: *Ite in ignem æternum*. deportati bonorum possessionem amittebant l. deportatorum C. de pænis. & diues ille diuitijs suis, & bonis spoliatus in inferno ne guttam quidem aquæ habebat qua refrigerari posset, ideo illi dicit Abraham ℣. 25. *fili recordare quia recepisti bona in vita tua*. deportatis, ius testamenti faciendi non erat l. si quis filio §. eius ff. de iniust. rupt. & irrit. facto testam. l. 1. §. ij quibus ff. de leg. 3. Auari similiter sua relinquere non possunt dum moriuntur; cum male parta, male dilabantur; & de male acquisitis tertius hęres non gaudeat. imo omninò intestati moriuntur, eorumq; bona ad alienos transferuntur Psalm. 38. ℣. 8 *thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea*; Theodor. legit: *& nescit quis colliget ea*. ad quem locum P. Agell. noster: *sapissimè namq;* inquit, *in eas opes, in quibus ille diù multumq; sudauit, tamquam in paratam alieno labori segetem, extraneus messor irruit, & alienas fruges in sua comportat horrea*. nã quemadmodum varij messores fruges iam maturas metunt, ita extranei congregatas à diuitibus opes demetunt, & diripiunt. quæ enim cupidi anxio labore conquisierunt, in alienissimos homines, & nonnumquam fortasse inimicos, recidunt, illudente rerum terrenarum in certo euentu auari hominis cupiditati. Adde quod dicitur Luc. 12. ℣. 20. *stulte hac nocte repetunt animam tuam a te: quæ autẽ parasti cuius erunt? sic est, qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues*. istæ sunt pænæ quibus iusto Dei iudicio adiudicantur diuites cupidi, & auari, qui diuinas temere *abradunt sanctiones*, quibus deletis, & sublatis, vide quam modica supersit spes salutis, dicente Saluatore Luc. 18 ℣. 25. *facilius est enim Camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum Dei*, quia diuinis mandatis spretis à cælesti patria excluduntur, tanquam indigni cælesti sede, cuius vias in vita neglexerunt.

l. deportatorum.

l. si quis. l. 1.

Psalm. Theod.

P. Agell.

Extranei messores bonorum diuitum.

Luc.

Luc.

15 Hanc diuitum, & ad terrena regna respicientium, ad conuertendos in cælum oculos difficultatem, ostẽdit etiam facto idem Saluator, qui cùm optimè hominum corda nosset, Matthæum ad Apostolatus dignitatẽ assumpturus, non illum cum Petro, Andræa, & alijs piscatoribus euocauit: poterat certè, quo magis vim diuinæ suæ doctrinæ demostraret, illum vna cum alijs, à mundana, ad cælestem negociationem vocare; sed quia sedebat in telonio, mundanis terrenisque negocijs vacans, & tentatori, gloriam mundi ostendenti, aures accomodans; ideo nisi aliorum exemplum pręcessisset, nisi populorum vocibus, & plausibus increbuisset Christi fama, & miracula claruissent, frustra fortasse vocatus fuisset Matthæus: qui argenteis illis compedibus detinebatur in sæculo. fuit hæc mens S. Chrysost. in Catena Matth. 9. *Cur*, inquit, *non cum Petro, & Ioanne, & alijs eum vocauit? quoniam durius adhuc dispositus erat; sed post multa miracula, & post multam Christi famam, quando aptiorem iam ad obedientiam sciuit, qui intima cordis nouit*. Quia diues erat, ideo durius dispositus: fuerunt ab eo prius contrariæ dispositiones remouẽdæ, quàm veræ fidei habitus posset introduci: & quemadmodum gutta multis præuijs dispositionibus præcedentibus, tãdem durum lapidem cauat; ita præparatum ante actis miraculis animum, & dispositum, tandem emolliuit ex duro; & propterea statim post sanatum paralyticum, Luc. 15. ℣. 9. *ait illi sequere me*. neque enim potest anima sequi Christum nisi relictis rebus terrenis, idcirco sponsa Cantic. 1. tunc se sponsi comitem futuram sperat, & pollicetur, cùm proprios greges posthabuit, post quos vagabatur; quibus relictis potest cælesti sponso adhærere; hoc voluit

Signa multa præcesserũt vt diues conuertatur.

S. Chrys.

Luc.

Relinquat terrena, qui Christo se sociat.

D. Am-

Cant. S. Ambr D. Ambrof. de Isaac. cap. 4. circa illud Cant. 1. ℣. 6. *vbi pascas, vbi cubes. sequi,* inquit, *te cupio quasi alumna, quem quasi copulata ante retinebam, & greges tuos quærere, quia amisi meos.* nimirum quando suos amisit, tunc eos qui Dei sunt greges quærit, quia mundana bona, animum à sequela Christi abducunt, & sequi sponsum non permittunt; qui Cantic. 2. ℣. 8. *venit saliens in montibus, transiliens colles*; & propter celeritatem dicitur. *similis est dilectus meus capreæ binnuloq; ceruorum.* expediti itaque tantum & vacui eius vestigia sequi poterunt.

Diuitiarum pondus Plin. 16 At diuitiæ grauissimum pondus sunt, vnde Romæ, diuitiæ quæ in pecunia tunc primùm recenter signata, consistebant, *Aes graue* appellabantur, de quo mentio est apud Plin. lib. 33. cap. 3. & plura tradit Alexand. ab Alexand. lib. 4. cap. 15. ad quē locum Tiraquell. adducit luculenta Liuij verba. lib. 4. Dec. 1. *quia,* inquit, *nondum argentum signatum erat, aes graue plaustris quidam ad ærarium contrahentes &c.* clarè autem pondus diuitiarum docuit apud Horat. sat. 3. lib. 2.

Alex. ab Alex. Liu. Hor.

Græcus Aristippus, qui seruos proijcere aurum in media iussit Lybia, quia tardius irent, propter onus segnes. Visū est Alciato paupertatem graui lapidi cōparari posse Emblemat. 121. in qua iuuenis optima indole præditi, sed paupertate depressi imaginē, ala in sinistra manu, & lapide in dextra expressit. Sed vel paupertatem humano iudicio expendit; vel illo emblemate diuites ad subleuandas pauperum necessitates, & promouenda præclara ingenia, turpiter torpentia, voluit hortari. Nā potius diuites per illud emblema significari possēt, quorū altera manus alata, mens est Platonicis illis alis prædita; altera verò manus, idest, sensus, & appetitiua pars diuitiarum pondere prægrauata mentis volatum retardat, & impedit ad cælestia se se attollere gestiētem animam; ideo Petrarch. de Rem. *pecuniā perdidisti? eris nunc in via expeditior, exo-*

Paupertas lapidi cōparata. Alciat.

Diuitiæ, animæ volatum ad cælestia impediūt

Petr.

nerauit te fortuna si intelligis. & doctissimè idem dixit S. Bernard. super illud Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia &c. rectè,* ait Bernard. *Petre, non enim Christum sequi poteras oneratus;* quia nimirum optime dicit Seneca: *nemo cum sarcinis enatat,* cum ijs scilicet impedimentis, quæ animam ad cæléstia, vnde illi origo est, adspirantem, mundanis affigunt. Hildeb. qui supra, in eadem epist. 47. *animus,* inquit, *de sursum veniens, sursum nititur, difficile quo sperat, vel adspirat peruenturus, nisi exoneratus incesserit.* Congruè itaque per lapidem illum impedientem volatum, diuitias accipi posse crediderim, quarum typus fuerunt lapides illi, de quibus in hoc eodem Euangelio dicitur: *dic vt lapides isti panes fiant. sunt enim illi lapides,* inquit S. Gregor. Nyssen. de beatitud. *omnia superflua, quibus natura nō eget;* hæc instar lapidum prægrauant, & terræ addicunt animam. Quia adeo graues sunt diuitiæ, vt ipsa etiam terra eorum pondere grauetur, ideo Gen. 37. ℣. 7. de Iacob, & Esau dicitur: *diuites enim erant valde, & simul habitare non poterant; nec sustinebat eos terra.* propter huius oneris grauitatem fit, vt ijs spiritus grauatus, debilitetur, ne cælestis viæ cursum indefesso pede possit inire, infirmatus, & debilitatus auri, & opū pōdere. colligo hoc ex 2. Paralip. 8. ℣. 18. *Misit ergo ei Hiram &c. & abierunt cum seruis Salomonis in Ophir* &c. hæc erat aurifera, & opulentissima regio; indicat autem ipsius nomen, quantum inter auri copiam animus langueat; *Ophir* enim idem est ac *infirmans,* adeo vt eadem terra & *aurifera* sit, & *infirmans*; vnde Raban. *hos,* inquit, *mittit Salomon in Ophir, quæ interpretatur infirmans, vt inde aurum afferant;* quod confirmat Ioseph. lib. 8. Antiquit. cap. 6. *nauigauerūt in locum, qui olim Ophira, nunc terra aurea nuncupatur (est autem India) vt aurum deferrent.* vtinam porro hinc intelligerent fideles, quantum animæ

S. Bern. Senec. Hildeb. Nyssen. Superflua lapides sunt graues. Gen. 2. Paral. Diuitiæ animam infirmāt. Raban. Ioseph.

viribus

viribus, & robori decedat, dum in Opbir, ad regna diuitiarum, & aurifodinas, vel inuita relegatur à quàmplurimis.

17 Horum figura præcessit in veteri testamento in duabus tribubus Ruben, & Gad, & dimidia tribu Manasse, quæ Numer. cap. 32. petierunt à Moyse, ne transirent Iordanem, ℣. 5. *nos serui tui*, inquiunt, *habemus iumenta plurima, precamurque, si inuenimus gratiam coram te, vt des nobis famulis tuis eam in possessionem, nec facias nos transire Iordanem*. vides ne quòd iumentis saginandis intenti, Iordanem transire renuunt, & in terram promissionis ire recusant? perinde enim ij, qui mundanis implicantur impedimentis, habitationem cælestis terræ nobis promissæ non curant; moralem huius facti sensum optimè explicauit S. Gregor. lib. 17. moral. cap. 10. *multi*, inquit, *quia præsentium copia delectantur, ventura gaudia non requirunt. Cumq; eos multiplex actio occupat* (negocia, fænora, pecuniarum accumulatio) *etiam à semetipsis alienos demonstrat*. & paulo post: *Hos bene Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manasse significant, quia multa pecora, & iumenta possidentes, dum circa Iordanem campestria concupiscunt, in terra promissionis hæreditatem habere noluerunt*. Conuenit hic considerare, quòd impedimentorum nomine, etiam iumenta continebantur in Romanis exercitibus, vt dicit Frontin. in stratagem. fuerunt itaq; iumenta istis tribubus impedimenta ne transirent Iordanem; sicuti in Christiana militia bellantibus, opes, impedimenta sunt ad æternam felicitatem, ita etiam dixit Seneca de superuacuis opibus locutus epist. 87. *talia*, inquit, *diuinauit futura, qualia nunc sunt, qui primus appellauit impedimenta*. vnde Gregor. loco alleg. paulo post addit: *Qui ergo iumenta plurima possident, Iordanem transire refugiunt; quia quos multa mundi implicamenta occupant, habitationem cælestis patriæ non requirunt*. sed quæ sunt hæc bona quibus vberrimam terram postponunt, fluentem lac, & mel, & omnium desiderabilium copia redundantem? forsitan o natissimas vrbes ibi habebant? oppida munitissima, & ad habitandum delitiosa? audiamus ex eorumdem ore quæ nam sint propter quæ tantopere quæsitam terram negligunt. ℣. 16. *caulas*, inquiunt, *ouium fabricabimus, & stabula iumentorum*; pudet profectò, sed hoc dicere videntur diuites, qui terram cælestis hæreditatis *caulis*, & vilissimis *iumētorum*; idest, diuitiarum mundanarum *stabulis* post habent: vel potius *stabula iumentorum sunt*, quæcumque sensui, & voluptatibus corporis accomodantur, vt animalis pascatur pars, relicta ratione, & spiritu.

18 Psalmus 111. ex mente S. Athanas: vt refert Lorin. inter eos est recensendus, qui beatitudinem resonāt, quibus scilicet celebranda alicuius viri beatitudo prædicatur, quales etiam sunt 31. 118. &c. ideo primum causa beatitudinis adducitur, quam timor Dei, & mandatorum eius obseruatio parit. *beatus*, inquit, *vir qui timet Dominū &c.* deinde effectus aliqui eiusdem beatitudinis enumerantur, ℣. 2. *potens in terra erit semen eius*. & quia beatitudo est vltimus, & perfectissimus status, quem raro, & pauci assequuntur, propterea subditur ℣. 3 *gloria, & diuitiæ in domo eius, & iustitia eius manet in sæculum sæculi*. quo loco pondero, quod difficile est inuenire eos, qui simul sint gloriosi, & diuites, qui comparare gloriā potuerint, nec opes dissipare; Quare Alciabades apud Athenienses gloriosus fieri desiderās potētiæ fundamēta à largitione incepit, teste Plut. in eius vita. nā liberalitas, & munificentia, quæ aptissima sunt instrumenta ad populi amorem, & existimationem cōciliandam, vt dicit Alb. Magn. Eth. 4. tract. 1. cap. 2. pecunias, & patrimoniū exhauriūt; ideo Arist. 4. Eth. cap. 1. *locupletem*, inquit, *& liberalem esse, non est facile*, quia semper

Numer.

Renuunt cælestia, qui terrenis inhiant.

S. Greg.

Temporalia sunt impedimenta futurorum.

Senec.

S. Greg.

Psalm.

Diuitiæ, & temporalis gloria rarò coeunt.

Liberalitas, populi amorem captat.

Albert. Mag.

dando, & raro accipiendo, opes deficiunt. hinc Theodoricus Rex ad Angelicum, referente Cassiod. lib. 3. variar. 12. *affectans*, inquit, *famæ commoda, pecuniæ neglexit augmenta*. gloriam igitur comparare inter opes, & non deficiente crumena, difficile: sicuti diuitias congerere cum famæ dispendio facile, sed cum gloria difficile; quia facile est ditescere, & maximos quæstus redigere ex probrosis exercitijs; hinc de eodem Alcibiade testatur Plut. in Coriolano in principio; quod *minus honestè mercenariam pecuniam frequenter accepit*. ex his fit, vt rarus sit in cuius domo simul coeant gloria, & diuitiæ, expellentibus se istis inuicem, ac trudentibus; adeo vt cui vtrumque contigit nimirum *gloria, & diuitiæ in domo eius*, tamquam beatus iure laudari possit: *Beatus vir &c.* Posito autem quòd inueniatur quis in domo sua opes, & gloriam simul congregãs: *gloria, & diuitiæ in domo eius*; haud facilè erit in eodem viro, & domo iustitiam, seu bonitatem, & sanctitatem inuenire; ideo tertium addidit Propheta: *& iustitia eius manet in seculũ seculi*. innocentiam enim seruare, & opes, & gloriam mundi quærere ardua nimis res est. qui ergo hæc tria simul iunxerit, iure *Beatus* dici poterit. Nec non cum istis merces promittitur, quorum semen, & posteritas potens futura dicitur in terra, *& generatio rectorum benedicetur*, idest, per diuinam benedictionem, & fauorem in cunctis desiderabilibus prosperabitur; & quoniam contrariorum contrariæ sunt cõsequentiæ, qui gloriam, & diuitias absq; iustitia habent, & à terrenorũ potestate facile decidunt, & eorum posteritas diuinis destituta auxilijs, improsperatur.

Cassiod. Fama, pecunias cõiunxit.

Plut.

Iustitia, & mundi bona difficilè vniuntur.

Prosperatur progenies iustorum.

19 Adde etiam aliud diuitiarum damnum, quæ non solum in hoc nocent quod inimicos, fures, ac opibus nostris insidiantes in nos prouocant, sed etiam mentem omninò occupatam abalienant, nec sinunt esse sui iuris; & propterea, minimè reponendam in mundanis thesauris spem monuit Saluator Matth. 6. non solùm propter externa incommoda, quia scilicet eos erugo demolitur, & fures diripiũt; sed etiam quia cor abducant vnde ℣. 21. *vbi enim est thesaurus tuus, ibi est, & cor tuum*, quia humanum intellectum abducunt; quod velim cum D. Chrysost. expendamus, qui apud D. Thom. in Catena Matth. 6. ita loquitur. *Quia non omnis thesaurus terrenus ærugine, aut tinea destruitur, aut per fures aufertur; ideo aliud inducit dicens: vbi est thesaurus tuus ibi est & cor tuum; ac si dicat: & si nihil priorum eueniat, non paruam sustinebis iacturam inferioribus affixus, quod eorum seruus factus, & à cælestibus cadens, & nihil excelsorum cogitare potens.* in quibus verbis multiplex diuitiarum damnum tangitur, & primo contra mundanorũ opinionem, opum congregatio, *iactura* appellatur, iuxta illud Matth. 16. ℣. 26. *quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Additur quòd opes *affigunt his inferioribus*, ad quæ nos inclinant graui suo pondere, de quo supra. quemadmodum etiam illud hinc confirmatur, quòd miserè pecuniarum fit *seruus*, qui illas immodicè amat; neq; *excelsum* aliquid *cogitat*, aut sapit. Et postremo *à cælestibus cadit*, iuxta id quod diabolus in hoc euãgelio dicit: *hæc omnia tibi dabo*, idest diuitias, *si cadens adoraueris me*; decidit enim à cælestis regni spe, & ab humanæ dignitatis fastigio qui animum terrenis addicit, quod denotatur per id quod dicitur Daniel. cap. 3. ℣. 5. *cadentes adorate statuam auream*; adorare aurum est cadere, à Deo recedendo, & à diuinis se elongando. Confirmatur hoc verbis Chrysost Matth. 6. *qui collocat*, inquit, *thesauros in terra, non habet quod speret in cælo*. Et merito priuantur cælestibus, qui spem omnem suã in collocarunt in caducis, merentur enim qui propter mundana

Diuitiæ, mentẽ abalienant.

D. Thom.

Diuitiæ iacturam faciunt.

Matth.

Opes, inferiorib. affigunt.

Cupidus, seruus, cælestia non cogitat, à quibus ẽt cadit.

Daniel.

S. Chrys. Non sperat cælũ, qui congregat aurum.

Dei

Dei obliti sunt, vt Deus etiam eorum non rememoretur; sunt autem diuitiæ quæ memoriam rerum meliorum auferunt; vnde Genes. 41. ℣. 48. *omnis etiam frugum abundantia in singulis vrbibus condita est; tantaque fuit abundantia tritici, vt arenæ maris coæquaretur, & copia mensuram excederet.* Ioseph in hac rerum abundantia positus, è memoria sua multa obliterauit; & propterea vnum è filijs, quem eo tempore affluentibus rebus suscepit, *Manassem* appellauit, quod obliuionem denotat. ℣. 1. *vocauitque nomen primogeniti, Manasses, dicens, obliuisci me fecit* Deus *omnium laborum meorũ, & domus patris mei.* etiã paternæ domus, & patris, summopere sibi chari, memoriam ab eo rerum copia abstulerat. Hãc oscitantiã punit Deus, dum auarorum non reminiscitur; & ideo Chrysost. dicebat quod non sunt speranda cælestia ijs, qui supra modum desiderant terrena.

Genes. — Abundãtia rerũ, memoriã Dei aufert.

20 Nouam hominibus nocendi artem commemorat Horat. epist. 18. lib. 1. à Romano quodam tonsore inuentam.

Horat.

— *Eutrapelus cuicunq. nocere volebat*
Vestimenta dabat pretiosa.

est hoc nõ pardaxon solùm, sed etiam paralogon, quod aliquis muneribus noceat; quamuis enim ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα esse dicantur, ea tamen magis casus plerumque quàm animus dantis reddidit exitiosa, vt de muneribus, quibus inuicem Aiax, & Hector apud Homerũ certauerunt, ostendit Alciat. Embl. 168. Insuetum itaq; & perniciosum fuit hoc nocendi genus; nã ex aduerso datores munerum beneficos appellare solemus, & largitionem ipsam, beneficentiam; ex quo mirabile videtur, quod aliquis donando, præsertim res pretiosas, nocendi animum habeat: qui liberalitatem ex gratuita, & ingenua; captiosam, & malignam reddit. Quod si dando nocemus, quid tantopere Alexander magnanimitatis in muneribus tribuendis laudatur, cùm potius tamquam callidus insidiator sit damnandus? sed si adductam à Venusino Poeta rationem audiuerimus; desinemus mirari; pretiosa enim munera, fortem, & generosum animum dum occupant, emolliunt, & delicijs vincunt, cùm etiam Annibali magis nocuerint Capuanæ deliciæ, quàm Romanis Cannensis clades, ideo optimè subdit Poeta.

Munera nocent. — Alciat. — Pretiosa munera fortem emolliũt

— *beatus enim iam*
Cum pulchris tunicis sumet noua consilia & spes;
Dormiet in lucem, scorto præponet honestum
Officium.

Primo beatus sibi videtur, quem benignioris fortunæ vultus adspexit, & ob splendidum amictum, temere gloriabundus incipit noua consilia agitare, & nouis cogitationibus vacare, iam animo villas emit, dignitates licitatur; negligenter interim & desidiosè suas curãs in multam cubat lucem, & quod grauius est, scortis, & impudicis se voluptatibus addicit; donec ad paupertatem iterum radactus, demum sẽtiat, quàm sibi exitiosæ fuerint pretiosæ vestes; quàm insidiosus vir munificus, & quàm noxium munus insidũ. Doctrinam hanc comprobauit factum Pytarchi Ciziceni, qui vt refert Athen. lib. 1. donatus à Magno Cyro septem vrbibus, ea fortuna elatus, ex moderato, & frugi, insolens, & fastuosus factus, patriæ tyrannus esse cæpit. *Eutrapelum* vafri huius commenti, & nocendi generis auctorem *blãdum*, vel *versatilem* significare docet Petrus Gualterius Horatianus interpres. hunc mihi imitari videtur diabolus, dum perniciosè mundanis blanditur, & versatile ingenium contra eos exercet; interim enim callidè munifica hac liberalitate nocet, & dum omnia regna mũdi, & gloriam eorum ostendit; dicens: *hæc omnia tibi dabo*, ad peccata stimulat, & ab honestis actionibus reuocat, addens: *si cadẽs adoraueris me*, adeo vt mũdanus splẽdidis vestibus circumfulgentibus, bea-

Athen. — Pytharchus donis factus tyrannus.

tus sibi videatur, & supra modũ exultans, in immodicam hilaritatem efferatur; nec minus lætatur quàm honestè gauderet Dauid qui Psalm. 118. & ℣. 162. dicebat: *Latabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spoliat multa*; legunt alij, *thesaurum*. sed quemadmodum, vt hic notat Lorinus; nimia spes prædæ, spoliorumque lætitia, victoriæ sæpenumero obfuit, vt testatur Frontin. stratagem. 1. cap. 16. ita mundanis, auidè deuorata bona, & nimium desiderati thesauri, exitium pariunt: noua enim consilia ineunt, obliti interim, diuini præsidij gratiam implorare; ex quo fit, vt splendidi amictus, & Regiæ opes, ita istos iuuent, & delectent, sicuti Demadem purpureæ vestes, cũ impendẽte ceruicibus gladio. hos scitè descripsit Salomon prouerb. 12. ℣. 7. *melior est pauper, & sufficiens sibi, quàm gloriosus, & indigens pane*. pro quo reddunt Lxx. *melior est vir in vilitate seruiens sibi, quàm honorem sibi circumponens, & egens pane*. eiusmodi enim sunt qui sumptuosè amicti, honorem sibi veluti circumponunt, quem cum vestibus etiam deponunt; cùm deinde fame premuntur, qua ratione non minus quàm Eutrapelus suis ciuibus, diabolus mundanis hominibus imponit. Nec prætereundum, quod dicit Salomon: *honorem sibi circumponens*, quasi enim amicitur honore, & gloria mundanus vir; non enim interiora, & corda penetrat dominatus, aut consistentiam, firmamque adhæsionem habet; sed vestium instar circumstant, & cingunt, quæ sæpius in die deponuntur; hinc dicebat Dauid Psalm. 48. ℣. 17. 18. *ne timueris cum diues factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius; quoniã cùm interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius*. omnia ergo regna mundi, & gloria eorum, Christi exemplo, abijci debet.

Psalm. Lorin. Spes prædæ victoriæ officit Front. Prouerb. Gloria mundi, vestis, quæ abijcitur.

Colliguntur fragmenta ex Euangelio.

CAP. VIII.

Ductus est Iesus in desertum.

Sacer tex.

1 ON sine rationabili causa Iesus proclamatus filius Dei, & Patris diuino ore clarificatus, Ioã. Baptistæ testimonio celebratus, ab eodem baptizatus, statim ducitur ad locum tentationis; *tunc ductus est*. erat enim his priuilegijs decoratus Iesus, typus iustorum. itaque postquam fuit honorificatus, tentatori permittitur exercendus, & sacro lauacro initiatus difficili destinatur certamini: vt ex diaboli consuetudine, & Domini nostri permissione discant homines, tunc sibi maiora ab eius insidijs imminere pericula tentationum, quando spirituali aliquo Dei fauore locupletati, & per bona opera in sortẽ filiorũ Dei vocati, spiritualis baptismi aquis initiati Deo se manciparunt. huc respexit Auct. Imperfect. in Matth. dicens: *nemo baptizatur in igne tentationis, nisi, qui factus fuerit filius Dei*; adeo diabolo insita est ars tentandi, vt tentatio, & peccata, quæ per tentationem illius homines committunt, comparentur cibo; *omnis iniustitia*, ait idem Auctor, *epulatio eius est*. Quamuis itaque omnium hominum delectetur erroribus, & ex omnium peccatis epulas sibi instruat; nihilominus Sanctorum, & Deo deuotorum peccatis magis delectatur, ex quibus suauissimam sibi escam apponi summopere desiderat: *tentatur*, inquit S. Hilar. *statim post baptismum Dominus, tentatione sua indicans in sanctificatis nobis, maximè diaboli tentamen-*

Sanctiores tentantur. Auctor Imperf. Peccatũ, diaboli cibus. S. Hilar.

ta grassari; quia victoria ei est magis exoptata de sanctis.

2 Figura huius diabolicæ auiditatis videtur fuisse id, quod narratur 4. Reg. 25. cum Hierusalem à Babylonijs direpta fuit, incensa Ciuitas, res sacræ prophanatę; quoad incolas vero dr ℣. 12. *de pauperibus terræ rdliquit vinitores, & agricolas*; magnates autem, & primiores captiuos abduxit ℣. 18. *Tulit quoque Princeps militiæ Saraiam Sacerdotem primùm, & Sophoniam sacerdotem secundum &c.* etiam diabolus, & eius ministri, quando de Ecclesia Dei, peccatorum hominum prædas agunt, agricolas, idest, terræ addictos, quasi negligunt secũ ducere, sed sacerdotes, & personas, quæ sanctitatẽ profitebantur abducere secũ in infernam Babylonem summore gaudent; vnde Raban. ad hunc locum *An non solum*, inquit, *populares, sed & fortes, & Principes in Ecclesia diabolus decipere, & peccatores captiuare satagit; Abacuc. 1. ℣. 16. Quia in ipso incrassata est pars eius, & cibus eius electus*. Notat ibi Gloss. *Saraiam* interpretari *vinctum*, & *Sophoniam, absconditum*; vt hinc melius intelligamus, quod isti fuerunt symbolum electorum, qui sunt vincti, vt, cum alibi, tũ præsertim ad Philem. ℣. 1. dicebat Apostol. *Paulus vinctus Iesu Christi*. & sunt etiam *absconditi*, à mundanis, scilicet, vt Deo manifestentur, de quibus 1. Petr. 3. ℣. 4. *qui abscõditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti, & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples*. Hos inquam Principes, & fortes; Princeps militiæ Chaldaicæ Dæmon secum ducens, exhilaratur, quia victoria magis ei est optata de sanctis. Vt enim est humanæ perniciei appetens, ea pro suauissimis habet, quæ homini sunt magis noxia, & ideo in electos sæuit furiosus, vt per eos deceptos, pluribus simul noceat. Sanct. Gregor. 14. Moral. *diabolus*, ait, *contra illos diuersis tentationibus insistit, qui possunt etiam alijs sua vtilitate prodesse; vt dum illi impediuntur, non proficiant, qui docendi sunt.* Quemadmodum in militia, & conflictibus vexilliferi, & antesignani maximè ad necem petuntur, quo ijs sublatis, gregarij milites, leui opera profligentur. S. Chrysol. serm. 96. *hostis plus ducem, quàm militem petit, nec obsidet mortuos, sed impugnat viuentes; sic diabolus non peccatores quærit capere quos possidet subiugatos, sed vt iustos capiat sic laborat*; & hinc patet, quod victoria est ei optata de Sanctis, & etiam magis opima.

3 Ad quod etiam explicandum apta est pyratarum similitudo, qui onustis præcipuè nauibus insidiantur, si quas verò inanes per æquora videãt fluitantes, negligunt, Sanct. Chrysost. serm. 9. de Ozia in hanc sententiam ita scripsit. *sicut pyratæ nauigantes in mari, non tunc insidiantur, cùm è portu vident egredientes (nam quid prodesset inuadere nauem vacuam?) sed tunc omnes artes mouent, cùm onustæ redeunt. ita & malignus ille Dæmon, cùm multos viderit multa conuexisse, nempè ieiunium, preces, eleemosynam, continentiam, aliasque virtutes omnes, esseque nauim nostram gemmis pietatis plenam, tunc vndequaq; sese obijcit, vt thesaurum rapiat, & in ipso portus ingressu rapiat, & spoliet.* quod alia etiam thesauri similitudine idem Chrysost. illustrat homil. 13. in Matth. vt. n. hunc Euangelistæ locum, (quem præ manibus habemus) exponat, adhibet militum vrbem expugnantium figurã, qui fortius impugnant ea loca, vnde plurimum auri reportaturos se sperãt; pp Dæmon Iesum iam tot priuilegijs ornatum ad locum certaminis ducit: *vt ad illius exemplum capias* (ait Chrysost.) *grande documẽtum thesaurorum tibi à Domino creditorum; neque enim superueniet tibi, neque aduersus te diabolus irrueret, nisi in maiore positum honore conspiceret. hinc enim aduersus Adamum insurrexit aliquando, quia multa illum dignitate vidit conspicuũ.* ideo ad Sanctos oppugnandos nõ sin-

gula-

4. Reg.

Qui sanctitatem profitentur, abducere petit dæmon.

Raban.

Gloss.

Sãcti, vincti, & absconditi.

Ad Philem.

1. Petr.

Eos tẽtat magis diabolus, qui alijs prodesse possunt.

S. Greg.

S. Chrys.

S. Chrys.

Diabolus quasi pyrata merces deprædari optans.

S. Chrys.

Digniores in Ecclesia tentantur.

gulares Dæmones, sed factis agminibus cõfluunt; vt cum S. Antoniũ Eremitam territare volebant; quamuis enim in huius Euãgelij tentationibus vnus Lucifer Christum agressus fuerit, sæpius tamen ab alijs fuerãt tentatus; & tunc etiam multa Dæmonum millia per desertum vagabantur, si qua fortasse ratione illi nocere possent obseruantes. ad quod confert doctrina Euseb. Cæsarien lib. 9. demost. euãg. cap. 7. quod *Dæmones considerãtes eximiam Christi sanctitatem, factis legionibus ad desertum conuenerunt*. quod inde confirmat, quia Marcus varias illorum tentandi artes exprimere volens dixit, q̃ variarum bestiarum figuris vtebantur cap. 1 ℣. 13. *tẽtabatur à Satana, eratq; cum bestijs*.

Euseb. Cæsar.

Marc.

4 Eadem etiam Dæmonis aduersus probos viros tentamenta significãtur Ezech. cap. 4. ℣. 1. 2. 3. vbi postquã in latere, (idest in homine, qui ex eadem materia cõstat ex quâ Later) descripta fuit *Hierusalem*, idest, *sanctitas*, & perfectio vitæ, statim graue contra probitatis sectatores prælium insurgit: *fili hominis sume tibi laterem, & pones eum coram te, & describes in eo Ciuitatem Hierusalem, & ordinabis aduersus eam obsidionem, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem, & dabis contra eam castra, & pones arietes in gyro*. superuacuus profectò videri posset tantus belli apparatus, & inanes labores aduersus rem inanimatam, si litteræ tantummodo corticem attenderemus; sed si moralem intelligentiam perscrutemur, fatebimur hic designari multiplices conatus, & machinas, quas contra eos intendit infernalis hostis, in quibus *Hierusalem*, sanctæ Ciuitatis imaginem videt esse descriptam; ita exposuit hunc locum S. Gregor. homil. 13. in Ezech. *descripta*, inquit, *Hierusalem in terreno corde; præsumpto supernæ pacis amore, tentatio acrior insurgit. acrius enim infestat tunc diabolus*. & Lyran. *in latere Hierusalem describitur, quando anima existens in corpore, per prædicationem contra diabolicas virtutes munitur*. & exponens singula quæ ibi commemorantur, per *obsidionem, dæmonum impugnationem*, interpretatur. *& ædificabis munitiones per illa*, inquit, *significantur varia machinamenta, quibus diabolus vtitur ad rationalem animam capiendã*. hæ sunt hostis humani artes, quibus ad victoriam de Sanctis aspirat.

Perfectos acrius inuadit dæmon.

Ezech.

S. Greg.

Lyran.

A spiritu in desertum.

Sacer tex.

5 Quamuis communiter diximus, visum fuisse Patribus hic, per *spiritum*, tertiam Sanctissimæ Trinitatis personam significari; tamen, quia (vt refert Abulen. in 4. cap. Matth. quæst. 2.) *quidam dicunt quòd fuit diabolus, quia ad eundem pertinet tentare, & ad tentationem opportunitatem quærere*; si horum sequamur expositionem, dicere possumus, quòd malignus spiritus Christum duxerit in desertũ. primùm quia quærit semper homines abducere à societate, & communione, nouit enim verum esse illud Saluatoris Matth. 18. ℣. 20. *vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. vnde Sanct. Thom. in Caten. Luc. 4. ex Basil. de diabolo loquẽs ait: *non patitur esse in vrbibus, contristat ipsum concordia ciuium*. Vel à maligno spiritu ductus dicitur, quia ita consueuerit facilius solitarios decipere destitutos auxilijs; hoc considerabat Eccles. 4. ℣. 9. 10. *melius est duos esse simul, quàm vnum: habent .n. emolumẽtum societatis suæ. si vnus ceciderit, ab altero fulcietur; væ soli, quia cùm ceciderit, non habet subleuantem se*. Idem in hac Christi tentatione diabolo venisse in mentem significauit S. Chrysost. in Caten. D. Thom. *tunc maximè instat diabolus ad tẽtandam, cùm viderit solitarios*. quod etiam adnotauit Theophyl. in hoc euangel.

Abul.

Dæmon concordi impugna

Matth.

S. Thom.

Fructus bonæ conuersationis.

Eccl.

S. Chrys.

6 Bene subditur *in desertum*, quo enim hominem ducit diabolus nisi in desertum? ipse primus homi-

nem

Dux mũ[…] a mọrum diabolus. nem ex Paradiso deliciarum in hanc calamitatum, & miseriarum horrore desertam terram duxit. est enim desertum locus incultus, & sterilis, terra vero ista, in qua per peccatum incolimus, infrugifera, Dei mandato, facta fuit, cum dixit Creator *Genes.* Genes. 3. ℣. 18 *spinas, & tribulos germinabit tibi.* Dux eorum, qui in desertum duci se permittunt diabolus est, in quo mentes terrenis rebus affixas, ita circumagit, ut de reditu ad cælestem patriam non *Incert.* cogitent. Incert. sub nomin. Emiss. in hoc euang. *in desertum*, inquit, *ducit, qui ab amore cælestis patriæ, & à diuina contemplatione mentes hominum auertit, & terrena quæque, & transitoria cogitare facit; desertum enim est quicquid à Deo longe est.* semper itaq; *Genes.* suos sectatores in desertum ducit, qui cunctos à Deo satagit abducere Gen. 1. ℣. 8. *Plantauerat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem quem formauerat*; ex amœnissimo hoc deliciarum loco, in miseriarum vallem, & calamitatum desertum diaboli ductu detrusus est.

Sacer tex.

A spiritu. à Diabolo. & accedens tentator.

7 Idem qui in principio Euangelij appellatur *spiritus*; paulo post dicitur Diabolus: *vt tentaretur à Diabolo*; deinde, *tentator: & accedens tentator*; tum præterea circa finem *Satanas: vade Satana*, adeo vt quatuor hæc diuersa nomina, multa dicendi occasionem præbere possint. Ex vsu loquendi Sacræ scripturæ plerique hanc diuersitatem ortam volunt, vnde Luc. Brug. *Brug. Varia demonis nomina quid significent.* exponens verba illa: *Vade Satana*, ait, *vocatur Satanas tunc quando apertum Dei diuinarumque partium aduersarium agit, quando Dei diuinorumque consilia; vel piorum hominum studia palam oppugnat; vt hoc tertio tentationis genere (cùm dixisset &, hæc omnia tibi dabo) nam vbi idem agens, dolo fraude, calliditate vtitur, vt superioribus duabus tentationibus* (in quibus dolosè, per conditionales anfractus, veritatem inuestigaturus dixerat: *si filius Dei es &c.*) *diabolus appellatur. hoc discrimen in noui testamenti libris obseruant quidam.* hæc Brug. ex quibus habes quòd infernalis noster inimicus, omni artis, & belli genere nos prouocat, palàm, & occultè; oppugnat nunc aperto marte, nunc dolosis insidijs nos aggreditur; & omni instigationum genere tentat, ideò nomina habet varia. *Omni arte nos diabolus prouocat.*

8 Sed in hoc eodem nominum, quæ Dæmoni tribuuntur ordine, quãdã tentationũ eius graduationẽ possumus obseruare. Primo .n. est *spiritus*, quando multis, sub apparenti specie spiritus, & bonitatis imponit, quos in primis congressibus blandè adit, assentationibus palpat, ea proponens, quæ grata illis fore prædiuinat, aliqua interim illis bona opera permittens, quo postmodum maiorem eidem mala suadenti, fidem adhibeant, assentationibus agit, vt deinde incautos premat; ideo Christo, quamuis illum post diuturnum ieiunium, macie confectum videret non dixit; *si esuris*, quod fuisset exprobrantis imbecillitatem, sed *si filius Dei es*, quod est extollentis dignitatem. optimè ait Sanct. Chrysost. *non dixit, si esuris, sed si filius Dei es; videlicet existimans posse se aliquid per hæc laudum blandimenta lucrari*; idcirco non commemorauit esuriem, ne per hanc imbecillitatem virium, ei obijcere videretur, vt sensim per has assentationes dictorum fidem mereatur; vult enim primo virtutum fundamenta subruere, vt ijs corruentibus, humanæ perfectionis ædificium corruat. *Diabolus*, ait Sanct. Chrysol. serm. 11. *semper primordia boni pulsat, tentat rudimenta virtutum, sancta in ipso ortu festinat extinguere*, ideo primũ apparet *spiritus*, & transmutat se in Angelum lucis, res turpes infucat, earũque facies immutat, vitijs virtutum *Sub specie spiritus dæmon decipit.* *Diabolus Christum adulatur.* *S. Chrys.* *virtutum fundamẽta subruit tentator.* *S. Chrys.* *Res turpes infucat dæmõ*

perso-

personam imponit. cuius in hac re calliditatem aperit Sanct. Gregor. super illud Iob 40. ℣. 13. *Cartilago illius quasi lamina ferrea &c. Hostis*, inquit, *noster, tanta se arte palliat, vt culpas nostras, virtutes fingat: vt inde quisque quasi expectet præmia, vnde dignus est æterna subire tormenta. plerumq; enim in vlciscendis vitijs crudelitas agitur, & iustitia putatur, atque immoderata iusti zeli ira, meritum creditur; similiter effusio, misericordia; tenacitas, parcitas; & pertinacia constantia reputatur.* hæ sunt variæ formæ, in quas subito spiritus vertitur.

S.Greg.

9 Idem alibi significauit Iob c. 41 ℣. 22. vbi de Dæmone sub nomine Leuiathan agens, hanc illius astutiam his verbis reuelat. *ponet*, inquit, *quasi cum vnguenta bulliunt.* odorem, scilicet, pro nidore apponens; sordes pro nitore; ad quem sensum hæc verba trahens Sanct. Gregor. 34. moral. cap. 14. *vnguenta*, inquit, *cùm bulliunt, fragrantiam suauitatis reddunt; quia ergo Leuiathan ita seducit corda reproborũ, vt quicquid agunt ex iniquitate perfidiæ, pro veritate veræ fidei se agere suspicentur, quasi eis bene olet id quod zelo religionis exercent*; & quoniam odor eo est suauior, quo ex mistura bene, & male olentium rerum coalescit, quo pacto dicunt rosam suauius olere, si ad illius radices allium seratur; propterea, vt callidius hunc virtutum odorẽ mentiatur, Sacrarum scripturarum verba suis tentationibus admiscet, vt malus peccati odor, nedum sentiatur, sed pro bono odore reputetur. vnde Sanct. Chrysost. homil. 5. ex Var. in Matth. hoc significauit cùm scripsit: *scriptum quidem erat, quoniã Angelis suis mandauit; sed quod de suo addidit: mitte te deorsum; scriptum non erat. in quo cognoscimus antiquã eius, & vsitatam versutiam, semper vt fallere possit, malis suis bona miscere, & venena sua mellis dulcedine temperare*; quod est suaueolentibus rosis, fœtidũ allium adiungere; vnde fit vt plerique

Iob.

Diabolus vitia virtutes ostẽdit.

S.Chrys.

vana imagine, & falsa specie decepti pessima quæque pro optimis sectentur; *ideo quidam*, aiebat D. Hieron. ad Demetriad. *superbiã libertatis loco ducunt; adulationem pro humilitate suscipiunt; malitiam prudentiæ vice amplectuntur, & stultitiæ simplicitatis nomen imponunt: ac demum fallaci, & pessima similitudine decepti, vitijs pro virtutibus gloriantur: nonne hi aureos nummos cum adulterinis commutant?* isti diabolum sub vestibus spiritus latitantem decepti, venerantur.

S.Hieron

10 Ita primo Dæmõ est *spiritus*; qui paulatim fit Diabolus, idest, spiritus immundus, & nequam ab effectu, quem in hominibus operatur, quos reddit immundos & nequam. quemadmodum enim, qui claudis consuescit, paulatim claudicare discit: ita etiã qui semel Diabolum sub vestibus spiritus receperit, & cum eo versatus fuerit, ab eius consortio redditur pessimus; adeo vt, perinde ac Dæmon, non solùm *diabolus*; sed etiam *tentator* dici possit; diabolo enim non satis est animam humanis vitijs infecisse, nisi eandem ad diabolica etiam crimina inducat; ad superbiam nimirum, Inuidiam, & quæcunque grauiora peccata. Postremo fit *Satanas*, idest, *aduersarius, & inimicus*, quia qui prius sub amici spicie accesserat, sensim reuelata facie infensissimus hostis esse cognoscitur; & sicut nullum est peius, & nocentius inimicorum genus, ijs qui adulationibus fallunt, ita in fine cognoscitur quàm sæua sit illius cum hominibus hostilitas, cum quos blanditijs antea pellexerat, postea criminationibus, & odijs vexet.

Diabolus progressũ ad vitia inducit.

11 Vel per hæc varia nomina, malimus dicere, significatum astum diaboli in perdendis, & pessumdandis iuuenibus, tunc primum è patria (vt sic loquar) potestate egressis: sicuti Iesum statim post patris auditũ testimonium adortus est. suscipiens enim aliquem ex ephebis egressum (quo tempore vt dicebat Pythagoras ex duabus se-

Pythag.

mitis

mitis virtutis, & vitij, vtra eligenda sit, incertus animi pẽdere solet iuuenis) sub optima parentũ, & præceptorum disciplina, & institutione educatum; illius primo modestiam, & probitatem tentat; illam pro stupiditate quadam, & vt nostrates loquuntur, carentia spiritus, idest, viuacitatis, & indolis procurat ab alijs derideri. tum Iuuenis videns modestiam suam pro insensibilitate ab alijs haberi, & traduci; incipit iam damnare præterita consilia, & studia probitatis; nec interim desinunt diabolici æquæui illius auribus semper intonare; quantum dedecet virum nobilem, & diuitem, à maiorum suorum auita magnitudine, & ingentibus spiritibus deficere? assumendos itaq; auitos spiritus; alacritatem in conuictu præseferendam, relinquendam intempestiuam modestiam claustralium Nouitijs; promptitudinem ad ea omnia agenda, vel bona, vel mala sint, quæ æquales, & conuictores faciunt; assumendam: his pulsata tormentis iuuenilis fragilitas, nutat, & repercussa tandem labat. nam iuuenis, cereus in vitium flecti, assiduis istis vocibus persuasus; cum primum ob puritatẽ quasi *spiritus* dici posset, fit *diabolus*, ex optimo pessimus; adeo vt postmodum audeat etiam esse *tentator*, ipse nimirum aliorum instigator, & hortator ad vitia, ex quo fit, vt etiam in *Satanam*, idest, inimicum degeneret; quia cùm inter improbos nõ possit durare amicitia, ex leui aliqua causa, simultates, & odia inter ęquales istos gliscunt; inimicitias verò quæ damna sequantur non hic est commemorandi locus.

Peccator fit sæper nequior.

12 Sciendum verò & illud, quod in vulgata est *Diabolus*, Syrus legit *Accusator*: dicitur enim *Dæmon* græcè διαβολὴ à verbo διαβάλλειν, quod significat calumniari, accusare, deferre; ideo quoties Hebraice in Scriptura habetur *Satan*, Lxx. vbique ferè reddunt *Diabolus*, qui proinde etiã Apocalyp. cap. 12. ℣. 10. fratum accusator appellatur. *nunc*, inquit, *facta est salus, & virtus, & Regnum Dei nostri, & potestas Christi eius: quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectũ Dei nostri die, ac nocte.* & bene illi cõuenit hoc nomen, sicuti enim prius callidus tentator, & instigator est ad peccata; ita postmodum fit eorundem propalator, & acerrimus accusator, nõ solùm coram Deo, cui peccatores studet inuisos reddere, sed etiã corã hominibus turpitudines illorum manifestans. & quis scit an hoc significare voluerit Deus Genes. 4. ℣. 7. cùm ad Cain dixit: *si male egeris statim in foribus peccatum aderit*, idest, vt ait Interlin. *omnibus patebit*; ita procurante Dæmone, vt peccator præ pudore, etiam ad desperationem adigatur, & sic peccata notificat hominibus; sed innotescunt etiam Deo, nam Lyran. *statim* inquit, *in foribus aderit, ita patens erit mihi, sicut ea quæ ponuntur in ostio.* accusat enim Dæmon peccatorem, & calumniatur die, ac nocte, idest, quotidie: vel die ac nocte, idest, vtroque tempore, & aduersitatis, & prosperitatis, vt exponit Alcazar. Atque vtinam accusator tantùm esset, nam est etiam calumniator, accusat calumniando, & exaggerando delicta apud Deum, & homines, vt dicit Cornel. à Lapid. in cap. 4. epist. ad Ephes. ℣. 27. vbi enim legitur, *nolite locum dare Diabolo*; alij legunt: *calumniatori*. S. Hilar. pro *Diabolo*, legit, *Zabulo*: *vt tentaretur à Zabulo*. Zabulon significat *habitaculum*; considera igitur quibus gradibus progrediatur in tentando, primo enim leniter ducit ad peccãdum, quoniam suggestionibus allicit, in quo videtur esse *spiritus*; quibus nisi proficiat, grauius tentat vrgendo ad facinora; facit deinde se *Zabulum*; quando peccator præ consuetudine non tam diuersari, & hospitari, quàm habitare in cœno peccatorum videtur, nec tamquam in conducta, sed veluti in propria domo manere. in principio enim peccator, quasi conducit domum peccati, post-

Quid diabolus, quid dæmõ, quid Satan significent.

Propalat dæmon scelera peccatorum.

Genes.

Interlin.

Lyran.

Dæmon est calũniator.

Corn. à Lapid.

Progressus dæmonis in tentando.

Peccator habitat in peccatis.

modum verò in ijs habituatus, ea pro sua habitatione eligit, vtensilia domestica, idest commoditates peccandi, comparat: familiam instruit, idest, comites ad peccandum procurat. D. Bernard. Serm. de diuers. affectione anim. exponens quid significetur dum de filio prodigo dicitur Luc. 15. ℣. 15. *& adhæsit vni ciuium &c.* de habituatis peccatoribus hoc interpretatur; *qui pro eo, quod obstinatione irreparabili peccant, & transierunt in affectum malitiæ, & nequitiæ; iam non sunt hospites, & aduenæ, sed quasi ciues, & habitatores peccati.* Vel hoc *habitaculum*, Dæmonis mansio est, qui in impura peccatoris anima, tamquam in domo sumptuosissimè præparata habitationem suam, & permanentiam constituit, vt dicitur Luc. 11. ℣. 26 *& ingressi habitant ibi.* postremo peccator fit aliorum *tentator*, quia non solùm illius opera vtitur ad perdendum alios; sed etiam *Satanas*, & inimicus, nemo enim nocentius persequitur, quàm qui ad peccata sollicitat; vnde *Satanas* dici potest oīs, qui alios ad peccata perpetranda quoquomodo allicit; quasi illius persecutor, & inimicus infestissimus.

S. Bern.

Diabolus habitaculum facit in anima

Luc.

Persequitur qui ad peccata allicit.

13 Sed quid mirum, si in hoc breui Euangelico contextu tot Dæmoni nomina tribuuntur, cum ab effectis, & multiplicibus tentationibus, varijs etiam rebus soleat comparari? vnde Sanct. Ignat. epist. 8. ad Philipp. de eo loquens: *varius*, inquit, *& multiformis est Dux ille omnis mali, & falsis rationibus, mentes fallit humanas, sibi ipse contrarius, inconstans, alia prætexens, alia faciens.* imitatur in hac multiplicium formarum variatione Dæmon Acheloum illum, qui Herculem monstrorum domitorem, multū exercuit, vt perhibent Poetæ: quo cum se viribus inferiorem videret, in varias se formas transmutauit, ita enim de se ipso loquitur apud Ouid. 9. Metamosph.

S. Ignat. Episc.

Diabolus multiformis in tētando.

Ouid.

Inferior virtute varias diuertor ad artes,
Elaborq; viro, longum formatus in anguem.

si enim illum sub hominis forma Hercules superasset, statim in Leonem versus, vehementius in ipsum insiliebat; prostratus vt Leo, resurgebat pugnam redintegraturus vt Taurus; quo deiecto, iterum fiebat Draco, adeo vt multiplices in vna fera, feras Hercules superare debuerit; idem facit Diabolus, *varius, & multiformis* qui sub eremicolæ, & Christo compatientis forma superatus, iterum superbiam Leonis induit, & ita Christum stimulat: *mitte te deorsum*, in qua pugna si reijciatur, iterum fiet horrendus Draco, & omnia regna mundi in ruinam tentati proponens, mortifero promissorum veneno innocentem conatur inficere: *hæc omnia tibi dabo &c.* adeo vt illi congruè Virgiliana illa accomodari possint.

Virg.

Fiet enim subito sus horridus, atraq; Tigris,
Squamosusque Draco, & fulua ceruice Leæna.

non recessit ab hac sententia S. Greg. 33. moral. *Diabolus*, inquit, *dicitur Iumentum, Draco, & Auis. Humanum genus tribus vitijs valde tentat Luxuria, malitia, & superbia. in eis igitur, quos excitat ad luxuriam iumentum est, ad nocendi malitiam Draco est, ad superbiam auis est.* Quoniam igitur triplici nos terret, sub vnico corpore, imagine, ideo videtur mihi cōparari posse Chimæræ mostro illi triformi Poetis decantato, quod ore flammiuomum, priore parte Leonem, Draconem posteriore, media Capram referebat; de quo Hesiodus loquitur in lib. de ortu Deorum, & Homer. Iliad. ξ

S. Greg. Diabolus iumentū Draco, Auis.

Homer.

Prima Leo, postrema Draco, media ipsa Chimæra
Quæ grauiter patulis spirabat naribus ignem.

sed sæuior Chimæra est diabolus, in quo, propter varias tentandi artes, triū istorum animalium symbolum agnoscit S. Leo Papa sermon. 8. de Natiuit.

Diabolus in varia se trās format monstra.

S. Leo

nouit

nouit, inquit, *cui adhibeat astus cupiditatis*, (isti sunt ignes, quos diabolica Chimæra spirat) *cui illecebras gula ingerat*, (factus nimirum vorax Leo, quem crapulæ fuisse hieroglyphicum, testis est Pier. lib. 1. S. sunt etiam qui) *cui apponat incitamenta luxuria*, (& sic salacem capellam imitatur, quæ eadem est, ac Chimæra, eodem Pier. teste lib. 20.) *Cui infundat virus Inuidia*. Quo tamquam sæuus Draco animam inficit. Sed Christus Dominus Bellorophonte fortior, Pegaso vectus, idest, diuinitatis suæ alis eleuatus, triformē hanc Chimæram prostrauit.

Pier.

Pier.

Cum ieiunasset.

Sacer tex.

14 Comparant SS. Patres Quadragesimale ieiunium spirituali cuidā militiæ, & pugnæ, in qua anteactam à prædatore Diabolo, in animarum nostrarum campis prædam repetituri, grauissimum illi bellū indicimus; hinc S. Petr. Chrysol. in principio serm. 12. *Quoniam*, inquit, *ieiunij vernum & tēpus bellorum spiritualium cernimus aduenisse &c.* & ad idem alludens serm. 13. *Ecce*, inquit, *tempus quo miles procedit ad campum, recurrit ad Dei ieiunia Christianus*. propterea primo statim Quadragesimæ die, spiritualis huius militiæ classica circumsonant, iam instare belli tempus, indicitur fidelibus: *Canite tuba in Sion*. Et quoniam maxima, & potissima ductoris prudentia in eo sita est, vt optimam, & quam tutissimam militibus suis stationem eligat; vnde & hostes facile propellere, & se ipsos tueri possint, hinc Christus quadragenarium ieiunium, & ipse seruauit, & suo nobis exemplo indixit, quo tamquam munita statione contineremur. esse enim ieiunium stationem Christianorum militum docuit Sanct. Ambros. serm. 25. *Stationes*, inquit, *vocantur ieiunia, quòd stantes, & commorantes, in eis, inimicos nostros insidiātes repellimus*. & cùm experientia compertum sit, illud Veget. axioma lib. 3. cap. 26. quod *in certaminibus amplius prodest locus, quàm virtus*; in hac statione securius agemus; è qua ducem nostrum victorem recessisse comperimus. Quod si per socordiam, & anteacti temporis negligentiam, multum viribus nostris decesserit, *si membra*, (cum Chrysol. dicam) *sunt nobis hyemali otio mollita; quadragesimali abstinentia præterita compensare, & languentia roborare possumus; si quæ per crapulam amisimus, per sobrietatem reparemus*. Hortatur fideles ad hoc S. August. serm. de Quadrag. *Quoniam*, inquit, *acriori certamine cum tentatore confligitur, ieiunandum est, vt corpus impleat de castigatione militiam*. In hoc distinguitur (pro intelligentia huius dicti) spiritualis nostra à temporali militia, quod sæculares duces extinctorum militum numerum, alios conducendo supplēnt, & fatigatorum corpora, quiete, & cibis reficiunt, primaque Ducum cogitatio, de annona militibus erogādа insurgit; & frugum copia militibus addit animos. sed in spirituali conflictu, vires reficiuntur demendo de victu, roboramur ieiunio, infirmitate conualescimus, & de castigatione corporis, militia impletur; sic enim quæ saturitate perdidimus, esurie reparamus, S. Leo Papa sermo. 1. de Quadr. de ieiunantibus Hebræis dixit. *factum est hoc modo, vt sæui aduersarij, & graues domini esurientibus cederent, quos sibi saturos subiugarant*. quod in spirituali conflictu euenire docuit Orig. homil. 4. in diuers. *Cùm ieiunatis, Dæmones vincitis, omnemq; classem illam malignam retrorsum conuincitis, & vitia effugatis*; restauratis per ieiunium viribus, per peccandi licentiam debilitatis, & vt ait S. Greg. in 3. Psalm. pænit. *caro namque delectationibus pascitur, anima amaritudinibus vegetatur; illam lenia refouent, istam verò aspera exercent &c.*

Tempus ieiunij tēpus pugnæ.

S. Chrys.

S. Chrys.

Ioel.

Ieiunia sunt stationes.

S. Ambr.

Veget.

S. Chrys.

S. Aug. Ieiunantes sunt milites.

Esuries, tēporales sternit hostes, milites victores reddit spirituales.

S. Leo.

Orig.

S. Greg.

Esuriit, & accedens tentator.

text. Sacer

15 Fames, quã post ieiuniũ passus est Iesus, & quæ occasionẽ dedit diabolo tentandi, vt definiunt Philosophi, *est concupiscentia calidi, & sicci.* Arist.2.de Anim.tex.28. statim atque diabolus in te aliquam concupiscentiam, & inordinatum appetitum calidi, idest, inhonestæ voluptatis, & sicci, idest, auaræ parcitatis; aut quamcumq; aliam cupiditatem excitatam fuisse cognoscit, illico accedit. est enim immoderata cupiditas peccantium sæuissima fames, qua cruciabatur filius prodigus, qui Luc.15.℣.17.dicebat. *Quãti mercenarij patris mei abundant panibus; ego autem hic fame pereo?* idest, vt exponit S.Bernard.serm. de diuers. affect. anim. *insatiabilibus crucior peccatorum desiderijs, & affectibus vitiorum.* & Vgo Cardin. exponens illud Prouerb.10.℣ 3.*non affliget Dominus fame animam iusti &c. Quid est*, inquit, *luxuria, nisi fames insatiabilis voluptatum? Quid superbia nisi fames insatiabilis dignitatum? Quid auaritia nisi fames insatiabilis facultatum? quæ quidem continuit his quæ Ioan. dixit: quicquid est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum; aut superbia vitæ.* Cum eiusmodi in te esuriem sensit tentator; non eduliorum solùm, sed aliarum etiam quarumcunque delectationum illico tentaturus te aggreditur. Quicquid præter Deum, & diuina immodicè esurieris, & appetiueris, occasionem tentatori ad te inuadendum datam fuisse scias. qui te lapidibus reficiet, & asperis saturabit, lapidosum panem porrigens. Sicuti contra Deus viuo pane suos satiat, & reficit, de quo dicitur Ioan.6.℣.35.*ego sum panis viuus &c.* & Eccli.15.℣.3. *Cibauit illum pane vitæ &c.* quo refici merito debent ij, qui Deum, & iustitias illius in hac vita esuriunt. quibus æternam saturitatem promittit Christus Luc.6.℣.21. *Beati, qui nunc esuritis, quia saturabimini.* Hic igitur esuriamus, vt in æternum saturemur: *fames enim*, dicebat Riccard. S.Victor.de gradib. charit. part. 1.cap.2. *anima desiderium est.* cùm scilicet dicere possumus illud Psalm. 118. ℣.20.*concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas.* hoc desiderium æterna tãtũ bona extinguunt; quod si quis terrenis istis repleatur, & æternorum esuriem non sentiat signũ est istum iam cælestia bona digessisse: *nam in* corpore sano, ait Abulens. in cap.6.Matth.quęst.163.*quando fames insurgit, natura iam finiuit operationem suam circa cibum*: quem ergo vexat terrenorum ciborum fames, istum iam non sustentant alimenta cælestia.

Arist. | Cupiditas peccatorũ sæuissima est fames. | Luc. | S.Bern. | Vgo Car. | Ioan. | Eccli. | Luc. | Riccard. | Fames terrenorũ arguit vacuitatem cælestium donorum. | Abul.

Dic vt lapides isti panes fiant.

Sacer tex.

16 Graues profectò sunt hostis nostri tentationes, dum delicias, & voluptates nobis obijcit; sed grauiores illæ videntur, quibus nos per necessitatem, & indigentiam vrget; cùm illas vt cumque possimus animo obstinato repellere, & rationis circa eas præcepta sectari: at necessitatis impetus nullum recipit rationis imperium; vnde C. Cato vt refert Plut. in eius vita, dixit: *difficile esse ad carentem auribus ventrem verba facere, venter quippe cibi auidus præcepta non audit.* ideo difficile est ita animum temperare, vt non moueatur cùm audit: *dic vt lapides isti panes fiant*; idest, necessitati tuæ succurre, famem refice; hoc enim conatus est Christo persuadere tentator; & quamuis Euangelista summam tantum tentationis referens dixerit: *dic vt lapides isti, &c.* tamen pluribus Expositoribus videtur verosimile alijs etiam verbis vsum tentatorem, quem ita inducit loquentem S. Cyprian. de oper. Cardin. *succurre, inquit, necessitati si potes; alioquin deficies, & præsentes lapides in panis muta substantiam.* est itaq; sæuissima hæc tentatio, in qua necessitati resistendũ est, quam robustissimum armorum genus esse

Famis tẽtatio grauissima. | Plutar. | S.Cypr.

1. Petr. inde doceo; quia sicuti 1. Petr. cap. 5. ℣. 8. Diabolus comparatur Leoni rugienti: *tamquam Leo rugiens circuit quærens quem deuoret*; ita eidem Leoni rugienti famem assimilauit Hieron. epist. ad Nepot. *milio & pane cibario rugientem satiare ventrem*. S. Hier. sed longè melior videtur ad exprimendã vim famis similitudo qua vsus est Ierem. Thren. 5. ℣. 10. *pellis nostra quasi clibanus exusta est, à facie tẽpestatum famis*: cõparatur fames tempestati propter variam agitationem, & inquietudinem animi; & quemadmodum tempestas cogit omnia bona in mare abijcere: ita nihil habet homo, quod non profundat, quo ab ingruente famis tempestate emergat, quod dixit Ierem Thren. 1. ℣. 11. *dederunt pretiosa quæq; pro cibo ad refocillandam animam*. & nota, quod non vni, sed pluribus tempestatibus assimilatur, *à facie tempestatum famis*; vel quia varijs ventis cogitationum iactatur animus; vel quia propter famem, & naturalem indigentiam omnia tempestati subiecta periclitantur; nec est aliquid in tuto, neque honor, neque vita, ac nec anima ipsa. P. Ghisler. noster: *non sine causa*, ait, *alia interpretatio, à facie plagarum, aut nostra tempestatum pluraliter legit; cùm corporaliter vna sit plaga, vel tempestas; unde magis propter internam doluit famem, quæ multis coaugetur tempestatibus, & diuersis afficitur plagis*. Quod in alia etiam lectione apparet, in qua rei non minus timendæ comparatur fames; nimirum igni: *à facie exustionis ignis famis*. ignis omnia consumit, & necessitas ad nihil non adigit, & cum duo sint elementa maxime formidabilia, ignis, & aqua; vtrique propter suam vehementiam, impetus tentationis famis comparatur.

Ierem. Fames tẽpestati cõparata. — *Ier.* — *Omnia periclitantur tempore famis.* — *P. Ghisl.* — *Fames, ignis omnia consumens.*

17 De eadem fame dicitur Prouerb. cap. 6. ℣. 11. *& veniet tibi tam quã viator egestas, & paupertas quasi vir armatus*. exprimuntur tentationes, quibus multos premit fames, per similitudinem viatoris, & armati. Quoniam enim in superiori ℣. meminerat sapiens modici somnij, *paululum dormies, paululum dormitabis*, quasi egestas, non interdiu tantum, sed etiam noctu affligat, neque sinat dormire, ideo statim subdit, cui possit comparari, cum interdiù contra quempiam furit. *veniet quasi viator*; quorum verborum vim melius intelligemus, si cũ Salaz. iuxta originalem vocem, per *viatorem*, prædonem, & grassatorem viarum significari dixerimus in viatorem subito è latebris insiliẽtem. quem sensum illustrat translatio Lxx. Interpr. qui legunt: *& superueniet, quasi malus viator paupertas*, idest, egestas more latronis è latebris erumpentis, te inuadet, atque (vt latronum mos est) bonis omnibus, animæ, & corporis te spoliabit. & in hoc denotatur, maior vis paupertatis, quam per tẽpestatem, quia in tempestate, etiam si bona profundantur, saltem vitæ consulitur, Iob. 2. ℣. 4. *pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo dabit pro anima sua*, sed in prædonum occursu, cùm alia bona, tùm ipsa etiam vita periclitatur; eiusmodi etiam est necessitatis vis, vt omnia in summum discrimen adducat.

Prou. Fames, viatori, & armato cõparatur. — *Salaz.* — *Fames, latro è latebris erũpens.* — *Iob.*

18 Est magis hoc propositum exaggeratur per id quod subdit Sapiens: *& paupertas quasi vir armatus*, qui viatore, aut hoste prostrato, omnia eius arma, & spolia auidissimè rapit. aut iuxta Chaldaic. paraphr. malimus legere: *sicut vir rectus*, idest, sicut *iustus iudex* (in scriptura enim idem est *iudex*, & *vir rectus*, vnde ad normam rectitudinis vitam sibi esse dirigendam intelligant Iudices) qui reum bonis omnibus mulctat; eius modi etiam est fames, quæ omnia aufert. Quin adeo ad peccandũ, vel allicit, vel verius quasi cogit paupertas, vt sicut eorum peccata, qui maximum aliquod ad peccandum stimulum habuerunt, propter incentiuum leuiora, & excusabilia aliqua ex parte reputantur, ita vt, qui pp. paupertatem peccant, videantur quo-

Iudex idem ac rectus. — *Fames omnia aufert.* — *Peccata pauperũ leuiora.*

dam-

Petron. dammodo minus peccare. Petronius.

Quisquis pauper peccat, minus est reus.

Quin adeo difficile est resistere tentationibus summæ paupertatis, vt quasi impossibile iudicauerit *Arist.* Arist. 1. Ethic. cap. 8. eum qui ab illa opprimitur, posse ad laudabilia peragenda eleuari: *impossibile est*, inquit, *pauperem operari bona.*

19 Et propterea fortasse Paterfamilias, de quo *Luc.* Luc. 15. facile indulsit filio prodigo, qui paternam nobilitatem vili porcorum pastione maculauerat, quia vt habetur ℣. 14. *postquam omnia consumasset, facta est fames valida in regione illa, & ipse cepit egere; & ipse adhæsit vni ciuium, &c.* idest, per peccatum ex nobili, ignobilis, ex diuite, pauper; ex abundanti, egenus, ex domino, subditus factus est. vnde *S. Bern. Fames ad peccatum impellit.* D. Bernard. serm. de diuer. affection. anim. &c. *nota*, inquit, *quod famis necessitate ciui maligno dicitur adhæsisse, sicut Israel tempore famis descendisse legitur in Aegyptum*; quare sicut fames coegit filios Iacob ad eundũ in Aegyptum; ita multos ad Aegyptum peccatorum dirigit. *Periculosa plane, & perniciosa esuries*, subdit *S. Bern.* Bern. *quæ liberos addicat miseræ seruituti, subijciat operibus luti, & lateris; porcis associet, imo & seruos faciat esse porcorum.* & hinc soluemus apparentem repugnantiam, quæ videtur esse in Scriptura *2. Reg.* 2. Reg. 24. ℣. 13. *Cumque venisset Gad ad Dauid, nunciauit ei dicens; aut septem annis veniet tibi fames in terra tua &c.* pro quo Lxx. legunt. *elige tibi fieri; si veniet tibi tres annos fames*; quin & in *1. Paral.* 1. Paralip. c. 21. ℣. 11. 12. in eiusdem rei narratione, omnes textus concorditer legunt: *elige quod volueris, aut tribus annis famem, aut &c.* cur dicet quis, primo septem famis anni proponuntur Dauid, pro quo numero *Illustratur locus Paral.* Lxx. reddunt *tres*, & totidem etiam in libb. paralip. commemorantur? multa dicunt Expositores, vt hæc loca concordent; adeo vt plerique non iudicauerint posse hanc contradictionẽ tolli, nisi cõcedamus in alterutro locorum mendum esse, & ex duarum vocum similitudine errorem obrepsisse, vt dicit Sanct. ad cap. 24. libr. 1. Reg. sed ad rem nostram, visa est Deo adeo grauis pæna, penuria septem annorum, vt *Sanct. Pæna famis grauissima.* nec Dauid illam acceptare posset, nec sustinere populus; quare in libb. Paralip. qui sunt additamenta librorum regalium, numerum coarctauit, & dimidio minorem pænam proposuit. accessit ad hanc solutionem Abulens. in *Abulens.* cap. 24. lib. 2. Reg. quæst. 20. circa finem: *alter etiam*, inquit, *dici potest, quòd Deus iuberet Propheta, vt proponeret Dauid septem annos famis, & si videretur ista conditio grauissima Dauid & non eam acceptaret quod proponeret ei an vellet sustinere tres annos famis; & proponenti Gad septem annos, & deinde tres, neutrum acceptauit.* propter grauitatem pœnæ, & propter maxima pericula, & offendicula, quæ fames obijcit.

20 Et notanter dicitur famis *conditio grauissima*, eiusmodi enim solet esse paupertas, quæ instar grauissimi lapidis deprimit, vt dixit Alciat. embl. *Alciat. Pauperies, onus grauissimum.* 121. vnde apud Græcos passim circũfertur senarius ille.

Nullum pauperie molestius est onus.

sed hoc onus subleuari posse, & paupertatis miserias tolli, ac demum *lapidem in panem conuerti* suadet Diabolus, si quis eius velit vocibus obsequi; promittit enim fore, vt *lapides*, idest, *paupertas*, in deliciarum, & diuitiarum panem transeat; & ita perniciosa est, & noxia ipsius impia suasio; exprobrans enim egentibus paupertatis incommoda, hortatur eos, vt pane malint refici, hinc ad furta, & rapinas eos inducit, vt sic lapidem paupertatis, panem deliciarum faciant: procurat vt mulier pudicitiam prostituat, vt durum paupertatis lapidem, in panem commoditatum conuertat.

21 Quod autem Diabolus Christum, & fideles maximè de gula tentet

Pier. lapides porrigat, eius facit meminisse quod scribit Pier. Valer. lib. 2. § sũt qui. *Rhinoceros*, ait, *nascitur natura hostis elephanto; cornu id ad saxa limato, se præparat pugnæ; in dimicatione aluum maximè petit, quam esse molliorem intelligit.* Rhinoceroti similem esse dicemus Dæmonem; quemadmodum enim huic animali summa tribuitur fortitudo, Numer. c. 23. ℣. 22. *cuius fortitudo similis est Rhinocerotis*, ita etiam Dæmoni, & ideo Interlin. ad hæc verba Numer. *similis est Rhinocerotis*, ait, *Qui luctatur contra Principes, & potestates, & mundi huius rectores*, limitat, & acuit cornu suæ astutiæ, & tentationis ad saxa esuriei, ijs enim inescare quæsiit Iesum, *dic vt lapides isti panes fiant.* inter saxa autem fames moratur Ouid. 8. Metamor.

Diabolus Rhinoceroti similis.

Num.

Ouid.

Quærtamque famem lapidoso vidit in antro.

aluum maximè petit, quam esse molliorem intelligit, quia ventrem, in quo hominem mollissimum esse cognoscit, & imparem ad resistendum, maximè petit; gulæ insidiatur; inter famis enim angustias non est rationi locus, qua interpellante frustra consultationi quis vacat, ideo per intemperantiam gulæ, & gustus, hominem maximè ad bruta accedere docuit Aristot. 4. Eth. cap. 11. *circa eiusmodi voluptates temperantia, & intemperantia versatur, quæ cæteris quoque animalibus communes sunt.* ideo vbi de pastu agitur non admittuntur honestæ rationes. hinc Senec. epist. 21. *venter*, inquit, *præcepta non audit, poscit, appellat*; ideo in hac parte qua mollissimus est homo, facile illum conficit aduersarius.

Fames cõtra rationem pugnat.

Intemperãtia brutũ efficit. Arist.

Senec.

22 Et quamuis solius panis meminerit Euangelista, tamen, per hunc cætera omnia edulia, quæ in homine appetitum, & desiderium inordinatum excitare possunt, intelligunt; hæc enim in Scriptura sæpius *panis* nomine significantur; vt cum dicitur Eccli. 29. ℣. 28. *initium vitæ hominis aqua, & panis*; per *panem* omnes cibi intelliguntur, nam Lyran. *aqua, & panis*, exponit, *idest, potus, & cibus. nam frequenter in Scriptura nomine panis, & aqua intelligitur cibus, & potus; & generaliter; vnde 3. Reg. 6. apponens ei panem, & aquam: & subditur; & apposita est eis magna ciborum præparatio.* in hac ergo tentatione, etiam si *panis* tantum fiat mentio, omnia tamen gulæ irritamenta significantur; & dum dixit: *dic vt lapides isti panes fiant*, perinde est, ac si dixisset; misso austero, & rigido, mollem, & delicatum victum instituas. Hinc discimus, quod etiam in deserto cupiditatum, & deliciarum recordatione nos vexat. *in pane*, ait Incert. sub nomin. emiss. *omnia ciborum genera significantur, secundum illud, intrauit Iesus in domum cuiusdam Principis Pharisæorum Sabbato manducare panem.* sed inter hæc blandimenta ventris, & gulæ illecebrosas voluptates, cogitandũ quantũ animæ decedat, dũ corpori accedit; & quod illa maciem ducit, dum istud impinguatur. Cibis illa opprimitur, hoc effertur, *quando igitur*, subdit idem auctor, *hæc tibi in mentem venerint, & oblitus eorum, quæ animæ sunt, sola ea, quibus caro delectatur impinguatur, & superbit, cogitare cæperis; recordare, quia in deserto es, tentat te inimicus, & cibos suos tibi apponit, inuitat te ad carnis voluptatem, inuitat te ad crapulam, & ebrietatem. scit enim quantum caro his superbit, & eleuatur, scit quantum anima his premitur, & superatur.* hac parte qua te molliorem sentit petit.

Panis nomine omnis cibus intelligitur. Eccli.

Lyran.

Incert.

Voluptatum memoria aliquando tentamur

23 Hinc in deserto panes commemorat, quia inter angustias, & calamitates; delicias, & voluptates obijcere hominibus satagit; quibus fideles à rectitudine, abducere ad peccata contendit: propterea enim petit vti lapides in panem conuertat, quo deliciosæ, & voluptuosæ vitæ recordatione, post longam illam abstinentiam delectatus, ad eadem appeten-

Inter angustias, delicias suadet tẽtator.

Deliciæ, facilè homines capiunt.

da excitaretur, vt igitur intelligas, quã leue sit diabolo homines delicijs capere, & illaqueare. non impulsum, nec tractum, sed *ductum* Christum fuisse in desertum dicit Matth. vt doceat, quod leui qualibet persuasione illecti homines, facile se delicijs permittunt, ijsque voluptatibus, quæ animam prolectant, inficiendos tradunt; vnde postmodum sequitur morum, & virtutum omnium corruptela. Nec absimilis est illa facilitas, qua homo, ad diuitias, & honores inuitatus, non trahi, nec cogi debet, sed tantum *duci*; quod est leui cuilibet persuasioni assentiri; quare Luc. cap. 4 ℣. 5. *duxit*, inquit, *illum diabolus in montem excelsum, & ostendit ei omnia regna mundi &c.* ducitur homo facile ad honores, & diuitias, qui si sciret quantæ sit difficultatis bene illos administrare, etiã oblatos respueret, & vix tractus, & impulsus ad eos accederet. Quod cùm in sæcularibus; tum multo verius est in Ecclesiasticis dignitatibus, ad quas diabolus homines facillime ducit, postquam in sanctam Ciuitatem assumpsit; hoc est ad eum locum, & Ciuitatem duxit, in qua Summi Pontifices resident, estq; Roma, quæ sancta Ciuitas dicitur.

Hominis propensio ad diuitias, & honores. Luc.

Sacer tex.

Statuit eum supra pinnaculum templi.

24 Apparet inter has tentationes non leue discrimen, etiam ex verbis Euangelistæ; qui gulæ tentamenta narraturus; *ductus est*, inquit, *in desertum à spiritu, &c.* itidem, cùm diuitias, & opes maximas vult illi proponere: *duxit illum*, ait Luc. 4. ℣ 5. *in montem excelsum valde*. quando autem eundem in templo est tentaturus, non satis habuit Euangelista dicere. duxit illum in Ciuitatem Hierusalem; sed addidit: *& statuit eum supra pinnaculũ tẽpli*. an non satis fuisset illum, ad istũ, quemadmodum ad aliarum tentationum locum ducere? quare igitur hic specialiter ponitur: *& statuit eum supra pinnaculum?* Hoc factum est, Primo vt Dæmonis versutiam, & hominum insipientiam hinc colligas; *pinnaculum* enim dicitur *parua ala*, seu *pinnula*, vt in sensu litterali diximus. hic igitur homines *statuit* diabolus, idest, rei maximè volubili, & instabili cuius *penna*, seù *pinnula* symbolum est addicit; pennis sustentantur, quos diabolus statuit supra pinnaculum; pennas leuis ventus tollit, ita inanes istorum cogitationes, quilibet diuinæ vindictæ turbo. liquescentibus ceris, Dedaleæ pennæ defluxerunt: ita, deficientibus Dei gratijs, ambitiosi præcipitant in miseriarum mare. vel *statuit*, quia *statuere*, est, firmiter collocare; & videtur ductum à statuis, & rebus diù permansuris in loco, in quo collocantur. ad hanc significationem, *statuit illum diabolus*, idest, stabiliter collocare præsumpsit, ne propter loci lubricitatem, etiam nolens, & inuitus caderet; vide igitur quàm lubrica, & procliuis sit *supra pinnaculum* sessio, cùm ne diabolus quidem æstimet quemquam ibi posse consistere, nisi artificiosè firmiter statuatur; ideo non solùm duxit, sed etiam *statuit eum supra pinnaculum*. Vel hinc colligamus quòd simili etiam tentatione eos aggreditur quos *in pinnaculo* Ecclesiarum *statuit*; hoc est, in regimine Ecclesiarum ponit. Incert. sub nomine Euseb. emiss. *illi*, inquit, *à diabolo supra pinnaculum templi eleuantur, qui dum se idoneos esse putant qui Ecclesiam Dei regere possint, Ecclesiæ Prælati, & Episcopi fieri nituntur. neque enim se aliter Christus illuc à Diabolo duci pateretur, nisi quia tales Christiano suo nomine præsignitos, in hoc facto significare volebat.* ijs itaq; non solùm persuadet, vt ad Ecclesiæ culmina studeant peruenire; sed etiam vt omni data opera, ibi velint se ipsos *statuere*, adeo vt Ecclesiastica ita possideant, tãquam inde nunquam amouendi, & hæc quidem maxima tentatio est viris Ecclesiasticis, quorum dignitates ad hæredes non transmittun-

Luc.

Rei volubili suos addicit diabolus.

Lubricitas rerũ temporalium.

Incert.

Templi pinnaculum, Ecclesiam designat.

Studen aliqui statuere se in rebus Ecclesiasticis.

tur

tur; neque Ecclesiastici census ad posteros deducuntur, sicut sunt vt plurimum bona temporalia; cogitant ergo aliqui, sed frustra, statuere se supra pinnaculum, idest, ab Ecclesiasticis dignitatibus, & reditibus non deficere, ideo hic tantùm.i de templi pinnaculo dicitur: *statuit supra pinnaculum*; non autem, cum *assumpsit eum in montem excelsum valde*, vbi sæcularia bona, & dignitates erat oblaturus, iuxta illud Psal. 82. ℣. 13. *qui dixerunt, hæreditate possideamus sanctuarium Dei*, sed iusto Dei iudicio euenit, vt dum volunt ibi fundari, & statui; maximè instabiles sint, & mobiles, vnde subdit David. *Deus pone illos, vt rotã: & sicut stipulam ante faciem venti*, quæ est signum inconsistentiæ, & inconstantiæ. Aut his verbis: *statuit eum supra pinnaculum*, illud nobis innuit Spiritus sanctus, diabolum, eiusque sectatores aberrare quàm maximè, dũ se in rebus mundanis stabilire, & fundare volunt, quasi nunquam inde excidendi, & res ipsas perpetuò credunt permansuras; sed re vera cæcutiunt, dùm *supra pinnaculum* statuere se volunt; quid enim pinna, seù penna leuius, & inconstans magis? huiusmodi sunt terrena omnia; vnde dicebat Salomon Prouer. 23. ℣. 5. *ne erigas oculos tuos ad opes, quia facient sibi pennas quasi aquilæ, & volabũt in cælum*. vide ergo hominum dementiam, qui in pennis se, suaq; fundant, & statuũt.

Psalm.

Cæcitas est in rebus mundanis firmitatem quærere.

Prouerb.

25 Quod autem *pinnaculum*, dignum tanto certamine agonem fore reputauit diabolus, documento est, etiam in locis sacris sæuissimas ab eo tentationes contra nos excitari; quæ eo videri debent periculosiores, quia cùm in alijs tentationibus non destituat nos diuinum auxilium, quo munimur, vnde dicebat Paul. 1. Corinth. 10. ℣. 13. *fidelis est Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis &c.* in Ecclesijs tamen, & locis sacris, dantes diabolo locum, tanquam indigni quasi deseruntur, & speciali

Quasi deserit Deus eos qui in Ecclesia peccant.

Dei patrocinio destituuntur, qui in Ecclesijs peruersa agũt. vnde legimus Ezech. 9. ℣. 3. *& gloria Domini Israel assumpta est de Cherub, quæ erat super eum, ad limen domus*; idest Dominus ipse recessit de tẽplo, vt exponit Vgo Cardin. deserens ibi peccatores, qui irreuerenter in Ecclesijs versantur; eosq; dæmonum potestati magis permittens. Pro quo etiam considera, quòd in hac sola tentatione præcipitium Christo persuadet; neque enim in monte dixit: *mitte te deorsum*; neq; in deserto; sed *in pinnaculo*; quia inde tantum præcipitium hominibus minatur; illinc eos ad ima præcipitat, facilius in Ecclesijs, & Ecclesiasticis personis illi est persuadere *mitte te deorsum*; de quibus loquens auctor Incert. sub nomin. emiss. *semper*, inquit, *hi tales se deorsum mittunt, qui solas diuitias, gloriam, & dignitates quærentes, quotidie deteriores fiunt*. est enim mittere se deorsum, in deterius labi. & S. Maxim. homil. 2. in hoc Euangel *vere cadit*, ait *qui potestates honoresque mundi per artes sacrilegas, inimico promittente sectatur*.

Ezech. Recedit Deus ab Ecclesia in qua sunt scelera. Vgo Car.

Incert.

S. Max.

26 Præterea in eo, quod dixit, *& statuit*: videtur eos instituisse, qui Ecclesijs præsunt, est enim regula eiusdem Incerti, *quod* (Saluator in his tentationibus) *omnium personas, bonorum scilicet, & malorum in se significando suscepit, quando se à diabolo tentari permisit*. debent itaque animarum Pastores esse instar statuarum, quæ per se non æstimantur, nisi inquantum illustrium virorum imagines referũt; ita Prælatus ad Dei imaginem conformatus, erit venerabilis. Præterea statua est insensibilis, imò Thebani, vt docet Alciat. embl. 145. etiam statuam Principis, sine oculis faciebant: eiusmodi debent esse Ecclesiastici, insensibiles, & cæci ad humana; vt (quod de Tiresia dixerunt veteres) profutura diuinare possint. Videmus etiam, quod statua permanet firmiter in loco, & sede sua. Ita Præsul non va-

Incert.

Prælatus quasi Dei statua, & imago honorandus

Alciat. Ecclesiastici cæci ad humana.

Prælatorũ iugis residentia

gus,& erro,debet esse,sed permanens, & residens in Ecclesia quasi statua immobilis,& firma; ideo dicitur: *statuit eum supra pinnaculum templi*, hoc est, stabiliter,& immobiliter collocauit.

text. Sacer

Mitte te deorsum.

Instigat, non cogit diabolus ad peccandum.

27 Vel hinc diaboli imbecillitatem collige, qui quoniam viribus, & robore nequit, instigationibus, & adhortationibus ad peccandum inducere nititur. neque enim ipse per se potest quemquam nolentem ad peccatum adigere, Sanct. Chrysost. de hac tentatione: *non impulit*, inquit, *non tetigit, non appropinquauit; sed tantum dixit: mitte te deorsum; vt intelligamus quòd, qui obedit diabolo, ipse se deponit, diabolus enim suggerere potest, cogere non potest*. hoc contigisse in Iudæ suspendio optimè declarat S. Ignat. Martyr epist. 8. ad Philipp. quem vt perderet, neque ipse laqueum aptauit, aut suspendit, sed tantum indicauit: *diabolus*, inquit, *pænitentiam immisit proditori* (seram, intempestiuam pænitentiam, & desperationi præuiam) *& laqueum illi commonstrauit, & suspendium, quo strangularetur, edocuit*; cur non ipse suspendit? est adeo debilis, vt ne vnum quidem hominem, iam mori certum, possit strangulare; & ideo dixit: *mitte te deorsum.* Offerente quodam Alexandro Macedoni, hostes tuto, & incruento marte opprimi posse, si noctu aggredi illos voluisset, *ignauorum esse*, dixit, *& viribus suis diffidentium, nocturnam victoriam; fortes malle interdiu facinora sua prodere.* Diabolus itaq; quos ob suã ignauiam, & vilitatem superare se posse diffidit, hos nocturnis tenebris adiutus aggreditur, & opprimit. ita Matth. 13. ℣. 25. *Cùm dormirent homines &c.* tunc semisopitos decipit, & seminat zizanium. quod expendens Sanct. Chrysol. serm. 97. *in diebus*, inquit, *vigilantes fugit, appetit dormientes; fortis conflictum petit, prouocat palàm spectantibus omnibus, & coram populis vult habere victoriam. maximum infirmitatis indicium est irruisse dormientibus: cum autem dormirent, &c.* vel dixit: *mitte te deorsum*; vt deinde hominibus voluntaria peccata exprobrare possit, & qui nõ coacti, sed spontè errauerint, multo grauius esse puniẽdos Sanct. Chrysost. hom. 5. ex var. *non dicit mitto, ne vim facere videatur; sed mitte te deorsum dicit, vt ostendat. quod vnusquisque nostrum libertate arbitrij, voluntatis sua culpa cadit in mortem.* nititur ille suadẽdo: si tantundem contranitamur resistendo, nõ potest illius imbecillitas esse par nostris viribus.

S. Chrys. — S. Ignat. — Alexãdri Macedonis dictũ. — Dæmonis ignauia. — Matth. — S. Chrys. — Voluntaria peccata exprobrat dæmon. — S. Chrys.

Sacer tex.

Scriptum est: Rursus scriptum est.

28 Quòd Dominus noster iteratis tentationibus impetitus, semper se scripturarum testimonijs tueri voluerit; magnum nobis documentum est vtilitatis, quã ex sacris litteris excipere possumus. Hinc colligit S. Greg. homil. in hoc euãg. sacras litteras nobis ad patientiam, & sustinendas iniurias sũmopere posse prodesse: *Quod in hac tentatione Dominica*, inquit, *considerare debemus est, quia tentatus à diabolo Dominus, sacri eloquij præcepta respondit, & qui eo verbo, quod erat, tentatorem suum mergere in abyssum poterat, virtutem suæ potentiæ non ostendit; sola diuinæ scripturæ præcepta edidit, quatenus nobis suæ patientiæ præberet exemplum; vt quoties à prauis hominibus aliquid patimur, ad doctrinam potius excitemur, quàm ad vindictam.* Quod si singula tentationum capita percurrere velimus; sapientissimè ab eo scripturarum testimonijs elusum fuisse tentatorem intelligemus; & nobis ad idem faciendum celebre relictũ fuisse exemplum; quod monuit B. Thom. à Villa noua Domin. 1. Quadr. Concion. 1. *valde*, inquit, *nobis in hoc commendauit Sacram scripturam; dum omnes istos diabolicos conflictus Sacræ scripturæ au-*

S. Greg. Non ad vindictã, sed ad sacrã scripturam recurrendũ. — Sacra scriptura contra omnes tẽtationes. — B. Thom. à Villa noua.

Floritatibus superauit; vt nimirum doceret, nos etiam ad eãdem scripturam recurrentes posse ab omnibus tentationibus euadere. *Dominus* ait Christ. Druithm. *in istis verbis insinuauit, quid facere debeamus quando tentamur, videlicet ad mentem reducere verba sacri eloquij, & nostras tentationes per eadem verba compescere*. Ideo Christus in deserto constitutus, post longam abstinentiam esuriens, tentatus de gula, ne tentatori succumberet, ad scripturam recurrit, sciebat enim, quod inde sobrietatis normam haurire poterat, de qua dicitur Sapient. 8. ℣. 7. *sapientia sobrietatem docet*. Panem non tam ad vsum, quàm ad superuacuas delicias præparare iussus, sacram Scripturam tanquam suauiorẽ panem prælegit; *non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*, & vt dicebat German. Constantinopolit. in exposit. orat. Domin. *sicut enim panis corporis hic est, quo vescimur; ita animæ panis verbum Dei est*; In naufragio paupertatis positus, & à facie tempestatum famis agitatus, ad sacram Scripturam, vt portum confugit; nã S. Theoph. epist. 2. sacram Scripturam *portum quietis*, appellauit. In deserto arido, & infrugifero, ad Scripturam floridam, & virentem respexit idem Theophyl. *carpentes* (in sacris litteris) *flores scientiæ, per picta sermonum cælestium prata discurrunt*, nec florum tantum fragrantiam, sed fructuum etiam suauitatem habemus in Scripturis. S. Chrysost. homil. 1. ad Popul. de scriptura. *non fragrantiam solummodo habent eius flores, sed & fructum qui animam nutrire possit, vt viuat in æternum*. in deserto horrore omnia squallent, sed in sacra Scriptura, forma, & pulchritudine omnia nitent, & vernant. Sapient. cap. 8. ℣. 2. *amator factus sum formæ illius*. quem locum de sacra Scriptura interpretatur S. Theophyl. loco citato. In deserto loco, & solitario quasi in loco minimè munito, Dæmoni patet ad nos accessus; sed Scriptura sacra tanquam validissimo muro vallamur, & munimur; quare idem S. Theophyl. ibidem de ijs, qui hoc muro circumdari non curant, sic loquitur: *Qui autem relinquentes Dominicæ solemnitatis virorem, ad deserta trascendunt, in morem vrbium, quæ absque muro sunt, hostiles Dæmonũ impetus sustinent*. constitutus demũ in deserto Christus, in *Paradiso* sacrarũ Scripturarum mentem habet. sic enim eas appellauit Andr. Cretens. orat. 2. in exaltat. S. Crucis: *Ingrediamur*, ait, *in ipsum scripturarum Paradisum*; ita enim fiet, vt mũdus iste, qui propter peccatum factus est desertum, in amæna vireta conuersum, bene olentibus virtutum floribus redundet, vt vaticinatus est Isai. cap. 51. ℣. 3. *ponet desertum eius quasi delicias, & solitudinem eius quasi hortum Domini*; quod Christo in deserto tentato videtur cõtigisse, tunc enim inter delicias Dominici, horti, idest, sacrarum Scripturarum semper ambulauit.

Christ. Druith.

Sacra Scriptura contra gulam.

Sap.

Sac. scriptura panis.

German.

Sac. scrip. portus quietis.

S. Theoph.

Sac scrip. pratus virentium florũ, & fructuum

S. Chris.

S. script. pulchritudo.

Sap.

S. Theoph.

S. script. murus quo vallamur. S. Theoph.

S. script. paradisus

Andr. Cret.

Isai.

29 Nam etiam de vana gloria, & ambitione in altero congressu tentatus: *mitte te deorsum*; adhuc scripturarum viridaria perambulat. *rursus scriptum est, non tentabis*. si quis enim gloriam, & extimationem hominum appetit, hic in sacris litteris spatietur, quæ hominum studia, & obsequia mirum in modum conciliant; vnde Sapient. 8. ℣. 10 dicit Sapiens: *Habeo propter hãc charitatem ad turbas* (idest multum diligor à turbis,) *honorem apud seniores iuuenis*. Postremo diuitiarum, & regnorum tentationem passus Christus; *hæc omnia tibi dabo &c.* ex scripturarum amænissimo horto decerptis floribus, noxium diabolicæ tentationis virus arcet. *Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis &c.* conuenienter hac vna ratione nimium diuitiarum appetitum excludens, aut propter eas quicquam indignum viro probo committendum esse affirmans, cùm sacra eloquia quacumque nos dignitate dignos reddant. Sapient. vbi su

Sac. scrip. amorem conciliat.

Sap.

S. script. amorẽ diuitiarum tollit.

Sap.

pra ℣.14. *disponam populos, & nationes erunt mihi subditæ*. & cap.7. ℣.8. *Inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ, & proposui illam regnis, & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius*. quid enim mundanas diuitias plurimi faciat is, cui diuinarum scripturarum immensa eloquia suppetunt? de quibus alleg. cap. 8. Sapient. ℣.5. dicitur. *si diuitiæ appetuntur in vita; quid sapientia locupletius, quæ operatur omnia?* concludamus itaque cum B. Laurent. Iustinian. de Cast. Connub. cap. 6. *expediens esse, vt sanctarum meditationibus scripturarum se muniat, quicumque cum maligno spiritu vult habere conflictum*, quod Christi Saluatoris exẽplum compertissimum, certissime nos docuit.

B. Laur. Iustin.

Non tentabis Dominum.

Sacer tex.

Infideles sunt qui Deum tentant.

30 Signum modicæ fidei est tentare Dominum, idest noua signa, & beneficia ab eo petere; & superuacuis operibus illius maiestatem fatigare; neque ijs argumentis bonitatis, & omnipotentiæ eius acquiescere, quibus etiam Ethnici persuasi, dari immensum hoc, & omnipotens numen, quod veneramur, affirmarunt. Sine cuius prouidentia, neque hic mundus consistere, neque inuariabilis motus, tam diuturno tempore durare potuisset. Hinc ad illa verba Dauid Psalm. 77. ℣.56. *& tentauerunt, & exacerbauerunt &c.* ait Vgo Cardin. *tentauerunt, propter infidelitatem*. In quo illi sunt magis Deo infesti, qui nulla cogente necessitate beneficia, & miracula elicere temere præsumũt; vt diabolus Christum, nulla vrgente causa ad præcipitium hortatus fuerat: *mitte te deorsum*. Quamuis enim putent plerique ita gloriam Dei augeri, si omnipotentiam suam mirabilibus signis manifestet; vt cum Isai. 7. ℣.12. dixit Achaz, *nõ tentabo Dominum*; bene in altera trãslatione, teste Vgon. Cardin. legatur, *non exaltabo Dominum:* tamẽ immensæ illius bonitati, & augmenti incapaci omnipotentiæ detrahunt, qui illam exploraturi signa exigunt. Quare Saluator Matth. 12. ℣.39. Pharisęos signum petentes; *generationem adulteram* appellauit; quia sicuti adultera, honorem viri cõmaculat, & minuit quãuis fingat se eum amare, ita, qui superuacua à Deo signa requirit, illius omnipotentiam deprimit. Tentant etiam Deum, qui oscitanter, & negligenter aliquid ab eo petunt, vnde oraturos hortatur ad diligentem præparationem Eccli. 18. ℣.25. *ante orationem præpara animam tuam, & noli esse sicuti, qui tentat Deum*. Sed omnium maximè videntur illi tentare Deum, & grauissime errare, qui, nimium de illius custodia cõfisi, temere se in pericula conijciunt, è quibus cum euadere non possint, desperant; ideo Iudith. 8. ℣. 11. cũ quidã tẽpus statuissent intra quod diuinam miseratione sibi auxiliarẽ expectare deberent, quo elapso non amplius illius auxilio fiderent; indignata, & zelans Iudith mulier sanctissima, ita illos corripuit. *Qui estis vos, qui tentatis Dominum? non est iste sermo, qui misericordiam prouocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accendat.* Quare Achaz offerente Isai. cap. 7. ℣. 11. *pete tibi signum à Domino &c.* tamen, vt voluit Epiphan. & etiam S. Ambr. in Psalm. 118. modestiam, & humilitatem seruans, renuit, petendo signum, Deum tentare, & respondit. ℣.12. *non petam, & non tentabo Dominum &c.* quamuis alij aliter hunc locum exponant.

Psalm. Vgo Car.

Isai.

Matth. Deo detrahunt qui impotune sign quærunt

Frigide orare est Deum tentare. Eccli.

Iudith.

Epiph. S. Ambr.

Ostendit ei omnia regna mundi.

Sacer text.

31 Imitatur diabolus in tentationibus turpes fæminas, quæ fuco turpitudines occultant; & subdolos mercatores, qui mercium vitia aureis bracteis operiunt, ne incauti emptores maculas subesse sentiant; & rem per se contemptibilem, propter addita ornamenta facilius comparent. S. August.

Artes diaboli in tentationibus

S. Aug.

lib.

lib. quæstion. vtriusque testam. tom. 4. *Quædam applicat diabolus quasi velamina, quibus iniquitatem contegat, vt videntes fallantur; non potest enim sola impietas proponi, quia non inuenit emptorem, & vbi lux diaboli est, si ipse nominetur, horretur.* nouit diabolus, quod nemo cognita turpitudine peccati illud amplecteretur, ideo illam, quantum fieri potest infucat, & tegit; res mūdanas, quas nemo bene cognitas acciperet, lenocinijs circum positis, tanquam speciosas vænales habet; sic Christo, vt mundum appetibilem esse persuaderet, regna mundi, & gloriam eorum ostendit. hinc Gloss. ord. *ostendit*, inquit, *non quod visum eius, qui omnia videt ampliauerit, sed vanitatem mundanæ pompæ, quam amabat, quasi speciosam ostendens* (non est speciosa, sed diabolica arte, quasi speciosa amatur) *facere amari volebat.* & ideo ostē dit ei hæc omnia *in momento*, addit Lucas, quia si homines attentè, & considerate hæc respicerent, nunquam profecto ijs animum applicarent; sed in momento ea videntes, præsertim à diabolo infucata, eorum apparenti specie decipiuntur.

Occultat diabolus peccati turpitudinem.

Gloss.

Cur in momento mundana ostendantur.

32 Non dedit, sed *ostendit.* quia ipsa visio magis desiderium habendi mundana excitat, quam possessio. maiora videntur hæc bona, & magis alliciunt visa, & ostensa, quam accepta. verum est in istis quod dictum fuit; *minuit præsentia famam.* Sed de diuitijs diuinis è contra illud verificatur, quod dixit Regina Saba admirata sapientiā Salomonis. 3. *Reg.* 10. ℣. 7. *probaui, quod media pars mihi nunciata non fuerit; maior est sapientia, & opera tua, quam rumor quem audiui.* mundana quanto magis tractamus, eo viliora apparent: diuina contra, quo subtilius speculamur, eo magis videntur æstimanda. quod sentiens diabolus mundana ita proponit, vt in ijs ea manifestet, quæ alliciunt, quæ verò horrere debemus occultet. ostendit Christo regna, & gloriam, occultauit difficultates in acquirendis, assidua pericula in ijsdem conseruandis. Vnamquamque rem duplicem ansam habere dicebat sapiētissime Epictetus in Enchir. tolerabilem vnam, intolerabilem alteram. matrimonium contrahere v. g. ex vna parte iucundum est, ob susceptionem prolis, & spem posteritatis, hæc ansa est tolerabilis; sed potest etiam esse iniucundum, si vxor sit morosa, & filij degeneres, hæc ansa est intolerabilis. diabolus ergo cum aliquid promittit, ansam intolerabilem occultat, & tolerabilem obijcit, quo res oblatas apprehendamus libentius, ita Christo gloriam, non dedecus regnorum mundi ostendit. sed in eo est nostrorum temporum deploranda miseria, quod cum diabolus Christum, ne totius quidem mundi oblatis diuitijs, & gloria flectere à rectitudine potuerit, nunc tamen fideles ob minima quædam, vel nulla illectos decipiat. alios ob vilem, & modicam pecuniam ad furta compellens, vt Iudam ob triginta denarios ad proditionem, & suspendium, plures ob mediocres, & transitorias dignitates ad illicita, nonnullos ob inhonestas voluptates, ad turpia, & homine indigna.

Ostenduntur mundana non dantur, ut desiderium excitetur inexplibile.

3. Reg.

Epict.

Qualibet res partim tolerabilis, partim intolerabilis.

Diabolus sua quæ tolerabilia sunt porrigit.

33 Etiam Deus Deut. 34. ostendit Moysi seruo suo vniuersam terram illam, quam daturus erat Israelitis. ℣. 1. *ostenditque ei Dominus omnem terram Galaad vsque Dan;* sed hanc terram non erat Moyses habiturus, nam subditur ℣. 4. *vidisti eam oculis tuis, & non transibis ad illam;* voluit igitur Dominus promissæ terræ adspectu tātum Moysen recreare, quam non erat ingressurus; & quia Moyses non debuit possidere terram illam, ideo illi à longe fuit ostensa. idem facit diabolus cum mundanis, & sectatoribus suis, in edito ambitionis, & cupiditatis monte constitutis; regna mundi ostendit; quæ quamuis promittat, tamen non præstat. imo maximum argumetum, quod non sit hæc regna daturus, sed eorum desiderio hominib. illusurus, inde su-

Deut.

Signū est non fore possidenda ea quæ ostenduntur.

mi potest, quando ea ostendit; quando hianti ore homines ad appetēdam gloriam excitauit, tunc misere deceptos omni spe frustratur; ideo dicit ibi Gloss. *quod omnem terram promissam ostendit ei (*Moysi*) in spiritu*; eodem modo diabolus in spiritu. idest apparenter tantum, non realiter regna mundi ostendit, & eorum desiderio accensos mortales, postmodū nequicquam se externorum bonorum gloriam appetijsse, docet ex infelici euentu.

Gloss.

Hæc omnia tibi dabo.

Sacer tex.

34 Diabolicam impudentiā clarius explicat D. Lucas cap. 4. ℣. 6. *tibi dabo*, inquit, *potestatem hanc vniuersam, & gloriam illorum, quia mihi tradita sunt, & cui volo do illa*; in quibus fallax illius promissio apparet, qui cū nihil habeat, sitque pauperrimus, omnia tamen sua esse, temeraria, & mendaci præsumptione affirmat; *& si*, ait auctor Imperfect. *alijs mentiebatur diabolus sua esse omnia, apud se tamen sciebat, quia non erant eius, sed* Dei. fuit enim semper adeo pauper, postquam per peccatum à Deo rebellando, suis priuilegijs priuatus fuit, vt sēper aliquid Deo furari consueuerit. Gloss. ordin. hic. *in principio*, inquit, *quod* Dei *erat, vt sibi vsurparet diabolus laborauit; vnde vt in eis coleretur, idola inuenit*. eandem Dæmonis paupertatem, ad nuditatem vsque aperuit Iob 26. ℣. 6. *Nudus est infernus coram illo; & non est operimentum perditioni*, idest *diabolo*, vt exponit Interlin. & clarius gloss. DD. Duacens. *Inferni*, inquit; *& perditionis nomine, diabolum, & omnis damnationis eius socios designat*. & bene diaboli sectatores pauperes esse perhibētur, quomodo enim pauperis Domini, diuites esse possunt seruiēaut quomodo suos vestiet, is, cui nullum est operimentum? & propterea illum bene furibus comparauimus (*qui quod erat* Dei, *vt sibi vsurparet, laborauit*) qui curiosa aliqua re in medio prolata, incautis, & illius adspectui nimium intentis, multa interim clanculo furantur. ita diabolus regna mundi ostendit, vt decipiat, non promittit, vt donet, sed ea offert, vt callide nostra furetur. Petr. Chrysol. sermon. 13. *Hæc*, inquit, *dicit; non qui possit dare, sed fallere, nec promissa conferre, sed ipsa auferre promissionibus quæ habentur*. ita veluti aureo hamo homines trahit ad capturam. Chrysost. hom. 13 *thesauros pollicetur in terra, vt etiam nos, & istis thesauris, & cælestibus spoliet, vult nos in hoc sæculo ditare, ne videat diuites in futuro*. hæ sunt illius artes, istis escis hamatis mortales capit.

Luc.

Imperf.

Mentitur diabolus sua esse omnia.

Gloss.

Iob.

Diabolus pauperrimus, & nudus.

Diabolus ostendit mundana bona, vt auferat cælestia. S. Chrys.

S. Chrys.

35 Sed supponamus iam quod verè dicere potuisset, *hæc omnia tibi dabo. & cui volo do illa.* considerabilis tamen est inexplebilis appetitus perditionis animarum in eo, qui, vt vnam animam lucretur, cætera omnia libenter daturū se pollicetur. Quod si omnia Christo dedisset, profecto nihil sibi reseruans, postmodum, præ inopia rerum coactus fuisset Christo famulari. Cōsiderent vanitatem, & stultitiam suam, & quam in hoc diabolo similes se esse significent ambitiosi, qui adulatoribus, & scurris, à quibus in prosperitatibus adorantur, omnia profusè largiuntur; vanæ gloriæ obsequentes, nihil non profundunt, vt adorentur, ex quo fit, vt postea alijs miserè, & viliter cogantur seruire, qui prius omnium obsequia, & studia mercabantur.

Quantum æstimat diabolus vnam animam lucrari.

Ambitiosi diabolo similes.

Vade Satana.

Sacer tex.

36 Christus Dominus, qui primę tentationis impetum inconcussus sustinuit, & animosè diabolo delicias objicienti repugnauit, eius fallacem, & astutum conatum eludens; *non in solo pane viuit homo &c.* & qui in secunda similiter restitit generosè respondens; *non tentabis Dominum.* in hac tertia cum audisset, *hæc omnia tibi dabo si cadens adoraueris me*; quasi illius impe-

Difficile est superare tentationes diuitiarum.

tum

tum sustinere ad nostrum exemplum non posset, & imparem se ad illam superandam quasi fateretur, non resistendo, & contra stando, sed cedendo, & auertendo se à regnorum mundi conspectu, vicit. *vade*, inquit, *Satana.* exterruit quasi Dominum magnitudo tentationis istius, reputãtem vix posse humanas vires hunc impetum ferre, *hæc omnia tibi dabo.* Sed & hinc pende diuinarum litterarum robur, quibus, veluti fortissimis armis, nõ solum superiores tentationes sustinuit, sed post hanc tertiam, infernalem hostem fugauit Saluator, quod expendens Theophyl. *disce*, inquit, *quomodo prosint scripturæ, per quas Dominus os inimici obturauit.* sed quare non sola sacræ Scripturæ auctoritate, sed etiam increpatione repellit tertio tentatorem dicens, *vade Satana*? non ne satis fuerat respondere; *scriptum est Dominum Deum tuum adorabis &c.* vt doceat, quia cum in locis excellis tentamur, cum regna mundi nobis obijciuntur, vix penè satis est sacrorum voluminum dicta opponere; sed tutius est, statim inimicum increpando fugare, illumq; cogere ad abeundum cum suis diuitijs, & opibus. Deum solum ante oculos habere oportet, Satanam, & eius pollicitationes, ac regna animosè spernere.

Theophyl

Auertenda mens est ab humanis bonis oblatis à tentatore.

37 Dubium præterea esse potest, quare Saluator noster, qui in præteritis tẽtationibus nunquam tentatorem proprio nomine appellauit, in hac tertia, dum regna mundi, & eorum gloriam illi offerebat, nominauit dicens, *vade Satana?* quod interpretatur *aduersarius*, siue *osor.* debuerat enim Iesus nunc longè mitius cũ ipso agere, qui liberaliter illi omnia regna mũdi promittebat, & ingentibus opibus illius sibi beneuolentiam conciliare studebat. disce hinc eum, qui magnis muneribus oblatis blanditur, & per ea aliquid tua probitate, & dignitate indignum extorquere nititur, pro hoste esse tibi habendum: osor est tui, qui immodicis oblatis te ad peccandũ sollicitat. semper tibi suspecta esse debent hostilia diaboli munera; quibus perniciem tuam molitur; ita enim de donis ab hoste acceptis dixit Aiax apud Sophocl.

Quantum timendi qui magna munera offerũt

Diaboli munera suspecta esse debẽt

Quin verum id est mortalium prouerbium
Non esse dona, dona quæ veniant tibi
Ab hoste, verum inauspicata, ac noxia.

Quare in accipiendis muneribus ab infernali hoste sibi oblatis, illud semper in animo habere deberent fideles, quod apud Virg. lib. 2. Aen. dixit Laocoõ de equo à Græcis in vrbe relicto.

—— *vlla putatis*
Dona carere dolis Danaum?

Vel dixit *vade Satana*, quia illum hortatus fuerat ad cadendum, *si procidens adoraueris me*; qui te hortatur ad cadendum, hunc pro inimico, & osore repures; qui ad dæmonem adorãdum vult te inducere, sit tibi pro Satana; hic enim quos alijs tentationibus non potest prosternere, diuitijs expugnat; cum nihil sit tã arduum, & munitum, quod hac promissione, *hæc omnia tibi dabo*, non corruat. Philippo Regi consulenti quo pacto posset victoria potiri, respondisse fuerunt Apollinem

Argẽteis hastis omnes vincit hostis infernalis.

Argenteis pugna telis, atque omnia vinces

etiam diabolus, quos aliter nequit, argenteis telis deijcit, & ideo illum regna mundi offerentem, tanquam hostem repellit Iesus dicens, *vade Satana*; inuictum sese etiam contra diuitias præstans.

Et reliquit eum diabolus.

Sacer tex.

38 Ergo relinquit nos plerumq; diabolus, non miseratione nostri motus, sed pudore sui: vel vt vires maiores sumat, quibus nos deinde iterum adoriatur; tandiù enim nos circumsistit, quãdiù videt, se aliquid mali operis à nobis extorquere posse, qua spe

Inducias nobis aliquãdo nũquam pacem rõcedit diabolus.

fru-

S. Chrys.

frustratus, recedit. apta est ad hoc explicandum similitudo Chrysost. orat. 3. de Lazar. *Quemadmodum* ait, *Canis assistens mensa, si viderit hominem vescentem subinde aliquid eorum, quæ in mensa sunt ipsi proijcientem, manet assidue: quod si semel atque iterum sic adstitit, & discesserit nihil adeptus, protinus abstinet, velut, qui iam frustra assistat; itidem etiam diabolus iugiter nobis inhiat; si quod blasphamum verbum ipsi, ceu cani proijciamus: hoc accepto rursus aggreditur. Quod si perseueraueris gratias agere, iugulaueris illum fame celeriter abegeris, & aufugere coegeris.* adlatrauit bis, terque circa Christum infernalis iste Cerberus, *dic vt lapides isti*, &c. *mitte te deorsũ &c. hæ omnia tibi dabo &c.* In istis latratibus an aliquod ab eo peccatũ extorquere potuisset, obseruans; sed omni tandem spe amissa, reliquit eum; adstabat enim illi velut canis, vt Psalm. 21. ℣. 17. *Circumdederunt me canes multi*; quæ verba quamuis de Christo inter Iudæorum manus tempore Passionis variæ vexato interpretari soleant; tamen de eodem etiam, & de quolibet iusto, iuxta prædicta possunt accipi.

Diabolũ fugamus, abstinendo à peccatis.

39 Sed quo celebrior Dominicus iste triumphus appareat, videtur iste locus postulare, vt breuiter tentatoris ignorantiam in tentãdo, & multiplices illius errores reuelemus, & ad domini gloriam, & ad cõsolationem nostram; ostendamusque quod in istis tẽtationibus verissimè apparuit, quod diabolo dixit S. Petr. Chrysol. ser. 11. *Miser, malus vis esse, sed nõ potes: cupis tentare, sed nescis.* Quomodo verò tentare nescit, qui tẽtator est, & à mundo cõdito, hac se vna arte exercuit? etiam Demosthenes maximus orator, & dicendi peritissimus, adstante Philippo obmutuit; quid igitur mirum si diabolus, tot, tantisque experimentis optimus tentator, imo nequissimus existimatus, ad Christi summi Regis præsentiam animo despondet? *ad præsentiam Christi*, subdit Chrysol. *deperiere tibi artes, tentator; intellige.* qui ergo diabolicas insidias irritas vult cadere, ita vitam instituat, vt semper Dei præsentiam cogitet, & coram Deo stare meditetur, sicque Dæmonem vincet, ac fugabit; discimus enim quòd Deo præsente, diabolus, nedum vincere, sed neque tentare nouit. Vel dicamus quod peccatum reddidit illum ignorantem, odium, & maleuolentia, qua Christum prosequebatur, illius mentem obtenebrauerat: *tantas*, inquit S. Ignat. epistol. 8. *Dominum gloriæ, oblitus ex animi maleuolentia*; hæc itaque obliuiosum, & & ignorantem illum reddiderat; *ignorantia oppletus est*, addit idem Ignat. *propter voluntariam dementiam.* Ignorauit primum quis esset, quem tentabat; ideo dixit: *si filius Dei es &c.* nesciebat enim an Christus esset verus Deus, quod si sciuisset frustra illi dixisset: *si filius Dei es*. Chrysost. *magnitudinem tantæ dispensationis ignorans &c.* & eadem verba ignorantiæ in eo argumentum fuisse conuincit S. Ignat. vbi supra: *tentabas, vt communem hominem, nesciens quis esset, dicebas .n. si filius Dei es &c.* summa ignorantia fuit lapides esurienti offerre, quam arguit Chrysol. serm. 11. *esurienti tenera offerre, non dura debuisti: famem non asperis palpare, sed blandis, inediã non horridis vrgere debueras, sed gulosis.* in muneribus illud obseruãdum monet Seneca 1. de benef. cap. 11. ne incongrua mittamus: *Cauebimus*, inquit, *ne munera superuacua mittamus, vt seni, aut fœmina arma venatoria, aut rustico libros &c.* secus fecit diabolus, qui quem mollibus irritare debuerat rudibus est aggressus. *dic vt lapides isti panes fiant.* Ignorantia etiam diaboli fuit, putare quòd Christus posset lapides in panes conuertere, nec posset suæ necessitati subuenire. idem Chrysol. *Potest famem vertere in saturitatem, qui potest in panem lapides immutare*; atque ita inepte illum gulosis

Dæmonis ignorãtia in tentando.

S. Chrys.

Demosthenes Philippo præsente obmutuit, sic & diabolus coram Christo.

S. Chrys.

Maleuolẽtia ignorantiam parit.

S. Ignat.

Prima diaboli ignorãtia

Chrysost.

S. Ignat.

Alia diaboli ignorantia.

S. Chrys.

Incõgrua offert dæmon Christo.

Senec. Qualia offerẽda sint munera.

Alia diaboli ignorantia.

S. Chrys.

losis prouocauit, quamuis esuriētem.

Rursus ignorātiæ conuincitur dæmō S. Chrys.

40 Nec minus in altero congressu ignorantiam suam aperuit. primùm dum dixit ei, quem filium Dei esse suspicabatur: *mitte te deorsum*; quod sic reprehendit S. Chrysol. serm. 12. *erras diabole, nec tentare nosti, cadere non potest Deus*; neque enim est argumentum diuinitatis mittere se deorsum; quia cùm Deus per suam omnipotentiam maximè manifestetur in alijs eleuandis; non potest illius diuinitas in dimittendo se cognosci. Chrysost. homil. 13. in Matth. *nemo*, inquit, *à Dei filio istud exposcit; dæmonum quippe est, se ipsos iacere deorsum, Dei vero homines erigere iacentes*; per id itaque vult cognoscere Deum, per quod apparuisset Dæmon. præterea neque per hoc experimentum potest sufficienter cognoscere an esset Deus, cùm non sit proprium Dei per aerem volitare, qui vbiq; semper est. Auctor Imperf. *per hanc*, inquit, *propositionem, quomodo poterat cognoscere, si filius Dei est, an non? primum volare per aerem non est proprium opus Dei, quia nec hoc est vtile alicui, vel ad animam, vel ad corpus: si ergo nulli necessarium est, neque proficit ad salutem, voluerit autem aliquis prouocatus, propter ostentationem solum hoc facit; & est hoc ex diabolo magis, quàm ex Deo.* An non etiam ostendit ignorātiam suam, dum illum ad præcipitium hortatur, qui (si erat Messia vt verebatur) à præcipitio omnes homines venerat seruare; vnde eius in hoc facto cæcitatem arguens Sanct. Maxim. hom. 2. in hoc Euangel. *nec intelligit*, inquit, *cæcus, quia illi conatur ruinam suadere, qui non solum cadere non potest, sed ruinas venit emendare lapsorum*. Præterea ignorauit verum sensum Psalm. 90. quem allegauit, in quo non de Christo, sed de iustis, & sanctis Dei est sermo; vnde Sanct. Chrysost. *neque de domino*, ait, *hoc dictum est. ignorauit quid diceret, cùm dixit: Quoniam Angelis suis &c.* Auctor Imperfect. *O diabole, quomodo filius Dei Angelorum manibus portatur legisti, & quomodo super aspidem, & basiliscum calcat non legisti?* ergo ignorans; sicuti ignorantiam prætulit, dicens filio Dei: *Angeli in manibus portabunt te*, signum est enim quod Angelorum auxilio indigeat ad sui tutelam ipsemet Angelorum Dominus. Idem auctor. *nec enim*, inquit, *Creatura Creatorem portat, sed Creator Creaturam*. præterea, *etiam si portabatur manibus Angelorum, non ideo portabatur vt non offendat ad lapidem pedem suum, quasi infirmus; sed propter honorem potestatis quasi Dominus*. quod ignorabat Diabolus.

S. Chrys. Dæmonis est deijcere, Dei erigere.

Auctor Imperf.

Ostentatio diaboli propria.

Alia dæmonis ignorātia

S. Max.

Ignorauit dæmō sensum Psal.

S. Chrys.

Auctor Imperf.

41 Multa etiam errauit in postrema tentatione. primo dum dixit, *Hæc omnia*; appellat omnia id quod nihil est; melius D. Paul. mūdum hunc non aliquod corpus esse dixit, sed figuram 1. Corinth. 7. ℣. 31. *præterit enim figura huius mūdi*: melius, & Mathematicis principijs congruentius appellatur Psalm. 2. ℣. 8. *& possessionem tuam terminos terræ*. punctum enim est terminus lineæ. & quoniam mundana hæc machina cum cælestibus orbibus comparata est instar puncti, vt dicunt Mathematici, *punctum autem est, cuius nulla pars est*, ignorans, fuit, qui id quod nihil est, nedum aliquid, sed omnia appellauit. Ostendit etiam se ignorantem dum addidit, *tibi dabo*; quomodo enim dare omnia illi poterat? certe debuisset ab ijs, qui ea possidebant singula eripere; *quomodo autem*, ait Auctor Imperfect. *expediebat diabolo ab omnibus omnia tollere, & vni dare, vt ab omnibus contemnatur, & ab vno colatur?* fuit mera insipientia ad vnius promerendum obsequium, multorum aduersus se simultates, & odia concitare. Sed nos interim hinc possumus proficere, si consideremus, quòd ea, quæ vni pollicetur, præstare non potest, nisi alteri auferat; & quæ modo nobis largitur, alteri ablata, iterum à nobis auferet, alteri danda, in quo & dantis penuria, & hominum

Aliqua diaboli errata.

1. Corint

Mundus quasi nihil est.

Errat dæmon dum omnia Christo offert.

Auctor imperf.

Quæ vni dat dæmō alteri adimit.

accipientium insipientia damnanda est; qui tamquam propria ea habeant, quæ propediem diabolus ab illis tollet, quo ijs nouos sibi clientes conciliet. Quòd si quispiam excusare illum voluerit dicens; quod relictis omnibus in sua ditione, adhuc Christum voluisset cunctis præesse; & ab omnibus ei obsequiū præstari. Adhuc illius ignorantia apparet. Vel enim quietè debebat hanc Monarchiam obtinere, vel non: si inquietè, cito hoc regnum diuisum desolatum fuisset; si quietè debebat imperare, iam totū diaboli gaudium in tristitiam fuisset conuersum.

Postrema diaboli ignorātia.

gaudium, ait idem Auctor Imperfect. *& gloria, & potestas diaboli, in quo est, nisi in Superbia, & Inuidia; in Ira, in vana gloria, & his similibus: vbi hæc exercentur, vnum regnum stare non potest, sed necesse est, vt diuidatur in plura; vbi autem hæc non exercentur diabolus, non colitur; neque regnat.* Cæterum hæc non curat diabolus, dummodo enim regnorum pollicitatione homines inducat ad peccandum, an ea sint diutius conseruaturi, vel non, nihil ipsius interest, iam enim quod voluerat, ad peccatum induxit.

Auctor Imperfec.

FERIA IV. POST DOMINIC. I. QVADR.

MATTH. 12.

Sacrum Euang.

Accesserunt ad Iesum Scribæ, & Pharisæi, dicentes. Magister, volumus à te signum videre, Qui respondens, ait illis. Generatio mala, & adultera, signum quærit: & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce, plus quàm Ionas, hic. Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam: quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Et ecce, plus quàm Salomon, hic. Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulabat per loca arida, quærens requiem, & non inuenit. Tunc dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et veniens, inuenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitabant ibi: & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Sic erit, & generationi huic pessimæ. Adhuc eo loquente ad turbas: ecce mater eius, & fratres stabant foris, quærentes loqui ei. Dixit autem ei quidam. Ecce mater tua, & fratres tui foris stant,

quæren-

quærentes te. At ipse respõdens dicẽti sibi, ait. Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos, dixit. Ecce mater mea, & fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est: ipse meus frater, & soror, & mater est.

CAP. I.

Explicatur sensus litteræ.

1 

Ccesserũt ad Iesum Scribę, & Pharisæi dicẽtes &c. In Græcis Codicibus habetur, *tũc responderũt ei quidam &c.* & ita legunt Græci omnes Patres; vsurpatur enim plerumq; hoc verbum *respondeo*, etiam si nulla præcesserit interrogatio, tũc cum tantummodo sumimus occasionem aliquid, quod prius animo præmeditatum habebamus edisserendi, vt ex Hebraicæ vocis significatione obseruat Luc. Brug. Matth. cap. 11. ℣. 25. vel itaque loquendo accesserint, vel accedentes locuti fuerint, nihil refert: signa petunt; *dicentes volumus à te signum videre*, in quo pertinacem illorum cæcitatem attendere debemus, qui inter miracula, adhuc signa petãt, hoc enim illico post liberationem Dæmoniaci contigisse docuit Euangelista per eam particulam, *tunc*: *Tunc*, ait Chrysost. in Caten. *cùm flecti oportebat, cùm admira*[illegible]*, cùm obstupescere.* ò stupidam cæcitatem, ò cæcam stupiditatem inf[illegible]æ gentis. *quasi quæ viderant*, vt obseruauit Hieron. *signa non fuerint*. Et certè nõ viderant, hactenus à Christo edita signa, quia illa intra cordis & mentis penetralia per fidem non admiserant, quamuis ea corporeis oculis conspexissent. Quod significans Auct. Imperfect. in Matth. *verè*, ait. *nullum viderãt, quia corporali adspectu viderant, non spirituali affectu; nam mens sine oculis videt aliquando, oculi sine mente numquam viderunt.* adspicere igitur mirabilia, quæ Deus operabatur poterãt, sed quia cor eorum obcæcatum erat, quamuis euidentissima non videbant, quod vt clarius appareat, apponẽda sunt verba Chrysost. hom. 44. in Matth. *vbi eratis*, inquit, *quando Dæmones castigati à me, non flagello sed verbo clamabant, quid nobis, & tibi Iesu Nazarene, venisti ante tempus torquere nos. vbi eratis quando cæci super vias sedentes, &c. cæci me non videntes viderunt, & vos videntes me non videtis?* imò non vidẽtes sunt, qui cum, vt dicit Isai. cap. 2. ℣. 20. *fecerint sibi sculptilia vt adorarent talpas*, iuxta Dauidis vaticiniũ Psalm. 113. ℣. 8. similes illis facti fuerant; neque exoculati solum, sed excordes, aut potius væcordes. Vel petunt noua signa, quia non ea viderant quæ optabant, vt enim addit D. Luc. cap. 11. petebãt signum *de cælo*. quod D. Hierony. in hunc Matth. locum, & Beda homil. 2. in hoc Euangel. ita exponunt, quasi optauerint, vt sicut de Elia narratur 4. Reg. cap. 1. ignem iuberet de cælo descendere; aut instar Samuelis intempestiuo tempore tonitrua, & fulgura cælitus imploraret. & quoniam venturum Messiam similem futurum Moysi liberatori arbitrabantur, ideo placuit quibusdam, vt scribit Beda loco allegato, illos petijsse vt manna plueret; vnde Ioan. 2. ℣. 18. dixerunt; *Quod signum ostendis nobis? patres nostri manna manducauerunt in deserto*. quasi dicerent: num tu sis promissus Messias, & Saluator, ijs signis intelligemus, quibus scimus Moysem virtutem suam probasse. nam quæ hactenus viderant signa, tãquam

Marginalia: Luc. Brugens. — Signa petere signũ fuit pertinaciæ Iudaicæ. — S. Chrys. — S. Hieron. — Infidelitas fecit Iudæos non videntes. Auct. Imperf. — S. Chrys. — Dæmones Iudaicã perfidiã accusant. — Isai. — S. Luc. Quę signa à Iesu petierint Scribæ. S. Hieron. — Beda. Ioan. — Scribæ volebant iterum mannam pluere.

à præstigiatore facta, non per diuinam virtutem arbitrabantur.

2 Videamus modo quam arrogans sit eorum petitio, qui non orando impetrare, sed exigendo extorquere signa contendunt. & cum concedētis voluntati obsequi debuissent, huic importunè dicunt *volumus à te signum videre*, petunt signa, sed non præstant, aut offerunt fidem; vnde D. Luc. cap. 11. ℣. 16. bene addidit, quod *signum petebant tentantes*; audita enim recenti calumnia Christo illata, cui quidam ex eis obiecerant, quod in Beelzebub eijceret Dæmonia, accesserunt ad illum alij *tentantes*, idest explorare cupientes; num signa illa propria an aliena virtute ederet; propterea illum sibi prius conciliare student *Magistrum* appellantes, quamuis omnis illorum oratio subdola esset & ironica. *& si enim* ait Chrysost. in Caten. *et blandiri viderentur, tamen verba eorum ironia sunt plena; Magistrum enim appellant, nō eius doctrinam approbantes, sed potentiam tentantes* magistrum vocant cuius magisteriū spernunt, cum Ioan. 9. illud reiecerint dicentes *Tu discipulus illius sis, nos autem Moysi discipuli sumus*, si enim eius doctrinam approbassent, ex Matth. 6. didicissent, temerariam vocem esse volumus, & quod fidelibus potius conuenit dicere: *fiat voluntas tua.*

Arrogāter Scribæ signa petunt.

S. Luc.

S. Chrys. Callida adulatione Christum tentant Scribæ.

S. Ioan.

3 *Qui respondens ait illis; generatio mala & adultera signū quærit &c.* etiam mitissimorum hominum lenta lenitas, importunis impudentum irritata tentamentis excandescit. Iesus itaque qui Pharisæorum probrosa conuicia patienter tulerat obsequiosis blāditijs, non affectu credendi, sed decipiendi animo è summo tantum ore, non ex penetralibus cordis prolatis offenditur; Sanct. Thom. in Caten. ex Chrysost. *Cum ei, inquit, conuitiabantur, mansuetè responderat, cum autem adulantur, conuitiose; demōstrans, quod vtraque passione erat superior, & neq; conuitijs in iram deduci, neque adulatione molliri.* Appellat autem eos *generationem* idest genus hominum. *malos* dixit propter transgressionē mandatorum Dei; vel quod ad summum genus malitiæ progressi, semper Deo summo benefactori, & patrono ingrati fuerint, ipsius beneficijs deteriores facti, quod Israelitico populo obiecit etiam Moyses Deutor. cap. 32. ℣. 15. *incrassatus, inquit, est dilectus, & recalcitrauit &c.* reliquit Deū &c. quod diuinis benefi ijs abuterentur, & mitissimum Deum malefactis irritarent. Dum autem eosdem *generationem adulteram* dici audimus, nō debemus hanc vocem in eius propria, & originaria significatione sumere, quasi omnes ex adulterio, & illegitimo concubitu nati essent; vt obseruat Abulens. in 12. cap. Matth. quæst. 90. nam præter quam quod in plerisque hoc fortasse minime verum fuisset (quamuis hoc inter eos vitium maximè viguisse ostendant verba Isai. cap. 2. ℣. 6. vbi enim vulgat. legit; *pueris alienis adhæserunt* L x x. transtulerunt, *filij multi alienigenæ facti sunt eis*, quæ verba de crebris adulterijs, & adulterinis filijs exponit Forer. optimè) obiecisset etiā illis crimen alienum, id est parentum, (quod non est verosimile Christum fuisse facturum) qui enim spurium quempiam appellat, parētum illi peccatum exprobrat; quare accipienda potius est illa vox *adultera* impropriè, & per translationem. Quasi Synagoga eorum Mater, & vniuersum Iudæorū genus iniustā cōmutatione, vero Deo derelicto alienis adhæserit. *egregie*, inquit, Hieronym. *dicitur adultera, quia dimeserit virum, & iuxta Ezechielem 7. cap. & 8. multis se amatoribus copulauerit*, similiter exponūt Beda, Druithm. & alij; maximè quia vt obseruat Euthymius, *Adulterium etiam nominauit Idolatriam, veteris testamenti Scriptura*: in quibus verbis respexit fortasse Euthy. ad illud Hiere. c. 2. ℣. 20. *in omni colle sublimi, & sub oī ligno frondoso tu prosternebaris meretrix.*

Irascitur Iesus contra fraudolentos, adulatores.

S. Thom.

Cur Scribas generationem malam appellet.

Psalm

Abulens.

Scribæ dicuntur adulteri impropriè. Isai.

Adultera fuit Synagoga Deum deserendo.

S. Hieron

Beda. Druithm. Euthym.

Idolatria in scriptura appellatur nomine adulterij

4 Po-

4 Potest etiam *adultera*, vt voluit Abulens. Maldon. Luc. Brug. & alij, idem significare, ac adulterina; seù quę à maiorum virtute, & probitate deficit, & à parentum gloria degenerat; sic Aquila expositis solaribus radijs filijs suis, dicitur explorare, num adulterini sint, idest num maternas qualitates, & dotes seruent. In qua significatione maxima illis objiciuntur crimina, dum à sincera probitate, religione, ac vero in Deum cultu, per quod tantopere Patres illorũ Deo placuerãt desciuisse dicuntur. Prædicabant Iudæi, & iactabant se Abrahæ filios, ab Isaac genus ducere, & Israelitæ audire gaudebãt: sed operibus multum ab istorum maiorum suorum virtutibus, & sanctitate aberant; nec in sua perfidia Abrahami retinebant fidem, per quã meruit Pater gentium constitui, Isaaci obedientiæ, & pietati, ipsi refractarii, & impii renunciauerant; Iacobi mansuetudinẽ, & animi demissionem, in superbiam, & fastum commutauerant; Quæ merito illis Christus Dominus exprobrauit, Ioan. cap. 8. ℣. 39. dicentibus enim *Pater noster Abbram est* dixit: *ô filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Sed quia ab eo per incredulitatem, & impietatem desciuerant, propterea adulterina generatio dicuntur; Cuius vero Patris se filios per operum imitationem profiterentur ibidem apud Ioan. ℣. 41. innuitur. *vos facitis opera patris vestri*; & quis sit ille Pater ℣. 44. exprimitur. *Vos ex patre diabolo estis.* Addit Abulens. *adulteram* etiam dici generationem illam, quia cum esset incredula, & filii Dei doctrinam reiiceret, probrosam sese, & omni prorsus contumelia dignã reddiderit, quẽ admodum filii adulterini, præ legitimis, vilissimi, & abiecti esse solẽt. Crediderim tamen non incongruè adulterinos significare eos, qui iure in Patris hæreditatem venire minimè possunt, nec in bonis patris succedere, quæ legitimis filijs iure debẽtur; Iudæi enim in sua pertinacia degentes, illegitimos se esse produnt Dei filios, exhæredes, & æterna gloria, quæ illius hæredibus debetur priuandos.

Abulens. Maldon. Luc. Brug.

Adultera i. adulterina, & degenerans.

Qui sint legitimi bonorum virorum filij.

Ioan.

Scribæ per imitationem filij diaboli.

Abulen.

Adultera generatio scribæ, idest vilis.

Adulteri scribæ i. illegitimi & exhæres.

5 *Signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ.* Planus horum verborum sensus ille esse videtur, quasi Dominus Pharisæos, ita alloquatur. signa, quæ ad vestram vtilitatem feci, nihil vos mouent; alia de cælo signa superflua curiositate quæritis: attendite igitur, & expectate, vt quibus signa ad salutem edita non prosunt, signum Ionæ exhibeam ad ruinam, & perditionem. Nam postquam videritis, quod sicut Ionas è ventre ceti post triduum, ita ego è faucibus, & rictu mortis illæsus euasero; illud maximũ vobis signum esto, credituris quidem signum salutare humanæ redemptionis per mortis destructionẽ consummatæ; pertinacibus verò, ac perfidis signum exitiale. Christi itaque mors, & admirabilis illius Resurrectio per hoc signum denotantur; quod clarissimis verbis dixit Sãct. Ioan. Chrysost. homil. 44. in Matth. *mille*, ait, *beneficia vobis contuli, & nihil horum vos mihi conciliauit, neque fecit vt omnipotentiam meam velitis cognoscere, sed cognoscetis tunc à contrarijs, quando vrbem vestram prostratã videbitis; quando mœnia eius deiecta, quãdo templum subuersum.* quasi dicere voluerit, hæc omnia, quæ post resurrectionẽ meam euenient, & alia mala, quæ vos apprehendent tunc, quando *erit* Matth. 24. ℣. 21. *tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi vsque modo, neq; fiet*; hæc omnia sunto nobis pro signo, nõ quod petitis, sed quod perfidiæ vestræ debetur: eadem expositio placuit Caiet. in cap. 12. Matth. *ego*, ait, *plusquam Ionas, prædico vobis salutem, & pœnitentiam. & ero triduo mortuus, & resurgens, vt inde vestra subsequatur ruina, obstinationis in animo, & dispersionis in corporibus.* Per signum itaq; Ionæ mors, & Resurrectio Christi, & inde secutura Iudaicæ gentis ruina prædicitur, vt etiã asserit Maldon.

Quibus salubria non prosunt noxia signat dat Deus.

S. Chrys.

Exitialia signa scribis minatur Iesu Matth.

Caiet.

Signũ Ionæ fuit mors, & resurrectio Saluatoris. Maldon.

Incert.

& Incertus sub nom. Euseb. emiss. *magnum, inquit, est signum Ionæ Prophetæ, in quo Christi mors, sepultura, & resurrectio, in quo Iudæorum perditio, & salus gentium confirmatur*. fuit enim Iudæorum reprobatio causa electionis gentium; vnde

Luc.

Luc. cap. 11. ℣. 20. ait; *sicut fuit Ionas signum Niniuitis, ita erit &c.* quia sicuti ad prædicationem Ionæ, Niniuitæ pænitentiã agentes, saluati sunt, ita si Christo prædicante Iudæi conuersi fuissent, salui esse poterant, quia tamen eius doctrinam recipere noluerunt, fuit eis signum, & occasio perditionis, saluatis gentibus per fidẽ, quam receperunt. eadem est expositio Gloss. ordin. ex Raban.

Glossa ordin. Raban.

6 Dubitari tamen hic solet, quomodo Saluator affirmèt non daturum se eis aliud signum, præter signum Ionæ, cum tamen postea alia ediderit miracula, resuscitauit enim quatriduanum Lazarum; Solem in hora mortis suæ fecit obscurari, & alia mirabilia. Sed respondetur, quod negat se daturũ signũ *Ei*, idest generationi adulteræ profuturum; ac si dicat *non dabitur ei*, pro ad eius vtilitatem, dicimur enim dare alicui nostra studia, & labores, quãdo in alterius ea commodum, & vtilitatem impendimus; non itaque *ei* danda erãt futura signa, sed potius contra eam; non signum dabitur ex quo proficiant ad salutem, sed quod negligentes disperdantur. nouerat enim Iesus quod Iudaicus populus esset in sua peruicacia perseueraturus; etiã si prædicta à Saluatore vidissent adimpleri; quamuis enim Christus his verbis suam Resurrectionem inuolutè annunciauerit; optimè tamen illi hæc ænigmata intellexerunt; *propter hoc siquidem*, ait Euthym. *eo sepulto congregati sunt summi Sacerdotes, & Pharisæi ad Pilatum dicentes Matth. 27. Domine recordati sumus, quod impostor ille dixit adhuc viuens post tres dies resurgam*. Vel cum Abulens. quæstion. 91. in cap. 12. Matth. malumus dicere, quod non dabitur ei signum quod petit; vnde Luc. Brug. *dabitur ei signum quod minimè desiderat, non è summo cœlo, sed ex imâ terra*, ne perfidorum hominum petitionibus videatur Deus obsequi.

Signa ad eorum vtilitatẽ data spreuerunt Scribæ.

Scribæ per hæc verba Christum resurrecturum intellexerunt. Euthym.

Abulens.

Noluit Iesus scribis dare signum, quod petebant.

Factum Ionæ.

7 *Sicut enim Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, &c.* explicat in quo sit futura similis sua mors, & resurrectio Ionæ à balena deuorati. Nota est historia Ionæ, qui à Deo missus, vt impendentem Dei iram Niniuitis annunciaret, diuino mandato obedire detrectãs, in Tharsis nauigaturus in nauim conscendit, sed cum ortam sæuientemque tempestatem eius periculo compescendam sortes comprobassent, in mare se deijci permisit, statimque à balenæ immani ore exceptus, in littus Niniuitarum post triduum eiectus fuit. Etiam seruator in tẽpestosum amarissimæ passionis mare demersus, & sepulchro exceptus, tribus diebus, & tribus noctibus fuit in corde terræ, sicut Ionas in ventre ceti. Periphrasi descripsit Inferna loca, appellans ea *cor terræ*, quibus verbis, quamuis Beda, & Euthym. solum sepulchrum significatum esse velint, quia *cor terræ est illius profunditas* (verba Euthym.) *nam in profunditate illius lapidis erat sepulchrum*; alij tamen communius, & aptius exponunt pro medio, & intimo terræ, idest pro Limbo, & Inferno; ita D. Cyprian. lib. 2. Aduers. Iudæ num. 25. Tertull. lib. de Anim. cap. 55. & alij. notum enim est ex anatomicis scriptoribus in humano corpore cor tamquam in Regia medium locum tenere; hinc igitur sumpta similitudine, *cor terræ* appellantur interiores eius, & mediæ circa cẽtrum partes, ad quas Christi animam dum corpus in sepulchro iacuit descendisse credimus. Vt ita facilè tollatur error, & falsa opinio illorum, qui hinc conãtur probare, quod Christus ad Inferos non descenderit; quia per illud triduum fuit in corde terræ, idest in sepulchro. Quod de Sanctissi-

In quo similis Ionæ fuerit Iesus.

Beda. Euthym.

Cor terræ Limbum & Infernum significat. S.Cypr. Tertull.

Christus verè ad Inferos descendit.

mo

mo eius corpore confitemur; addentes etiam quod anima ad ipsum cor terræ, idest Limbum, & alias inferiores partes descendit. Quo enim nascente, noua mortalibus lux apparuit, & viuentes claritas Dei circumfulsit: eodem extincto mortuorum animæ expectatum mortis illius fructum receptionis, percipere debuerunt. quod sensit D. Damasc. lib. 3. de fide cap. 29. *descendit anima Christi in Infernum, vt quemadmodum sol iustitiæ ijs ortus est, qui erant in terra, sic & ijs, qui sub terra in tenebris, & vmbra mortis, sedebant lux affulgeret*, & sic ostenderet se Christus Ducem, & Dominum viuorum pariter, & mortuorum.

S. Damasc.

8 Qua verò ratione impletũ fuerit id quod in his verbis de sua in corde terræ mora Christus dicit, non facilè habet explicationẽ; quomodo inquam Christus tribus diebus, & tribus noctibus fuerit sepultus; cum post expiratam animam circa Nonam ferè diei Parasceue horam, è Cruce depositus, ipso die Dominico vix dum illucescẽte resurrexerit. Oẽs Interpretes sequuntur D. Hieron. hæc per synecdochen intelligenda esse affirmantem, in qua figurata locutione pro toto, partem tantum ponimus; vt cum dicimus, hominem videre, vnum tantum ex illius membris, idest oculos, videre significamus; & eundem claudicare cum tantum pedibus claudicet; similis est locutio cum dicimus quempiam biduo ambulasse qui duodecim ad summum duorum dierum horis ambulauit; ita non tribus integris diebus, sed trium dierum partibus Iesus iacuit sepultus, sic Hierony. in expositione huius loci, & Augustin. 4. de Trinit. relatus in Caten. *ipsum*, inquit, *triduum non plenum, & totum fuisse ipsa Scriptura testis est; sed primus dies à parte extrema totus enumeratus est, dies verò tertius à parte prima, & ipse totus; medius autem inter eos, idest secundus dies absolutè totus 24. horis suis, duodecim nocturnis, & duodecim diurnis.* Quæ sancti Doctoris verba quamuis multum demere, non tamen omninò diluere, & tollere dubitationem videtur: Nam expresè hic dicitur *tribus diebus, & tribus noctibus*; Dominus autẽ, quamuis quoad partem illam paucarum horarum feriæ sextæ, qua sepultus fuit, iacuerit in sepulchro aliqua parte diei, non tamen ibi fuit aliqua parte noctis, quæ præcesserat, & quæ spectabat ad illum diem; sed iacuit nocte sequenti, quæ ad sequentem diẽ pertinet. & similiter vltima die, si noctu resurrexit, non attigit aliquã diei partem: vt non tres dies, & totidem noctes effluxerint; sed duo dies, & totidem noctes. Sed sciendum est, quod cum varius sit mos inchoandi dies ciuiles, quos Astrologi à meridie auspicantur, Christiani in ieiunijs à media nocte; Hebræorum consuetudo erat festos dies à vespera incipere, eosque vsque ad sequentem vesperam producere iuxta præceptum Moysis, Leuit. 23. *à vespera vsque ad vesperam celebrabitis Sabbatha vestra*, quem morem videtur imitata Ecclesia in celebratione Indulgentiarum. inceperat igitur dies parasceues, cuius hora sexta Dominus emisit spiritum, à vespera præcedentis diei, & sic etiam eius noctem complectitur, & per synechdochen, ex illis sex horis postremis ab hora sexta vsque ad vesperam totus dies primus, & nox denominatur; succedit secunda dies sabbathi integra; à cuius desinentis vespera incipit labi tertia dies, quæ cõtinet noctem, & aliquam partem sequentis diei Dominici, in qua resurrexit Dominus (quamuis quidam velint noctu resurrexisse) pro quo audiendus est Sanct. Leo Papa serm. de Resurr. *ne turbatos*, inquit, *discipulorum animos longa mæstitudo cruciaret, denunciatam tridui moram tam mira celeritate breuiauit, vt dum ad integrum secundum diem pars primi nouissima* (idest ab hora nona vsque ad vesperã) *& pars tertij prima*

Tres dies quomodo accipiendi sint.

S. Hieron

Sinechdoche figura in quo totũ pro parte ponitur.

S. Aug.

Non tribus integris diebus corpus Saluatoris fuit in sepulchro.

Dubitatio de tribus noctibus.

Dies Ciuiles Hebr. à vespera incipiunt.

Dominus tribus diebus, & tribus noctibus fuit in sepulchro per synecdochen.

Cur Christus resurgere maturauerit

(idest

(idest à vespera Sabbathi vsque ad diluculum diei Dominici) *concurrit*; *& aliquantum spatio temporis decederet, & nihil de dierum numero deperiret.* ita igitur triũ dierum, & noctium numerus saluatur; & hoc fuit signum scribis in hoc Euangelio promissum, ita enim se è mortis claustris euasurũ post hoc triduum significat, sicut Ionas illæsus è ventre ceti emersit.

9 *Viri Niniuitæ resurgent in iudicio cum generatione ista; & condemnabunt eam, &c.* Meminerat Ionæ, ideo ex illius successibus, & Niniuitarum quibus prædicauit pænitentiam, Iudæorum pertinaciam arguit. ex toto contextu historiæ Ionæ; potuisset aliquis conijcere, quod Iudæis hoc mortis, & resurrectionis Dominicæ signũ ad salutem profuturum esset, quemadmodum Niniuitis profuit, quod Ionas à balena euomitus pænitẽtiam suaserit, ad cuius prædicationem saluati sunt. Sed longè secus futurum subdit hic Saluator, Iudaicam scilicet gentem, nec istis signis mouendam, imò potius in sua pertinacia, & duritie perseuerantem eorundem Niniuitarum exemplo esse merito condemnandam. quamuis enim vtrisque magnum ostensum fuerit miraculum; illis, Ionas post triduum è ventre ceti emergens; istis Christus ab inferis resurgens: tamen dispar exitus fuit, illi profecerunt, agentes in ieiunio pænitentiam; isti Christi prædicationibus, & fidei minimè assentiri voluerũt; qui longe maiora habebant suæ damnationis argumẽta quam Niniuitæ: quia vt dicit Gloss. Ordin. *Ionas paucis, & sine signis prædicauit, genti incredulæ, & profecit: ego longo tempore, & populo Dei, & compluribus signis in vanum prædico.* ita etiam exponit Chrysost. hom. 44. in Matth.

Iudæis pertinacibus signa non prosunt.

Niniuitæ meliores Iudæis.

Gloss. ordin.

S. Chrysost.

10 Ex hoc autem quod dicit Christus, *resurget in iudicio &c.* confutat Remig in Caten. errorẽ illorum, qui diuersam fore resurrectionẽ malorum à resurrectione bonorum voluerunt; permoti forsitan illis verbis Psalm. 1. ℣. 5. *non resurgent impij in iudicio, neque peccatores in consilio iustorum.* Sed ex his Euangelistæ verbis, in quibus Niniuitæ qui pænitentiam egerunt dicuntur resurrecturi cum incredula Iudæorum generatione, vnam vtrorumque fore resurrectionem denotatur. *ostendit Dominus* inquit Remig. *his verbis, vnã esse bonorum, & malorum resurrectionem futuram, contra quosdam hæreticos, qui dixerunt vnam esse resurrectionem bonorum, & alteram malorum.* idem obseruat Incert. sub nom. Euseb. Emiss. *bene*, ait, dicit *cum generatione ista, quia sicut Apostolus ait, omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur; omnes enim siue boni, siue mali adstabimus ante tribunal Christi.* Locus verò ille Psalm. 2. huic doctrinæ non repugnat; quia cum dicitur, quod non resurgent impij in iudicio significatur, quod non stabunt intrepidi, & constantes ante Iudicis conspectum; sed ob admissa crimina præsentiam illius formidantes concident. ita Maldon. nam iusti stabunt, quia ait illis Iesus Luc. 21. ℣. 28. *respicite, & leuate capita vestra*, sed peccatores non audebunt leuare caput. Vel dici potest, quod impij non resurgent in resurrectionem vitæ, quia resurrectio erit illis æternæ damnationis principium; iuxta illud Christi Ioan. 5. ℣. 29. *procedent, qui bona fecerint in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerint in resurrectionem iudicij.* Niniuitæ itaque barbara gens, resurgent in iudicio, & Iudæos *condemnabunt*; nõ quod illi sint futuri iudices, sed quod illorum exẽplo à vero sint Iudice condemnandi: *condemnabunt generationem istam* ait Interlin. non potestate, *sed comparatione*. condemnabunt: *non sententiæ potestate, sed comparatione correctionis vitæ*, ait Beda, & Christian. Druith. *condemnabunt, idest condemnabilem esse ostendent proprio exemplo*; ideo dicitur quod *resurgent*, non *sedebunt*

Remig.

Psalm.

Boni, & mali simul resurgent ad vniuersale iudicium

Incert.

Impij in iudicio timidi adstabunt.

Maldon.

Luc.

Ioan.

Pænitentium exẽplo impænitentes damnantur.

Interlin.

Beda. Christian. Druith.

Euthym. tamquam Iudices. Euthym. *dicere solemus hunc, aut illum in futuro Iudicio nos condemnaturum, non quasi ille futurus sit Iudex, sed quod illius opera nostris collata, confundent nos*; quam condemnationem præmoniti, cauere debent fideles.

Aliud est resurgere aliud sedere in iudicio.

11 *Et ecce plus quam Ionas hic, &c.* Comparauit in antecedentibus verbis Iudæos cum Niniuitis; comparat iam se cum Iona; sed vt iactantiam fugiat, non de se ipso loquitur nisi sub tertia persona. *ecce*, inquit, *plus quam Ionas hic*, idest inter vos, *in medio vestrum* exponit Interlin. & Beda; nam particula *hic*, non stat vt pronomen; sed significat locum; quod adnotauit D. Hierony. & alij: *hic aduerbium loci, non pronomen intelligas*, ait Hierony. est enim intercisa locutio, in qua aliquid relinquitur subintelligendum; ac si dixisset: Ecce plusquam Ionas inter vos manet, ad hanc generationem missus, illi salutem sua prædicatione pollicetur; sed ne quicquam. Comparant hoc loco Patres Iesum, & Ionam; Iudæos, & Niniuitas; vt magis pateat quam verè dictum sit, quod isti suo exemplo ostendent Iudæos esse condemnabiles; cum illi pænitentiam egerint audita prædicatione Ionæ: isti verò verbis Christi neglexerint obaudire; Cum tamen Ionas apud Niniuitas esset peregrinus, Christus inter Iudæos ipsos natus, ille diuersæ religionis, iste eiusdem legis, & iisdem institutis innutritus; ille hospes, & ignotus, hic triginta annis inter eos conuersatus, vt propterea multo magis fidem adhibere debuerint Christo Iudæi, quam Ionæ Niniuitæ; qui tñ ad paucissima illius verba, *adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur* Ionæ cap. 3. ℣. 4. pænitentiam egerunt induti ciliciis, cooperti cinere ibidem ℣. 6. Iudæi Christum toto triennio prædicationi, & saluti illorum incumbentem neglexerunt. D. Hierony. sub persona Christi, hoc ita enunciat: *Ionas secundum LXX. Interpretes, triduo prædicauit; ego tanto tempore: ille Assyriis genti incredulæ, ego Iudæis populo Dei, ille peregrinis, ego Ciuibus, ille voce locutus est simplici, nihil signorum faciẽs; ego tanta faciens signa, Beelzebub calumniam sustineo.* Cæci ergo, & hoc ipso nocentes Iudæi, quod eum, qui cunctis titulis longè maior erat quam Ionas, nõ receperunt: *Ille enim seruus*, ait Chrysost. *ego Dominus, ille à cete exiliit, ego à morte resurgam, subuersionem illi vrbi futuram prædicauit: ego regni cælorum Euangelium vobis annuncio.* omnibus his nominibus maior, non inuenit apud Iudæos dictis suis fidem.

Christus modeste de se loquitur.

Interlin. Beda.

S. Hieron.

Inexcusabile Iudæorum peccatum.

Ion.

S. Hieron.

Christum Iona maiorẽ spreuerunt Iudæi.

S. Chrys.

12 *Regina Austri resurget in iudicio cum generatione ista &c.* Nihil hic noui adducitur, sed illud tantum, quod in superiori versu dictum fuerat, nouo exemplo confirmatur. Intelligẽtia huius loci pendet ex eo, quod narratur 3. Reg. cap. 10. & 2. Paralip. cap. 9. quibus in locis habetur, quod Regina Saba audita fama sapientiæ Salomonis, posthabita regnorũ, quibus dominabatur cura, neglectis incommodis, quæ peregrinãtibus occurrũt, & regionum distantiam non æstimãs, ad eum audiendum venit, honorauitque eum pretiosis muneribus. Hæc est illa quam Saluator in præsenti appellat Reginam Austri, eo quod Australibus regionibus dominaretur, vt omnes Interpretes dicunt. Quando autem Scriptura hanc appellat Reginam Saba, nõ proprium eius nomen, sed nomẽ regionis cui imperabat exprimit; nam proprium Reginæ nomen fuit Nicaula, vt vult Ioseph. lib. 9. cap. 6. Est autem, vt docet D. Hierony. de tradition. Hebraic. duplex Saba, altera in Arabia Fælici, altera in Aethiopia, de illa dicebat Poeta Georgic. lib. 1.

India mittit ebur, molles at thura Sabæi.

Harum prouinciarum, & regionum nomina in Hebraica lingua distinguũtur, quia variis characteribus scribuntur. Ex illa autem quæ in Arabia est,

3. Reg. 2. Paralip.

Quid fecerit regina Saba permota fama Salomonis

Saba regio fuit, non proprium nomen.

Ioseph.

S. Hieron.

Virg.

Duplex Saba.

 hanc

hanc Reginam ad Salomonē venisse, aromatum, thuris, & gemmarum (quarū regio illa ferax est) muneribus quæ Salomoni obtulit, colligitur. ita sentiūt præter D. Hierony. Lippom. in cap. 1. Genes. Pererius, & alij; inter quos Maldonat. *Saba*, inquit, *ab illa Orientalis fuit regio, vnde Sabæi thure nobiles dicti sunt populi, sed altera Meridionalis.* ad demostrandam autem regni, quod regebat amplitudinem, non huius, aut illius prouinciæ, sed Austri, quæ vna ex totius Mundi partibus, Regina dicitur. hanc Hugo Cardin. vnam ex Sybillis cōstituit, in 1. lib. Paralip. cap. 9. & in 12. cap. Matth.

S. Hieron. Lippom. Perer.

Vgo Card. Regina Saba vna ex Sybillis.

13 Placuit quibusdā post longā annorū seriē, successisse in regnū istius Reginę Magos illos, qui venerūt adoratū Infantem Iesū; sed quia Euangelica historia hos ab Oriente venisse testatur, Matth. 2. ℣. 1. hanc verò Reginam Austri appellat, nullo modo fieri posse videtur, idem fuisse regnum Magorū, & Saba. Quicquid sit, huius tantæ Heroinæ, & cuius magnificentiæ adhuc apud Hebræos, tēpore Saluatoris memoria supererat, exemplo; Iudæos iusto Dei iudicio perfidiæ suæ pænas daturos, ostendit. Neque mirum quod Iesus superiori Niuiuitarum exemplo hoc aliud adiungat, quia magis hoc facto exaggeratur propositum, & prauæ illius gentis durities ostenditur, quod expendens S. Ioann. Chrysost. hom. 44. citat. in Caten. *istud*, inquit, *plus fuit quam prius; Ionas enim ad illos abijt, Regina autem Austri, non expectauit Salomonem, sed ipsa ad eū accessit & mulier & barbara, & tantum remota, non mortem formidans, sola cupidine verborum sapientum.* hæc omnia ad increpandam Iudæorum cæcitatem illis obijciuntur; dicente Iesu, *ecce plus quam Salomon hic*, idest, facilius vos mea prædicatio mouere debuit, quam Reginam Austri, ad suscipiendam longam, & difficilem peregrinationem, Salomonis fama; illa enim imperabat, Iudæorum populus seruit, illa fæmina infirmioris sexus, cū Christus inter Scribas, & Pharisæos plurimum versaretur, vos in vestris vrbibus Magistrum habetis, illa de longinquo ad Salomonem venit; illa mortalis hominis sapientiam admirata est; vos eum in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi, non modo non auditis, sed impijs vocibus læditis, *in Beelzebub eijcis Dæmonia*; illa cum muneribus accessit; vos cum fraudibus, & blasphemijs. Sanct. Ioann. Chrysost. loco citat. *Tunc*, ait, *Salomonem Regina mulier accessit, nūc ipse Rex omnium ad vos venio, & illa ab extremis Orbis terrarum partibus; vos in vrbibus, atque vicis vestris sedentes, omnia me lustrantem videtis.* His rationibus, & exemplis extremam Iudaico populo ruinam instare prædixit Christus; simul etiam tacitè caussam reddens, quamobrem illis signa petentibus minimè satisfaciat, quia nimirum ex iis nullam fuissent vtilitatem recepturi; at pijs, & fidelibus, fidē resurrectionis pluribus operibus confirmauit, & admirabilem Ascēsionem suam videre permisit.

Exemplū Reginæ Sabæ Iudæos damnabit.

S. Chrys.

Comparātur Iesus, & Salomon, Saba & Iudæi.

Chrysost.

14 *Cum autem immundus Spiritus exierit ab homine; ambulat per loca arida &c.* Hæc cum antecedentibus ita cohærent. comminatus fuerat in superioribus exemplis Iesus Saluator, incredulis Iudæis, damnationem in futuro iudicio, in quo viri Niniuitæ, & Regina Austri resurgent, & eos condemnabunt. In hac vero parabola, siue exemplo proponit pænas temporales, quæ illis debebantur; vt si minus venturis, & spiritualibus, instantium saltem, & temporalium malorum terrore resipiscerent. Quæ omnia quamuis in vniuersum, omnium ordinum hominibus applicari possint, vt propterea illa plerique hæreticis, teste D. Hieronym. alij Christianis à mandatorum obseruatione desciscentibus applicent; tamen Saluatoris intentio est loqui de Iudæis, vt ex illis verbis apertissimè colligitur: *sic erit generationi*

Alio exēplo arguitur Iudæorum pertinacia.

S. Hieron.

huic pessima; Obscurior videri solet horum verborum sensus; quia in ijs explanandis, ipsius parabolæ sensum allegoricum cum eodem miscent, implicantq; exemplum cum re ipsa per illud significata, dicunt enim *loca arida* esse gentiles, domum mundam esse Synagogam; & his similia: quæ omnia quamuis apposite dicantur, tamen eidem parabolæ inserta, eius sensum obtenebrant; qui clarior erit, si primo explicetur parabola, deinde rei per eã significatæ applicetur.

Opinio aliorum circa hæc verba.

15 Est itaque *spiritus immundus* Dæmõ, nam quemadmodum nomen *spiritus* absolutè acceptum in bonam partem sumitur, vt Paul. sumpsit ad Galat. 5. ℣. 22. *fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax &c.* ita ex Epithetis illi additis, variæ fit significationis; vt 1. Reg. 18. ℣. 14. de Saule. *Spiritus Domini recessit à Saul, exagitabatq; eum spiritus nequam.* idem appellatur hic immundus; quod adiunctum, quamuis ex sui natura propriè spiritui non conueniat, cum mundities, & immundities sint proprietates corporum, tamen dicitur esse talis moribus, & ad differentiam Angelorum, qui sunt purissimi, & mundissimi spiritus. Hic itaque immundus spiritus, diuina coactus virtute, exit plerumq; ab homine, quem diù obsedit, & vexauit: & cum in alios homines insilien di, ijsque nocendi nullam potestatem habeat nisi Deo permittente, propterea interim ambulat per loca arida, & deserta; quia talis illi videtur omnis locus, in quo non potest homini nocere, quod in delicijs habet: in hominibus enim affligendis, & infestandis suam requiem positam esse existimat, vt proinde hac potestate priuatus, dicatur non inuenire requiem. Loquitur enim hic Saluator de spiritu per modum hominis, qui assuetus in frequentia, & conuictu vrbano, nullam inuenit requiem, sed ægrè fert si loca deserta incolere cogatur: ita Dæmon eiectus ab homine, & priuatus facultate illi nocendi, angitur, nec quiescit quasi coactus in exilio esse; *tunc dicit* idest in tali statu quiescere nescius, hæc secum voluit: *reuertar in domum meam;* ad hominem, scilicet, vnde exclusus fueram, vt ibi quiescam illi nocendo; benè enim notat Abulens. in exposit. huius parabolæ; quod Diabolus quando nocere potest aliqualiter quiescit, sicut iratus paululum quiescit si de inimico pænam sumpserit, vt dicit Arist. 4. eth. cap. de mãsuetud.

Dæmon dicitur immundus spiritus, & cur. Galat. 1. Reg.

Summa in Dæmone nocẽdi hominibus cupiditas.

Quies Dæmonis dãnum hominis. Abulens.

Arist.

16 Neque dicit *vnde per vim expulsus sum,* sed *vnde exiui,* neque enim propter superbiam suam fateri vult se expulsum. Si itaque domus ista ad quam reditum tentat, sit illi præparata, reuertitur in eam, quod significatur illis verbis: *inuenit eam vacantem mundatam, & ornatam:* qui enim diuina gratia sunt vacui, quamuis eo ipso redditi sint immundissimi, satis tamen mundi, & ornati Diaboli oculis apparent. Nam istiusmodi vitiorum sordes, sunt illius mundities; cui vacat, quicquid vitijs plenum est; ornatum apparet, quicquid perturbationum aulæis tegitur; mundum omne inquinatum; cum igitur ita vacantem, mundatam, & ornatam videt, talem domũ inuenit, qualem desiderat, & hæ sunt illecebræ, à quibus ad hoc optandum hospitium allicitur, quemadmodum aulæa, & serica ornamenta homines alliciunt ad habitandam aliquam domum: nam vt dicit Imperf. in Matth. homil. 30. *Luxuria, Fornicatio, Voluptas, Superbia, Auaritia, Discordia &c. ornamenta diaboli sunt.* ab his ita allicitur, vt non solum illam tamquam desiderabilem, & voluptuosam sibi domum ingrediatur, sed quemadmodũ homines delicijs in conuictu frui malunt, ita immundus iste spiritus tale sibi hospitium iterum contigisse gaudens; adiungit sibi septem, idest plures alios spiritus nequiores se: quoniam enim domum vacãtem inuenit, locus est spatiosus, & aptus ad plures hospites recipiẽdos, ideo assumit secum

Qui sint mundi in conspectu diaboli.

Peccatores dæmone digna habitatio.

Imperf.

Vitia Ornamenta diaboli

alios spiritus; vel quia præparata sibi illa habitatione solus frui nolit, seu vt caueat ne inde rursus expellatur. *septẽ* dicuntur isti spiritus quos assumit, accipiendo numerum finitum pro indefinito; vel vt opponantur septem gratijs Spiritus sancti, quæ commemorãtur Apoc.cap.1.℣.4.etiam Isai.11.℣.2. enumerantur cum dicitur: *Spiritus Sapientiæ, & Intellectus, Spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis & replebit eum spiritus timoris Domini*, vt exponit Incert. sub nomin. Euseb.emiss Luc.Brug.& alij. Dicuntur autem isti septem posteriores spiritus *nequiores*, idest, aptiores ad torquendum hominem, vt notat Abulens.quæst.97.in cap.12. Matth. nam omnes Dæmones sunt pessimi, dicuntur tamen quidam ex ijs nequiores, quia peius hominibus nocent, vel torquendo, vel tentando; quoniam enim sũt perspicaciores intellectu, ideo grauius, & subtilius norunt tentare. Vgo Cardin. nequiores dictos putat ab effectu, quia homo ab eis efficitur nequior. Redit itaque spiritus cum comitatu, & sic qui prius ab vno tantum vexabatur, à multis infestatur, grauiusque multo affligitur, quia semel à Dæmonis potestate liberatus, eidem vltro per neglectum virtutum, & cultum vitiorum aditum ad se patefecit; *& fiunt nouissima hominis istius peiora prioribus*. Hic est sensus parabolæ, quã tamquam exemplo exponere intendit Iesus, quod Hebræos longe maiores afflictiones maneant, ijs quas hactenus experti fuissent, in quo consentiunt plerique ex Patribus Hierony. Ambr. Chrysost.& Cyrill. quos sequitur Euthym. ita etiam sensum huius parabolæ exposuit optimè Iansen. Concord. Euangel. cap.49. approbantibus Maldonat. in 12.cap. Matth. Barad. Luc. Brug.& Salmer.tom.8.tract.18.

Numerus septenarius pro indefinito ponitur.

Apoc. Isai.

Incert. Luc. Brugens.

Abulens. Quomodo aliqui dæmones dicantur nequiores cũ omnes sint pessimi. Vgo Card.

S.Hieron S.Ambr. S Cyrill. Euthym Iansen. Barad. L. Brug.

17 *Sic erit & generationi huic pessimæ*. Hic finis, & exitus manet incredulum hũc, & perfidum Iudaicum populum; à quo expulsus semel diuina benignitate, immundus Dæmon, quando tradita illis fuit lex, vt volunt Hierony. Christian. Druith. & Maldonat. vel quando Prophetarum, & aliorum iustorum hominum monitis, & optimorum Regum exemplis à peccatis destiterunt, vt existimat Auct. Imperfect. rursus neglectis virtutum, & diuini cultus operibus, aditum diabolo aperuerunt; qui cum aliquandiù ab illis infestandis destitisset, oblata sibi occasione alacriter eosdem iterũ inuasit, reddiditq; aduersus Prophetarum optima monita contumaces, & diuinæ Christi prædicationi repugnantes; vt exinde maioribus cũ viribus illis dominetur, assumptis secũ nequissimis spiritibus *erroris, mẽdacij, blasphemiæ, contumaciæ, confusionis, indurationis, excæcationis* quos enumerat Luc.Brugen. adeo vt his agitata furijs, nouissima generationis istius, futura sint peiora prioribus, quia *erit tribulatio magna qualis numquam ante*, vt alibi Matth.24.℣.21. prædixit Saluator; in extrema enim illa sub Tito, & Vespasiano excidione Hierosolymitana, grauissimis pressuris vexati fuerunt; & ea passi sunt, quæ nusquam patribus eorum in præteritis captiuitatibus acciderant; vt legentibus belli illius historiás, miseriæ, & afflictiones, quas passi sunt, horrorem incutiant. subijciam verba Euthymij dilucidè hoc, expressè exponẽtis: *Prius*, inquit, *Iudæi à Dæmonibus agitabantur colentes idola; ab his autem per Prophetas liberati sunt; sed quia salutis donum neglexerunt, suumque Saluatorem occiderunt, facilè rursus à Dæmonibus capti sunt; & facta sunt nouissima eorum calamitates peiores prioribus, nã quæ sub Vespasiano, & Tito passi sũt, longè miserabiliora fuerũt ijs quæ ab Aegyptijs, Babylonijs, Antiocho passi fuerant*. Vel propterea dicuntur postmodum à septem grauioribus spiritibus obsessi, quia in grauiora peccata exinde inciderunt, non credentes in Christum; verumq; Saluatorem occidentes, vt volunt Hilar.

S.Hieron Christia Druith. Maldon.

Auctor Imperfec.

Qui spiritus modo Iudæis dominentur.

L.Brug.

Matth.

Excidio sub Tito Iudæos despersit.

Euthym.

Quæ mala Iudæis ob suam perfidiam cõtigunt.

Hilar.

Beda

Bedi. Imperf.

Beda, Imperf. sed prior expositio nobis est aptior, qui diximus temporalia illis mala per hæc indici. optimè igitur Saluator noster non solum mala impendentia Iudæis denunciat, sed etiã calumniam ab ijsdem sibi falsò illatam in eos regerit, & retorquet; ostendẽs, quod illi, qui ipsum in Beelzebub eijcere Dæmonia calumniabantur, non ab vno tantum, sed à multis diabolis præmerentur, grauiterque ab ijs affligendi essent, donec ad extremam ruinam peruenirent.

18 *Adhuc eo loquente ad turbas, ecce Mater eius, & fratres stabant foris quærentes loqui ei.* Verebatur Diabolus ne veritas à Christo Iudæis prædicata de excidio, & malis imminentibus plurimum apud aliquos proficeret, & ne multi ex eis conuerterentur; quare vt Christi dictis fidẽ demeret, in quibus se filium Dei profitebatur, & in eius digito eijcere se Dæmonia: hominem illum esse voluit turbis adstantibus in memoriam reuocare; ad quod faciendum accepit occasionem ex aduentu B. Virginis Mariæ, & aliorum Christi consanguineorum; ita enim fore sperabat, vt dum eius fratres, & mater foris adesse nunciaretur, falsam illius doctrinam esse adstans turba crederet; qua se è cælis descendisse prædicabat. Quod & alibi eodẽ diabolo sug gerente Christo, obiectũ fuisse legimus Matth. 13. ℣. 55. & alibi sæpius. *nonne hic est fabri filius; Cuius patrem, & matrem nouimus, & fratres eius apud nos sunt?* quasi terrenos illi parentes exprobrantes, diuinam in illo naturam negarent. Hanc esse putant Auctor Imperfect. & Vgo Cardin. causam propter quam Euangelista, ex obrupto referat; *adbuc eo loquente &c.* aderant enim à Nazareth illius consanguinei vna cum Matre de illius salute solliciti, cuius vitæ scribas, & multos ex primoribus populi insidiari audierant, quærebant igitur illum in Nazareth abducere. Stabant autem foris, non superbiæ, aut iactantiæ causa, vt quidam commenti sunt, sed quia non videbatur opportunum coram turbis consilium suum de illo abducendo ei reuelare; Vel quia non poterant ad illum accedere præ turba, vt ex Lucæ verbis colligitur cap. 8. ℣. 19. *non poterãt adire præ turba.* Sed & eorum erga Christum obsequio consentaneum videtur, quod propter illius reuerentiam foris expectare maluerint, vnde D. Ioan. Chrysost. apud Abulens. *Quia illis dilectus erat* (fratribus, & matri) *ideo ad eum propter reuerentiam, & affectum veniunt, de foris expectantes ob reuerentiam.*

Astutia diaboli euertentis hominis à veritate audienda.

Diuinitatẽ in Christo reuocat in dubium diabolus. Matth. Ioan.

Auctor Imperf. Vgo Card.

Mater Christum quærebat de illo collicita.

Luc. Consanguinei Christum reuerebantur.

19 Cum autem hic fratrum Domini mentio fiat, quidam malè hæc interpretati, voluerunt istos germanos fuisse Christi fratres ex Beatissima Virgine post Christum natos; ita tenuit Heluidius, cuius prauam hæresim doctissimè damnauit, & confutauit D. Hieron. lib. contra eum edito; in quo præter cætera, respiciẽs ad hunc locũ, in quo exponendo sumus; *Hinc,* inquit, *Heluidij vna propositio sumitur, ex hoc quod fratres* Domini *in Euangelio nominantur.* sed vt optimè, & fusius ibidem S. Doctor declarat, quatuor modis in Scripturis diuinis dicuntur aliqui esse alterius fratres, scilicet, Natura, gente, cognatione, & affectu; & tandem concludit, *fratres eos appellatos cognatione, non affectu, non gentis priuilegio, non natura.* Alij voluerunt S. Ioseph Mariæ Virginis spõsum alteri mulieri nupsisse; & ex ea hos filios suscepisse, qui propterea putabantur esse fratres Domini, sicut Ioseph illius pater existimabatur; ita referunt Beda, & Abulens. quæst. 103. in cap. 12. Matth. quam sententiam ex Græcis Patribus plures receperunt. Sed eam non approbat D. Hieron. & pij credentes; appellãtur enim fratres Domini consobrini, & cognati illius Iacobus minor, Ioseph, Iudas, & Simon; hoc expressè dicit D. Hieron. in Matth. 12. *fratres Domini, non filios*

Falsus error de fratribus Christi

S. Hieron

Quatuor modis dicitur quis frater in script.

Beda. Abulens.

Qui appellentur fratres Domini.

S. Hieron

Ioseph,

Ioseph, sed consobrinos Saluatoris, Mariæ (quæ erat soror Beatissimæ Virginis) *liberos intelligimus. Matertera Domini, quæ esse dicitur mater Iacobi minoris, & Ioseph, & Iudæ quos in alio Euangelista, fratres Domini legimus appellatos. fratres autem consobrinos dici, omnis scriptura demonstrat*; & ita hic fratres Domini nominantur.

20 Dixit *autem ei quidam, ecce Mater tua, & fratres tui, foris stant, quærentes te.* Ponderanda est hoc in loco particula *ecce*, nã vt iste malignè loquebatur, ita hæc verba insidiosè locutus est; vt obseruant Gloss. Ordin. D. Hieron. in Caten. apud D. Thom. & Beda homil. 1. in hoc Euangelium *videtur*, inquit Hierony. *mihi iste qui nunciat, non fortuito, & simpliciter nunciare, sed insidias tendere*. propterea dixit *ecce*, quasi diceret, vt quid insolenter, & fastuosè te iactas, supra Ionam, & Salomonem gloriam tuam extollens; *Ecce plus quam Ionas, ecce plus quam Salomõ.* oppono tibi aliud, *ecce, Mater tua; & fratres quærunt te:* pauperes, & tenuis fortunæ; memineris itaque te istis coniunctum, hominem esse, & de superbia ista demes, quã inflatus diuinitatem tuam conaris nobis persuadere; propterea crediderim hunc nuncium ab Auctor. Imperfect. appellari appositè Aduocatum Diaboli. *Venit*, inquit, *aliquis diaboli aduocatus, qui humano ore verba diabolica loqueretur; dicens ecce Mater tua, vt si dicat. Quid gloriaris Iesu de cælo dicens descendisse, qui radices habes in terra? Ecce Mater tua, & fratres tui: non potest esse Dei filius, quem homines genuerunt; non potes illam abscondere, quam natura conuincit.* est autem nuncij istius locutio captiosa, & callida, quales sæpè Christo proponebant Iudæi; vt in quamcumque inclinaret partem responsio, illam calumniarentur; quemadmodum etiã cum Ioan. cap. 8. petierunt an dandus esset census Cæsari. Ita nunc annunciat iste, quod cognati illum quærunt, vt exploret an propter cognatos desistat à prædicatione; quæ scribis opportuna fuisset occasio illum accusandi, & increpãdi, quasi præponeret carnalium cognatorum negocia rebus spiritualibus. si verò in prædicatione pergeret, videretur non ita matrem æstimare sicut conueniebat; vt considerat Abulens. sed eorum captiosos sermones, vt optimè alibi; ita in præsenti mirificè eludit Saluator. Vnum tantum videtur huic expositioni obstare, quod Marc. 3. ℣. 31. dicitur hũc fuisse à cognatis rogatũ, vt de eorum, aduentu Christum faceret certiorem, *& veniunt Mater eius, & fratres, & foris stantes, miserunt ad eum, vocantes eum.* Sed attende Iudæorum malitiã, opportunitatẽ calumniandi Christum semper captantium. vtrumque verum esse potest: & quod cognatorum verbis euocaretur Iesus, & quod iste nuncius libentissimè hanc occasionem acceperit eius sermonem interpellãdi, & mortalium cognatorum memoriam obijciendi. quod verba Christi indicare videntur, dicẽtis. *Quæ est Mater mea?* suspensa responsione ambigua, & fallacia verba declinãs.

21 *At ipse respondens dicenti sibi ait; quæ est Mater mea, & qui sunt fratres mei?* Mirum profectò primo aspectu; nec dum penetrato mysterio videri potest, cur Christus Dominus, de Matris quam summopere non solum amabat, sed etiam reuerebatur, aduentu factus certior, ita seuerè respõdeat; vt vel omninò negare videatur à se pro Matre haberi, aut tantæ apud ipsum esse æstimationis, sicut par est sanctissimam, Deoque acceptissimam mulierem fuisse apud pium, & obsequẽtissimum filium. adeo vt cum nuncianti eius aduentum acturus gratias fuisse videretur, subiratus tamen illi potius videatur acerba hac responsione: *Quæ est Mater mea, & qui sunt fratres mei?* Sed si cõsilium Iesu Saluatoris in his verbis penetremus, intelligemus hæc, nedum dicta vt Matrẽ

negaret

S. Hieron. *Beda.*

Christi diuinitatem per Iudæos diabolus deprimit.

Auctor Imperf.

Ioan. *Callidè Christum tentat Iudæi.*

Abulens.

Contra ministros diaboli Christus irascitur.

negaret, aut parum æstimaret: sed sũmam eius prudentiam præferre. nouerat enim nuncium, malo animo aduentum Matris nunciasse, vt supra ostendimus ex Hieronym. vt scilicet experiretur, num Matris, & consanguineorum affectu tangeretur; & quia, vt notat Imperfect. *Quasi hominem quidem aspiciebat* (nunciantem) *tamen verè diabolus loquebatur*, propterea, captiosum eius, & fallacem sermonẽ, ita eludere voluit, vt & diuini verbi prædicandi studium summo apud se loco esse declararet; neque propterea materno affectui quicquam apud se decedere, manifestum faceret. Voluit itaque ostendere spiritualia esse temporalibus præferenda; neque in contemptum Matris hoc dixit, cui honorem in lege præceperat à filijs exhibendum; & de cuius cura adeo erat sollicitus, vt inter maximos, quibus in Cruce affligebatur cruciatus, eius meminerit, eamque adstanti discipulo commendauerit. Hæc ratio responsionis istius, à Beda redditur; *non*, inquit, *quasi Matrem nesciẽs interrogat, aut quasi Matrem despiciens, qui in lege iubebat Patrem, & Matrem honorare: sed ostẽdere volens, maiorem esse propinquitatem spiritualem, quam carnalem*; & homil. 2. in idem Euang. idem Beda ait: *Non Maternæ pietatis respuit officium, sed Dei Patris ministeria Maternis præponis affectibus*. eandem rationem reddit Gloss. Ordin. Euthym. & alij: *si enim negare voluisset Matrem, tunc vtique negasset*, ait Chrysost. in Caten. apud D. Tho. *quando ei Iudæi exprobrabant de Matre. neque dixisset quæ est Mater mea. sed dicenti, Ecce Mater tua, respondisset; abeas, & dic illi Mulieri, quia Mater mea non est*, vt idem Sanct. Ioan. Chrysost. homil. 45. in Matth. obseruat. ita igitur responsionem modestè temperauit; vt neque de affectu, & reuerentia Matris quicquam minueret, & Patris ministerio quantum debebat iure tribuere videretur. nam cæteroque sermonem ad vtilitatem adstantium inceptum non interrupit, imò ex omnibus occasionem accipit aliquid dicendi ad animarum profectum; vt enim demostraret obsequium Matris non esse præferendum seruitio Patris; dixit: *Quæ est Mater mea? quasi diceret*, inquit Euthym. *Quæ huiusmodi Mater mea est, aut qui huiusmodi fratres, vt propter illorum obsequium, & affectum, tantæ multitudinis vtilitatem promouere dimittam?* Significans carnales consanguineos, non esse apud se tanti vt propter eorum negocia, diuini verbi spargendi opportunam occasionem debeat negligere; aut pati ab eorum sermonibus propositum suum de dilatando veri Dei cultu impediri.

Imperf.

Christus Patris obsequium alijs omnibus anteposuit.

Beda.

Propinquitas spiritualis, preponẽda temporali.

Gloss. Euthym

Chrysost.

Etiam inimicorum insidias Christus ad animarum vtilitemat conuertebat.

Euthym.

22 Ita explicata hac littera facessserunt vana hæreticorum commenta; Quippè Marcion, & Manichæus, ex eo quod in his verbis videtur negare Iesus Matrem suam, concludebant non verum, sed phantasticum Christi corpus fuisse, vt notat D. Epiph hæres. 42 quo confutant Chrysost. & Hierony. in expositione huius Euangel. dicens. *non ergo iuxtà Marcionem, & Manichæum Matrem negauit, vt natus de phantasmate putaretur, sed Apostolos cognationi prætulit, vt & nos in comparatione dilectionis, carni spiritum præferamus*. Quo respicere visus est D. Ambros. in 4. cap. Luc. *nec iniuriosè*, inquit, *refutantur parentes, sed religiosiores copulæ mẽtium docentur quãcorporum*, & paulo infra idem addit. *Non quo Materna refutet pietatis obsequiũ (ipsius enim præceptum est, qui non honorauerit Patrem, & Matrem moriatur) sed quia paternis se ministerijs, amplius quam maternis affectibus debere cognoscat*. Vide etiam Abul. quæstion. 111. in 12. cap. Matth. hunc errorem refutantem.

Phantasticum corpus Heretici Christo tribuebant. S. Epiph. S. Hieron

S. Ambr.

23 *Et extendens manum in discipulos suos dixit: Ecce Mater mea, & fratres mei*. Quamuis Matth. tantummodo de discipulis hæc dicta fuisse videatur affirmare; *ecce Mater mea, &*

fratres

fratres mei &c. tamen non est dubium quin etiam omnibus credentibus, qui Christum intra se spiritualiter conceperũt, & p fidẽ filij Dei facti sunt, hæc eadem dicta fuisse, possimus interpretari. Non solum quia sæpius Saluator vtrorũq; & sui videlicet, & bonorum fidelium vnicum esse cælestem Patrem dixit, à quo isti adoptati sunt per gratiam; sed etiam quia D. Marcus in huius facti narratione, clarius hoc exprimit, ait cap. 3. ℣. 32. *sedebat circa eum turba.* & ℣. 34. *circumspiciens eos, qui in circuitu eius sedebant, ait, ecce Mater mea, & fratres &c.* non itaque de Apostolis, & Discipulis tantum, sed de alijs etiam locutus est; ita tamen vt ijs hæc conuenire verba dicamus, qui vt ait D. Marcus, in circuitu eius sedebant; idest qui ad eum magis per fidẽ appropinquauerant: nam si qui calumniandi eius dicta animo ibi aderant, ab hoc Christi consanguineorum numero, iure sunt excludendi; de cunctis itaque fidelibus dictum intelligimus, *Ecce Mater mea, & fratres mei.* voluit enim ei, à quo ab incepto sermone auocatus fuerat, satisfacere, & ab illius callidis verbis euadere. ita igitur respondet, ac si dicat: per hoc de consanguineis nuncium, velles vt verbum inceptum dimitterem, & certè consilium tuum sequerer, si illi tantum qui foris stãt, mea Mater, & fratres essent, sed cum alios hic habeam credentes, in quibus erudiendis, & diuini verbi aquis irrigandis occupatus sum; propterea malo istorũ, quorũ ago animarũ negocium, temporalibus consanguineorum negocijs præponere. ex quibus intelligitur, cur credentes Matris, & fratrum loco haberi à se dixerit. *Matrem enim eius nominauit*, ait Euthym. *quasi doctrinæ verbum in intelligibili animæ parte suscipientes, & congruo tempore ipsum parientes. fratres verò tamquam à Patre cælesti adoptatos per fidem, quam in Christum habebant, factósque regni illius cohæredes.* ita etiam explicat D. Hierony. non est igitur absurdum quod Matris nomine, fideles significentur, qui etiam spiritualiter Christũ parere dicuntur. quod loculenter explicauit D. Gregor. in Caten. D. Thom. *fideles, & discipulos, fratres nominare dignatus est Dominus, dicens, Ite nunciate fratribus meis: qui ergo Domini frater fieri ad fidem veniendo potuit, quærendum est, quomodo etiam possit esse Mater. sed sciẽdum, quia qui Christi frater, vel soror est in credendo, Mater est in prædicando; quasi enim parit Dominum, qui cordi audientis infundit, & Mater eius efficitur, si per eius vocem, amor Domini in proximi mente generatur.* Videant igitur, & æstiment dignitatem, & priuilegia muneris sui prædicatores diuini verbi.

Fideles Christi Mater, & fratres. — Marc. — Euthym. — Qui fideles sint Christi mater, & fratres. — S. Greg. — Fideles quomodo pariant Christum

24 *Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Reddit superioris dicti rationem, cur fideles matrem, & fratres dixerit; vt denotat particula causatiua *enim*, & quoniam neque huius, neque superioris versus verba possunt carnaliter intelligi, vt nemo non videt, cum de eadem persona verificari non possit; quod sit mater, frater, & soror eiusdem; ideo etiam in sensu litterali, exponenda sũt spiritualiter. Constitit ex dictis in præcedenti versu, quemadmodum ij, qui Christum receperunt per fidem, fratres, & mater illius dici possint; Quæ profectò spiritualis maternitas maxima est, à qua is denominatur Mater, cuius verbis, aliquis in Christo renascitur. ita Paul. quasi Matrem se esse profitebatur fideliũ, quos Christo genuerat. 1. Corint. 4. ℣. 15. *per Euangelium, ait, ego vos genui.* & iterum ad Galat. 4 ℣. 19. *filioli quos iterum parturio.* Isti postea adulti in fide, diuinum fætum in vtero suo conceperant, vnde subdit, *donec formetur Christus in vobis;* quos ad alios Deo generandos filios hortatur 1. Corinth. 6. ℣. 20. *glorificate, & portate Deum in corpore vestro.* hoc autem præsertim ijs conuenit, qui diuinam faciunt voluntatem, vt prop-

1. Corint. Galat. — Corinth.

terea

S. Aug. ptereà Augustin. in lib. de sancta Virginit. dixerit. *Mater Domini dicuntur diuinam facientes voluntatem, quia fecundissima charitate verbis, & exemplis parturiũt eos qui fratres sunt Christi.* Vel facientes diuinam voluntatem appellat Matrem, fratres, & sorores; quia quantum istæ personæ amari solent, tantumdem Christo homines facientes voluntatem Patris cælestis chari sunt, non carne, sed spiritu illi coniuncti; supra autem ostẽderat, arctius apud se esse spiritus, quam carnis vinculum. Obseruat hic Euthym. quod facere voluntatem Patris cælestis, est Euangelica præcepta seruare, & custodire; quod clarius exponit Luc. Brug. duo affirmans debere concurrere ad hoc vt aliquis voluntatem Patris cælestis faciat fidem, & opera *Quicumque* inquit *fecerit volũtatem; qua & fidem exigit & opera* & propterea Matth. 7. ℣. 21. dicitur; *Non omnis qui dixerit mihi Domine Domine intrabit in Regnum cælorum. Regnum enim cælorum,* ait Hilar. *sola verborum officia non obtinent.* Voluntas autem Patris ea est, quam eius iussu filius per Euangelium promulgauit. exigunt itaque Pater, & Filius à nobis voluntatis diuinæ adimpletionem idest fidem operosam, quæ sine operibus mortua est.

Facientes diuinã voluntatem Christi sũt consanguinei, & cari.

Euthym.

Quid sit facere diuinam volũtatem.

Luc. Brug.

Matth.

Hilar.

Sacer tex.

Magister volumus.

CAP. II.

Propria voluntas multorum malorum origo.

1 
IS in hoc Euãgelico textu voluntatis sit mẽtio, semel in prĩcipio, cùm dicitur: *Magister volumus;* iterum in fine, cum ait Saluator, *Qui fecerit voluntatem patris, qui in cælis & c.* sed dispar huius, & illius voluntatis apud Deum æstimatio; per hanc enim filij Dei declarantur, & Christi fratres: *qui fecerit voluntatem & c. ipse meus frater, soror, & mater est;* per illam, perdita Satanæ progenies, & generatio mala homines euadunt; quibus seuerissimis verbis, propria hæc voluntas exprobratur *generatio mala signum quærit & c.* erga priores Deus affectum beneuolẽtiæ profitetur, quos instar matris, & fratrum diligit; erga posteriores, adulteræ, & prostitutæ probra iacit. denique illud *volumus,* tamquam sibi inuisum, & hominibus perniciosum summopere damnat, hãc *voluntatem* adimplentes, sibi charissimos esse, repetitis verbis protestatur. Eadem etiam differentia colligitur ex diuina responsione ad Iudæos apud Isai. cap. 58 ℣. 3. cõquerentibus enim, & grauiter expostulantibus coram diuina maiestate Hebræorum primoribus, quòd ex assiduis ieiunijs, nullum fructum perciperent, nullaque laborum vltro pro peccatorum expiatione susceptorum emolumenta retulissent; *Quare,* inquiunt, *ieiunauimus, & non adspexisti? humiliauimus, animas nostras, & nescisti?* Quibus Deus rationabilẽ causã reddens, cur eorũ ieiunia, ne dũ grata, sed inuisa sibi essẽt, humiliationes, & afflictiones viles, ita respondet: *Ecce, inquit, in die ieiunij vestri, inuenitur voluntas vestra.* Ita enim Deus propriam voluntatem in hominibus odit, vt etiam bona eorum opera, cæteroqui illi gratissima, hoc quasi veneno infecta fastidiosa illi fiant; neq; ea recipit etiam ablata. Zachar. cap. 7. ℣. 5. *cum ieiunaretis, & plangeretis, in quinto, & septima per hos septuaginta annos, numquid ieiunium ieiunastis mihi?* quasi dicat, minimè; cum ego ieiunia vestra non acceptauerim. ex his dictis patet, verum esse quod ait Interlin. ad adductum Isai. locum; *voluntas vestra, voluntas est,* inquit, *Carnalis, non Dei;* in quibus duplicem esse in-

Propriæ voluntatis damna quædam.

Isai.

Opera ex propria voluntate facta odit Deus.

Zach.

Interlin.

Quæ sit voluntas Dei, & quæ carnis. homine volũtatem manifestatur; Quarum altera, qua id homo eligit, & curat, quæ Deo, & menti placent; & hæc appellatur in hoc Euangelio *voluntas Patris qui in cælis est*; & Luc. Luc.4.℣.14. *voluntas bona*; dum annunciatur: *in terra pax hominibus bonæ voluntatis*; altera voluntas est, qua desideria carnis perficiuntur, & ea appetuntur, quæ caro, & sanguis tamquam desideranda proponunt; & propterea voluntas carnis dicitur ad Ephes. Ephes.2.℣.3. *facientes voluntatem carnis, & cogitationum*, plerumque propria concupiscentia appellatur, vt 2.Petr. 2.Petr.3.℣.3. *decepti iuxta proprias concupiscentias*; & apud Isai. Isai.loco alleg. *voluntas vestra*; de qua S.Bern. S.Bernard.serm.71.in Cantic. *grande malum propria voluntas, qua fit, vt bona tua, tibi bona non sint*, cum contra, Bona volũtas præmium habet. bona voluntas, etiam absque operibus sit meritoria, ita docet Augustin. S.Aug. serm. 226. de temp. *si nihil amplius habes in substantia tua; qua tibi, aut in victu, aut in vestitu rationabili, aut mediocri sufficiat, sola tibi potest bona voluntas sufficere*; quæ etiam fuit pulcherrima sententia S.Cæsar. Epist. Arelat. homil. S.Cæsar. 9. excusantibus enim se, quod non possent eleemosynam facere propter paupertatem, quoddam eleemosynæ genus inueniri dixit, quod nullas pecunias requireret; *tertium*, inquit, *genus eleemosynarum sit, vita bona voluntas, omnes homines dilige, sicut te ipsum* Bonam voluntatem quærit Deus. & ideo in lib. qui inscribitur ordo Baptismi secundum vsum Aethiopum, in Bibl.SS.Patr.tom.6. cum aliæ plurimæ orationes pro varijs Christiani populi ordinibus habẽtur, tum pro ijs qui offerunt multa munera; *seu multum*, inquit, *quis obtulerit, seu parum; seu secreto, seu palam; seu volens, & non habens* &c. ergo qui vult, & non habet, par est danti, & habenti, cum ille etiã inter eos recenseatur, qui obtulerunt, quod etiam confirmant verba Remig. Remig. Altis. Altissidor. in cap. 1. Malach. in Bibliot. SS.Patr.tom.1. exponentis illud; *mensa Domini contaminata est, &c. pollutũ*, inquit *putatis esse altare, ac holocausta, & victimas, quæ super imponuntur; ecce cognoscetis, Dominum non auri argentique ornatum quærere, neq; multitudinem victimarum; sed mundam offerentium voluntatem*. agnouerũt hoc etiam Ethnici; quamobrem Seneca lib. 1. de benefi. js cap. 6. in beneficijs magis dantis animum, quam rem ipsam esse spectandam probat, *non est* ergo inquit *beneficiũ ipsũ quod numeratur, aut traditur; sicut nec in victimis quidem, licet, opima sint, auroq; præfulgeant Deorum est honos, sed pia, ac recta voluntate venerantium; itaque boni etiam farre & fitilla boni sunt mali rursus non effugiunt impietatẽ quamuis aras sanguine multo cruentarint*. & Lucian. de sacrific. *pauper*, inquit, *Deũ, eius tantummodo dexteram osculatus, propitium reddit*. at vero eorum, qui propriam voluntatem sequuntur, & opera, & oblationes auersatur Deus oditq; eorũ voluntatẽ magis quã opus ipsum; ideo Paul. ad Timoth. 6.℣.9. nõ illis ruinam minatur, qui sunt diuites, sed qui *volunt diuites fieri*, quia hos maxime Deus cupiditatibus suis relinquit. Seneca. Lucian. Timot.

2 Hanc hominum improbè propriæ voluntati obsequentium stultitiã, & vanitatem deprehendit, & reprehendit Eccle. cap. 1 ℣. 14. *Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, & ecce vniuersa vanitas, & afflictio spiritus*; quæ postrema verba, vt obseruauit etiam D. Hieron. ex Syrochaldaicæ vocis origine. Lxx. Interpr. προαίρεσιν, idest, *electionem*, vel vt idem D. Hierony. ex eorundem Lxx. Interpr. lectionem legit: *voluntatem* significãt; vt sit sensus: Cuncta quæ fiunt sub sole, vana esse, quia deprauata in ijs hominum voluntas dominatur, & libera electio, qua sibi iucunda, non Deo placita conlectantur. & nota quod pro eodem accipitur *voluntas* iuxta versionem Lxx. & *afflictio* secundum vulgatam; vt scias, quod qui propriam voluntatem sequuntur in actionibus, & vita instituenda, afflictionem Eccle. S.Hier. Sept. Propria voluntas, vana reddit opera. Voluntas propria idem ac afflictio.

inde

inde consequuntur. & merito hæc illis pæna debetur, quos propriæ voluntatis studium à Deo auertit; adeo vt difficile postmodum sit, quòd amplius ad eum conuertantur. hinc Ierem 8. ℣.5. dicit Dominus: *Quare ergo auersus est populus iste auersione contentiosa?* idest, pertinaci, & obstinata, ita vt de reditu ad Deum minimè curet; ideo optimè ad mentem nostram legit Hebr. *auersione perpetua* subdit causam: *apprehenderunt*, inquit, *mendacium, & noluerũt reuerti*; hanc autem pertinaciam, & induratione m tribuit scriptura propriæ voluntati, ideo LXX. legunt: *& confirmati sunt in electione sua*; quæ verba exponens Clem. Roman. lib. 2. Apost. Constit. cap. 14. *deflexit*, inquit, *populus meus impudenti deflexione, & in electione sue confirmati sunt*, & Theodor. *obfirmati sunt in voluntate sua*. quasi inde diuelli, & remoueri nullis humanis viribus possint, sed tamquam in carcere detineãtur à propria voluntate; ad quod accedit versio Damasc. lib. 2. parallel. cap. 87. *detenti sunt*, inquit, *à consilio suo*; in quo, tanquam cæco carceri inclusi, nullam ad exeundum viam inuenire norunt.

Ierem. — Obstinatio propriæ voluntati iungitur. — Sept. — Clem. Roman. — Theod. — Damasc.

3 Hæc fuit Dei expostulatio aduersus Israelitas Ierem. 7. ℣. 24. quo loco populi illius improbitates, huic maximè propriæ voluntati obsequendi studio adscribuntur: *Non audierunt*, inquit, *nec inclinauerunt aurem suam* (his verbis describitur peruicacia, & propositum agendi ex voluntate sua) *sed abierunt in voluntatibus, & in prauitate cordis sui, factique sunt retrorsum, & nõ in ante.* Hebræi; quos sequitur Sanct. Pagnin. vertunt: *& abierunt in consilijs, in obstinatione*: quia, qui ex proprio consilio agere deliberant, vt plurimum in pessimam obstinationem incidũt. quod vtinam non experiremur in Hæreticis, quibus si quid ex propria voluntate appetendum videtur, id obstinate, & mordicus, etiam reclamantibus scripturis, & Patrum doctrina, tueri, & tamquam piè factum sustinere contendũt. ideo de istiusmodi hominibus dicit Deus, quod non solum recesserunt à malitia, sed in ea perseuerantes, semper magis, magisque in ea promouerunt; in anteriora, & peiora mala procedentes, nõ reuersi ad posteriora resipiscentiæ, & emendationis; & hinc est, quod Vgo Card. hæc verba de elongatione à Deo per recidiuationẽ, & grauiorum peccatorum perpetrationem interpretatus: *retrorsum*, inquit, *& non in ante, idest, peiores quam ante*; quasi magis recesserunt, scilicet, in peccata ante facta recidiuantes, vel etiã multo deteriora quam ante perpetrãtes; cum contra Apostol. ad Philip. 3. ℣. 13. aduersa se via incedere significet, ad spiritualem perfectionem: *Quæ retrorsũ*, inquit, *sunt, obliuiscens, ad ea quæ priora sunt, me extendo*. est itaq; iste pessimus propriæ voluntatis fructus, in diuinis iustificationibus non progredi, sed contra omne malitiæ genus sequi, & cum Saluator in via virtutis semper quæ anteriora sunt, prospicienda monuerit: Luc. 9. ℣. 62. *nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno Dei*, isti ex aduerso in malis, & improbitatibus retrocedentes, facti sunt retrorsum, & non in ante.

Ier. — Propria voluntas obstinatio nẽ habet. — Sanct. Pag. — Vgo Card. — Peiores fiunt, qui propriam sequuntur voluntatẽ. — Philip. — Luc.

4 Cuius facti imaginem obseruare possumus si memoria repetamus veterum Scytharum memoratũ à Scriptoribus bellandi genus, qui citissimis equis vecti, insequentes hostes, dum videntur fugere, excussis venenatis sagittis, necant; quo pacto retrocedendo, maximas sæpè victorias reportarunt. Hos imitantur, qui propriæ voluntati tãquam perniciosissimo equo insidentes, vt dicebat Ieremias, *retrorsum fiunt*, neque enim palam Deo congredi audentes, simulantes fugam, ab eo auertuntur; de quibus dicitur eiusdem Ierem. cap. 2. ℣. 27. *verterunt ad me tergum, & non faciem*; ij dũ Deum fugere videntur, & propriam voluntatem sectari, grauissimo bello diuinam

Nouum bellandi genus in propria voluntate — Ier.

eius maiestatem lacessunt; hoc enim eodem nomine appellauit peccantium prauitatem S.Bernard. serm.3. de Resurrect. Dom. *Quando* inquit, *quod volumus, non ad honorem Dei, non ad vtilitatem fratrum; sed propter nos ipsos sitimus, intendentes satisfacere proprijs motibus animarum hæc* (nostra nimirum voluntas, cui obsequimur) *aduersus Deum inimicitias exercens est, & guerram crudelissimam.* venenatæ vero sagittæ quibus isti Deum petũt, & sauciant; sunt deliberationes viuendi vt libet, & proprijs cupiditatibus obsequendi; quibus diuinis mandatis spretis eius dominium, & suaue seruitutis iugum subire dedignantur. exploratissimum eius rei argumentum habetur 1. Reg. 8. ℣. 7. vbi Deus grauiter se Israelitici populi electionem tulisse significat; dum Regem sibi à Samuele petentes, diuino patrocinio, à quo semper adiuti fuerant, & peculiaribus semper beneficijs cumulati, renunciarunt: & Deum ipsum quasi graui inflicto vulnere, è regiæ suæ maiestatis throno excusserũt. Significauit hoc Deus qui Samueli populi nomine Regem petenti respondit: *non te abiecerunt sed me, ne regnem super eos*; hoc est contra Deum pugnare fugiendo, eiusque maiestatem retrocedendo lædere.

S. Bern.

Propria voluntas contra Deum pugnat.

1. Reg.

Deũ quasi abijciunt qui propriam voluntatem sequũtur.

5 Hos tamẽ iuste vlciscitur Deus, nam concedens eis, & indulgens secundum desideria cordis eorum, pœnam culpæ comitẽ facit; vt sic proprijs quasi iaculis à Deo in eos retortis confossi corruant; quare hanc Regis petitionem maximum populi illius peccatum fuisse testatur Scriptura, & ideo quamuis Deus Samueli, populi nomine Regem petenti annuisset, dicens 1. Reg. 8. ℣. 7. *audi vocem populi huius, in omnibus, quæ loquuntur tibi*; imo vt subditur cap. 9. ℣. 15. *Dominus reuelauerat auriculã Samuelis ante vnum diem, quam venit Saul dicens: hac ipsa hora, quæ nunc est cras mittam virum ad te, de terra Beniamin, & vnges eum ducem super populum meum.* & 10. sequenti cap. narratur, quod pluribus signis fuit illa Saulis electio, Dei etiam consensione confirmata; etiam si, inquam, visus fuerit Deus istiusmodi electionem approbare, tamen, quia ab eorum propria voluntate fuit, grauissime hanc petitionẽ Deus tulit, quod si illi annuit, ideo fecit, quia in populi perniciem redundaturam nouerat *talis exauditio* ait Lyran *magis est punitio*. ita enim semper de ea locutus est, ac si per eam grauissime populus deliquisset; vnde Samuel nõ Deo, sed populo hanc Regis electionem tribuit ℣. 13. *nunc ergo*, inquit, *presto est Rex vester, quem elegistis, & petistis*; ipsis electionem imputat quamuis etiam à Deo fuerit, cum plerique ipsorum potius Saulem negligerent, vt 1. Reg. 10. ℣. 27. *num saluare*, inquiunt, *iste nos poterit?* & cap. 11. ℣. 12. *Saul num regnabit super nos?* Quia tamẽ vniuersus populus Regem petierat, ideo dixit, *quem elegistis, & petistis*, quod obseruans Lyran. *licet*, inquit, *Saul fuerit à Deo electus; tamen ista electio imponitur huic populo, eo quod ad petitionem populi facta fuit*, & vt clarius ostendatur, quantum mali ex propria volũtate proueniat, in eodem 12. cap. ℣. 20. de hac petitione, & electione dicitur: *vos fecistis vniuersum malum hoc*: non solum *malum* appellatur, sed *vniuersum malum*. ex quo sequitur quod quamuis Deus plerumque conniueat, & accomodare se videatur desiderijs eorum, qui propriam voluntatem sequuntur: nihilominus, grauiter fert eorum errata, & cum ijs nequaquã cõsensisse videri vult. quod in hoc eodem casu Saulis expendens Origen. homil. 4. in iudic. de Saule loquens; *quem*, inquit, *ipse Dominus Regem fieri iusserat, sed quoniam non secundum voluntatẽ Dei; sed secundum peccatoris populi meritum fuerat electus, negat eum sua voluntate, vel consilio constitutũ*, & hinc acriter cum populo illo expostulauit Osee 8 ℣. 4. de hac eadem electione. *ipsi*, inquit, *regnauerunt, & non ex me*, ad quem locum

Pœna propriæ voluntatis est consequi quod optat.

1. Reg.

Propriæ voluntati non cõsensit Deus.

1. Reg.

Lyran.

Vniversũ malũ operatur voluntas propria.

Osee.

S. Hie-

S. Hieron. S. Hieronym. ad hanc Saulis historiam scripturam respexisse existimans *Saul*, inquit, *non ex voluntate Dei, sed ex populi errore Rex factus est*. Quod si huius historiæ abditiorem, & magis reconditum sensum velimus scrutari, apertè comperiemus, quãtum sibi mali ij accersant, qui ex propria voluntate, diuinæ repugnantes, quicquam, vel agunt, vel petunt.

6. Oritur enim ex hoc facto opportuna occasio inquirendi, & inuestigandi; Cur Deus, cui displicebat hæc electio, ex qua contemptũ sese, & spretum à populo dixit Samueli, cap. 8. ℣. 7. *non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos*; in illam tamen ita consensit, vt multoties eam approbasse visus sit? Cur multa per Samuelem famulum suum circa electionem, & vnctionem fieri præcepit? cur dedisse Regem dicitur cap. 12. ℣. 13. *ecce dedit Dominus vobis Regem*. saltem ipsorum arbitrio hanc electionem permisisset, neque ipse etiam consentiendo eam quasi approbare videretur; cum in ipsius ignominiam redundare protestatus fuisset. Soluit hanc dubitationem Origen. lib. 9. in epist. ad Rom. diuinam voluntatem diuidens in beneplacentem, & irascentem Dei, inquit, *voluntas semper bona est; sed non semper eius bona voluntate dispẽsari meremur; neq; beneplacita, & perfecta; verbi gratia vt vngeretur Saul in Regem fuit quidem voluntas Dei, sed non beneplacita neq; perfecta; irascens enim populo, quia refutauerat Deum habere super se Regem, Regem eis hominem iussit institui*. assensus itaq; est Deus, sed subiratus, & vlciscens; vnde congruẽter præterea respondere possumus, quod Deus prauam populi voluntatem summopere auersatus est, ideo per eam abiectum se à populo dixit. *non te abiecerunt, sed me*; vnde Sanct. Gregor. Pap. in 1. Reg. lib. 4. *abiectum*, inquit, *se in Regis petitione conqueritur, pro reproba voluntate male petentis populi*. Quod si præterea instes, cur improbæ petitioni postulata indulserit; à qua mirum in modum maiestatem suam læsam prædixerat; in pœnam hoc factum fuisse certo certius affirmare possumus, vt ex ipsa postulatorum consecutione intelligerent, quantum errassent propriæ voluntati obsequendo, contra Deum: & vt ipsa petitionis concessio esset sæuissima vltio, qua Deus illatam sibi ab illorum pertinacia iniuriam vindicaret. idem Sanct. Gregor. hoc dixit. *petitus*, inquit, *Rex conceditur pro vindicta, quod si rationabiliter dicitur, dum vtrumque posuit; & culpam, & vltionem pariter ostendit: ex reproba quippe voluntate iniustè postulasse conuincitur, qui abiecisse conditorem petendo monstratur. Culpam ergo malæ petitionis insecuta est pæna districtæ æquitatis. magna enim pæna est, quæ ex districtione procedit interni examinis; quando reproba mens sic proijcitur, vt quod malè deliberat agere permittatur. qui ergo in petendo rege dominum abiecisse conuicti sunt, grauior pæna non erat, qua hic plecti debuissent*. quæ postrema verba animaduertere diligenter debẽt ij, qui ex propria voluntate agere, & vitam instituere deliberant; vt sciant diuinam indulgentiã, quamuis eorum optatis respondere videatur, grauissimum tamen pænæ genus esse, qua eorum temeritatem Deus plectit; cuius benignitas, cum alijs sit salubris, istiusmodi hominibus, summopere est exitiosa. quos dum videtur benigne tractare, sæuissimè plectit; ideo Saul, nõ tam pro rege concessus est, quam pro diuinæ spretæ maiestatis vindicta: quæ fuit mens Sanct. August. in explicatione tit. Psalm. 51. *Saul Rex*, inquit, *non ad permanendum electus est à Domino, sed secundum populi cor durum, & malum datus est ad eorum correptionem, non ad vtilitatem; secundum illam sententiam Sanctarum scripturarum, quæ ait de Deo; qui regnare facit hypocritam propter peruersitatem populi*. non igitur tam populo petenti annuit Deus, quã petita indulgenter concedendo eius

teme-

Origen.

Voluntas Dei quomodo se habeat dũ exaudit mala postulantes.

S. Greg.

Vlciscitur Deus propriam voluntatem indulgẽdo postulata.

S. Greg.

Ruinã sibi petũt, qui ex propria volũtate aliqua à Deo exigunt.

S. Aug.

temeritatem corripuit, & ab eo abiectus, ipsum abiecit, & repulit.

7 Neque leue putandum est vltionis genus, quo diuina maiestas læsa vindicatur; quare vt hanc vindictam caueant fideles, paulo de ea latius agamus, quam graues pænę eam insequantur perquirentes. & ne ab incepta de Saulo electo Rege narratione recedamus, possumus cum Sanct. August. ex ea colligere, mortem sibi imprudenter eos accersere, qui aliquid ex propria voluntate sibi concedi à Deo effusis precibus petunt. dicit enim idem Augustin. loco allegato, quod *regnum malum in Saul, & regnum bonum in Dauid præfigurabatur: mors in Saul, & vita in Dauid*. mortem ergo sibi à Deo petunt, qui contra eius diuinam voluntatem, quicquam petunt, & quibus regem petentibus, Deus Saulem concedit, perinde est, ac si eorum precibus inclinatus mala, & mortem impartiretur. Cuius mysterij altitudo, vt melius penetretur; opus est nosse, quod *Saul* ex eodem August. interpretatur *petitio*, seu *appetitio*; itaque secundum propriam voluntatem Saulem extollit orans, exprimit à Deo mortem, & exitium sui ipsius. *merito ergo*, subdit Augustin. *ipse sibi homo appetiuit mortem & ideo appetitio nomen est mortis; vnde, si a sapiente quæras; vnde mors? respondebit* Sapient. 1. ℣. 16. *impij autem manibus, & verbis accersiuerunt illam & æstimantes illam amicam, defluxerunt*. & paulo post. *Extorsit populus à Domino habere regem, & datus est Saul; tamquam dati essent illi in manus suas, qui manibus, & verbis accersiuerunt mortem, & figurata est in ipso Saule ipsa mors*. quibus igitur Saul Rex conceditur, idest propriæ voluntatis vota tribuuntur, ijs secundum eorum petitionem mors retribuitur. sicut contra mors prosternitur, & ne viris bonæ voluntatis noceat cauet Deus. Visus est huc respicere idem Augustin. ibidem. *ideo*, inquit, *Psal. ille 17. hic habet titulum, in die qua liberauit eum Dominus de manu omnium inimicorum eius: & de manu Saul*. certè Saul sæuius illum, quam quilibet alius inimicus persecutus est, & prius Saulem quam alios inimicos habuit puta prius quam Absalō Achitophel &c. cur ergo prius aliorum inimicorum meminit, postremo Saulis? Quia Saul erat typus mortis, quæ omnium homini insidiantium est nouissima: vnde sic August. *dixit ergo omnes inimicos, & postea de manu Saul, quia nouissima inimica destruitur mors. quid est, & de manu Saul? quoniam exemit nos ab inferis, & de manu mortis liberauit nos*. mors ergo destruitur, vt Dauid liberetur, idest vt ij, qui secundum Dei voluntatem operantur, euadant. Quos vero sub Saulis imperio viuere permisit, hos æternæ damnationis morti addixit, quia *propriæ appetitioni* obediunt.

Mortem sibi accersunt qui ex propria voluntate aliquod petunt.

Saul typus mortis

Sapient.

S. Aug.

Destruitur mors in vtilitatem facientium diuinam voluntatem.

8 Neque subditi solum sunt, sed quod grauius est, tāquam captiui detinentur; qui obstinate voluntatem propriam adimplere contendunt; cum propriæ voluntatis executio sit instar laquei, quo arctissime isti detinentur à diabolo. dixit hoc Chrysost. homil. 6. in epist. 2. Paul. ad Timoth. explicans illud ℣. 26. *captiui ab ipso tenentur ad ipsius voluntatem. Voluntatem*, inquit, *Dei non facere laqueus profecto diaboli est*. duo sunt in quibus potest, & nititur nos diabolus mancipare; in rebus ad fidem pertinentibus, per intellectū; & in contemptu mandatorum Dei per voluntatem; & sane putat Chrysost. nō minus nos sub diaboli seruitute esse, si intellectum prauis dogmatibus, & veræ fidei repugnantibus imbuamus, ac si voluntatem propriam exequi constituamus, *quemadmodum enim*, subdit, *auis, & si non toto corpore, sed vno tantum pede capta teneatur, in potestate eius est, qui laqueum tetendit, ita & nos, cum, & vitæ, & fidei peruersitate capi valeamus, si vita tantum aberrauerrimus, in ius diaboli labimur. non enim omnis qui dicit Domine Dñe, &c.* in quo peccatum propriæ voluntatis,

Propria voluntas est laqueus. S. Chrys.

Hæresi æquiparatur vitiū propriæ volūtatis.

hæresi

hæresi, alijsque grauissimis criminibus æquiparatur.

9. Et hinc est quod Christus summopere illos abominatur, qui diuinæ eius voluntati repugnare non desistunt, adeoque illos odit, vt non minus quam diabolus illi sint inuisi. pulcherrima hæc fuit obseruatio D. Thom. in Caten. in 4. cap. Matth. in explicanda responsione Christi, diabolo tentanti respondentis, *Vade Satana &c.* Cum enim etiam Petrum eiusdem Matth. cap. 16. ℣. 23. *Satanæ* nomine appellauit huic tamen non dixit *Vade Satana*, sicuti tentatori; sed *vade retro Satana*. Duobus modis potest diuinæ legis adimpletio negligi, vel cum eam prætereire volumus, & nostris viribus supra diuinæ sapientiæ arcana eleuari; & sic quia Petrus ob affectum erga Præceptorem, volebat Christi voluntatẽ quasi anteuertere, & eum reuocare a probrosa passione, & morte subeunda; propterea appellatur *Satanas*, idest aduersarius; vel repugnamus diuinæ voluntati, eam, quãtum in nobis est, conculcantes, & illis dicitur, *Vade Satana*, quasi non possit talium tuorum hostium præsentiam Deus ferre; additur enim *vade retro*, quia sua voluntate antecedere diuina decreta præsumunt illi quibus dicitur, *vade retro*, possunt tamen Deum sequi, si velint illius se placitis accomodare; ideo dum corripiuntur dicitur *vade retro*, idest veni post me meamque voluntatem adimplere satagas, nolisque importunè me præcedere. quibus verò dictum fuerit, *Vade Satana*, isti Deum sequi nolunt, sed in peruersa sua obstinatione perseuerant. *Notandum*, inquit D. Thom. *quod Dominus quasi similia verba dixit Petro, infra cap. 16. sed ibi dixit, vade retro Satana, vnde alia est sentententia hic, & ibi. Quia Satan interpretatur aduersarius, voluit ergo Dominus, quod Petrus iret post eum quia volebat impedire passionem*, in quo facto, ne diuinæ voluntati resisteret, dicitur ei *vade retro Satana*, idest aduersarius, quia vt dicitur Luc. 11. ℣. 23. *qui non est mecum contra me est; sed hic dicit vade tantum, quia diabolus eum sequi non potest: & ideo dicit vade, scilicet ad Infernum*, in quo mirabiliter apparet pessima illorum conditio, qui diuinæ voluntati temere repugnantes, viuunt, quorum vita eo tandem impietatis euadit, vt Deum sequi non possint: vnde meritò illis dicitur, *vade ad Infernum*, vt notat S. Thom.

D. Thom.

Matth.

Diaboli nomen iis tribuitur, qui propriam voluntatem sequuntur.

Aduersatur Deo propria voluntas.

Propria voluntas ducit ad infernum.

10. Sed quemadmodũ diabolo, & eius imitatoribus in pertinacia, dicitur, *vade scilicet ad Infernum*, ita etiã probis viris, & *bonæ voluntatis*, cælestis sedes debetur, & redditur; & in hoc summopere admirabilis, & iusta apparet diuina remuneratio, quæ statuit, vt sicuti illi, qui viuunt ex propria voluntate, in hac vita tamquam in inferno crucientur: ita adimplentibus diuinam; cælestis fælicitatis præmium non sustinet differre vsque ad futuram vitam. adeo vt, quemadmodum præsens vita spernentibus diuinam voluntatem est infernus: ita eam sequentibus ex carcere fiat Paradisus. expedit pro huius rei confirmatione, expendere verba Matth 6. ℣. 10. *Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra*, quæ ita interpretatur D. Augustin. in Caten. D. Thom. vt cælestes spiritus, & beati, non sint causa diuinæ voluntatis, sed quod eam adimpleant, *nõ quod ipsi*, inquit, *faciãt, vt velit Deus, sed quia faciunt quod ille vult*. idest faciunt secundum voluntatem eius. Ordinat itaque Deus, vt homines recti, sicuti in hac vita beatos spiritus imitantur, in eo quod secundum voluntatem illius faciunt, ita etiam pari pene cum ipsis gloria perfruantur, quæ fortasse significata fuit per illam *pacem*, quam Angelus in auspicatissimis Saluatoris Natalibus, hominibus bonæ voluntatis annunciauit Luc. 2. ℣. 14. *in terra pax hominibus bonæ voluntatis:* quasi Dñi aduentus beatitudinẽ etiam in vita esset ijs allaturus, qui bonæ, & diuinæ voluntati conformantur. adeo vt ijs terra fit veluti Paradisus, in

Viuentibus ex propria volũtate hac vita est infernus.

Matth.

D. Aug.

Pax, & beatitudo redditur facientib. diuinam voluntatem. Luc.

quo feliciſſime degant. mirificè hunc ſenſum attigit D. Chryſoſt. homil. 20. in Matth. relatus in Caten. D. Thom. Matth. 6. ibi. *fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra. Vides ne,* inquit, *optimam conſequentiam? nam cum deſiderium imperauerit futurorum.* per hoc quod dictum fuerat aduemat regnum tuũ: *quandiu tamen illuc non pergimus, etiam hic degentes iubet cõuerſationem cum cæli habitatoribus habere communem. nam deſiderare quidem conuenit cælos, & ea quæ habentur in cælis, tamen & antequam ſuprema illa præſtetur habitatio cælum quodammodo fieri iuſſit è terra.* ſunt illæ diuinæ diſpenſationis iuſtiſſimæ vices, vt quia Adamo, ex propria voluntate peccanti, & diuinam tranſgreſſo, paradiſus factus eſt terra, ſpinas, & tribulos germinãs; diuinæ ſe voluntati accomodantibus, terra ſpinis, & tribulis repleta, fiat deliciosus Paradiſus.

S. Chryſ.

11 Multa præcipiuntur Leuit. c. 27. de donis Deo votis, & ſolutis; quæ videntur figura fuiſſe eorum, quæ fideles in baptiſmo Deo vouent; in quo cũ profitentur ſe renũciare Satanæ operibus, & vanitatibus eius, addicunt ſe, ſuaque omnia Deo. ſed cum aliquid Deo offerendi varij modi fuerint, pleraque enim ita vouebantur, vt redimi poſſent; quædam verò, tamquam anathemata, diuino tantum cultui inſeruire poterant. Ideo hoc idem diſcrimen videmur conſtituere poſſe inter eos, qui vitam ſuam ita Deo addicunt, vt ſe ipſos redimendi, & à diuino cultu, cui ſe addixerunt, ac ab illius voluntate recedendi animum habeãt, malintq; vrgentibus paſſionibus eſſe ſui iuris, & ex propria voluntate operari. alij verò diuinum cultum cæteris rebus omnibus præferentes, huic vni ſe, ſuamque voluntatem ſubijciunt, cuiuſmodi eſſe boni Chriſtiani debẽt, de quibus præcipitur Leuit. cap. 27 ℣. 29. *Omne quod Domino cõſecratur ſiue homo fuerit &c. non væniet, neque redimi poterit.* quæ enim redemptitia erant, potius applicata, quam diuino cultui conſecrata dicebantur, quæ vero redimi non poſſunt, dicuntur *ſancta ſanctorum,* ideſt ita Deo addicta, vt cæteroqui non poſſint prophanis vſibus applicari. Contra hoc præceptum ij grauiter faciunt, qui redimere ſuam voluntatem, eamq; pro libito in prophanos & Deo ingratos vſus conuertere nõ verentur; cum potius ſuperato infernali noſtro hoſte, actiones omnes noſtras, & voluntatem, ipſamque animam Deo vouere hoc anathematis, & irreuocabilis conſecrationis genere debeamus. & hinc eſt, quod Iſichius ad hunc locum, ita ſcribit. *Quæcunque ab inimicis iure belli, cum quibus debebant amicitia iungi, filij Iſrael rapuerunt, præcipiente Domino anathema fecerunt; nos ergo ſi pugnantes, à dæmonibus ſpolia belli acquiſierimus, conſecrare Deo debemus vt nihil in eis propriæ voluntatis habeamus, ſiue homo ſit &c.* qui verò propriæ, eidemq; prauæ voluntati obſequiũ præſtant, in cunctis appetibilibus deſideria ſua perficientes, quid aliud faciunt, quam quod ſe à Deo, cui ſemel ſua vouerant, eximunt, & vendunt. hoc ſignificauit Scriptura cũ de Achab 3. Reg. 21. ℣. 25. dicit; *venundatus eſt, vt faceret malum.* in quo tamẽ animaduertere debent, quam ſe quæſtuoſo, & auaro domino ſubijciãt, qui, quamuis apparenter videatur huius nundinationis prætium offerre, illud tamen reipſa non præſtat; ideo Iſai. cap. 52. ℣. 3. hoc populo annunciauit Deus; *gratis,* inquit, *vænundati eſtis.* Iniquus profectò eſt omnis venditionis contractus, niſi hinc venditor rem, inde prætium emptor exhibeat, & tamẽ, qui ſe à Deo redimunt, & diabolo vendũt gratis hoc faciunt. hinc Rupert. Abb. in Iſai. *vere,* inquit, *gratis; emptor enim diabolus venditionis prætium defraudauit.* Quare ſicuti prodigos filios, qui paterna bona profusè prodigunt, & dilapidant, eaque etiam nullo recepto prætio diſtrahunt, exhæredant patres; ita ij, qui ex propria voluntate gratis

Leuit.

Quot modis aliquid offerretur Deo in vetus lege.

Explicatur, & Chriſtianis moribus aptatur locus Leuit.

Iſichius.

Propria voluntas Deo irreuocabiliter vouenda.

3. Reg.

Vendunt ſe diabolo propriam voluntatem faciẽtes.

Iſai.

Rupert.

vænun-

vænundantur; abdicantur à Deo; id enim est, quod minatur Ezech. 14. ℣. 7. *Quia homo de domo Israel &c. si alienatus* (per huiusmodi venditionem) *fuerit à me, & posuerit idola sua in corde suo* (idest pro diuina voluntate humanam, aut potius diabolicam elegerit colere, & adimplere) subdit ℣. 8. *ponam faciem meam super hominem illum, vt faciam eum in exemplum, & in prouerbium, & disperdam eum de medio populi mei.* nec coacta videri debet hæc expositio; nam verba illa, *& posuerit idola sua &c.* de peruersa voluntate peccandi exponit Dionis. Cartus. *posuerit*, inquit, *idola sua in corde suo ea amando, &. in ipsorum cultu persistere proponendo.* Cuius diuinæ animaduersionis sæuissimum exemplum narratur in scriptura, nã contra Achã, qui Iosue cap. 7. ℣. 1. diuinã voluntatẽ; & edictum trangressus, partem prædæ sibi reseruauerat, grauiter iratus Deus, populum hostibus permisit succumbere; neq; placatus est donec missis sortibus inuentoq; reo, grauis de eo pœna sumpta fuit.

Ezechiel.

Abdicat Deus facientes propriam voluntatem.

Dion. Cart.

12 Sed circa adducta ex Leuit. c. 27. verba, illud ẽt diligenter animaduertendum, quod notat Abul. quæst. 66. & Lorin. ex Caietan. quod in Hebræo verbum illud, *consecratur*, legitur, *Cherem*, quod duo significare potest, consecrationem scilicet, & *destructionem*; ideo reddiderunt plerique *omne, quod Domino destruitur*, quod apprime cõuenit rebus Deo dicatis; quæ quantum ad offerentes destruuntur, cum ab omnibus alijs humanis vsibus segregentur; sed respectu Dei easdem acceptantis applicantur, & consecrantur. Neq; repugnat sensui, si dicamus, quod consecratio est destructio; quia destructio impendet ijs, qui vota Deo, & consecrata vsurpant (quod præsertim de humana voluntate semel Deo dicata intelligendum est) caueant igitur ij, qui suã voluntatem Deo consecrarunt, ne eã pertinacia sua redimentes, & mundanis, prophanisq; vsibus applicantes, huius se destructionis seuerissimæ pœnæ obnoxios faciant. Additur etiam in eodem cap. ℣. 29. *omnis consecratio, quæ offertur ab homine nõ redimetur, sed morte morietur.* consentiunt Interpretes huius loci, hæc non esse semper accipienda de morte propriè sumpta, ideo Abulens. quæst. 87. in Leuit. *Id, quod consecrabatur*, inquit, *si erat homo, qui propriè consecraretur dicebatur mori, & non redimi, nec vendi; quia exuebat propriam libertatem, & mancipabatur diuino cultui, non tamen occidebatur, quia homo non est animal immolaticium, sed moriebatur ciuiliter.* Voluntaria itaq; & libera est hæc mors, quæ a spontanea consecratione procedit. hanc mortem suadebat Paul. ad Coloss. 3. ℣. 5. dicens; *mortificate membra vestra, quæ sunt super terram*; cuius ipsemet experimentum, & exemplum præbuit, qui de se ipso dicebat ad Galat. c. 2. ℣. 20. *Viuo aũt, iam non ego: viuit vero in me Christus*, qui se Christo vere addixerat, & vouerat, reputabatq; se hac metaphorica morte obijsse; hæc mors est de qua dicebat Plato, philosophiam nihil esse aliud quam contemplationem mortis.

Abulens. Lorin. Caiet.

Oblata Deo quomodo & destrui, cõsecrari dicantur.

Abulens.

Qui vouet se Deo moritur.

Ad Col.

Galat.

13 Alium huius humanæ voluntatis Deo offerendæ typum habemus eiusdem Leuit. cap. 1. ℣. 4. vbi de ijs, qui Deo hostias offerunt, sic præcipitur. *Si holocaustum fuerit eius oblatio, & de armento: masculum immaculatum offeret ad ostium tabernaculi testimonij, ad placandum sibi dominum, ponetque manus super caput hostiæ, & acceptabilis erit, atque in expiationem eius proficiens.* duo præcipiuntur obseruanda ad hoc, vt hostia Deo reddatur acceptabilis, & proficua ad expiationem; primum, vt sit immaculata; *masculum immaculatum*, ne scilicet humanã voluntatẽ aliquid externæ, & mundanæ labis, & maculæ deturpet. secundum, vt manus super caput hostiæ ponantur, *ad renunciandum proprietati illius animalis*, ait Abulens. vt

Leuit.

Quæ hostia Deo sit grata.

Abolens.

denotetur, quod illa humanæ voluntatis oblatio Deo est gratissima, qua homines manibus caput suum vltro subijciunt, idest cogitationes suas, & intentionem omnem in agendo, diuinæ voluntati supponunt. circa quam cæremoniam notat Tostat. quod hoc fiebat ad similitudinem illorum; qui volebant seruos suos liberare, quorũ caput tangebant manibus, & hinc dicebantur serui manumissi, vt etiam habetur in l. manumissiones ff. de Iust. & Iur. *Cum aliquis*, inquit, *seruus alterius erat, manus eius suppositus erat, idest sub iure eius constitutus, cũ vero in libertatẽ emittitur, à manu domini liberatur*. iniuria itaque quæruntur ereptam sibi agendi libertatem ij, qui illam vltro vero domino dicauerunt, & imposita in caput manu emancipati, & in veram libertatẽ asserti fuerunt, atq; ita oblata hostia nostræ voluntatis, Deo acceptabilis, & propitia erit.

Humana voluntas Deo oblata quomodo illi sit accepta.

Liberi fiunt qui se Deo offerunt.

14 Quod vt plenè adimpleret Christus, qui obtulit se hostiam pro nobis immaculatam, in omnibus suis, & dictis, & factis studuit subiectã Deo suam voluntatem ostendere, adeo vt, ob summam mansuetudinem, de eo dictum fuerit Isai. 53. ℣. 7. *quasi agnus coram tondente se obmutescet*. in qua tamẽ scriptura, ad propositum, in quo sumus magis illustrandum, dubium occurrit: Christus enim dominus in amarissima sua passione, quamuis instar inocentissimi agni, rapacium luporum vnguibus varijs fuerit modis vellicatus, non tamen *obmutuit*; sed aliquoties interrogantibus iudicibus, & de vita, ac doctrina eius perquirentibus, respondit. vt Io. 19. ℣. 11. Pilato: Luc. 22. ℣. 64. respondit scribis. quomodo ergo dicit Propheta, quod *obmutescet*? Respõdere possumus quod in responsionibus non peruicaciam, & contentionem præsetulit, neq; respondit vt se purgaret, & innocẽtiam suam, quam illi iniquè calumniabãtur, tueretur: sed ne nihil respondendo nimis obstinatus, & in propria voluntate perseuerans esse videretur; adeo enim amabat nobis ostendere, quantum Deo placeat hominum prompta erga superiores voluntas, vt summis in hoc se iudicibus subijcere non dubitauerit. Obseruauit hoc idem S. Tho. in Caten. in illud Luc. 27. ℣. 41. *dicit illi Iesus, tu dicis*. *Quia enim*, inquit, *multas habentes demonstrationes in ipsis rebus virtutis, & mansuetudinis eius, & humilitatis, tamen in ipsum indignabantur, & peruerso iudicio agebant contra ipsum, propter hoc nihil respondit: & si aliquando respondet, breuiter dicit; ne continua taciturnitate, pertinaciæ opinio de ipso accipiatur*. adeo fugiebat Dominus, hoc pertinaciæ in propria voluntate perseuerandi vitium, vt ne per opinionem quidem videri velit in illud incurrisse; & propterea respondit quidem, sed adeo breuiter, & modestè, vt Prophetæ visus fuerit *obmutescere*, potius quam loqui.

Isai.

Ioann.
Luc.

Christus fugit vitium propriæ voluntatis, & ptinaciæ.

S. Thom.

15 Hanc Christi, & Magistri resignationem in diuinam voluntatem, & proprij appetitus abnegationem, imitati sunt etiam Apostoli, quibus cum Saluator in suprema cæna annunciasset futurum esse, vt ab aliquo illorum traderetur, Luc. 22. ℣. 23. *cæperunt quærere inter se, quis esset ex eis, qui hoc facturus esset*, superuacua videtur esse hæc Apostolorum cura, & sollicitudo, in hac quæstione inter se ipsos scrupulosius discutienda; cum quilibet propriç sibi esset innocentiæ conscius, vt quid itaque superuacua inuestigatione laborant rem iniucundam, & quam ignorare mallent, explorantes? vexet cõscientia sua Iudam proditorem, qui, quod ignorari voluisset, hoc Deo perspectum esse intelligit. Quin potius debuisset quilibet ab alio quærere *nunquid tu es?* quam quærere de se, *nunquid ego sum Domine*? vt clarius dicitur Matth. 26. ℣. 22. vt quid. n. de eo, quod ipsimet scire debuerunt, ab alijs, non a se ipsis rationẽ reposcunt? potius enim alter ab

Luc.

Explicatur locus Lucæ.

Matth.

altero

Apostolorum voluntas erga Deum prompta.

altero quærere debuisset, num quid tu es? sed omnino addicta diuinis mandatis Apostolorum voluntas, huius erat exacti examinis causa: Quamuis enim quilibet ipsorum sedulo se ipsum, & omnes suas actiones discussisset, adeo tamen erant cum Præceptoris voluntate eorum actiones conformes; vt etiam intellectum in obsequium diuinorum verborum captiuantes de ijs dubij, & incerti sibi esse viderentur, quæ, et si haberēt pro exploratissimis, a præceptore nihilominus proponebātur; & ea alter ab altero quasi inscius quæreret, quæ sibi erant compertissima. sciebat quilibet, præter Iudā ab ea se macula innoxium; tamen eam Domini verbis fidem adhibebāt, vt ne sibi ipsis quidem, aut conscientiæ fiderent; mira certè hinc elucet discipulorum erga Christum resignatio; & propriæ voluntatis abnegatio; quā his verbis aperuit S. Thom. in Caten. Luc. 22. ex Beda in explicatione adductorum verborum, *& quamuis scirent vndecim Apostoli, quod nihil contra Deum cogitarent, quia tamen plus credunt Magistro, quam sibi, timentes fragilitatem suam, quærunt de peccato, cuius conscientiā non habebant.* & ideo non rogant Iesum ob summam, quam illius dictis fidem tribuebant. eadem fuit expositio Theodor. Matth. 14. quam refert idem S. Thom. explicans verba illa, *Vnus ex vobis tradet me &c. at illi cæperunt contristari, & dicere sigillatim, nunquid ego?* & reddens rationem, cur etiam si scirent vndecim, se esse ab hoc crimine immunes, adhuc magis Domino asserenti crederent, quam sibi ipsis; *Cæperunt*, inquit, *alij discipuli contristari propter Domini verbum, nam, & si extra hanc existerent passionem, magis tamen credunt illi qui omnium nouit corda.* Quanto itaque magis fideles, & Christo deuoti, voluntatem suam diuinis eius placitis debent accomodare, quæ in sacris scripturis manifestantur.

[...] quæ [...] ignorare sibi videbātur Apostoli ob reuerentiā Magistri.

S. Thom.

Apostoli plus Christo quam sibi credebant.

Theodor.

Viri Niniuitæ resurgent in Iudicio &c. quia pænitentiam egerunt, &c.

CAP. III.

Commendatur peccatorum pænitentia.

1  Erenda est, & terribilis hæc Christi Saluatoris sententia, affirmantis fore, vt impænitentes fideles, pænitentiū infidelium exemplo condemnentur. *Viri Niniuitæ resurgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pænitentiam egerunt in prædicatione Ionæ.* Cur autem prętet Niniuitas etiā Regina Austri in exemplum adducatur si quis quærat; præter alias rationes, respondere cum Raban. apud S. Thom. in Caten. possumus; duplex hominum genus per istos significari; Niniuitæ enim cōuersos pænitentes præfigurant; Regina verò Austri viros iustos; & propterea illi pęnitentiā egisse, hæc verò tantum ad audiēdam sapientiam Salomonis venisse memoratur. *Niniuitæ*, inquit Rab. *significant eos, qui peccare desistunt, Regina verò eos, qui peccare nesciunt, pænitentia enim peccatum abolet, sapientia cauet.* Benè igitur nobiscum agetur, si, cum non possimus peccata ignorare per inocentiam; Niniuitas, quos peccando, & iustam Dei erga nos indignationē prouocando imitati sumus, conuersos ēt, & pænitentes æmulemur; neque enim patitur carnis humanæ imbecillitas, vt cum Regina Austri ad eorum, qui peccata nesciunt perfectionem accedere præsumamus; vt igitur saltem Niniui-

Sacer tex.

Raban.

Quinam per Niniuitas, & Reginam Austri significētur.

Peccatoribus Niniuitę sint exemplo.

uitatum contra nos exemplum retorqueri non possit, de pænitentiæ vtilitate, & emolumentis est agendum, vt simus per omnia Niniuitis similes. est *Niniue* idem quod *speciosa*, vnde bene pænitentes designat, qui prius peccatorum cæno sordidi, & turpes; pænitentiæ lachrymis reformati nitidissimi fiun. *Niniue*, inquit Gloss. Ordin. *speciosa, signat gentilitatem* (è quà assumptæ sunt ad fidem gentes) *quam Christus amauit foedam, vt faceret pulchrũ*; imò, inquam ego, quæ Christum amauit fœda, & facta est pulchra. Eiusmodi anima peccatrix est, quæ Cantic. 1. ℣. 5. ex lectione Ambros. Apolog. 2. pro Dauid, dicit: *Nolite me considerare quod fusca sim, quia non est intuitus me sol*; sol, inquam, ille iustitiæ, cuius splendidissimis radijs illustrata iustificationis nitorem cõsequitur; & squallantes antea *pennæ columbæ, deargentatæ* fiunt; *& posteriora dorsi*, idest pænitentiæ, & conuersionis eius, *in pallore auri*. sed vnde hic nitor ex pristina illuuie, & pallor auri ex squallore peccati? ex salutari pænitentiæ lauacro; de quo Isai. 1. ℣. 16. *Lauamini mundi estote* &c. & ℣. 18. *si fuerĩt peccata vestra, vt coccinum, sicut nix dealbabuntur, & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt*. vt sic diuino conspectui repræsentari possint.

Niniue, idest speciosa sunt pænitẽtes

Gloss. Ord

Cantic.

Pænitẽtia terget sordes.

Isai.

2 Sic enim gratissimus est Deo peccatoris ad se reuersi conspectus, qui nulla omissa gaudii significatione, illum magna cum hilaritate suscipit; quod expressit Dauid Psal. 75. ℣. 10. *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi*. Est hic sermo ad litteram de pænitentia Sennacherib Regis Assyriorum, qui a persequendo Dei populo maximo cum suo dedecore, & damno diuina Dei potentia repulsus fuerat, vt fusius explicat Pater Agell. sed hæc fuit typus pænitentiæ peccatoris, cuius cor diuina sua virtute Deus percussit, & ad contritionem reduxit; propter hunc, *diem festũ* Deus agit; vnde Vgo Card. accedẽs ad hunc sensũ obseruat in his verbis psal. multos actus pænitẽtis, qui primo debet præparare se ad confessionem, quod fit per rememorationem peccatorum commissorum, & propterea dicitur, *cogitatio hominis*; tum debet eadem conliteri, & ob læsam a se Dei maiestatem flere; vt peccata abluat, & diuinam miserationem imploret, quare subditur *confitebitur*: per *reliquias* verò, quę diem festum agere Deo dicũtur, accipit idem Vgo compunctionem cordis, & satisfactionem operis; hæc sunt ad quæ Deus epulatur, & gaudet. Easdem reliquias iucunditatis vbertate refertissimas apud Deum esse demostrat P. Agell. in expositione horum verborum. *Reliquiæ autem*, inquit, *huis cogitationis, & pænitentiæ hominis factum sum tacita cogitatione reprehendentis, & accusantis nullæ sũt aliæ, quam emendatio erroris, & peccati correctio lapsusq; reformatio: hæ igitur reliquiæ diem festum agent tibi, quia quod in te temerè, & audacter contra religionem cultumq; tuum, & reuerentiam, quæ tibi debebatur commissum est; religione, & pietate, & tui nominis obseruantia, sacrificiorum oblatione, donarijs compensabit*, & ita tibi diem festum aget. Quamquam enim Dei felicitas nullis vnquam sollicitudinibus perturbetur; adeo vt nec nouis augeri gaudijs, nec superuenientibus minui curis possit; tamen quoad nostrum captum, aliquid Dei gaudio accedere; & quasi interruptam hilaritatem Deus videtur repetere in peccatoris conuersione.

Psalm.

Actus pænitentis dies festus Dei.

Vgo Car

Quæ debeat facere verus pænitens.

P. Agell.

Emẽdãtes vitã, diẽ festum agũt Deo.

3 Vel hic mihi repete memoria immẽsum illius patris familias gaudiũ Luc. 15. qui cum prius summa mæstitia præmeretur in insperato filij reditu, intermissas lætitias repetit, nec reducem filium, quamuis paternorum bonorum prodigum sustinuit expectare donec illi propius admoueretur, sed cum *adhuc longe esset* internæ iucunditatis erumpentia signa cohibere

Luc.

Dei lætitia in conuersione peccatoris

non potuit, quin ea in occursu exhibuit, *& accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* Neque ipse tantum ob restitutum sibi filium gratulabũdus exhilaratur, sed totã etiam familiam iubet dominicæ lætitiæ signa præseferre: postquam enim illi paternam gratiæ, quam in vilibus, & immũdis operibus lacerauerat, vestem restituit, *cito proferte stolam primam, & induite illum*; & postquam virtutum ornamentis decorauit, *date anulum in manu eius, & calceamenta in pedes eius*, etiam diem festum agit; indulget epulis, *adducite vitulum signatum, & occidite, & manducemus, & epulemur*; & ne quid tantæ hilaritati deesset, fieretque dies festus celebrior, Musicos aduocat, quos audiuit filius frugi adueniens, vnde dicitur *audiuit symphoniam, & chorum*, & hi sunt dies festi, quos salutares pœnitentiæ reliquiæ agunt Deo.

4 Sed adhuc melius intelligemus magnitudinem huius diuinæ hilaritatis, & festiuitatis, si eadem verba Psal. 75. iuxta aliam versionem relatam ab Vgone expendamus. legunt quidam ait Hugo Cardin. *mæror hominis confitebitur, & reliquijs mæroris accingeris*; exprimitur his verbis vera contritio, quæ in pænitente mærorem elicit, & post peccatorum examẽ ad mæstam confessionem eorundem inducit: *mæror hominis confitebitur*, non iam homo ipse, sed ipsius mæror, idest mæstum, & contritum cor peccata reuelat; vel homo adeo mærore affectus, vt iam in mœrorem ipsum versus videatur: huius verò mæroris reliquijs accingitur Deus tãquam exultatione: seu tanquam pretiosis, & splendidis vestibus, quibus in diebus tantum festiuis solet vti. idem Vgo, in eodem loco, persistens in expositione gaudij, quod Deus ex peccatoris conuersione percipit, adducit pro huius rei confirmatione verba gloss. num. 28. ex quib. festiua hilaritas Dei in peccatoris pænitẽtia colligitur. *super illud*, inquit Vgo, *hostias meas obseruate in diebus festis meis, dicit gloss. puto per singulos fideles, qui conuertuntur ad Deum, & in fide proficiunt, festiuitas oritur Domino*; quis non itaque peccatores grauissimè puniendos iure censeat, qui per impænitentiam, non solum se obstinationis pænis dignos faciunt, sed etiam maxima hac hilaritate, quã ex eorum contritione percipiẽdam a sese Deus profitetur defraudant? Quod si vulgatam, & hanc ab Vgo. relatam lectionem conferamus, repugnare illas inter se prima facie comperiemus; nam in vulgat. habetur *dies festus*; alia verò pro die festo, *reliquias mæroris*, discrepant autem mæror, & festiuitas; & vbi vnum istorum est alterum stare non potest. respondere tamen possumus mirabiliter hæc duo in peccatoris pænitentia coniugi, in qua mæror tribulati cordis, Dei lætitiam excitat; ad istius lachrymas Deus ridet, inter hos fletus exhilaratus diem festũ agit; quod præfiguratum fuit Iudic. cap. 2. ℣. 4. vbi in loco flentium sacrificijs, & hostijs Deus placatus lætatur: *& vocatum est*, inquit sac. tex. *nomen loci illius locus flentium, seu lachrymarum, immolaueruntq; ibi hostias Domino*. quibus & litauerunt; idem expresè dixit Origen. super illud numer. 29. ℣. 7. *affligetis animas vestras &c. ò mira*, inquit, *festiuitas, dies festus vocatur animæ afflictio*, quia vere summæ in Deo est iucunditatis causa.

5 Nec ipse tantum Deus huius delectationis signa ostendit (qui in omnibus parabolis peccatoris ad se reditum significantibus, vt drachmæ amissæ a muliere; ouis perditæ, & recuperatæ, &c. summam præse tulit iucunditatem) sed totam cælestem curiam ad solemnitatem sibi multo gratissimam inuitat, ita legimus Luc. 15. ℣. 7. quod indicta publica iucũditate; *gaudiũ erit in cælo super vno peccatore pænitentiã agente*; sũmo enim cælestis Regiæ Principe in maxima gaudia effuso, ac cælestibus spiritibus dicente,

Psalm.

Contritio maximè propria pænitẽtis.

Glos.

Vgo Car.

Mæror pænitẽtis est causa hilaritatis in Deo.

Iudic.

Origen.

Animæ afflictio dies festus est.

Gaudium est in cælo pro pænitentibus.

Luc.

Luc.

con-

congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat, mutantur cælestis Curiæ aulæa, & funesta regiæ, illius atria, quæ vbique mortem peccatoris feralibus insignibus deplorabant, in illius resurrectione, deposito squallorē lætius micant, & Angelici spiritus qui amare Deo morientem fleuerant peccatorem, rediuiuum per pœnitentiam, & gratiam fore gratulātur. Hinc animus accedere debet peccatoribus, ad cumulandum vera contritione celebre hoc, quod pro illis instituitur gaudium: vnde Tertullian. lib. de pænit. cap. 8. *lætantur*, inquit, *cæli, & qui illic homines pænitentia hominis; heus tu peccator, bono animo sis, vides vbi de tuo reditu gaudetur*; quasi dicat: & tu gaudium istud & cœlitum exultationem cumulare ne cesses, & tu cum tam profusè de tua pænitentia illi lætantur, hilaritatem tantam syncera cordis contritione comple; & tu cordis affectu Deo, qui ob tuum reditum lætatur gratias agas, teque in futurum perpetuo illi voueas; acceptat enim humiliati, & pœnitentis cordis oblationem, pro qua remissionem pollicetur Osee. 6. ℣. 6. *misericordiam*, inquit, *volo & non sacrificium*; quasi quocunq; sacrificio, & qualibet celebritate illi charius sit pœnitentem ad se reuersū peccatorem suscipere, & malit huius misereri, quàm profuso ex victimarū visceribus sanguine aras cruentari, sacrificium enim gratissimum sibi pœnitentiam peccatoris fore profitetur, ita hæc verba exposuit S. Hieronym. *Victima meæ* inquit, *& holocausta, salus credētium, & conuersio peccatorum est*; his se coli, & maiestatem suam honorari desiderat, ad quas diem festum agit; qui enim holocaustis non delectatur, acceptat tamen pœnitentium victimas, & est illi gratissimum sacrificiū spiritus contribulatus.

Angeli gaudent in pænit. peccatorū.

Tertull.

Osee.

Pænitentia est Deo pro sacrificio.

S. Hieron.

6 Et quemadmodum, ea sacrificia, quæ acceptat, Deus dicitur respicere, vt Genes. cap. 4. ℣. 4. *respexit dominus ad Abel, & ad munera eius*, idest ea acceptauit; ita cælestia bonitatis suæ lumina a peccatoribus non remouet, quia peccatoris pænitentis adspectus est illi iucundissimus, & quolibet sacrificio gratior. Recesserat a Deo Petrus repetita negatione ab eius se adspectu subducens; sed audito galli cantu, statim recordatus est verbi Domini, qui prædixerat fore, vt ab eo negaretur, & illico cæpit memoria repetere verba Domini in cæna; *Amen dico tibi hac nocte*, &c. & damnare intempestiuum timorē propter quem negauerat Dominum. hoc Petri sic contriti mæsto vultu tantopere gauisus est Saluator, vt nullum inter tormenta, quibus ab infensissimis hostibus, tūc cruciabatur leuamen aptius; nullam maiorem consolationem habere maluerit, ea quam ex Petri adspectu percepturum se sciebat; & ideo etiam si potuisset solo obtutu, vel alia quapiam ratione Petrum ad lachrymas, & plenam pænitentiam prouocare, voluit tamen prius illum galli cantu excitare ad memoriam, & detestationem perpetrati a se erroris, vt sic iucundius, eum intuens, gaudere posset. egregiè ad hanc mentē scripsit S. Bonauent. Luc. 22. exponens illa verba, *& continuo adhuc illo loquente gallus cantauit*, &c. *præmisit*, inquit Bonauent. *cantum galli, quo Petrus cōmoueretur exterius, & respectu Domini moueretur interius*. ante igitur gallicinio excitatum ad contritionē, mox ipse illum Dominus (captus pænitentis adspectu) intuens interius ita commouit, vt nescius dolor cordis latebras cruciare, etiam per oculorum fistulas in humentes lachrymas erumpens, sic afflictos Saluatoris oculos ob lectauerit, sicut salientis aquæ; & ex tubulis emergentis fontes, delicias in magnatum hortis faciunt.

Genes.

Delectatur Deus adspectu pænitētis.

Cur Christus Petrū post negationem adspexerit.

S. Bonau.

7 Idem colligitur Leuit. 11. vbi de Aquatilibus mundis, quorū esum dominus populo permittebat, & de immundis, quæ abominari debebant multa præcipiuntur, sed præsertim ℣. 9. hæc habentur. *Omne, quod habet*

Leuit.

pinnulas

pinnulas, & squamas, tam in mari, quam in fluminibus, & stagnis, comedetis; Quicquid autem pinnulas, & squamas non habet, eorum, quæ in aqua mouentur, & viuunt, abominabile vobis execrandumque erit. Si naturalis huius præcepti ratio quæratur, assignat illam Lyran. qui ideo sic cautum de esu piscium putat, quia *squamæ, & pinnulæ in piscibus sunt signum, quod carnes eorum non sunt nimis humidæ, sed complexionis temperatæ, & per consequens magis sanæ*. hoc moraliter ita interpretari possumus; peccata humimida sunt, ita dicunt plerique illa huius Euangel. verba exponentes *ambulat per loca arida*, quod loca humentia sunt terrenorum hominum mentes, quas humor carnalis concupiscentiæ quia replet, fluidas facit; vt alibi ē et ex D. Gregor. obseruauimus: si igitur dēpta noxia ista humiditate, squamas assumant pænitentiæ, ad mediocrem reducentur temperaturam, & gratum sui obsonium poterunt Deo prębere. vel dicamus, quod pisces sunt imago peccatorum, quorum vita est assiduo sub peccatorū vndis absorpta: horum quidam squamas non habent, quales sunt pisces palustres, & qui in locis limosis, & cœnosis degunt; tales sunt peccatores illi, qui in limo, & profunditate vitiorum assiduo volutantur, de quibus Psalm. 68. ℣. 3. *infixus sum in limo profundi*; vnde addit, *& non est substantia*, vel vt legit Hieronym. *& non possum consistere*, idest firmis pedibus in pænitentiæ gradu stare: alij verò peccatores squamati sunt, per quos ij significantur, qui pænitentiæ asperitate quasi squamas induxerunt, & pinnulas habent, quibus plerumq; supra aquas saliunt, idest extra peccatorum vndas emergunt per vim contemplationis diuinæ misericordiæ, & bonitatis: licet præ humana imbecillitate relabantur glos. Isidor. hoc innuit in loco allegato; *In piscibus*, inquit, *aspera pro mundis habentur, hispidi enim & hirsuti, firmi, & graues hominum mores approbantur*. Aut per squamas malumus accipere prauā ignorantiam peccatoris, de qua intelligitur dictum illud, *Omnis prauus est ignorans*, hæc enim per squamas significata fuit in Paulo, qui cum illā exuit, tunc Actor. 9. ℣. 18. *ceciderunt ab oculis eius quasi squamæ, & visum recepit*; has igitur per pænitentiam abijcere debemus, & qui hactenus peccando ignorātes fuimus, ea quæ nobis profutura sunt sapere, ita enim diuinis oculis mundi, & puri apparebimus.

[Margin: Pisces squamati comedendum ... ; Squamæ ... pænitentiæ. ; lim. ; Pisces squamati, ... viri ... pænitētes ... Deo ... ; ...or.]

8 Confirmat id quod diximus de piscibus squamatis ad esum aptis, & Deo gratis, alter locus Deutor. ex quo colligitur, quod pertinaces, & impenitentes, insuaues, & iniucundi sunt diuino gustui, quem exacerbant, nam cap. 32. ℣. 32. impænitentium vita rebus amarissimis comparatur; *vua*, inquit, *eorum vua fellis, & botri amarissimi*; botrus immaturus dentes, & palatum amaritudine sua sauciat, & fauces adurit, nimia acrimonia: eiusmodi sunt impænitentes, quorū opera sunt Deo instar botri amarissimi. Sicuti cōtra pænitentes suauissimum botrum, & maturam vuam Deo exhibent, ideo de ijs, qui pænitentiam differunt quæritur Deus Miche. 7. ℣. 1. *non est*, inquit, *botrus ad comedendum*; idest, cum à fidelibus meis maturas rubentis pænitentiæ vuas expectarem meq; huius suauissimi cibi ferculo recreandum sperarem; spe ista cecidi, cum nullum botrum inuenerim ad comedendum, quia omnes erant amarissimi. Rupert. Abb. exponens hunc locum Micheæ, non recessit ab hac expositione: *non est botrus ad comedendum, ait, idest nullus est, qui faciat pænitentiæ fructum*; omnes enim impænitentes Deum offendunt, sicuti vuæ acerbæ, quæ comedi non possunt: pænitentes verò quasi vuæ, vel ficus maturæ dulces, & suaues sunt, *quas desiderauit anima mea* inquit, *sed non inueni, nam hoc est quod sequitur, perijt sanctus de terra*. propterea vuas maturas non inueni, quia

[Margin: Act. ; Deutor. ; Impænitētia Deo amarissima. ; Mich. ; Rupert. ; Pænitentia est botrus suauissimus.]

nemo

nemo est, qui dignos fructus pænitentiæ faciat.

9 Si quos verò inter huius mundi horridas, & vastas solitudines inueniat huiusmodi fructuum copia vberas lætatur Deus, q̃ significatur Osee. 9. ℣. 10. *Quasi vuas in deserto inueni Israel, quasi prima poma ficulneæ in cacumine eius vidi Patres eorum*, quæ verba ex D. Hieronym. hunc habent sensum; sicuti gratissimum est peregrinanti per vastas solitudines vuam maturam, & primas, seù præcoques ficus inuenire, quibus aliquantum recreetur; ita Deo inter mundi, & mundanorum, hominum mentes, tamquam per deserta ambulanti iucũdum est fideles, & pios inuenire, quorum actionibus tamquam suauissimis fructibus recreetur. Hierony. ibi. *Cum omnis orbis*, inquit, *esset desertus, & Dei notitiam non haberet, inueni ait populum Israel quasi vuam in solitudine; & quomodo eum inuenit dicit; sicut prima poma ficulneæ in cacumine eius vidi patres eorum*, & nota quod pænitentes iustificati præcoquibus ficubus comparantur, quia præoccupant, & maturant ad perfectionis maturitatem peruenire: & ideo Cantic. 2. ℣. 13 postquam dictum fuit, *vox turturis audita est in terra nostra; idest*, ait Hugo Cardin. *gemitus pænitentis*, statim subditur quod fructus pænitentiæ erũpunt, & sequuntur hunc gemitum, *ficus protulit grossus suos*, qui quoniam citissimè maturescunt, ab Osea prima poma ficulneæ nominantur.

Osee.

S. Hieron.

Recreat Deum pænitens.

Pænitens præcoquibus fructibus comparatur.

Cantic.

10 Quare ne illatam à Christo Matth. 21. ℣. 29. & Marc. 11. ℣. 12. ficui in frugiferæ maledictionem, Deus in homines peccatores torqueat, non debent diutius differre, & procrastinari in pænitentia, sed præuenire diuinam indignationẽ, & eius vltionem contra se præparatam. fecit hoc prudentissimè Dauid, qui cum ex vanagloria populum sibi subiectum enumerare voluisset, nõ expectauit quod Dominus accederet ad ficum, visurus num protulisset fructus, sed præoccupauit pænitentiam facere, vt habetur 1. Paralip. cap. 21. ℣. 9. *Dixitq. Dauid ad Deum* (etiam priusquam venisset ad illum arguendum Propheta) *peccaui nimis, vt hoc facerem* &c. præuenit, & occurrit diuinæ castigationi, adeo vt per pænitentiam meruerit consequi remissionem; quod factum expendens S. Ambros. *ergo*, inquit, *qui pænitẽtiam agit, offerre se debet ad pænam, vt hic puniatur a Domino, non ad supplicia æterna seruetur, nec expectare tempus, sed occurrere diuinæ indignationi. Vide facta Dauid precibus conuenire, offenderat Dominum, quia numerari iusserat populum, confessione præuenit nuncium, peccasse valdè, & nimis stultè fecisse se commemorans; non quasi admoneret oblitum, sed quasi vrgeret morãtem, ne diutius comminationem differret offensa.* Hæc D. Ambr. in cuius tamen verbis hærere quispiam dubitans posset, cur exemplo Dauid velit sanct. Doctor, vt peccator se offerat pænæ; cum potius ob commissa crimina indulgentiam quiuis, & veniam deprecari debeat. Respondere tamen possumus, quod nouerat Dauid non posse illud facinus impunè à Deo præteriri, ideo vltro subijcit se pænæ, tum quia leuius est in hac, quam in futura vita puniri; tum etiam ne Deus vindictæ tarditatem grauitate compenset. Vel dicamus, quod pœnam poscit non veniam, quia qui se venia dignum putat, errata sua credit esse excusabilia, eaq; quantum potest extenuare conatur, cum contra pænitentia ad grauitatem criminum considerandam potius inducat, neque verè eos pænitet peccatorum, qui ea extenuare nituntur. obseruat hoc S. Augustin. qui excusantes, & nõ accusantes peccatum superbiæ notat, qualis fuit Adam, qui vt crimen suum eleuaret, illud in Euam reijciebat; & Eua, quæ in serpentem delictum suum regessit. *superbia*, inquit, 24. de Ciuitat. Dei cap. 24. *Mulieris in serpentem, superbia viri in mulierem*

Matth. Marc.

Maturare oportet pænitentiam

1. Paral.

S. Ambr.

Dauid cito pænitẽs meruit veniam.

Subijciat se pænæ vltro peccator.

S. Aug.

quærit referre peccatum, sed accusatio potius, quam excusatio vera est, vbi mandati diuini est aperta transgressio; ideo Dauid peccatum suum agnouit, & eius magnitudinem, & grauitatem humiliter contritus exposuit; & petijt pænam, vt consequeretur veniam.

11 Certum est enim quod adeo grata, & accepta est Deo pænitentia, vt pro pæna qua contritus se dignum reputat, veniam illi Deus munificentissimè largiatur, restituatq; illi deperditum diuinæ gratiæ habitum. Obseruatione dignus est pro huius rei declaratione locus Marc. 16. ℣. 7. in quo Angelus lætissimum Dominicæ Resurrectionis nuncium discipulis iubet annunciari. *sed ite*, inquit, *dicite discipulis eius, & Petro*; vt quid, inquam ego, necesse fuit de Petro specialiter meminisse cum sub discipulorum nomine ipse etiam contineretur? imò satis esse videbatur hoc felici nuncio alios discipulos exhilarare, & Petrum omittere, qui trina negatione a Christi sequela quasi transfuga defecerat; reddideratq; se hac gratia indignum. Verè fuerat indignus, nisi per pænitentiam, & amarum fletum in gratiã meruisset restitui; & ideo vt non solum restitutus in gratiam intelligatur, sed etiam præcipuam eius, quia pænitentiam egerat, memoriam seruari apud Deum, non satis habuit Euangelista illum generali discipulorum nomine significare, sed signanter nominauit; hinc Hieronym. *dicite* inquit, *discipulis eius, & Petro: qui se indignum discipulatu indicat cum ter Magistrum negat; sed peccata præterita non nocent quando non placent*. & nota Domini benignitatem, qui maiori, & vberiori fauore eum prosequitur qui negando deliquerat, quã alios Apostolos; quia cũ pænitẽtibus familiarius quasi deinde consueuit, eosq; charius tractat; nam, & ouem amissam non satis habuit pastor deducere ad ouile Luc. 15. sed diù quæsitam, & inuentam diligenter accipit, humeris imponit, & ad gregem reportat. sic Petrum qui negando a cæteris euagatus perierat, singulari beneficio, post pænitentiam, de sua resurrectione voluit fieri certiorem. Beda, *Petrus* inquit, *vocatur ne desperet ex negatione, nisi enim eum Angelus nominatim exprimeret, qui Magistrum negauerat, inter discipulos venire non auderet*. Simile huic fuit in veteri testamento factum Manassis Regis, qui per pænitentiam, nõ solum meruit peccatorum veniam, & indulgentiam, sed præterea etiã in Regiam dignitatem, à qua exciderat restitui; gloss. ex Clement. Roman. in 2. Paralip. *audistis*, inquit, *quemadmodũ Deus eum, qui idola coluerat, & multos insontes occiderat, leuiter castigatum recepit, & demissis delictis eum in regnũ restituit; non solum enim pænitentibus indulget, sed etiam pristinam dignitatem restituit*. vt in hoc appareat diuinæ largitatis profusa benignitas.

Marc.

Pænitentibus singulares gratiæ cõferuntur.

S. Hieron

Charius Deus tractat pœnitentes. Luc.

Beda.

Gloss. Pænitentibus etiã amissa tẽporalia bona restituuntur.

12 Soluit quidem peccator debitor, & reus diuinæ læsæ maiestatis, Deo per pænitentiam debitum suum, & contritionis, ac lachrymarum prætio diuinam quasi veniam emit: sed Deus postmodum ex sua benignitate quasi auctarium addit, quod melius explicabimus persistentes in eiusdem Manassis pænitentia consideranda, & examinanda; quem veri pænitentis typum fuisse docuit Lyran. 2. Paralip. 33. *Manasses*, inquit, *figuram gessit cuiuslibet magni peccatoris, ad Deum veraciter reuertentis*; de cuius contritione multa referunt Hebræi, & præsertim quod triginta annis assiduis egerit pænitentiam, vnde scriptura ipsum summopere commendat 2. Paralip. 33. ℣. 12. *orauit*, inquit, *Dominum Deum suum, & egit pænitentiã valde coram Deo patrum suorum*; hac amara pænitentia meruit remitti sibi delicta, soluitque prætium condonationis, & indulgentiæ, quam a Deo emebat, huc allusit S. Ambros. de pænit. cap. 20. de eo verba faciens, *orauit*,

Lyran.

Pænitentia Manassis cõmẽdatur.

2. Paral.

S. Amb.

inquit, *conscius reatus sui, & veniam meruit satisfactione mercari*; præcidit itaq; peccatoribus oĩs excusatio a tãta Dei benignitate, nec iam possunt tenuitatem suam caussari, quod non habeant vnde Deo satisfaciãt, vt improbe fecit Cain Genes. 4. ℣. 13. *maior*, inquit, *est iniquitas mea, quam vt veniam merear*; qui enim proprijs viribus diffidunt, satis hac Manassis pænitentia inuitantur; Raban. in gloss. codẽ loco; *audita*, ait, *pænitentia Manasse, nemo debet de Dei misericordia desperare, sed magis per pænitentiam de venia præsumere*; Quin præsumendo cõfidere possumus augẽda in nobis post pænitentiam diuina munera; quoniam enim Dei benignitas humanam retributionem superat, ideo addito regno veniam illi præstitam cumulauit, vt fieret, quod dixit Apost. ad Rom 5. ℣. 20. *vbi abundauit delictum, ibi superabundauit, & gratia*; non solum in rebus temporalibus, sed etiam spiritualibus.

Genes. — Raban. — Quæ peccado amittimus pænitentes recuperamus. — Roman.

13 Pro qua veritate magis corroboranda est etiam diligenter adnotandus alter Scripturæ locus ex veteri testamento. promiserat Deus Dauid ex eius stirpe nasciturum Messiam, ita enim eodem Deo reuelante vaticinatus est idem psaltes Psalm. 131. ℣. 11. *de fructu vẽtris tui ponam super sedem tuam*; suscepit Dauid plures filios ex pluribus vxoribus, quibus sicuti natu maioribus regnum deberi videbatur, ex quorum semine Saluatorem nasci videbatur congruentius (verbi gratia ex posteris Michol quæ Regiæ Saulis stirpis erat propago) quam ex filio Bethsabeæ, adulteræ mulieris; & tamen Salomoni, adulteræ fœminæ filio, maluit Deus hanc gratiam conferre; vt euidenter ostenderet, quod maiora quam antea priuilegia confert peccatoribus pænitentibus, nam Dauidis, & Bethsabeæ peccatum iam per pænitentiam deletum specialibus postmodum fauoribus cumulauit: ita soluit hanc dubitationem S. Iustin. Martyr quæst. 78. *Deus*, inquit, *apud quem pænitentia pro benignitate, & æquitate sua, in honore est, & prætio; in ijs qui ex Vriæ vxore procreati sunt Dauidis genus cõstituit, Christumq; ob eandem causam ex ea deduci voluit*. Duo in his verbis sunt animaduertenda. primũ est; quod Deo non solũ accepta est & grata pænitentia, sed etiam prætio, & honore dignam reputat, vt hinc liceat æstimare quanti faciat Deus humiliati cordis lachrymas. secundo, quod adeo Deus pænitentiæ remunerator est, vt maluerit filium suum ex viris peccatoribus, sed per veram pænitentiam ad se reuersis, quam ex alijs nasci; adeo vt hæc tantum causa visa fuerit Iustino, cur Christus ex ea quæ fuit Vriæ nasci voluerit; *Christumque*, ait, *ob eandem causam ex ea nasci voluit*; idem obseruauit Luc. Brug. in 1. cap. Matth. ℣. 6. vbi exponens verba illa Euangelistæ, *ex ea quæ fuit Vriæ*, *ita* inquit, *circumlocutus est ipsam Bethsabeæ; vt monstraret tantum abfuisse, vt ab crimina, huius mulieris occasione perpetrata rescideret Deus promissa Dauid facta, vt etiam ei placuerit huius mulieris ministerio fidem suam liberare, gratia superabundante ob pænitentiam, vbi abundauerat iniquitas*. non poterat clarius ostendi Dei erga pænitentes beneplacitum.

Psalm. — Maiora priuilegia cõfert Deus peccatoribus pænitentib. quam ante peccata. — S. Iustin. — Pænitentia apud Deum in prætio, et honore est — Lu. Brug. Ob pænitentiã Dauid Iesus natus ex stirpe Salomonis

14 Et ratio est, quia qui prius per peccatũ fędi, & sordidi Deo displicuerunt, postmodum mundi, & puri redditi eidem redduntur gratissimi; hoc significatum fuit in celebri cęremonia quæ narratur Numer. 19. ℣. 9. *Colliget autem vir mundus* (hoc iam nomen datur ei, qui per veram contritionem redijt ad Deum, & purificatus fuit) *cineres vaccæ, & effundet eos extra castra in loco purissimo*. notũ est, quod cineres sunt pænitentiæ symbolum, ideo enim ijs apud Hebræos pænitentes capita sua adspergebant, & propterea locus illis purissimus destinatur, in quo puritas, quæ per cinerum adspersionem, & pænitentiam acquiritur

Numer. — Puritas pænitẽtiũ

signifi-

significata fuit. sed cur cineres, quæ sunt res viles, & inutiles edacis ignis reliquiæ, in loco mundo effundi iubentur? locus enim vilis, & immundus illis aptior videtur; sed quia Deus summopere æstimat humiliationem peccatorum, ideo etiam mortificationis illorum signa magnifacit, & istis etiam purissimum locũ reseruari præcepit. Vel melius fortasse dicamus, quod his verbis integra pænitentis cõuersio denotatur, qui adeo debet peccatum a se remouere, vt etiam illius memoriam, occasionem quamcũque, & incentiua extra se proijciat; neque enim plene satisfacit, qui vel apud se, vel domi, aut in vicinia occasionẽ peccandi reseruat. Petr. Cellens. in lib. de panib. cap. 3. in Biblioth. SS. Patr. to. 9. egregiè ad hanc mentem, hunc eundem Numer. locũ interpretatus scripsit. *Emittit cineres extra castra cordis, ne saltem memoria Amalech in abortiuis suis reperiatur: nam & peccatum, & peccati memoriam subuertere funditus cupit;* & ita fit quod dicitur Sapiẽt. 7. ℣. 30. *vincit sapientia malitiã*, idest hominis per pænitentiam sapientis, & eruditi prouida mens, ligat malitiam; nam quoniam liberum hominis arbitrium, per peccatum ligatur, & subditur tamquam seruus (*omnis enim qui facit peccatum* Ioann. 8. ℣. 34. *seruus est peccati*) ideo adueniens gratia per pænitẽtiam, soluit liberum arbitrium, subijciens illud diuinæ voluntati, cui seruire regnare est, & vincit ligatque malitiam, seu peccatum. hoc dixit idem Petr. ibid. *vincit*, inquit, *sapientia malitiam, cum subintrat gratia, & soluit liberum arbitrium compeditum, nõdum assurgente, nondum cooperante eo, qui tenebatur in vinculis: nam gratia sola vincula soluit, solutis verò vinculis liberum arbitrium sequitur gratiam, & inhæret gratiæ, vt deinceps gratia præeunte, & cooperante liberum arbitrium persequatur inimicum, & comprehendat auferens ab eo tributa seruitutis, & vindicans sese in ingenuitate libertatis. vbi non erat gratia modicum fermentum totam massam corrumpebat, & vbi venit plenitudo gratiæ excutit collum de sub iugo, & regno peccati liberum arbitrium, & ita sapientia vincit malitiam.* figura huius rei fuit Samsõ de quo Iudic. 15. dr̃, quod a popularibus suis vinctus traditus est Philistæis inimicis suis ℣. 13. *ligauerũt eum duobus nouis funibus*, sed diuino spiritu virtutem, & robur illius excitãte, solutis vinculis euasit liber ℣. 14. *irruit spiritus Domini in eum, & sicut solent ad odorem ignis ligna consumi, ita vincula quibus ligatus erat, dissipata sunt, & soluta.* & sic cõtra hostes insurgens lætissimam de illis, & memorabilem victoriam reportauit. ita liberum arbitrium prius vinctum per diuinam gratiam soluitur, fitque homo liber, & contra peccatum validior.

Etiã signa pænitẽtiæ Deus æstimat.

Petr. Cellens.

Pænitentia vt sit integra.

Sapient.

Ioan.

Pænitentia soluit vincula liberi arbitrij.

Iudic.

15 Qui verò hæc vincula præcidere, vel nesciunt, vel negligunt, ij miserè pereunt. Non inaniter quærere quis posset cur Absalom ad quercum illam capillis appensus, vt narratur 2. Reg. 14. neglexerit incolumitatem suam; facile enim euadere instantem mortem potuisset, si gladio quod ad latus habebat crines præcidisset, nam in terram cadens persequentes hostes effugisset, & vilium capillorum iactura, inæstimabilem vitæ vsum redemisset: & tamen suimet negligens, vitam quam seruare potuisset, inimicorum arbitrio permisit. Eius rei rationẽ hanc assignari posse crediderim; nutriebat Absalom comam ad delicias, & in ea plurimum gloriabatur, eamque semel tantum in anno tondebat, & publicè ad ostentationem proponebat; ℣. 26. *Quando tondebat capillum (semel autem in anno tondebatur, quia grauabat eum cæsaries) ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis, pondere publico*; vnde quia quo tempore hæsit capillis ad infaustam illam arborem, nondum completum erat annuũ tonsionis suæ spatium, propterea noluit capillos præcidere. Sunt capilli sæpè

2. Reg.

Statutis tantum tẽporibus qui dã pænitẽt iam agunt.

in diuinis litteris symbolum peccatorum, quæ committimus, ita accipiuntur Psalm. 67. ℣. 22. *verticem capilli perambulantium in delictis suis*; sunt enim capilli superfluitates corporis, sicut peccata ex redundantia passionum, & appetitionum nostrarum proueniunt; explicauit hoc Gloss. 2. Paralip. in fine, in orat. Manassis Regis, circa illa verba; *Quoniam peccaui super numerum arenæ maris. solent*, inquit, *delicta capillis capitis coaptari*: *Propheta Regius Psalm. 49. comprehenderunt me iniquitates meæ, &c. multiplicatæ sunt super capillos capitis mei*; Quare sacerdotes Aegyptij, vt lib. 31. refert Pier. qui corporis, & animæ mūditiei summoperè studebant, quo Dijs suis magis accepta offerrent munera, quotidie capillos rasitabant, significantes superflua omnia vitiorum, & sordium esse submouenda. sunt igitur plurimi, qui instar Absalonis peccata sua nutriant, eaque semel tantum in anno tondeāt; isti verò, si infortunatæ alicui arbori adhæserint, si inquam in grauem aliquem, & mortiferum morbum incidant: si improuisa, & inopinata aliqua ægritudine, vel infortunio corripiantur, in quo etiam de vita periclitentur; quia nondum aduenit tempus peccatorum cæsariem per confessionē præcidendi, minimè curant ab hoc se laqueo expedire; exponentes se infernalium inimicorum ictibus quibus confossi trucidantur; & quod de Absalon dicitur 2. Reg. 18. ℣. 17. *proiecerunt eum in saltu, in foueam grandem*, idem istis contigit, qui in infernalem foueā: vnde nullus est exitus miserè proijciūtur. Et nota, quod semel in anno tondebatur; non quod dimittere capillos vellet, sed quia *grauabat eum cæsaries*; ita etiā plerique magis peccata deponunt per confessionem, quia sentiunt se eorum pōdere grauatos, quā quod animum deliberatum habeant ab ijs in posterum abstinendi. Præterea etiam nota, quod *ponderabat capillos ducentis siclis pondere publico*; quod ij faciūt, qui in deponendis, & ponderandis peccatis, magis ad publicam infamiam qua notari verentur respiciunt, quam ob vitæ sāctitatem quā elegerint; ideo in eodem loco animaduertit Hugo Cardin. quod non dicit *pondere sanctuarij*, quod significat discretum puræ conscientiæ examen, sed *pondere publico*, quod est symbolum laudis humanæ. volunt plerique haberi optimi catholici, & ne tamquam Ecclesiasticorum præceptorum transgressores traducantur, confitentur semel in anno peccata; sic illa ponderant, & examinant *pondere publico*, non pondere sanctuarij, quod est rigorosa conscīētiæ perscrutatio, cum vera, & amara cordis contritione.

Psalm.

Gloss. Capilli symbolū peccati.

Pier.

Timeant horrendā mortem, qui semel in anno confitentur.

2. Reg.

Plerique vt grauātia tātum peccata deponant confitentur.

Non est vera illorum pœnitentia, qui vt infamiam fugiant, confitentur.

16 Longè verò secus agit verus pænitens, qui ita contra seipsum peccatorem agit; sicuti accusator contra reum. Intentat primo enim peccator contra peccatum proprium iudicium; & sicuti prius peccatum ipsum persequebatur peccatorem, vt dicitur Ps. 50. ℣. 5. *peccatum meum contra me est sēper*; ita postmodum incipit peccator contra peccatum stare; hoc autem totum iudicium explicauit Petr. Cellēs. loco supra allegato: vocatur primo peccatum in iudicium; *exit ergo*, inquit Petr. Cellens. de peccatore loquens. *ad portam confessionis* (ad portam idest ad locum iudicij iuxta morem veterū Hebræorum, alibi à nobis obseruatū) *compeditus, imò solutus ille*; qui scilicet diligenti examine, & sincera contritione instar nouaculæ, superfluos peccatorum capillos, & laqueos non tam præcidere quam abradere constituit; & ideo per peccatum vinctus, per contritionem dicitur solutus: sed adhuc tamen vinctus est, quamuis enim sit partim solutus per gratiam, adhuc tamen tenetur ad sacramentalem confessionem; Confessarius est, qui soluit, cui datum est ius soluendi tamquam iudici à Deo delegato quando dixit Matth. 16. ℣. 19. *quodcunque solueris super terrā erit solutum & in cælis*,

Iudiciū pænitentis contra seipsum; & cōtra peccatum Psalm.

Petr. Cellens.

Confessarius est Iudex.

Matth.

vnde

vnde sacerdos ex officio dicit; *deinde ego te absoluo* &c. & simul peccatum condemnat: *vade & iam noli amplius peccare.* Coram hoc iudice, peccatum multarum iniuriarum sibi illatarum reus a peccatore agitur; *narrat* subdit Cellens. *iniurias quas misera conscientia à peccato perpessa sit.* hic longa oratione exaggerat damna, & mala grauissima, quæ in anima perpetrat peccatum productis etiam testibus ea confirmans; quæritur enim ab eo se grauiter læsum quod animam inquietauerit, Isai. 48. ℣. 22. *non est pax impijs,* & Ierem. 12. ℣. 12. *non est pax vniuersæ carni;* quod cum a summo bono, & Creatore suo alienauerit, Ierem. 2. ℣. 13. *me dereliquerunt fontem aquæ viuæ;* quod æternis pœnis obnoxium fecerit: Genes. 2. ℣. 17 *quacunque die comederis morte morieris;* cunctis creaturis reddiderit inuisum; Genes. 4. ℣. 14. *omnis qui inuenerit me, occidet me;* ipsi etiam Creatori fecerit inimicum; hæc & multa alia ijs similia obijcit peccator in iudicio confessionis, & pœnitentiæ suæ peccato; quare vt vniuersa hæc causa cōpleatur, addit Petr. Cellens. quod peccator *tenorem causæ tā integraliter exponit, quam visceraliter dolet; verus enim dolor tangit eum; ideo neque dicenda, neque silenda omittit, in in amaritudine animæ est.* nota primo quod *integraliter exponit;* confessio enim debet esse integra, & completa; & præterea interni doloris, & compūctionis austeritate proficua, & vt verus dolor eum tangat; quod non potest non contingere illi, qui in amaritudine animæ est; in illa inquam amaritudine animæ in qua Ezechias vera pœnitentia ductus dicebat ad Deum; Isai. 48. ℣. 15. *recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ;* quæ verba etiam in sensu litterali de pœnitente exponuntur, vt latè ostēdit Vgo Cardin. *recogitabo,* inquit, *ad confitendum non ad iactandum; tibi, in hoc notatur humilitas confessionis, omnes in hoc notatur integritas eius; Annos in hoc notantur circunstātiæ peccatorum, in amaritudine animæ meæ: ecce contritio cordis, non in delectatione: simile dicitur Iob 7. Loquar in tribulatione spiritus me; confabulabor in amaritudine animæ meæ.* sed vide rerum vices, & Dei gratiam amarorem in dulcedinem conuertentis: nam ℣. sequenti dicit: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima:* quia amaritudo cordis in confessione operatur pacem cum Deo; Agell. exponens hæc verba, ex Græci codicis lectione; *ecce,* inquit, *in pace amaritudo mea, hoc est in salutem, & integritatem conuersa est amaritudo mea, & salutarem exitum meus dolor habuit.* hæc eadem amaritudo peccatori proponitur Ierem. 31. ℣. 21. *statue tibi speculam pone tibi amaritudine;* de quibus viri ad Deum conuersi amaritudinibus, multa doctissimè disserit S. Gregor. Pap. lib. 24. moral. cap. 7. ad quas etiam peccatores hortabatur Ezech. cap. 21. ℣. 6. *Et tu fili hominis ingemisce in contritione lumborum, & in amaritudinibus ingemisce.* neq; frustra istæ amaritudines in scripturis commendantur, quia multum iuuant peccatores; sicuti enim acria, & amara vomitum facile prouocant; vt dicit Galen. de veratro; in lib. de simpl. medicam. & de nigro vino; quod citra dulcedinem austerum apparet idem testatur in excerptis de vinis; Ita etiam hæc animæ amaritudo nimias peccatorum superfluitates, & immodicas repletiones educit è stomacho peccatoris. Hæc amaritudo est de qua dicitur Ierem. 2. ℣. 19. *malū, & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuū;* hæc dum recolit & mente versat peccator, sentit quam amara sint, & noxia ea, quæ in stomacho nauseam illi faciunt, tunc illa salubriter euomit, vt sanitatem mentis recuperet. Quin ea est huius amaritudinis vis, vt non per os tantummodo euomat peccator bilem a qua cruciatur, sed etiam per oculos, cum ex amaritudine peccati ad lachrymas excitatur compunctionis: quasi

Accusat pœnitens peccatum mnimica.

Isai.

Ierem.

Genes.

Integra debet esse confessio.

Isai.

Confessio sit dolorosa.

Vgo Card.

Amaritudo pœnitentis vertitur in salutem.

Ierem.

S. Greg.

Ezech.

Amaritudo animæ purgat à peccatis. Galen.

Ierem.

enim os etiam patulum tantas peccatorum sordes euomere non possit, superinductis lachrymis superstites peccatorum reliquias purgat.

17 Sed pergamus inceptum contra peccatum iudicium; in quo peccator, qui iam in delictis consenuit, si in Dei misericordia confidat, quasi restituitur iuuentuti, & instar serpentis cũ pelle veterem hominem cum actibus suis exuit; quod dixit Herma S. Pauli discipulus lib. 1. vision. 3. in t. 5. Bibl. SS. Patr. *Qui ergo*, inquit, *pænitentiam egerint integre iuniores erunt*; gessit in hoc pænitentis typum S. Patriarcha Abraham, qui vt dicitur Iob cap. 13. ℣. 15. *In spem contra spem credidit*, quia cũ prolis suscipiendæ omnis pene videretur spes esse sublata, cumq; iam membra præ senecta aruissent, defecissetque penitus vigor ille, qui filijs procreandis deseruit; adhuc tamẽ quo tempore magis expes esse debuisset, sperans tamen consolatus est, & ex vxore iam anu filium suscepit, tot tantarumque gentium stirpem: ita profecto peccator, etiam si aruisse videãtur animæ membra, & defecisse spiritalis, qui ea sustentabat vigor, ac proinde extra omnem spem positus bonorum operum filios Deo gignendi, tamen si diuinæ miserationis fiduciam seruet præter omnem spem Isaac filium suscipiet, & cum Sara dicere poterit Genes. 21. ℣. 6. *Risum fecit mihi Dñs* ad hanc sententiã spectantia multa habet idem Petr. Cellens. *sic*, inquit, *credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam quia contra spem in spem credidit. & ille, qui in spem contra spem credebat non considerauit corpus suum emortuum, nec vuluam Saræ sterilem, cui defecerant muliebria. sic peccator licet iam sit emortuum corpus eius senio*, inueteratum peccatis, *vel languore* defectum, *credat tamen adhuc venas misericordiæ in Deo palpitare, quibus iustificat impios, quibus viuificat mortuos, & vocat ea, quæ non sunt. apud eũ damnum in ore non imputatur, dum taxat, si plena destitutio plenis gemitibus, vel in extremo vitæ reformetur; pulset ad ianuam, quia nondum clausa est, dum viuit homo, dum ingemiscit, dũ spiritus est in naribus eius*. sic enim humana vita durante reditum ad cælestem patriam, & domum nostram nemini Deus voluit intercludi.

18 Et quemadmodũ singulis hominibus quandiù in hac mortali vita viuunt Angelũ Custodẽ Deus assignauit; ita ẽt pænitentiæ, quæ vita tantum durante valida est, Angelũ præposuit. memorabilis est doctrina Hermæ supracitati in Proem. lib. 2. in quo Angelum hunc describit sub persona pastoris, quem appellat nuncium pænitentiæ. *Hac*, inquit, *omnia præcepit mihi scribere pastor ille nuncius pænitentiæ*; & infra eiusdem lib. 2. mãdat. 4. idem Angelus appellat se præpositum pænitentiæ; *Ego*, inquit, *præpositus sum pænitentiæ*. Circa ꝙ dubitare quis posset, quo pacto hoc stare possit; videtur enim Deus pænitentiæ curam, & custodiam hominibus assignasse, quibus soluendi facultatem tribuit, quando dixit Petro Matth. 16. ℣. 19. *quodcunq; solueris super terram, erit solutum, & in cælis*; quomodo ergo hoc idem ministerium apud Hermam Angelus ad se ptinere affirmat? eo magis quia præesse pænitentiæ multo congruentius hominibus conuenit, qui inuicem supportantes, facilius in delictis compatiantur, quã Angelo, qui peccatorum expers summo rigore agit cum peccatoribus. Imo ex aduerso respondendum est, quod hæc vera est causa, quãobrẽ Angelus pænitentiæ præses fuerit constitutus; quia in hac summum Deus ab hominibus peccatoribus rigorem exigit; propterea non homines facile ad miserationem flexibiles pænitentiæ proposuit, sed Angelum rigidum diuinæ suæ volũtatis ministrum; è contra munus remittendi peccata, quod misericordiam habet adiũctam, hominibus assignauit tradens Petro, & successoribus officium ligandi, &

Pænitentia iuuentuti restituit peccatorem.

Herma.

Iob.

Abrahã senex fæcundus, typus peccatoris pænitentis.

Genes.

Petr. Cellens.

Peccator senex, & languidus fit iuuenis & validus per pænitentiã.

Angeli præsũt pænitentiæ. Herma.

Matth.

Rigide Angelus præest pænitentiæ.

soluendi; sed in actibus veræ pænitentiæ, quos cum rigore fieri desiderat, Angelum præfecit, qui hominibus sẽper assistit; de quo dicitur Exod. 23. ℣. 21. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, &c. obserua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet te cum peccaueris; & est nomen meum in illo*. ad quæ verba obseruat Lyran. hæc litteraliter posse de Angelo, qui Hebræos in deserto præcedebat, intelligi. addimus nos, Hebræos in deserto fuisse figuram peccatorum pænitentium, in deserto pænitentiæ ambulantium, quos tamquam custos, & præpositus præcedit *Angelus præpositus pænitentiæ*; qui ijs qui peccauerunt continuo assidet, nullo non loco, & tẽpore illis peccatorum deformitatem obijciens, & exprobrans, vt ad pænitendum animentur. in quo imitatur hic Angelus indiscretos quosdam superiores, qui subditos ceruicosos, & discolos vbiq; increpant, & sæpius mortificant; quo discant, & assuescant legis iugum lenius ferre. ita Angelus nihil omittit, nullam occasionẽ deserit peccatores sibi commissos increpandi, & ad veram pænitentiam inducendi: vnde dicitur de illo; *non dimittet te cum peccaueris*: assidue mentis oculis peccatorum grauitatem, pænarum, & cruciatuum æternitatem repræsentãs. cuius monitus, & voces audiebat Sanct. Hieron. qui de se ipso dicebat: *siue dormio, siue vigilo, siue aliquid aliud facio, semper audio tubam illam resonantem in auribus meis: surgite mortui, venite ad iudicium*. hac tremenda voce Angelus diuum eremicolam excitabat, & in pænitentiæ actibus continebat: & cunctis peccatoribus præpositi isti instant, nec dimittunt cum peccauerint; quia ijs assiduo peccatorũ memoriam refricant, & stimulis conscientiam exagitant; nec per sindæresim sinũt quietè viuere, sed ad mandatorum Dei obseruantiam eos incitant: & propterea statim promissiones ijs, qui istis Angelis obediunt subijciuntur: *Quod si audieris vocẽ eius, & feceris omnia quæ loquor &c.* sed fructus aliquos qui Angelum hunc audientes consequuntur exponit ipsemet apud Hermã in eodẽ mand. 4. lib. 2. *omnibus*, inquit, *pænitentiam agentibus sensum do*. Verè enim impænitentes sunt insensati, & stupidi, vnde Sapient. 5. ℣. 24. dicitur quod ij, qui peccauerunt, neq; in hac vita pænitentiam egerunt, in inferno relegati, & sera, atque infrugifera pænitentia tacti, se ipsos appellant insensatos, quorum verba habentur ibidem ℣. 4. *Nos insensati* &c. & simili ẽt voce illos appellat Sapiens ibidẽ ℣. 21. *pugnabit*, inquit, *pro illo orbis terrarum contra insensatos*; hanc stoliditatem tollit pænitentia, quæ mentem acuit, & eius aciem à peccatis hebetatam limat; *quoniam*, subdit Angelus, *qui pænitentiam agit, sensum magnum adipiscitur*, adeo vt ex insensato, & stolido, non solum sensatus, sed etiam Sapiens euadat, hic enim est progressus in spirituali profectu; *an non*, inquit, *tibi videtur, pænitentiam agere, magnam sapientiam esse*? certè sicut stultè egerunt peccando, vt dicitur Osee. 2. ℣. 10. *nunc reuelabo stultitiã eorum*: ita qui prius stulti fuerunt aliquando sapere incipiunt, & vera hęc sapientia, eos ad cælum vsque deducit.

19 Vel ideò fortasse constituitur *Angelus Præpositus pænitentiæ*, vt angelicam puritatem, candoremq; spiritus imitetur pænitens: dantur enim præpositi subditis ad imitationẽ iuxta illud Apostoli ad Hebr. 12. ℣. 11. *mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidẽ*. vel ideo *Angelus præpositus pænitentiæ*, quia & si *humanũ sit peccare, est angelicũ se emẽdare*, ergo ad Angelos meritò dirigitur hominũ emendatio. Aut hac alia ratione, vt inquã peccata exterminent, peccata namq; & scelera auersatur Angelus. Anastas. Episcopus Nicen. quæst. 61. ex Basil

Margin notes: ...od. | ...ran. | ...ngelus ...get ad ...nitentiam. | ...Hieron | Impænitentes insensati. Sap. | Pænitentiã agere sapientia est. | Osee | Angelus Præpositus pænitentiæ, vt eius imitemur puritatem. Hebr. | Curant Angeli pænitẽtiã hominum. Auersantur Angeli peccata. Anast.

in Psalm. 33. *cuilibet credenti in Dominum, assidet Angelus, nisi nos ipsum per mala nostra opera effugauerimus. nam sicut apes fugat fumus, & columbas abigit malus odor; ita etiam vita nostra custodem Angelum amouet, & abducit lachrymabile, fætidum peccatum*; *ne des enim inquit Psalm.* 120. *in commotionem pedem tuum, & non dormitabit, qui te custodit Angelus*; legis propterea quod statim ac peccatum suum aperuit Isaias dicens c. 6. ℣. 5. *væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labijs ego sum &c.* vt purgaret eum, cõcito cursu, ac volatu celerrimo pergit Angelus ℣. 6. *& volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari; & tetigit os meum, & dixit: ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Et vide Angeli puritatẽ, & candoris integritatem; fœdari se timens ab immundo Isaia, nõ quidem admouet immediatè manum, sed instrumento vtitur ad contactum: *& in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari*; vt humano more loquamur, *forcipe tulit*, non quia candentis carbonis formidaret incendia, sed ne fœdati hominis sustineret inquinamenta; nam propria manu solitum fuisse Angelum prunas sumere, legimus Ezech. 10. ℣. 7. *& extendit Cherub manum de medio Cherubim ad ignem &c. & sumpsit &c.* & ℣. 2. Angelo dicitur: *ingredere in medio rotarũ, quæ sunt subtus Cherubim, & imple manum tuam prunis ignis,* &c. ne ergo à polluto, pollueretur Angelus, forcipem adhibet ad purgationem. Vel ideo constituitur *Angelus præpositus pænitentiæ*, vt pænitentes, a non pęnitentibus secernat; impænitentesque à diuinis arceat. Petr. Abbas Cellens. lib. de panib. cap. 10. *si ad conuiuium panis accesseris, cuius sis conditionis, cuius ætatis, cuius stirpis; cuius sexus, statim ab Angelo percunctaris. nam bis principaliter, & propriè, Angeli deseruiunt officijs, vt ad Deum venientium inquirãt mentem, propositum, & meritum officij sui certè est, & dignos intromittere, & indignos extrudere: bene meritos cum reuerentia suscipere; immeritos cum iniuria eijcere.* hæc sunt pænitentiæ encomia.

Angelus similis api, & columbæ.

Isai.

Inquinationẽ maximè timet Angelus.

Arcet pænitentes Angelus à diuinis

Petr. Cell.

Et veniens, inuenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam &c.

Sacer tex.

CAP. IV.

Quot, quantorumque malorum causa sint mundi deliciæ.



1 PArabola de immundo spiritu, qui ab homine egressus, iterũ ad eum reuertitur, & facit nouissima hominis illius peiora prioribus sicuti vberi euentuum varietate referta est, ita multos recipit variosq. sensus, & multa vtilia maximè continet; è quibus nos aliqua moribus magis proficua consideranda seligemus. Quod Diabolus in locis aridis requiẽ non inueniat, sed in domum scopis mundatam, & ornatam libentissimè secedat, non vacat mysterio: qui enim non potest in locis aridis, idest, in cordibus Sanctorum *à mollitie fluxæ cogitationis purgatis*, vt dicit Glossa, *quiescere*; domum purgatam, & deliciosam habitaturus ingreditur: *loca enim arentia*, ait S. Gregor. 33. moral. relatus in Catena, *atque inaquosa, sunt corda iustorum, quæ per disciplinæ fortitudinẽ, ab omnis carnalis concupiscentiæ humore siccantur*. quod clarius explicat Euthym. homil. in hoc Euang. *loca arida*, inquit, *significant Sanctorum animas, nullum affectionis humorem habentes*

Deliciosos diabolus inhabitat. Gloss.

S. Greg.

Euthym.

bentes, quæ desertæ sunt, nec vllius vitij fæcundæ; hæc refugit diabolus, qui delectatur in locis humentibus habitare;expulsus enim à locis aridis,idest, vt ait Incert.sub nomineEuseb.Emyss. *elusus, eos tentando,in quibus malitiæ, & voluptatis humorem non inuenit, fluxa, & humida quærit, vnde & de eo dicitur:sub vmbra dormit,in secreto calami,in locis humentibus, quibus loca genitalia designantur*; in his locis velut inter delicias quiescit, & in voluptuosorum hominum mentibus humẽtibus,non tam hospitatur,quam inhabitat; *in tenebrosis*, ait Beda hic homil. 2. *& simulatricibus conscientijs quiescit, & lasciuis, & luxuriosis mentibus delectatur*;hæc delectatio illi grata describitur in hoc euangelio, cum additur, quòd veniens in domum suam, (longa enim habitatione iam factus est eius possessor, & dominus) *inuenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam*;idest,ijs illecebris paratam,& ijs excultam, quæ illum ad libenter inhabitandum, vehementissimè inuitare possunt.hæc ornamenta,& hanc munditiem exposuit Incert. sub nomin. Emyss.qui de hac habitatione, ad quã immundus spiritus reuertitur, ita loquitur: *talem eam inuenit, qualem desiderat; inuenit eam malis scopis mundatam, & malis ornamentis ornatam; malæ scopæ,quæ virtutes pellunt,& vitia relinquunt, malæ scopæ, quæ pauimenta dissipant, & puluerem non eijciunt. Luxuria, fornicatio, voluptas &c. ornamenta diaboli sunt*. his illec ornamentis illectus, nõ tã hospitium, quam mansionem firmat in anima illius, qui his studet.vt ergo voluptatũ, & deliciarum ornamenta purgemus, & non diabolo immundum,sed mundum Deo habitaculum præparemus, aliqua de malis, quæ anima pp voluptates,&delicias patitur explicabimus.

Incert.

Beda.

Peccatoris conscientia, diaboli domus.

Incert.

2 Quanto enim magis diabolum vt ostendimus alliciunt hæ deliciæ,tãtumdem Deum expellunt, pro quo expendenda est primo historia quam refert Ioann.Euangelista cap.2. ℣.12. *descendit*, ait, *Iesus Capharnaum, ipse & Mater eius, & fratres eius, & discipuli eius; & ibi manserunt non multis diebus*.signanter notat Euangelista, quòd *non multis diebus manserit Iesus* cum suis *in Capharnaum*, nec absque mysterio, quod assequemur ex interpretatione huius vocis *Chapharnaum* nam vt ait Orig. homil.5. in diuers.*Capharnaum,seu Caparnaum interpretatur ager, vel villa consolatiõnis*; & Haymo, *Capharnaum*, inquit, *villa pinguedinis, vel pulcherrima interpretatur, seu ager consolationis*; significat inquam hæc vox locum summæ amænitatis, oblectationis, & deliciarum,& propterea obseruauit Christian. Druithm. Romanos Principes (qui plus reliquis, delicijs dediti fuerunt) in illam delectationis gratia secessisse.*Capharnaũ* inquit,*villa erat in Galilea,in qua Romani Principes soliti erant sedere*. in hoc itaque loco *Iesus mansit non multis diebus*;Vel quia vitæ huius fugacis consolationes non sunt diuturnæ,non permanẽt, imò citò fugiunt;vel potius, & ad rem nostram aptius, docere nos voluit Saluator, quòd in ijs, qui Mundanis delicijs oblectantur, ipse parum immoratur, & inhabitat; sunt enim indigni illius diuina præsentia, cum hæc sint non Dei sed Diaboli oblectaméta S. Thom.in Catena ex Chrysostom. *neque enim*, inquit, *Capharnaum miraculum vllum operatus est, qui enim Ciuitatem habitabant illam non se habebant ad Christum: sed erant valde corrupti, ideo tamen accedit, & parum ibi trahit tempus,propter eum,qui ad Matrẽ erat honorem*. Collige ex hoc, quasi dedecus inferendum Virgini Deiparę, si in *villa consolationis*,& *agro terrenarum deliciarum* cõmorata diutius fuisset;adeo virginalis, purusque ille animus, mundanas delicias auersabatur, & cælestibus tantùm delicijs recreari poterat, terrenis omnibus abdicatis. vnde velim (Deiparæ exemplo) discãt

Deliciæ mundi Deum pellunt.

Ioan.

Capharnaum interpretatur villa consolationis Haym.

Christian Druit.

Prĩcipes in locis deliciarũ morantur

Consolationes huius vitæ non diuturnæ.

Iesus cũ deliciosis non moratur.

S.Thom.

B.V. delicias non patitur.

Ecclesiast loca deliciarum vitent.

Ecclesiastici, quàm indecorum, & indecens illorum instituto sit, illic diuersari, ac conspici, quo publicè ad relaxandos, seu perdendos animos confluūt, non sine ipsorum sæcularium scandalo, qui in nobis damnant, quod in se plaudunt. sed hoc obiter. Eandem rationem, cur Christus in Capharnaum pa um moratus fuerit, adducit etiam Orig. *Capharnaum*, inquit, *interpretatur ager consolationis; videntur autem, qui Capharnaum ducti sunt, non capere diuturnam apud se Iesu præsentiam; quoniam illuminationem, quæ de pluribus dogmatibus est, inferioris consolationis agellus non capit, cum paucorum capax existat.* sed melius fortasse dixisset, quod ideo humanarum consolationum agellus Christum non capit, quia iam diabolum recepit, eique mūdam, & ornatam domum præparauit ad habitandum.

Orig.

Consolationes Dei non capiūt

3 Sed vide, quid Christi, & diuinæ illius protectionis, ac beneficentiæ præsentia, in ijs, qui *Capharnaū*, idest loca deliciosa inhabitant, operetur; *puer* enim *Centurionis, ibi iacet, in domo paralyticus* (vt narratur Matth. 8.) idest, inhabilis ad quæcumque munia, & officia peragenda; ad cuius similitudinem anima, quæ peccato seruit, & inter delicias voluptatibus obsequitur, in ægritudine iacet. Hinc S. Thom. in Caten. ex Hilar. *iacentes autem*, inquit, *in sæculo, & peccatorum morbis dissolutæ spiritualiter gentes, æstimandæ sunt, omnibus vndiq; membris fluidis, & ad consistendi officium, gradiendique corruptis.* non solùm iacet quod ægritudinis, vel diuturnæ est, vel lonticæ; sed etiam *paralysi* laborat anima in *Capharnaum*, seu *in villa deliciarum, & agro consolationis.* sic sensit Incert. sub nomine Eus. Emyss. *spiritus noster*, inquit, *iacet in domo paralyticus, iacet in carnis habitaculo vitiorū morbo superatus; & male torquetur; hic Superbia fatigatur, hinc Auaritia arctatur.* sed quid mirum. si *in loco deliciarum, oblectationis, & amenitatis villa* langueat, & grauiter torqueatur paralyticus? eneruant enim deliciæ animam, virtutes interimūt nimiæ oblectationes, & quod carnē prolectat, infirmat, neque languorem tātum affert, sed vix non extinguit, nam Luc. cap. 11. ℣. 2. dicitur, quòd *Centurionis seruus male habens, erat moriturus*; & certè mortuis, delicatos comparauit etiam Senec. epist. 47. *esse aliquem*, inquit, *qui vsque eo delicijs interierit, vt an sedeat alteri credat? non est ergo otiosus hic, aliud nomen imponas; æger est: imò mortuus est*; in quibus verbis videtur expressisse illud Apostoli 1. ad Timoth. c. 5. ℣. 6. de muliere loquentis: *nam quæ in delicijs est, viuens mortua est.* Talis anima in paralytico præfiguratur; est enim paralysis resolutio, seu dissolutio membrorum, cui ægritudini, vitiosos etiam Arist. comparauit: quemadmodum enim paralytici, si velint se ad dexteram mouere, lassatis, & resolutis membris, coguntur ad sinistram inclinare, vel è contra; ita qui propter voluptates laborant hac animæ paralysi, non iam ita sui iuris esse videntur, vt quod vellēt operari, possint bonum.

Matth. In delicijs lāguet anima.

S. Thom.

Deliciæ eneruant animum.

Luc.

Senec.

Deliciosus quasi mortuus.

1. ad Tim

4 Pondera quæso pro Assumpti veritate, duæ Sacræ Scripturæ loca, in cortice apparenter dissona: in re verò, & sensu valdè cōsona. Sponsa Dei anima, noctis quietæ tempore, Deum sponsum suum in lectulo, in quo iacebat, pluries quæsierat, nec inuenerat, Cant. 3. ℣. 1. *in lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni.* E contra de Patriarcha Iacob dicitur Genes. 28. ℣. 11. *Cùmq; venisset ad quēdam locum, & vellet in eo requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus, qui iacebāt, & supponens capiti suo, dormiuit in eodem loco:* iacet igitur, & dormit ibi Iacob; effectum tamen satis oppositum sponsæ experitur: subdit namque statim Sacer textus ℣. 12. *Viditq; in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos*

Cant. Sponsa Deū quærit, nec inuenit inter delicias.

Genes.

Iacob. Deum nō quærit, & reperit.

quoque

quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scale &c. sponsa in lectulo iacēs, etsi pluries quæsierit, nec habuit, nec reperit Deum. Iacob verò in suo strato dormienti Cælum panditur, Angeli, imò & Angelorum Dominus fit obuiā, & secreta diuina aperiuntur. Indaganda propterea est diuersitatis ratio, & causa. Hanc à me excipe. Spōsæ lectulus, delicijs fruendis erat accommodatus, ideò in illo Deum non inuenit: vnde paulò ante dixerat, cap.1.℣.16. *lectulus noster floridus*: congruenter verò terrenæ deliciæ, & temporalia commoda, *lectuli* significatione exprimuntur: nam Samaria, & Damascus, quæ delicijs, diuitijs, & bonis omnibus erāt abundantissimæ, pinguesq; regiones, *lectuli*, & *plagas* inferentis *lectuli* metaphora describuntur. Amos.3.℣.12. *Sic eruentur filij Israel, qui habitant in Samaria in plaga lectuli & in Damasci grabato:* ideo fuit Cyri Persarum Regis dicterium: *hominum mores, ad regionis habitum immutantur, & mollis, & fertilis regio, molles, & ignauos reddit homines*: propter illorum locorum incolas, quasi plagatos Propheta describit: *in plaga lectuli*. At verò Iacob non in lectulo florido, non in deliciarum strato, sed humi cubans; pro molli ceruicali, lapidem capiti supponens, Deum etsi non quæsitum inuenit, & habet, & cælum totum aperitur: propterea factum puto, vt lapidem illum, quem capiti supposuerat, inunxerit, quasi ex Dei misericordia, & ex lapide illo, tanti priuilegij dignationem emanasse iudicauerit: quapropter subdit Sacer textus ℣. 18. *surgens ergo Iacob manè, tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundens oleum desuper &c.* q̄ fecit, vt lapis ille, qui delicijs arcē̄dis, suppositus fuerat capiti, tali vnctione insignis esset; & signo eo à cæteris loci lapidibus secerneretur, tamquam tanti beneficij, & doni medium, & instrumentum, quod innuisse videtur Procop. *quare*, inquit, *oleo perfundit lapidem? scilicet vt eum oleo quasi quadā nota à reliquis distingueret, vt eum, reuersus ex Mesopotamia, reperire posset*: quasi deuictum se confessus lapidi illi, macerationis, & pœnitentiæ instrumento, & ad Deum possidendum medio; quem propterea semper secum habere volebat.

Deliciæ Deum auferunt.

Cant.

Fertiles regiones in malū mores mutant.

Amos. Deliciæ, plagas animæ inferunt. Cyri Regis dicterium.

Iacob delicias declinanti cæli panditur.

Procop.

5 Aliquid humanæ fragilitatis in Sancto Elia reperio, dùm fugiens Iezabel, suam sequens voluntatem, etiā aliqua corporis commoda, & delicias requirebat 3.Reg.19.℣.3. *timuit ergo Elias, & surgens abijt quòcumque eum ferebat voluntas &c. proiecitque se, & obdormiuit in vmbra iuniperi*: itineris labore, & calore lassatus Elias, ad iuniperi vmbrā se recepit, vt aliquam corpori tribueret refrigerationem. Sicut etiam de Iona Propheta legimus cap.3.℣.5. *Et egressus est Ionas de Ciuitate, & sedit contra Orientem Ciuitatis: & fecit sibimet vmbraculum ibi, & sedebat subter illud in vmbra, & præparauit Deus hederam, & ascendit super caput Ionæ, vt esset vmbra super caput eius, & protegeret eum: laborauerat enim: & lætatus est Ionas super hedera lætitia magna.* Cautior tamē Iona fuit Elias: hic namque ad *iuniperi* arborem refugit, vt sub vmbra illius suauiter quiesceret: iuniperus enim (vt ait Plin. lib.8. c.25.) ex materia est cariei nō obnoxia. *Hedera* verò, sub cuius vmbra obdormiuit Ionas, à carie, vermibusque facilè abroditur, & exiccatur: quapropter ne sub vmbra *hederæ* quoquo modo Ionas deliciaretur, ait Sacer textus ℣. 7. *& parauit Dñs vermem ascensu diluculi in crastinū: & percussit hederā, & exaruit, & cùm ortus fuisset sol, præcepit Dñs vento calido, & vrenti: & percussit sol super caput Ionæ, & æstuabat, & petiuit animæ suæ, vt moreretur &c.* Quia verò Eliæ *iuniperus* cariei corrosionem non timebat; vt illas vmbræ, qualescumque delicias, declinaret, ait Scriptura, ℣.5. *proiecitq; se, & obdormiuit in vmbra*

Elias aliquales requirit delicias. 3.Reg.

Ionæ.

Ionas corporis commodis indulget.

Plin. Iuniperus à carie nō patitur. Hedera vermibus obnoxia.

Ionæ, & Eliæ minima etiā corporis commoda Deus prohibet.

iuniperi: & ecce Angelus Domini *tegit eum, & dixit illi: surge:* surrexit Elias, & comedit: *& rursum obdormiuit*, in eadem vmbra. *Reuersusque est Angelus Domini secundò, & tetigit eum, dixitq; illi surge &c. & ambulauit vsque ad montem Dei Horeb. cùmque venisset illuc, mansit in spelunca*. in quæ verba S. Ambros. lib. de fuga sæculi cap. 6. *fugit*, inquit, *Elias, & fugit ad montem Horeb, quod significat exiccationem, vt siccaretur in eo carnalis profluuium vanitatis, & cognosceret plenius* Deum. vermis, exiccando hederam, abstulit vmbram deliciarũ Ionæ. Angelus præcipiẽdo Eliæ, vt ab vmbra iuniperi discederet, exiccauit in eo profluuium vanitatis: cognouitq; in illa spelunca pleniùs Deum; quẽ etiam alloquutus est, vt ibi habes. vide ex his quàm caueat Deus ne terrenis delicijs, & commodis se dent serui sui, sciens quanta sit illorum pernicies, & ideo legis spõsam non sub vmbris deliciantem quærere sponsum. Cant. 1. ℣. 6. *indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie:* sub ipso solis feruentiori æstu, non sub vmbra quærit Deum; ait enim Plin. lib. 2. cap. 73. & lib. 7. cap. 2. & docent communiter Astronomi, *in illa Arabiæ parte, quæ vergit ad Indiam, in meridie, Solstitij tempore nullam adesse vmbram*, an illuc se duci postulat anima, deliciarum auersatrix? in molles enim, & ignauos fuit Adagium: *neque compluitur, neque sole aduritur*, in eos dici solitum, qui procul ab omni incommoditate, vitam agerent.

S. Ambr

Cant.

Plin.

6 Temporalium deliciarum damna, quæ in domo mundata, & ornata tolerantur docet nos Ieremias 31. ℣. 21. 22. *Reuertere virgo Israel, reuertere ad Ciuitates tuas istas: vsquequo delicijs solueris filia vaga?* Quo loco primo notandũ est ly *reuertere*, quod ideò dicitur ei, quæ *delicijs dissoluta erat*, quia delicijs impedimur, ne ad Deum, à quo recessimus, per conuersionem redeamus; vnde Sanctus Tho-

Ierem.

Deliciæ conuersionem ad Deum impediunt.

S. Thom.

mas: *hoc*, inquit, *dicitur quantum ad illos, qui absorpti delicijs Chaldæorum, in terram promissionis reuerti nolebant: qui rectè propter mollitiem, mulieres vocantur:* terra autem Chaldæorum, præsens est sæculum: & terra promissionis, cœleste est regnum, secundùm Expositores eo loco. Deinde ad propellendas delicias, ait Propheta: *statue tibi speculam*, hoc est, vt exponit S. Gregor. Pap. lib. 22. moral. cap. 15. diuina, & cælestia contemplare: *vt dum quisque*, inquit Gregor. *speculatur sũma, superemineat infimis*. Addit Ieremias, *pone tibi amaritudines*, suauitates, videlicet, dulcedinesque terrenorum commodorum, & deliciarum deserens, quod orantis animæ proprium est, vti dicit Apostolus 1. ad Timot. 5. ℣. 5. *instet obsecrationibus, & orationibus nocte, & die: nam quæ in delicijs est, viuens, mortua est:* igitur non est in mundi delicijs (licet diuinas experiatur dulcedines) qui orationi deditus est, quas Dei Spiritus docet contemnere. Vel ad contritionem peccatorum his verbis vocatur, vnde Sanct. Hierony. *hoc*, inquit, *indicat quòd flere debeat antiqua peccata, & tota ad Deum mente conuerti*.

S. Greg. Pap. Specula est oratio

Oratio delicias contemnere docet. Timot. 1.

S. Hieron

7 Verba verò, quæ magis huic loco faciũt, ea sũt: *vsquequo delicijs dissolueris filia vaga?* Obserua ꝙ *deliciæ dissoluunt:* propterea in *Capharnaum, Villa cõsolationis, & deliciarũ* benè dr̃ Matth. 8. *paralysi* laborare puerum Centurionis: *iacet paralyticus:* namq; *paralysis, dissolutio*, seu *resolutio* est membrorum, aut neruorum; redditq; paralyticum ad omnem motum inutilem. Hæc eadem verba expendens Sanctus Hieronymus, inquit, *Vbi nos diximus, vsquequo delicijs dissolueris: Symmachus posuit: vsquequò demergeris in profundum*, qui sensus delicatè viuentibus congruit, qui voluptatibus sese ingurgitant: vnde idem erit: *delicijs dissolui, & in profundum demergi:* quod maximum peccatorum cumulũ, excessum, & habituationem significat,

Deliciæ dissoluũt animam.

S. Hieron Deliciæ in profundum demergunt.

iuxta

Prouerb. iuxta illud Prouerb. 18. ℣. 3. *impius, cùm in profundum venerit peccatorum cõtemnit: sed sequitur cum ignominia, & opprobrium*, vt inde dignosceres quanta sint deliciarũ, & temporalium commodorum damna, & mala. Vnica compendiaria ratione cuncta quæ diximus, testatus est Sanct. Chrysost. lib. de compunctione cordis: *sicut*, inquit, *impossibile est, vt ignis inflammetur in aqua, ita impossibile est compũctionem cordis vigere in delicijs: cõtraria enim hæc sibi sunt inuicem, & peremptoria: illa enim mater fletus, hæc mater est risus, illa cor constringit, ista dissoluit:* extinguit enim deliciarum aqua diuini ardoris, & charitatis ignem.

S Chrys.

8 Ideò factum vt Spiritus sanctus in sacris litteris, quasi cõtra distinguat, & tamquam opposita secernat sanctarum virtutum ornatum, vitæque perfectionem, à terrenis delicijs, & commodis: quapropter Eccle. cap. 7. ℣. 11. *melius*, inquit, *est nomen bonum, quàm vnguenta pretiosa*. per *nomen bonum*, *fama bona* intelligitur, quæ ex virtute proficiscitur, tamquam odor, & redolentia ex vnguẽto, & suaui olẽti oleo. At verò per *vnguenta*, terrenas *delicias* intelligit, ea ratione quia in conuiuijs, & lautioribus epulis, vnguentorum erat vsus: vnde Athenæus lib. 15. *tradit*, inquit, *Philosophus, apud Syros in epulis Regum, vbi data sunt coronæ conuiuis, ingredi quosdam cum vtriculis vnguenti Babylonij, qui procul mensam circumeuntes, accumbentium coronas eò irrorant, aliud præterea nihil conspergentes:* hinc vnguenta inuenta ad voluptates, & delicias maiores, quibus vngebantur omnes corporis partes, iuxta Athenæum lib. 15.

Eccle. Fama, virtutes. Vnguẽta, terrenæ sunt deliciæ. Athen. Vnguento ad delicias totum corpus vngitur. Athen.

Lauat is cum aureo quodam solio: vnguento
Aegyptio pedes linit, & crura,
Phœnicio buccas, & vbera;
Sisymbrino vero vtrumq; brachiũ;
Amaricino supercilium, & comam;
Serpellino ceruicem, atque genua.

Cui cõsuetudini se conformarunt fortasse voluptuosi luxuriantes illi Sap. 2. ℣. 7. *vnguentis nos impleamus, & non prętereat nos flos tẽporis: coronemus nos rosis &c.* Et generaliter dixit Olimpiodor. *vnguẽtum, deliciarum symbolum.* Ex his sensus verborũ Ecclesiastis est: *melius est nomen bonum*, idest: *virtutes meliores sunt, quam vnguẽta*, hoc est, *quàm deliciæ*, etiam si *regales*, & *pretiosæ* deliciæ sint, & exquisitæ; has verò, vt diximus, tamquam contra distinctas, & virtutibus repugnantes adnotauit Sapiens: consistere .n. nequeunt virtutes delicijs obuallatæ, faciliq; negotio delicatus Christianus à diabolo superatur; cui fauet illud Senecę epist. 53. *in primo puluere deficit vnctus, & nitidus*, hoc est, primo prælio, & hostis aggressione cedit, & labitur *vnctus, & nitidus*, idest, delicijs deditus, vti exposuimus.

Sapient. Olympiod. Virtutes, vt meliores à delicijs distinguuntur. Delicians facilè à diabolo superatur.

9 Rectè autẽ terrenæ deliciæ per *vnguenta* denotantur; odorata namq; amara sunt, & gustui iniucunda: ita & deliciæ sæculi, animæ; imò & corpori ipsi insuaues: vnde Plin. de odoratis dixit lib. 2. cap. 7. *odorato sapor raro vlli non amarus; è contrario dulcia rarò odorata*, deliciæ mundi aromatibus suauoolentibus ideò assimilãtur, amaritudinem namque admixtam habẽt, quæ in corpus, & animam refunditur. Delicijs refertæ videntur nuptiæ, sed amaras fuisse Annæ dicitur 1. Reg. 1. ℣. 10. *cùm esset Anna amara animo, flens largiter &c.* luxuriantes, delicias æstimãt Veneris voluptates; dicitur tamen Prouerb. 5. ℣. 4. *fauus distillans labia meretricis: nouissima tamen illius amara quasi absynthium.* Et de omni deliciarum genere, quod à mulierum associatione proficisci potest dicitur Eccli. 7. ℣. 26. *inueni amariorem morte mulierem.* Quæ non deliciæ cõuiuijs, & epotationibus? Sed de his dicit Isaias 24. ℣. 8. *Cum cantico non bibent vinum, amara erit potio bibentibus eam.* Quam dulcis propria voluntas, suamque explere cupiditatem; hoc tamen amaritudinem habet, Iob. 20. ℣. 12.

Odorata, nõ sapida. Plin. Deliciæ, corporis, animæq; amaræ. Nuptiæ amaræ. 1. Reg. Libidines amaræ. Prouerb. Eccli. Conuiuia amara. Isai. Voluntas propria amara.

cùm

cùm dulce fuerit in ore eius malum, abscondit illud sub lingua sua: panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus. Cuncta vno complexus est verbo Salomon Eccle. 2. ℣. 25. *quis ita deuorabit, & delicijs affluet vt ego?* sed ait ℣. 11. *vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi.* Illa verò deliciarum amaritudo maior, quòd à Deo separãt, animamq; inficiũt: Ierem. 2. ℣. 19. *scito, & vide quia malum, & amarum est reliquisse te Dñm Deum tuum:* hæc autem in eam iaculantur, de qua ibidem dicitur ℣. 7. *induxi vos in terrã Carmeli, vt comederetis fructum eius, & optima illius,* & ℣. 20. *Dixisti nõ seruiã in omni enim colle sublimi, & sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix,* conuiuijs, epotationibus, & villarum amenitatibus data mollis mulier, vt delicijs afflueret; rectè à Deo elongationem, & corporis, animæque amaritudinem patitur.

Omnia mundana amaritudine plena. Eccle.

Ierem. A Deo separat amaræ deliciæ.

10 Ne homines improborũ felicitate decepti, illos emulentur, virtutem deserentes: edidit Sanctus Dauid Psalmum 36. inter cæterea, ne illorum inuideremus commodis, & delicijs, inquit ℣. 3. *spera in Domino, & fac bonitatem, & pasceris in diuitijs eius*, hoc est; spem in Deo fige, & ne deseras viam veritatis, & bonitatis tenere, virtutemque colere; sic enim faciens, Dominus pascet te in huius vitæ bonis, & mundi diuitiis: *pasceris in diuitijs eius.* Nota, sæculi huius bona, pascuis comparati: *pasceris &c.* pecudum enim more vult Deus suos se habere in rerum temporalium vsu, & esu, quæ herbas dentibus præcidunt, comedunt, vellera adaugent, quibus vestiuntur: attamen herbarum radices solo hærẽt, iterum germinant, vt cæteris iumentis erumpant in pascua: ita & quæ mundi sunt, quasi olera virentia nobis traduntur, vt in illis pascamur: *pasceris in diuitijs eius*; illud ex rebus temporalibus sumendum, non quod ad delicias sit, sed quod victus, & vestitus exigit ratio. Tunc verò *bonitatem facies*, idest, iustus, perfectusque eris, quando *pasceris*, hoc est, quando ex mundi huius rebus illud tãtum sumes, quod pascuæ satis est. Quòd si hos excesseris limites & ad deliciarum vsum terrena cõuerteris, à spe in Deum, totus terræ affixus, decides, bonitatemque facere, & viam veritatis tenere non poteris. Apta quidem similitudo, & metaphora satis mundanis rebus accomodata; diuitias, honores, dignitates possides: ad necessitatem, non ad luxùm illis vtere, quasi pecus, aut ouis *pasceris* in illis, quantum dẽtibus præcidas ad victum, & lanis cooperiaris, sume; sciens interim dignitates, honores, diuitias relinquendas, vt in illis alii, postquam tu vita excesseris, depascantur: perpetua namque hæc tibi esse non possunt, neque radicitus à te euellenda, sed successione temporum, successio ad alios fertur; qui & ipsi etiam pascãtur, quousque mors, aut fortuna depascat eos.

Psalm.

Res temporales, ad necessitatẽ non ad delicias vsurpandæ.

Pascuorũ similitudine explicatur.

Deliciæ auferunt bonitatem

11 Simile est quod colligo ex Genes. cap. 4. Cùm enim Cain fratrem suum Abel occidisset, ait ℣. 14. *Ecce eijcis me hodie à facie terræ.* Quibus verbis innuit terram non producturam sibi in abundantia fructus. Et quidem rationabiliter hoc suspicabatur; dixerat enim illi Deus ℣. 11. *Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua, cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos &c.* Sic exponit Rupertus: *non ergo*, inquit, *Deum sibi iratum graue putat, sed timet, ne agricolari sibi non liceat, ne terram, quam solam amat, pro admisso crimine perdat.* Et Caietanus. *Eiectio*, inquit, *à facie terræ est in hoc, quòd terra non responderet ei secundùm vim suam.* Et Auctor Catenæ apud Lippoman. *ac si dicat*, inquit, *abstulisti à me fructus terræ.* Illud verò notandum, quòd hanc fructuum penuriam, & terræ sterilitatem, per illa verba explicat: *eijcis me hodie à facie terræ*, vel *à superficie terræ* (vt legunt alii.) Non dixit: *eijcis me à terra*, sed *à facie*, seu *super-*

Genes.

Superficiẽ tãtum rerum habemus.

Rupertus.

Caiet.

Lippom.

ficie

ficie terræ, quasi possideret id, quod terra in superficie germinaret,& ex soli facie colligeret, ipsa terra immobili permanente, deuoluenda (cursu temporis) ad alios possessores. Quod & de diuitiis reliquis, de dignitatibus, & honoribus quoque intelligendum est; de quibus apparentem illam faciem, & superficiem tantùm sumimus, iuxtà Saluatoris nostri dictum Matth. 6. ℣. 16. *exterminant facies suas, vt appareant hominibus*, hoc est, vt honorati, spectabiles habeantur, & extrinsecam illam venerationem consequantur.

Matth.

12 Vt autem scias,quod hoc loco dico,non meum esse commentum,sed Sancti spiritus cælicam doctrinam, audi quod dicitur Genes.9.℣.1.2.3. *Benedixitq; Deus Noe, & filijs eius. Et dixit ad eos: crescite, & multiplicamini,& replete terram. Et terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cæli, cum vniuersis,quæ mouentur super terram: omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt,& omne quod mouetur,& viuit,erit vobis in cibum*: ostenditur,hoc loco,Dei beneficētia ergaNoe,& filios illius:concedit illis vsum omniū rerum tēporalium,quæ rectè denotantur per omnia quæ in Elementis sunt,in aqua scilicet,terra,& aere:nam,in ignis Elemento non est, quod vsui esse possit: præter concessionem omnium rerum sublunarium: dignitates, & honores, eosq; præcipuos tradidit; id enim important verba illa: *& terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia*,vt exponunt Lyran. S.Gregor.Pap. lib.21. moral.cap.11.Glossa, & Alii. Sed his dictis, subdit statim Sacer textus: *quasi olera virentia tradidi vobis omnia*: quasi diceret Deus Noe, & filiis eius, omnia vobis tradidi,cunctorum dominos vos effeci: præcipuo insigniui honore,quasi Reges, ac Principes constitui, quibus timor, & honor deferatur: verumtamen scitote, quòd *quasi olera virētia tradidi vobis omnia*, res ipsas, bona,& animalia omnia,imò & principatum, gloriam, & honorem impertitus vobis sum, vt in illis quasi in *oleribus virentibus* veluti pascamini, dentibus quantum opus est præcidatis, vestiamini, & tandem necessaria desumatis ouium more;non ad delicias,& voluptates, aut ad corporis superflua cōmoda. Cui expositioni allusit S. Ambros.lib. de Noe, & arca cap. 25. *sicut olera*, inquit, *pabuli dedi vobis omnia, non olera omnia dedi vobis ad escam*, sed ea tantùm, quæ necessaria sunt, & ex illis illam partem,quæ sufficit: *vtantur igitur*, subdit Ambros. *qui vtuntur carne*,tamquam *oleribus*,*non ad distensionem*, idest non ad satietatem, plenitudinem,& voluptatem. Ne verò perpetuum, æternumq; illorū dominium apud vos permansurum putetis; cogitate tamquam olera vobis illa profutura,quorum excerpto fructu, radices solo fixæ permanent,aliis reproductura,vt diximus,Vobis dico terrarum dominis; vobis Ecclesiarū Prælatis; *quasi olera virentia tradidi vobis omnia*, vt inquam in illis pascamini:*pasceris in diuitijs eius*, non vt illa radicitus euellatis,ad vos trāsferatis,& in domo vestra apud vos,vestrosq; plantetis. Vassallorum, aut Ecclesiarum bona stabilia, aut census opulentissimos non ad luxum tibi, & tuis ad possessionem vsurpes,& relinquas: *quasi olera virentia* tibi sint vt *pascaris*, idque tibi satis sit. Alio sensu. *quasi olera virentia tradidi vobis omnia*, ad ostendendum inconstantiam, breuitatemque rerum omnium temporalium, illarumque exitum facilem, & celerem, iuxta illud Psalmi 89.℣.6. *mane sicut herba transeat mane floreat, & transeat, vespere decidat, induret, & arescat*. Sed de hoc aliàs, interim cæpta prosequamur.

Genes.

Terrore, principatus exprimitur.

Lyran. S. Greg. Pap. Gloss.

Mundi bona omnia, per olera denotata.

Ex rebus mundi necessaria tantum sumenda.

S. Ambr.

Res temporales nō diuturnæ.

Inconstātia rerum temporalium.

13 Quàm maximè eneruent animum deliciæ, & virtutum robori obsistant, ostendit nobis Spiritus sanctus eleganti sanè figura in præclaro illo certamine Philisthæi,& Dauid;de quo ait Scriptura 1.Reg.17. V.42. *ibat au*

Deliciæ eneruant animum.

tem

tem Philisthæus incedens, & appropinquans aduersum David. *Cùmq; inspexisset Philisthæus, & vidisset Dauid, despexit eum*, iam cōgressuri erant, nec extimuit Philisthæus Dauid, imò irrisit: reddit autem rationē Sacer textus, cur adeò cōtempserit Philisthæus Dauid, vt dixerit ℣.44. *veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cæli, & bestijs terra*, eamq; assignat: *erat enim rufus, & pulcher aspectu*, notanda particula, *enim*, quæ formaliter causalem importat, ac si diceret. ideò *despexit eū, quia erat rufus, & pulcher aspectu*. Sed numquid rufo, & pulchro viro inesse nequit fortitudo, & vigor, & robusta membra ad bellandum? credidissem debuisse dispicere, & contemnere Philisthæum Dauid, quia sine armis aduersus ipsum processit; deposuit enim galeam æream, & loricam, & gladium, quæ Rex Saul illi dederat, sed tulit tātummodo baculum, & quinque lapides, vt dicitur in historia: nihilominus non propter hæc, sed *quia erat rufus, & pulcher aspectu, despexit eum*: non fatuum, sed prudentem propter hoc Philisthæum existimes velim: rectè iudicauit bellatoris vires, artes, ac robur pulchro, ac rufo viro adesse non posse; qui enim excolendæ pulchritudini, irrufandis capillis, candori pingēdo student, feminiles, mollesque habent animos, istique ad pugnam siue cum visibili, siue cū inuisibili hoste, ac dæmone, ineptissimi, ac segnes sunt, & primo prælio, vel cedunt, vel cæduntur, & corruunt, quòd si non artificialis, & exculta sit hæc pulchritudo, sed naturalis, & emanans: eam retinere delicati est animi, quā deliciæ, & voluptates nutriunt; quam militares labores non admiscent, imò excludunt, nam incultos, ispidos, asperos reddunt homines: videns ergo Philisthæus Dauid decora facie, irrufatis capillis, nō prælijs assuetum, sed delicijs emollitum putauit, ideò *contempsit eum*, & primo ictu fore à se expugnandum non dubitauit. similiter qui delicijs domum suam diabolo ad habitandum adornant, infernali inimico contemptibiles, & viles fiunt, & facile victoriam de ijs se sperat reportaturū, audi quàm benè huic expositioni faueat Sanct. Chrisost. homil. 1. in epist. secundam ad Corinth. *qui terrenis*, inquit, *voluptatibus affluit à quibusuis arripi, & expugnari potest, ac perinde ei accidit, atque illi, qui imbecillibus armis instructus est, ac vel leuissimo ictu sauciatur*. Et Senec. epist. 53. *in primo puluere deficit vnctus, ac nitidus*. hac de causa diabolus qui prius exierat ab homine, per pænitentiam expulsus, sine resistentia ad eundem redit; quando inuenit domū animæ delicijs ornatam.

Despicitur Dauid à Philisthæo, quia rufus, & pulcher.

Pulchritudinem excolens, feminiles habet vires.

Delicijs deditus à visibili & inuisibili, hoste expugnatur.

S. Chrys.

14 Vndè sancti viri, Dei lumine illustrati, in arcendis delicijs, & corporis commodis, & oblectationibus contemnendis, non parùm desudarunt. Recole historiam, quam refert Lucas cap. 15. de duobus filijs illius Patrisfamilias, frugi inquam, & prodigo. Recesserat à Patre, & ad maximam impietatem accesserat adolescentior prodigus filius, in se reuersus tandem, & conuersus, ad patrem est regressus: lætatus pater filij repentino aduentu, ad seruos suos ait ℣. 23. *adducite vitulum saginatum, & occidite, & mãducemus, & epulemur: & cæperunt epulari*. Addit statim Sacer textus: *erat autem filius eius senior in agro: & cùm veniret, & appropinquaret domui, audiuit symphoniam, & chorum: indignatus est autem, & nolebat introire*. Scio, loci huius, non vnam tradi à sanctis Patribus expositionem; cur inquam filius hic frugi, & senior audita symphonia, & choro, lætantium, & exultantium instrumentis musicis, & vocibus, & quòd in domo patris epularum erat apparatus, *nolebat introire*. Causam hanc ego existimo, quia in domo patris delicias aduerterat, nimirum vocum, & instrumentorum modulationes, & conuiuia, quarum deliciarum non habebat consuetudinem, imò detestatus fuerat illas maximè, vnde dicebat ℣. 29. *numquam*

Luc.

Luc.

Delicias auersantur Dei serui.

dedisti

dedisti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer: propterea *nolebat introire:* sciebat enim quæ detrimenta spiritus, animæq; feruori afferant deliciæ, & voluptates, ideò nec domum illam (etsi patris, ac propriam) in qua alij deliciabantur, intrare voluit. Probat hanc expositionem satis dilucidè Sanctus Thomas in Catena expendēs adducta Lucę verba: *maior igitur filius,* inquit, *sicut agricola insistebat agriculturæ, non terrestrem, sed animæ agrum fodiens, & salutis arbores inserens, scilicet virtutes. Vel erat in agro, hoc est, in mundo, colens propriam carnem: vt repleatur panibus, & seminans in lacbrymis, vt in gaudio metat:* totus ergo carnis, & corporis mortificationi addictus, cantilenis, conuiuijs, voluptatibus se non miscet, vnde subdit Sanctus Doctor: *sed cognitis gestis, nolebat intrare ad commune gaudium;* quod in domo patris erat solemne.

S.Thom.

15 Dubitabat fortasse ne ijsdem illum diabolus illecebris caperet, quibus olim primos nostros parentes, & tentauit, & vicit. Curiosa quæstio est, cur diabolus Euam tentaturus, serpentis opera vsus fuerit, qui fædus adspectu, & horridus, magis alienare poterat mulierem à præstanda dictis suis fide, quàm illam ad subeundum laqueum diabolico astu paratū allicere. aptius adhibuisset pulcherrimum Pauonem, variegatis rutilantis caudæ coloribus spectabilem, aut canorum Cygnum, dulcisonis cantibus auditū prolectantem: enimuerò persuasurus mulieri, *quod* (Genes. 3. ℣.6.) *bonum esset lignum ad vescendum, & pulcbrum oculis, aspectuque delectabile,* simili instrumento ad faciendam persuasionis fidem vti debuisset. Sed nimirum nimis quàm verum est, quod toto hoc capite adstruere conati sumus, delicias, vt cumque accedant, semper esse noxias; & sensim in hominum animos irripere. Has nouerat serpens blandicijs alliciendo obijcere, ideo eius maximè ministerio, tantum hoc humanæ perditionis opus perficiendum sibi facile putauit callidissimus noster hostis. Ad hoc confirmandum est auctoritas Procop. in cap. 3. Genes. qui neq; ijs animalibus, ex quibus alimenta homini conficiuntur, qualia sunt oues; neq; ijs, quæ illi adiumento sunt, cuiusmodi sunt Boues, & Equi vti voluisse diabolum affirmat, sed deliciosis tantum, & voluptuosis, quo facilius id consequeretur, quod intendebat: *Quoad animalia bruta,* ait Procop. *tres babebantur differentiæ; quædam alebant hominem, quædam iuuabant, eique quasi ancillabantur; quædam verò eum quasi insigniter exhilarabant, & oblectabant, suaui vocis modulamine, & varijs imitationibus.* ex his omnibus, hoc tertium genus maximè aptum ad nocendum iudicauit inimicus; & ex ijs animalibus, quæ sub hoc tertio genere continentur, serpentem selegit, *quia bomo* (subdit Procop.) *maximum solatium capiebat ex serpente; quia mirabiliter varias res imitari poterat; nec non mirabiliter norat blandiri, & adulari, licet nunc nobis sit infestus: eo ergo vsus est diabolus ad id malum.* deliciosis itaque serpentis illecebris humanum omne genus cecidit, e summo innocentiæ fastigio hac arte deiectum. neque hoc tantum malum, sed alia etiam passim deliciæ afferunt, vnde addit præterea Procop. *solent enim familiæ semper destrui, & subuerti ob domesticorum malitiam, & perfidiam:* in quibus verbis aulici, & domestici callido illi serpenti comparantur, qui, vt diximus, domesticus præ cæteris animalibus, primis nostris parentibus extiterat, quia blande se in dominorum animis insinuant, & nouissimè mordent vt coluber; cutis nitorem præferunt, sub qua mortale virus latet; blanditias ostentant, ibi *mirabiliter norat blandiri;* sed lethaliter lingua trisulca feriunt. istorum perfidia, & malitia familiæ destruuntur, & pereunt. hoc obiter insertum, dum delitiosos arguimus, vt cauti red-

Cur sub serpentis forma diabolus primos aggressus sit parentes.

Genes.

Delicias ministrante vtitur diabolus ad tentandum.

Procop.

Deliciosa, non proficua instrumenta sūt ad peccatum.

Procop.

Blandæ & adulatoria capiunt homines.

Procop.

Domestici, & aulici domos destruunt

dantur qui domesticos, & familiares sibi iungunt.

Sacer tex.

Adbuc eo loquente ad turbas; ecce mater eius, & fratres stabant foris, quærentes loqui ei, &c. ecce mater tua; & fratres tui foris stant.

CAP. V.

Principes, & præcipuè Ecclesiastici, à cõsanguineorum nimio amore temperent.

1 Hristi Domini *fratres*, qui in hoc loco recẽsẽtur, & extra domum erant, in qua ille docebat, & arguebat Iudæos, sicut Euangelica narrat historia, absque dubio vt ait gloss. ordinaria, *sunt consobrini eius, filij Mariæ materteræ eius, quæ dicitur Maria Iacobi minoris, & Ioseph, & Iudæ, & Simonis*; quia vt ait S. Hieronym. hoc in loco: *nos fratres Domini, non filios Ioseph, sed consobrinos Saluatoris sororis Mariæ materteræ domini filios intelligimus: quæ esse dicitur mater Iacobi minoris, & Ioseph, & Iudæ, quos in alio Euangelij loco, fratres domini legimus appellatos. fratres autem, consobrinos dici, omnis scriptura demonstrat.* Cum his etiam venerat Maria, Domini Iesu Mater; vnaque simul perrexerãt, vt Dominum quærerent; quem, cum intra quandam domum prædicantem reperissent, & patris opera exercentem, ingredi minime potuerunt, propter hominum, qui ad audiendam Iesu concionem conuenerãt, multitudinem, vt ait Luc. 8. ℣. 19. *Venerunt autem ad illum, mater, & fratres eius, & non poterãt adire eum præ turba*; & confirmat Marc. 3. ℣. 31. *& veniunt Mater eius, & fratres; & foris stantes, miserunt ad eum vocantes eum, & sedebat circa eum turba*: quæ impediebat illis accessum; imo etiam ingressum.

Glosſ.

Fratres Domini appellãtur illius consobrini. S. Hieron.

Luc.

Marc.

2 Verum ad moralem sẽsum est nobis considerandum, quid ex hac repentina, & importuna fratrum, & consanguineorum Domini aggressione, pro nostra vtilitate possimus excipere; dum circumsedente Dominum innumera turba, in ipso prædicationis feruore, deturbare alloquentem non verentur, nec illius sermonem interrumpere, quo eum ad se foras euocent. hi profectò videntur typum gerere cõsanguineorum, qui sæpius importunè Ecclesiasticos, suis muneribus, & curæ animarum vacantes, propter sua priuata, & domestica negocia, atque vtilitates, interpellare non dubitant, imò audacter eos ad se venire iubent, vt in Euangelio dicitur; *dixit autem ei quidam &c.* ideo non tam istorum suorum consobrinorum, quos verè diligebat; quam eorum, qui per istos denotabantur importunitatem, & contentiones ægreferens Dominus, perinde, ac si illos non agnouisset; nec illis ad se intus aditum, aut accessum dedit; nec ipse ad eos egressus est; imo quasi subiratus respondit; *quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Viderant isti Christum Dominum in maxima esse apud omnes existimatione, & fama; totius populi cor ad ipsum inclinare; quare hanc eum coram turbis conueniendi occasionem nacti, volebant se ipsos, tamquã Dñi cõsanguineos manifestare; vt apud populũ, tamquam tanti viri propinqui, spectabiles euaderent; & honores, ac vberiora temporalia commoda lucrarentur. Quod rerum, ac cordium scrutator, & cognitor Deus aduertens, ad se intus minimè aduocauit, neque ad illos diuertit; imò tacitè increpauit, &

Sæculare Ecclesiasticos auocant à fa-

vix non eorum affinitatem abnegauit: sic docens, & erudiens Ecclesiæ ministros, & Prælatos, ne studeant propinquos suos propius sibi admouere, imo potius illos a se quantum fieri potest remouere, vt verè de illis dicatur; *mater tua, & fratres tui foris stant*; non apud te, non tecum, sed *foris*. saltem affectu si non corpore. eruit hunc sensum S. Thom. in Caten. Matth. 12. ex Chrysost. *vide autem*, inquit, *& fratrum eius elationem. cum enim deceret eos ingredi, & audire cum turba: vel si hoc nō vellent, expectare finem sermonis, & tunc eum adire: hi extra eum vocant, & coram omnibus hoc faciunt, & superfluum honoris amorem ostendentes, & mostrare volentes quod cum omni potestate Christo aliquid iniungunt &c.* de verbi Dei propagatione minima illis cura erat; quomodo populus conuertatur, instruatur, & ædificetur non cogitant Christi Domini consanguinei, vnum tantum spectant, quemadmodum ipsi mundanos honores, & bona temporalia acquirant; hunc finem vbi sibi proposuerunt, nō temporis, nec loci habita ratione, dūmodo appetitui suo indulgeant, nihil præterea pensi habent; nec æstimant, quam grauiter Dei ministri errent, si propter mundana, relinquant cælestia animarum lucra, & quæstus Deo gratissimos; ideo nec permittunt Christo absoluere inceptam prædicationem; *sed adhuc eo loquente &c.* quæ verba ad hunc eundem sensum ponderans Chrysost. subdit. *Quod & Euangelista ostendit, hoc ipsum obscurè insinuans; cùm dicit adhuc eo loquente; ac si diceret; numquid non erat tempus aliud? vnde manifestum est, quoniam solum ex vanagloria hoc faciebant*. nota, q; non satis est propinquis Ecclesiasticorum, ac Prælatorū, ad ea quæ mundana apud eos sunt intēsa inhiare cupiditate, sed ipsam eorundem potestatem sibi assumere satagunt, ac ipsorum constitui Dominos, ideo ait Chrysost. *mostrare volentes, quod cum omni potestate, Christo aliquid iniungunt*; quasi ipsi, iam rerum potiti, imperent, sicque in ipsorum potestate, Ecclesiasticorum voluntatem, quoquo libeat, permouere.

Exemplo Domini, Ecclesiastici deb'it consanguineos à se remouere

S. Thom.

S. Chrisost.

3 Hanc veritatem, quantumuis obstinati, & increduli, Hebræi agnouerunt; Dei nimirum ministrum, an verè ex Deo sit, potissimum in hoc cognosci, si Dei opera, ac ministeria, si gregis, & Ecclesiæ curam; carni, ac sanguini, & parentum præferat affectibus; vnde adnotauimus etiam in litterali huius euangelij expositione, quod callidè Christum tentantes, illum de aduentu Matris certiorem fecerunt, exploraturi; num apud eum magis valeret caro, an spiritus; paterna, an materna cognatio; quod etiam considerans Glos. ordin. hoc in loco; *dixit autem ei quidā*, inquit, *ecce mater tua, & fratres tui, &c. insidiosè dixit, vtrum spirituali operi carnem præferat, & ideo se nosse dissimulat* (Christus) *matrem & proximos per cognationem; non recusat obsequia matris, sed præfert ministeria patris. fratres non contemnit, sed opus spirituale præfert cognationi, vt & nos spiritum carni præferamus*; & Beda. *nō simpliciter*, inquit, *vt æstimatur, sed cum dolo matrem, & fratres suos foras stare perhibebat* (nuncius scilicet ille, de quo ait Euangelista; *dixit autem ei quidam* &c.) *cupiens explorare vtrum præponeret maternum affectum prædicationis officio: volens experiri, vtrum operi diuino affectum carnalium præferret propinquorum; vnde prudentissimè, se matrē nosse dissimulat, vt ostendat se potius cognoscere, & amare eos, qui per cognationem spiritus propinqui sunt.* & paulo post. *sed dominus*, inquit, *Dei patris ministeria, maternis præponit affectibus*. sciebant perfidi Hebræi, quam facile sit ministros Dei, carnali affectu ductos, diuina posthabere, vt illi obsequantur; ideo callidè Christū tentabant, vt intelligerent, num apud ipsum maius pondus haberet ministerium Dei, an humanum obsequium.

Glos.

Dissimulat Iesus nosse se Matrem, dum cælesti Patri ministrat.

Beda.

Christian Druith.

vnde *iste*, (ait Christian. Druithm.) *qui ei hoc nunciauit, tentando faciebat, vt videret, si terrestribus cælestia præponeret, & desereret prædicationem, propter carnalem cognationem*; cui similia dixerat Hieronym. in hoc Euangel. maxima ergo tentatio est Ecclesiasticorum, ac Prælatorum si consanguineos (quos reliquerũt iubente Dño; Luc. 14. num. 26. *nisi quis reliquerit patrem, & matrem* &c. *nõ potest meus esse discipulus*) nimis diligant; & peccatum graue Dei ministeria relinquere, Ecclesiæ regimen negligenter tractare, census Ecclesiasticos male collocare; derelicto Dei, & Ecclesiæ cultu, affinium, & consanguineorum commoda quærere, qui longè ab eis, & *foris stare* debent; Christi magisterio edocti, qui, vt ait Euthy. Zigab. *docuit quod præponendum iudicet perditorum* (idest peccatorum, quibus prædicabat) *salutem, parentum, ac consanguineorum obsequio*; & S. Thom. in Caten. ex Ambr. *non hic*, inquit, *Mater negatur, quæ etiam de cruce agnoscitur, sed necessitudini corporali, præscriptorum cælestium forma præfertur.* & Hierony. in hoc Euangel. in Catena D. Thom. *non ergo*, inquit, *iuxta Marcionem, & Manichæum matrem negauit, vt natus de phantasmate putaretur: sed Apostolos cognationi prætulit, vt & nos in comparatione dilectionis, carni spiritum præferamus, nec maternum refutat obsequium pietatis, de quo præceptum est, Honora patrem tuum, & matrem tuam. sed paternis se ministerijs, vel affectibus, amplius quam maternis debere demonstrat*; vt vel sic exemplo suo præiret Ecclesiæ Prælatis, & Dei ministris; quos si cognati à rerum diuinarum ministerijs intempestiuè velint abducere, ita debent his respondere, sicut respondit Christus; *qui sunt sũt fratres mei, & quæ est mater mea?* quasi dixerit, nullos cognosco consanguineos, qui me à diuinis possint auocare muneribus, atq; ita se veros Dei ministros esse probabunt.

Instruit Iesus Prælatos, ne nimium suos diligant.

Euthym.

S. Thom.

S. Hieron

Spiritualis cognatio carnali præferenda.

4 Hos autem, non solum hic instruxit Saluator, sed pridem in veteri lege erudierat, quales desideret Sacerdotes in Ecclesia, tales instituens in Synagoga Leuitas. Deutor. 33. Moyses, priusquam moreretur, benedixit singulis tribubus Israel, cum igitur ad Leuitas peruenisset, ℣. 8. 9. *Leui quoq; ait, perfectio tua, & doctrina tua, viro sancto tuo; quem probasti in loco tentationis*; & profecto hæc, & sequentia huius benedictionis verba, vt quæst. 3. in d. cap. notat Abulens. sicuti ad totam tribum Leui, ita ad omnes sacerdotes extendi possunt. ijs benè tribuit, perfectionem, & doctrinam; quia in duabus sacerdotis vestibus inscriptum erat, *Vrim, & tummim*; *vrim* significat *illuminationem*, siue *doctrinam*; *tummim, integritatem*; siue *vitæ perfectionem*; quæ duo vulgatus rem ipsam, nõ verba secutus, *perfectionem, & doctrinã* nominauit. Leuitis itaq; & sacerdotibus Moses à Deo precatur *vrim, & tummim*, perfectionẽ, & doctrinã, ad quẽ sensum propius accedit Chaldaica Paraphr. *perfectione*, inquit, *& lumine induisti virum qui inuentus est sanctus corã te*. sed in quo apparuit hæc perfectio, & doctrina? aut quibus argumentis probare quis potest, se illam iam fuisse consecutum? profecto in eo, quod dixit Saluator, significans quantum præferret terrenis cælestia: *quæ est mater mea, & qui sũt fratres mei?* nam similem affectum laudans in Leuitis Spiritus sanctus, statim subdit de Leui. *Qui dixit patri suo, & matri suæ nescio vos, & fratribus suis ignoro vos, & nescierunt filios suos*. isti sunt veri Leuitæ, dignissimi quorum sacrificia propitiatus Deus respiciat, quia cum consanguineis egerunt tamquam cum ignotis: *Hi custodierunt iudicia tua, pactum tuum, & eloquium tuum seruauerunt*. sed quem fructum ex hac religiosa diuini eloquij cura, & custodia consecuti sunt? Dei propitiationem, & munerum ab ipsis oblatorum acceptationem: *ponent thymiama in furore tuo*

Deutor.

Abulens.

Quæ maximè requirat Deus in Ecclesiasticis

Veri Ecclesiastici consanguineos ignorant.

& ho-

& holocaustum super altare tuum. his adduntur etiam aliæ benedictiones ℣. 11. *Benedic Domine fortitudini eius, & opera manuum illius suscipe; percute dorsa inimicorum eius, & qui oderunt eum non consurgant*; quæ ad litteram de Machabæis (vt quidam volunt) dicta & verificata; multo verius in veris nouæ legis sacerdotibus effectū suum sortiuntur.

5 Eiusdem separationis à superuacuo consanguineorum affectu, figuram legimus Sapient.18.℣.24. *In veste enim poderis, quam habebat, totus erat Orbis terrarum: & parentum magnalia, & magnificentia tua in diademate capitis illius sculpta erat.* Sermo hic est de summo sacerdote Aaron; cuius vestes, quales esse deberent, describitur, & sigillatim præcipitur Exod. 28. vbi obseruandum, quòd sacrarum vestium quædam erant Pontificis propriæ, quædam vero illi cum sacerdotibus communes; quia Pontifices (sicut & hodie apud nos) solebant vti vestibus sacerdotum; ita Ioseph lib.3. Antiq.cap.8. Philo lib. 3. de vita Moysis; & Beda lib.3. de tabernac.& vasis eius. erant itaq. decem ornamenta summi Sacerdotis; ex quibus, quatuor pertinebant etiam ad Sacerdotes inferiores: primum, fæminalia linea, quæ nos fæmoralia dicimus; secundum, tunica de bysso facta, & dupla per totum; tertium, baltheus; quartum, Tiara, seu Mitra, quæ operiebat caput. his quatuor quintum superaddebat summus sacerdos, vocabaturque tunica poderis, eo quod vsque ad pedes porrigeretur. his tegebat corpus. habebat superhumerale supra pectus, & scapulas, cui adiungebat Rationale, quod non erat noua vestis, sed ornamētum superhumeralis. cingebantur hæ vestes cingulo, qui dicebatur baltheus, in capite gestebat mitram iacinthinam super aliam mitram byssinam; nec non etiam laminam auream pendentem in fronte, in qua erat nomen Dei *Tetragrammaton* inscriptū. igitur qn̄ Sapiēs ait: *in veste.n. poderis, totus erat orbis terrarum, & parentum magnalia &c.* intelligitur de extrema, & exteriori veste, quæ sūmi sacerdotis tegebat corpus, vt clarius colligit Exod.28. multa hoc loco obseruo ad moralem sēsum, & eruditionem nostram. vestes comparantur amicis, & cōsanguineis, quia tam hi, quàm illæ nos ab iniurijs tuentur, & amiciunt. habet itaq; ita ex Dei mandato summus Sacerdos, & Pontifex Aaron, non vt interiori veste, & quæ carnem tangit, vel carni proxima est, & corpus immediatè ambit, sed in exteriori, & quæ à carne, ac corpore magis distat mundum descriptum: *in veste enim poderis totus erat orbis terrarum*; mundana namq; & terrena, quantum fieri potest, longe à se remoueat oportet, qui Deo vult dignè famulari; consanguineos, mundanos, quantum carne coniuncti sunt, tantundem affectu à se separet; sic etiam parentes, *& parentum magnalia*, nobilitatis æstimationem, consanguineos, & carne coniunctos non sibi intrinsecus copulet; sed in exteriori veste habeat, pro externis reputet, quasi ipsum non attingant, sed in exteriori tantum veste sint sculpta; quæ sicut vltima est quando induimur, & prima quando vestibus exuimur; ita vltimum, quo vestitur Sacerdos & postremo loco cogitat debet esse temporalium consanguineorum affectus; primum verò quod abijciendum est, dum ad inseruiendum Deo præparamur, dum de diuinis rebus, & de salute animarum cogitamus. Rationem similem reddit S.Hieronym. epist.127. ad Fabiolam: *vt Pontifex*, inquit, *non solùm pro Israel, sed & pro vniuerso mundo roget, & non pro liberis; ac parentibus, & propinquis, sed pro cuncta creatura, & voce, & habitu precaretur*; imo vltimo loco pro sibi coniunctis, ideo prius *totus orbis terrarum*; deinde *parentum magnalia*, commemorantur.

6 Neque mysterio vacat, in ea

Sapient.

Illustratur Salomon.

Pōtifices sacerdotū vestibus vtebātur. Ioseph. Philo Hebr. Beda

Vestes sacerdotum veteris testamenti.

Consanguinei vestibus cōparati.

Affectus erga consāguineos debet esse temperatus in Ecclesiasticis.

S.Hieron

veste

veste summi sacerdotis, in qua *totus erat orbis terrarum* ibi parentum nomina, & insignia fuisse posita; cur etiam non in alijs vestibus sacris? cur non in lamina aurea, in qua & nomen Dei erat, & in capite gestebatur? Spiritus sancti doctrina ad nos erudiẽdos fuit: quod parentes, & consanguinei Prælatorum terrenis addicti, parum curãt ibi inscribi, & in ijs esse, quæ Dei sunt; quomodo Ecclesia gubernetur, ornetur, decoretur, ministretur, minime ipsis curæ est; sed ibi esse malunt, vbi totus mundus est; quasi totum mundum cogitatione, & desierio deuorẽt: *in veste poderis totus erat orbis, & parentum magnalia*; solum mundum, & quæ mundi sunt perquirunt, vt si possibile sit totum orbem consequantur. Insuper in eadem *veste poderis* erant tintinnabula, & mala punica Exod. 28. ℣. 33. *deorsum verò ad pedes eiusdem tunicæ, per circuitum, quasi mala punica facies* &c. *mixtis in medio tintinnabulis, ita vt tintinnabulum sit aureum, & malũ punicũ*; tintinnabula opes sunt per quas sonus editur, & diffunditur gloriæ, & famæ nomen: sicuti mala punica, quæ purpureo colore rubescunt, & coronas gestant, sunt dignitatum symbola; in eo ergo loco malunt esse parentes, & consanguinei, vbi mundi gloriam, honores, & coronæ sunt; hæc à Prælatis propinqui expetunt; pro his student, & laborant. ad pedes tunicæ obseruant mala punica; quia dum Prælatis osculari pedes, eosq; venerari videntur, ibi gloriam tãtum, dignitates, & gradus quærunt, sicubi in fine vestis aurea tintinnabula diuitiarum, & mala purpurea honorum reperire possint solliciti.

Cosanguinei Prælatorum terrena tantum curant.

Exod.

Seculares gloriam, & honores ab Ecclesiasticis consanguineis, quærunt.

7 Erat autẽ lamina aurea in fronte summi sacerdotis, in qua Dei nomẽ ineffabile, *Tetragrammaton*, scriptum erat. Exod. 28. ℣. 36. *facies & laminã de auro purissimo, in qua sculpes opere cælatoris, sanctum Domino, ligabisque eam in vitta hiacynthina, & erit super Tiaram, iminens fronti Pontificis* &c. de qua etiam dicitur Sapient. 18. ℣. 24. *& magnificentia tua* (idest nomen tuum maximum) *in diademate capitis illius erat scripta*. omni quidem iure primus in homine locus, præcipuè verò in Sacerdote, & Præsule Deo debetur; ideo eius ineffabile nomen, & magnificentia in capite inscribitur, vbi mens, & ratio, sensus, ac phantasmata resident; in exteriori vero veste totus orbis fit; ibidem parentes, & coniuncti: dummodo in Deum feratur intellectus, ac voluntas, quibus Deus præsidens describitur, veluti arcis custos; quia enim *totus erat orbis* circa Summum Pontificem, *& parentum magnalia*, ne quid humanum in præsulis mentem irreperet, Deus ipse eius sibi custodiam assumit; ideo in capite sacerdotis, Dei nomen ponitur. Idem quamuis alijs sub inuolucris, Ethnici significauerunt; nã apud Isiacos sacerdotes ritus fuit (vt docet Alexand. ab Alexand. genial. dier. lib. 2. cap. 8.) canem supra caput deferre, vt etiam colligitur ex Apul. 11. Metamor. rationem illam fuisse suspicor, quia canis est *custodia* hieroglyphicum, vt ait Plat. lib. 11. de Rep. & Pier. Valer. lib. 5. ea est enim canis natura, vt erga familiares, & notos sit mitissimus, at verò aduersus exteros ferocissimus, etiam si nihil mali ab eis sit perpessus. ergo in capite sacerdotis canis ponitur, veluti custos diuinioris partis, & mentis, ne aliqua terrena cogitatio, vel mundanum desiderium adueniens irrepat, & quæ Dei, & animæ bona sunt clanculum surripiat. vt oblatret (canis ponitur in capite) mordeatque quodcumque præter Deum mentem velit possidere. si tentatio aliqua, aut irrationalis motus mentis fores pulsauerit per aures, vel oculos aditum quærens illico huius custodis latratu repellatur, & dentibus sancietur, donec ab incepto desistat. de hac re in figura dicitur Numer. 18. ℣. 5. *excubate in custodia sanctuarij, & mi-*

Exod. Lamina in fronte veteris sacerdotis.

Sapient.

Mens Ecclesiastico rũ Deum debet continere.

Deus custos mẽtis sacerdotis Alex. ab Alex. Apul.

Pier.

Diuina tãtum, mẽs Ecclesiasticorum debet cudire.

Numer.

nisterio altaris &c. *tu autem*, (ad Aaron sacerdotem loquitur) *& filij tui custodite sacerdotium vestrum, & omnia, quæ ad cultũ altaris pertinent, & intra velum sunt &c. si quis externus accesserit, occidetur.* Orig homil. 16. in Numer. *mandantur*, inquit, *obseruari non solùm ea, quæ foris sunt, sed præcipuè quæ intra velum sunt; quasi cura sit sacerdotibus euidentia diuinæ legis mandata implere, & mysteria abscondita omni perspicacia intueri, & tabernaculum testimonij cor dicemus.* cuius etiam cordis symbolum vult fuisse altare. Erudit quoque nos ad idem visio Ezechielis 10 ℣ 18. *& egressa est*, inquit, *gloria Domini à limine templi, & stetit super Cherubim, & eleuantia Cherubim alas suas exaltata sunt à terra coram me.* Cherubim, super quæ gloria Domini stetisse dicitur, sacerdotes fuisse exponit Theodor. quæst. 3. in Ezech. *arbitror*, inquit, *quia in templo hanc vidit visionem; iccirco præpositam faciem vituli vidisse; quando hoc ad typum sacerdotij sumptum est;* igitur gloria, seu maiestas Domini super sacerdotes stetisse dicitur. dicuntur autem sacerdotes Cherubim; quia Cherubim Angeli sunt scientiæ, quales esse debent sacerdotes Osee. 4. ℣. 6. *quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi*; quid prætereà? *& eleuantia Cherubim*, idest *sacerdotes, alas suas, exaltata sunt à terra*; sacerdotes, qui Deum manibus, ore pectore portant; non conglutinentur carni, & sanguini, eleuentur à terrenis, despiciant mundana infra se posita, *exaltata sunt à terra*, superna, & cœlestia semper intueantur, & ad illa properent.

Sacra custodire debent Ecclesiastici. — *Origen.* — *Ezech.* — *Theodor.* — *Scientia necessaria sacerdotibus.* — *Osee.* — *Ad cœlestia eleuari debent Ecclesiastici.*

8 Non erat prohibitum Iudæorum sacerdotibus per legem Moysis vxorem ducere, & consequenter liberos ex illis habere, vt ex veteri testamento est notissimum; si verò Alexan. ab Alexand. lib. 2. Genial. Dier. cap. 8. credimus, apud aliquas gentes cautũ erat ne sacerdotes per filios iurarent: *Pontifici maximo*, inquit, *per liberos iurare, non licebat, per Deos autem permissum fuit*; quam consuetudinem refert quoque Seruius lib. 9. Aeneid. referens illud Virgil.

Alex. ab Alex. — *Per filios iurare vetitum sacerdotib.* — *Virg.*

Per caput hoc viro, per quod pater ante solebat.

Neque tamen ideo hoc factum existimo, quasi maior veneratio, & cultus filijs exhibendus sit, quàm Deo; irrationabilis enim & præter omnem ordinem fuisset lex ista; vt qui dijs immolabant filios, maiorẽ se filijs, quàm Dijs venerationem exhibere profiterentur, sed quoniam per ea iuramus, quæ nobis sacra, quæ amata, quæ cara, & cordialia magis sunt, quæque perdere sũmopere formidamus; per Deos potius, quàm per liberos iurare Pontifici Maximo permittebatur, quia magis Deus, quàm liberi, illi sacer colendus, & amandus erat. quam credulitatem præstari posse crederemus dicto illius, qui per ea iurat, quæ parui æstimat? & quia longè magis Deos, quàm filios æstimare, & colere debebant, & chariores habere, quibuscumque sanguine coniunctis; propterea per Deos iurare poterant, non per liberos. ita debẽt Ecclesiæ præsules, magis Deũ, quam quoscumq; consanguineos æstimare.

Magis amare Deũ quã liberos debent Ecclesiastici.

9 Vulgatus nimis, sed quia ad rẽ nostram est apprime accomodatus, ideo non prætereundus locus Luc. 1. ℣. 69. *& erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui.* Christus Dominus hoc in loco per *cornu* intelligitur; *quia*, inquit, Origen. *de semine Dauid, secundum carnem, natus est Christus. vnde dicitur, cornu salutis nobis in domo Dauid: sicut & alibi dictum est: vinea facta est in cornu, idest in Christo Iesu*; Cur autem nomen *cornu* Christo Saluatori, & Dei filio imponitur? congruentius enim fortasse fuisset nomen *ossis*, quod totius corporis solidamẽtum est; ossibus enim omnis mẽbrorum compaginatio innititur, regitur, & fundatur, quæ si etiam quoad

Luc. — *Orig.* — *Christus cornu salutis cur dictus.*

mini-

minimam partem auferas, vel labefactes, tota corporis structura destruit. rationem tamen cur potius cornu quã ossis symbolo exprimatur Dei minister, & regnum eius, reddit S. Thom. in Cat. ex Beda. *Cornu salutis*, inquit, *regnum Saluatoris Christi vocatur. ossa siquidẽ oĩa carne inuoluta sunt; cornu excedit carnem, & ideo cornu salutis regnum Christi vocatur: quo mundus, & carnis gaudia separantur: in cuius figuram Dauid, & Salomon cornu olei sunt, in regni gloriam consecrati*. non *os* quodcumque est Christus, & regnũ eius, quod carne, & sanguine consanguineorum sit inuolutum, & septum, aut proprijs commodis affixum, sed *cornu* nulla carne circumdatum, etiam si sit à carne progenitum. hæc erit regula ad dignoscendum verum Dei ministrum: si à carne seiunctus instar cornu emineat, non intra carnem lateat. & benè non solum Christus in persona, sed & *regnũ eius, cornu* dr; ab Orig. quia non solum præsul, & Dei minister solutus debet esse à carne, sed & *regnum eius*; si quæ habet bona, possessiones, & Ecclesiasticos census; non sint hæc ossa, carne. i. cõsanguineis obuoluta, non circunstent ea familiares, domestici, & propinqui; sed sint *cornua* omnino ab huiusmodi carne separata, nullam cum eis portionem habeant; ideo bene dicitur; *ecce mater tua, & fratres tui foris stant*.

S. Thom.

Ecclesiastici instar cornu sint à carne, & carnalib. ppinquis seiuncti.

Bona Ecclesiastico rũ cognatis non cõmunicanda

10 Propterea cornuum insignia ijs tantum concessa legimus, qui omnem à se abiecere carnem, & parentelam. sic dum legislator efficitur Moyses, & dux populi Dei; ex Dei mandato à populo auellitur, præcipuè a fratre Aaron, & nepotibus Exod. 34. ℣. 3. *esto paratus mane, vt ascendas statim in montem Sinai, stabisque mecum super verticem montis, nullus ascendat tecum*; ita ab alijs segregatus, cornibus veluti insigne decoratus est. ℣. 29. cũq; *descenderet Moyses de monte, tenebat duas tabulas testimonij, & ignorabat, quod cornuta esset facies sua, ex consortio sermonis Domini: videntes autem Aaron, & filij Israel cornutam Moysi faciem, timuerunt propè accedere*. Quod si aliquando fratri suo Aaron, & filijs eius iunctus est; nõ nisi ex Dei mandato hoc fecit; Exod. 28. ℣. 1. *applica quoque ad te Aarõ fratrem tuum, cum filijs suis*; & hoc vt in sacris ministrarent, & Deo famularentur, *vt sacerdotio fungantur mihi*; Ne verò permissum sibi putaret Moyses, quæcumque vellet ex bonis Dei, & populi, fratri elargiri, nepotibus, & propinquis communicare; quæ nam collaturus esset sigillatim Deus præscripsit. *facie sque*, inquit, *vestem sanctam fratri tuo Aaron in gloriam, & decorem*; non supefluas suppellectiles, non tapetia, non redundantes, & superbos ornatus, sed vestem, & hanc, *sanctam, idest* ait Lyran. *ad ministerium diuini cultus deputatam*. nihil redolens sæculare, & mundanum, *in gloriam, & honorem*, idem Lyran. *quia hoc cedebat ad gloriam Dei principaliter, & secundario ad honorem Aaron, & filiorum eius*; sed neq; in hoc ipsis honor quærebatur, vt hominibus; sed *inquantum erant mediatores inter Deum, & populum*; sic enim sunt honorandi.

Exod. Qui alijs diuina annunciare debet relinquat primos suos.

Quæ impartiri suis possint præsules.

Lyran.

11 Ponderanda est ad hoc historia, quæ habetur Luc. 2. ℣. 43. cum *remansit puer Iesus in Hierusalem, & non cognouerunt parentes eius. existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebãt eum inter cognatos, & notos*. humana, & cõmunis fuit sedulitas parentum Christi, inter propinquos, & carne coniunctos eum requirentium, vnde errorem hunc emendaturi; *non inueniẽtes eum, regressi sunt Hierusalem requirentes eum, & factum est, post triduum inuenerunt illum in templo*. nec sine quærimonia dixerunt. *fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*. quibus veluti indignatus Dominus, *ait, quid est, quod me quærebatis? nesciebatis, quia in his, quæ patris mei sunt oportet me esse*

Luc.

ex

ex qua Domini responsione oritur statim ratio dubitandi; reprehenduntur parentes, eo quod inter cognatos, & notos ipsũ requirebant, sciẽtes Christum in his, quæ Dei erant, oportere esse. numquid non poterat suum exequi ministerium; patris opera perficere, & inter cognatos, & propinquos esse? minimè quidem, aduersatur vnũ alteri, nequit Dei minister inter propinquos congruè suo vacare muneri, & exequi opus Dei, impeditur enim à carnalibus parentibus, ne opus Dei impleat. S.Thom. in Caten. Luc. 2. ex Orig. *non enim*, inquit, *inter cognatos, & propinquos inuenitur Iesus; neque enim poterat humana cognatio Dei filiũ continere.* sunt enim sanguine coniuncti veluti vincula quædam, quæ vinctum continent Dei ministrum, & ne liberè suum munus exequatur impediunt; quin propter eos plerumque perfectionem illam, quæ professioni, & ministerio debetur, contemnit, vnde idem S.Th. ibidem ex Græco exposit. *Dum enim*, inquit, *Mariã increpat Dominus, quærentem ipsum inter propinquos, omissionem vinculorum sanguinis apertissimè suggerit; ostẽdens, quod non contingit metam perfectionis atingere eum, qui adhuc vagatur in his, quæ corpori conferunt, & quod homo deficit à perfectione per affectum cognatorum*, præcidenda itaque sunt hæc vincula, exuendus immoderatus iste affectus properantibus ad perfectionem.

Inter cognatos impossibile vacare ministerio Dei.

S.Thom.

Consanguinei instar vinculi ministrorum Dei.

S.Thom.

12 Quicumque enim ab humana cognatione animo alienantur, & separantur, ij ad culmen perfectionis euadere possunt, à superuacuis carnalium cogitationum onerosis curis expediti. videtur hoc docere voluisse Dauid in Psalm. 131. ℣. vltimo dicens. *inimicos eius induam confusione; super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea*; quæ postrema verba alius quidam (referente P. Agellio) legit ἀφορισμὰ αὐτοῦ, idest *separatio eius*. eodem verbo expressit psaltes separationem, & sanctificationem, quia separatio hæc, de qua loquimur est, quæ nos sanctificat, & ad illam perfectionem, à qua inter parentes deficimus, deducit, & eatenus dicitur quid sanctum, & sanctificatum, quia separatũ, & segregatum. quamuis enim P. Agell. hæc verba exponat de separatione à mundo, dicẽs. *separatio eius. quasi insigne, quo indicatur Regem separatum, ac sacrum esse Deo, ei consecratum, à communi vita seiunctam: verè enim sanctitas, & cum ijs communicare, qui in mundo sunt difficile coeunt, vnde, qui sancti esse volunt, separant se à mundo*; tamen multo magis debet intelligi de his, qui arctius in mundo nos contingunt, & propiores sunt, cuiusmodi sunt cognati, qui propterea appellantur propinqui; à quibus affectu semoti esse debent ij, qui sancti futuri sunt, idest sacerdotes, qui Leuit. 21. ℣. 6. *Sancti appellantur. Sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen eius; incensum enim Domini, & panem Dei sui offerunt, & ideo sancti erunt*; non semel, sed bis sancti dicuntur, vt non simplicem, sed duplicatam in ijs sanctitatem requiri intelligant. hæc itaque maximè in illis separatio requiritur, quæ verã sanctificationẽ arguit. Notat ẽt idẽ P. Agell. quod illud idem nomen separatio conuenit laminæ aureæ, quæ in fronte sacerdotis emicabat. *vocabatur etiã*, inquit, *insigne sacerdotale, & lamina illa aurea in fronte sacerdotis hoc nomine; quod is quoque consecratus esset Deo, & eo habitu admoneretur, nihil humani illum cogitare debere*; in fronte igitur, idest, in cogitatione, & mente sacerdotum, & ministrorum Dei, per separationem, debet efflorescere sanctificatio, & emicare cogitatio de rebus diuinis: adeo vt, nec cogitent de consanguineis, nec ad humana respiciant; sed illud in mente assiduo voluant, esse se Deo consecratos, & addictos; in mente Deum, in exteriori veste mundum habentes, vt supra monuimus, & expositum in hoc Euange-

Psalm.

P. Agell.

Sanctificatio eorum qui à suis separãtur facilis.

Leuit.

Mente ẽt debẽt Ecclesiastici esse separati à consãguineis

lio Saluatoris nostri factū apertè docuit, cuius cognati foris stabant. intus verò, idest in mente, & cogitatione lamina aurea, in qua venerabile nomen Dei *Tetragrammaton* inscriptū erat; hoc etiam in animo præferebat Christus, dū in eius ministerio occupatus, mundanorum cognatorum quasi oblitus, dixit; *qui sunt fratres mei, & quæ est mater mea?* nomen Dei ab eius animo memoriam cógnatorum obliterauerat.

13 Modum autem, quo consanguineos in rerum administratione adhibere debent Ecclesiastici, visus est præscribere Spiritus sanctus in veteri testamento. pro quo velim considerēt sacrarum litterarum studiosi locum Numer. 20. in quo Deus populo contra se, & ministros suos, in maxima aquarum penuria ad seditionem commoto volens obsequi, vsus est Mosis, & Aaronis opera. sed in hoc facto illud diligenter expendendū, cur Deus voluerit, quod vterque frater Moses, & Aaron orarent Maiestatem suam in maxima illa populi commotione, vt dicitur ℣. 6. *ingressique Moyses, & Aaron dimissa multitudine, tabernaculum fœderis, corruerunt proni in terram, clamaueruntq; ad Dominum; &c* præterea super vtrumq; apparuit gloria, & splendor diuinæ Maiestatis, *& apparuit gloria Domini super eos*; vterque iubetur loqui cum petra, quæ datura erat populo aquas ℣. 8. *loquimini ad petram coram eis &c.* & tamē, cum Moyse tantum loquitur Dominus, & huic tantum dicitur *tolle virgam*; cur non dixit, *tollite virgam*; sicut dixit *loquimini ad petram*? Huius diuersitatis illa primum ratio occurrit, quia ministri, & executores diuinæ voluntatis, & veri superiores, qualis in hoc facto fuit Moyses, possunt consanguineos in orationibus, & precibus ad Deum, & in præstanda subditis populis auxiliarium aquarum copia, adsciscere, dummodo caueant, ne virgā iurisdictionis, & diuini ministerij alicui, etiam proximè coniuncto, communicent. Moyses tātum, Dei in hac re minister, tollat virgam, vterq; oret, vterq; petris, idest duris corde, loquatur ad eliciendam aquam, sed virgam vnus Moses tollat; iustitiæ administrationē incorruptus Dei, & sincerus minister teneat, nec eam fratres, vel propinqui attingant, aut è manibus euellant, Ecclesiæ patrimonium per blanditias extorquendo. Vel, magis etiam ad propositum nostrum, de viris Ecclesiasticis dicere malumus; quod non debuit Aaron virgam Mosis tollere; qua hic sæpius Pharaonem, & eius subditos percusserat; ea mediante cum sæcularibus viris egerat, Aegyptios reddiderat stupidos, & eorum diuitias Israelitis conciliauerat. ergo virgam, tot mūdanorum mirabilium operatricem, diuitiarum conciliatricem, quæ inimicos in mare submergit, non debet attingere sacerdos; Moyses tollat hanc virgam; Aaron sacerdos, potius oret pro populo, & illi aquas suis precibus, idest diuina beneficia poscat, sed hanc virgā non attingat, *tolle virgam, & loquimini ad petram*. non attingat, inquam, virgam illam; ex qua occasionem nanscisci possit suos ditandi, in rebus mundanis proficiendi, sæculares prosperitates acquirendi, inimicos profligandi; magis curet corruere in terram per veram humilitatem, exclamare ad Dominum per feruentem orationem, vt sic super eum appareat gloria Domini.

14 Volebat Dominus Abraham seruum suum magnificare, & extollere, vt cum eo adimpleret promissiones illas, quas cum eo pactus fuerat; ideo Genes. 12. ℣. 2. dixit illi; *faciam te in gentem magnam*; quæ numero sit æquatura stellas cæli, & arenas maris, honoribus, & diuitijs nulli futura impar, prosperitatibus, & lætis successibus multis superior, *& benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisq; benedictus* hæc igitur tā profusè promissa, quo labore consequetur Abraham?

Numer.

In spiritualibus sæculares possunt præsto esse Ecclesiasticis.

Ecclesiastica auctoritas sæcularibus nō communicanda.

Ecclesiastici ad diuitias cōparandas minimè possunt intenti.

Genes.

Remunerat Deus spiritualiter recedētes à consāguineis

ham? num graue aliquod bellum suscipiendo,num terras,& nationes exteras sibi subiugando? absit. hæc tot, tantaq; beneficia, recedendo à cognatis obtinebit; vnde ibidem in principio cap.dicitur.*egredere de terra tua, de cognatione tua, & de domo patris tui.*dictus fuit Abraham Pater credentium,& iustorum,in quo habemus typum eorum omnium, qui vocantur ad perfectionem, & salutem; diuina itaque illi tradita præcepta animaduertere,& eius exempla sedulo imitari debent veri credẽtes, & ita demum existimare, fore se in gẽtem magnam, & potituros benedictione, si de terra,& cognatione sua egressi,vnius Dei mandata præ oculis habeant;ideo non tam de corporis, quã de animi egressione hæc voluit intelligẽda esse August. 16.de Ciuit. Dei c.15.citatus in Caten. Lippom. quasi dixerit illi Dominus,egredere de cognatione tua, idest affectũ erga cõsanguineos omitte,fac vt stent foris,nec animum tuum immoderatus iste amor occupet. & diligenter notandum, quod quamuis satis fuisset, illi præcipere, vt de terra, vel de domo propria egrederetur, tamen præterea additur etiam *de cognatione tua*, quia omninò cõsanguineorum affectus deserendus est properantibus ad diuinas vocationes adimplẽdas, propterea subiungitur, *& de cognatione tua*; animaduertit hoc Sanct. Ambros.lib. de Abraham cap.2.*satis*, inquit,*fuerat dixisse de terra tua: ibi enim erat exire de cognatione, exire de paterna domo: sed ideo addidit singula, vt eius affectum probaret, ne forte, aut imprudenter cepisse videretur, aut fraus aliqua mandatis cælestibus pararetur*;& cætera,quæ de hoc exitu addit S.Ambros. Ita institutus exitus, recipit vberes illos fructus, qui ibi cõmemorantur, *faciamq; te ingentem magnam &c.*& in maximã ipsius Abrahæ vtilitatem resultat: quæ fuit apta Caiet.obseruatio ad hunc locũ, *iuxta Hebr.* inquit, *habetur, vade tibi de terra tua.*tibi,idest pro tua vtilitate,ad tuum emolumentum, *vt significetur*, subdit Caiet. *quod ad ipsius Abrahæ vtilitatem præcipitur egressus de terra sua.*terra enim,& cognatio nostra,quęcumque nobis coniuncta sunt significant;ita D.Ambros.loco allegato.*ergo exire de cõuersatione terrena, & à sæcularibus oblectamentis, & superioris vitæ moribus, atque actis debemus.* Quod autem hic exitus Christianis, non tam corpore, quam animo præcipiatur colligo ex Dauidico Psalm. 44. ℣.11.vbi Deus fidelem animam sic alloquitur. *audi filia, & vide, inclina aurem tuam, obliuiscere populum tuũ, & domum patris tui*; quo facto iam nitidior reddita,diuinos obtutus excitabis ad contemplationem tui decoris; *& concupiscet Rex decorem tuum.* sed prius debes memoriam consanguineorũ foras relinquere, hoc enim est *obliuisci*; extra animum habere.

S.Aug. — S.Ambr. Deserẽda est carnalis cognatio. — Caiet. — Exire de cognatione est coniunctos relinquere. — Psalm.

15 Horũ Deus,& Rex noster decorẽ concupiscit,at verò, de ijs,qui dixerunt Psal.82. ℣.13. *hæreditate possideamus sãctuariũ Dei, idest* ait Hugo Card.*de his sæcularibusqui, vel minis, vel precibus obtinent suis consanguineis sãctuariũ Dei,idest* beneficia, vel præbendas, dicitur eiusdem Psalm. ℣. 9. *Deus meus pone illos vt rotam*, per quæ verba oppositum eorum, quæ Abrahæ promissa fuerũt significatum fuisse vult idem Hugo, idest varietatẽ, & æternitatem pænarum: quia rota, cũ sit circularis figuræ,nullibi habet finem, cum contra Abrahæ, æternitas successionis, & prosperitatis fuerit promissa. *pone illos vt rotam*, quia, quanto magis volunt in his terrestribus rebus fundati, tanto minus in ijs possint cõsistere:*conuenienter*, ait Augustin.in Psalm. 82. ℣.11. *vt non sint in eo,quod cogitant stabiles*,quod etiã Orig.dicit hic *sic illos versa,& circum uolue,vt nulla sit quies, vt rota hac natura est versari, ac circumuolui*, ac si dicat quanto magis student in instabilibus rebus stabiliri,tanto(perinde ac

Psalm. — Hug.Car. — Sæculares ecclesiasticos reddi- tus affe- ctantes puniuntur. — S. Aug. — Orig.

rota volubilis, quæ in vno tantũ pũcto terrã attingit) fortunæ, rotæ insidẽtis inconstãtiæ subijciantur; Pier. lib. 39. Hierog. tit. *Mutabilitas. Deus meus*, inquit, *pone illas vt rotam, hoc est, tam facile fælicem eorum statum conuerte, quam volubiliter rota ipsa conuertitur*. vel postremo, *pone illos vt rotam*; quia rota in anteriori parte cadit, in posteriori eleuatur; ita isti, quamuis in externis bonis, quæ minora, & posteriora esse deberent (iuxta illud Matth. 6. ℣. 33. *quærite primum regnum* Dei, *& iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis*) eleuentur; tamen ab internis, & æternis, quæ semper deberent nobis esse anteriora, decidunt. contra verò de se ipso dicebat Paul ad Philip. cap. 3. ℣. 13. *quæ quidem retro sunt obliuiscens, ad ea vero, quæ sunt priora extendens me ipsum*. hũc psalmi sensum obscurè expressit Hugo Cardin. *in rota*, inquit, *quæ dum ex vna parte eleuatur, cadit ex alia*; sed clarius Pier. li. 39 tit. *Imperitorũ præcipitiũ* hunc psaltis locũ exponens: *rota*, inquit, *posteriore parte attollitur, anteriore cadit. posteriora sunt bona fortunæ, quæ, quia nostra non sunt, ea nobiscum transportare non possumus, ideoque à tergo relinquuntur; anteriora sunt æterna, & quæ nos assiduo comitantur; imo nos præcedunt, seque duces, quo progrediendum sit, exhibent. impurus igitur, & imperitus rerum, cum fortunæ bonis augetur, auersus retro faciem, quæ æterna sunt obliuiscitur; atque ita fit, vt anteriore parte neglecta, præceps eat, nam posterioris, quæ attollitur, videtur admiratione captus in quam rapiatur voraginem animaduertere nequaquam potest, atque ita præcipitatur*; quam etiam expositionem paucioribus verbis habes apud D August.

Pier. *Qui in rebus Ecclesiastic. euoluti sunt, dari decidunt.* *S. Matth.* *Qui Ecclesiastica cupiunt æterna bona amittunt.* *Philipp.* *Pier.*

16 Et meritò isti ita puniuntur, quia terrenis rebus addicti, Dei patrimonium non benè dispensant, quo pauperes, & egenos priuant. significatum hoc fuit Psalm. 104. ℣. 29. & seq. in quo, quanta animarum iactura se-

Terrenis addicti decidunt à diuinis. *Psalm.*

quatur ex hoc in ministris Ecclesiæ consãguineorum amore, quamuis obscurè, denotatur. *conuertit*, inquit Dauid, *aquas eorum in sanguinem*. aquæ sunt in diuinis symbolum diuitiarum, de quibus videtur intelligendus locus Ierem. 15 ℣. 18. *quasi mendaciũ aquarum infidelium*; quæ conuertuntur in sanguinem, idest in affectum, & amorem eorum, qui sanguine coniuncti sunt; ita exposuit hunc locum ad propositum nostrum Hugo Cardin. *conuertit*, ait, *aquas, idest diuitias, & sapientiam Prælatorum, & Ecclesiasticarum personarum in sanguinem, idest consanguineorum amorem*. sed quæ inde orta sunt populis dãna, aut præiudicia? *& occidit* subdit, *pisces eorum*: ex conuersione aquarum in sanguinẽ, sequitur mors piscium, idest subditorum, & pauperum, qui cum aquis illis sustentari debuissent, ijsdem conuersis in sanguinem, extinguuntur. *pisces Ecclesiæ*, ait Hugo, *sunt simplices, & pauperes, qui debẽt nutriri in anima aquis doctrinæ, & in corpore aquis diuitiarum, sed quia totum studium Prælatorum est ad promouendos parentes, & diuitiæ eorum ad ditandos consanguineos conuertuntur, ideo pauperes, & simplices moriuntur fame animæ, & fame corporis*. & in huius delicti pænam statuit illos vt rotam, idest affligit, & humiliat, vt exposuimus.

Ierem. *Vgo Card* *Male faciunt Prælati diuitias suas dantes cõsãguineis*

17 Quemadmodum contra cum ijs, qui propter cognatos diuinorum mandatorum custodiam non deserũt, indulgenter Deus agit. pro quo est summopere considerãdum, quod narratur 2. Paralip. cap. 18. de operibus Asa Regis, qui multa laudabiliter fecit quamuis in plerisque etiam deliquerit. præ cæteris verò dicitur ℣. 16. *Sed & Maacham matrem Asa Regis ex augusto deposuit imperio, eo quod fecisset in luco* &c. hoc fuit magnum, & cõmẽdabile facinus corã Dño, & diuinæ illius maiestati gratissimũ. pro cuius intelligentia sciendum, quod inhonesta hæc mulier, in augusto quodã specu-

2. Paralip. *Qui consãguineos nõ verentur, vt Deo cultum exhibeãt cõmendãtur*

cultum

cultum Idolorum instituerit, quorum cæremonias ipsamet obibat. Lyran. *Maacham fecerat specum, vt habetur. 3. Reg. 15. in quo colebatur priapus, in quo cultu ipsa præerat; ideo dicitur huiusmodi imperium angustum, idest striEtum*; ex hoc ministerio infami illam deposuit Asa filius, sublato inuerecundi Idoli turpissimo cultu, quem tantopere mater promouebat. Quoniam igitur nullo matris, & cognationis suæ habito respectu, imo illius turpi voluntati repugnando, solum Dei cultum sibi proposuerat, ideo gratissima fuit coram Deo hæc illius laudabilis operatio. Theodor. apud glos. *adeo*, inquit, *ardēter diuinas leges est amplexus, vt etiam Matrem suam, quæ maluit colere Astartem, regno priuauerit*. Quare conueniens fuit, vt vir ille, qui Dei cultum carni, & consanguineorum affectui prætulit, qui, vt Deo obsequeretur, materna neglexit dispēdia, & Deo inseruiēs turpia matris desideria, quibus multi obsequi solent, contempsit; singulari aliquo fauore à Deo remuneraretur. adeo enim matrem foras stare coegit, & adeo ab illius, & aliorū consanguineorū affectu seiunctus fuit, vt scriptura, ne matrem quidem illius appellet; ita ille ab eius amore recesserat, quasi oblitus, illam esse matrē. vnde Hieronym. in gloss. *idcirco*, inquit, *non dixit Maacham matrem suam, sed matrem Regis, quia non ambulauit viam rectam, sicut filius eius*, vnde Rex illam contempsit, & priuauit. Videamus iā quid dederit præmii Deus insigni huic viro, & ob vnicum hoc egregium facinus eximio, in eodem 1. Paralip. 19. in principio, narratur; quod, cum ob alia delicta esset eidem Deus iustè infensus, tamen ob istam impiæ matris depositionem, & quod desiderijs turpibus illius noluerat obtemperare, imo inhonestæ matris voluntati restiterit, illamq; è regno deiecerit, nec consanguineorū appetitionibus fuerit obsecutus, cuncta illi perpetrata crimina indulsit; ideo dixit illi Propheta ℣. 3. *Iram quidam Domini merebaris, sed bona opera inuenta sunt in te*; quæ vero hæc bona opera fuerint, aperte statim subditur; *eo quod abstuleris lucos de terra Iuda, & præparaueris cor tuum* &c. quod exponens Lyran. *iram*, inquit, *Domini merebaris de rigore iustitiæ, sed propter alia opera tua pepercit tibi ex dulcore misericordiæ*. vnde satis instruimur, remouendum esse ex animis immodicum cognatorum amorem, vt à Deo delictorum veniam facilius consequamur. Theodor. quæst. in Paralip. *oportet*, inquit, *nos, cum hæc didicerimus, fugere amicitiam & cognationem eorum, qui Deo sunt inuisi*, vt nimirum solius Dei amicitiam alijs omnibus præferamus, & cognationem cum eo spiritualem contrahere satagamus, quam etiam Christus Dominus, in hoc Euangelio, carnali prætulit.

Lyran. *Theodor.* *Remunerat Deus eos qui cōsāguineos non curāt, vt diuinus cultus seruetur.* *S. Hieron.* *Paralip.* *Lyran.* *Malis cōsāguineis renunciantes veniā obtinent peccatorū* *Theodor.*

18 Hoc faciebat D. Paulus, qui post vocationem suam, ex persecutore Apostolus, vt Christi vestigia sequeretur, cōsanguineorum immodico affectui renunciauerat; vnde ad Galat. 1. ℣. 15. *Cum placuit*, inquit, *ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me, vt euangelizarem illum in gentibus* (reuelationis huius, & euangelizationis spiritu repletus) *continuo non acquieui carni, & sanguini*, idest, *filijs, & nepotibus. sed nostri Prælati pluribus talibus acquiescunt*, ait ad hunc locum Hugo Cardin. in quo secutus est expositionem Occumenij, quam refert Iustinian. qui, *per carnem, & sanguinem*, inquit, *Patriā, & cognatos intelligit, nec profectò malè*. est ergo illorum Pauli verborū sensus; simul ac placuit Deo vocare me ad officium Apostolatus, & ad ministerium Euangelicæ prædicationis, ex tunc non acquieui, nec multum curaui mortales meos cognatos; diuini ministerij desiderio, terrenorū cognatorum amorem expellente. &, quod maxima obseruatione dignū, hic præterire

Galat. *Paulus nō acquiescebat carni, & sāguini idest consāguineis* *VgoCard.* *Occumen*

Ecclesiastici non debent tristari morte suorum

terire non possum. In veteri testamento, vt vult idem Vgo, præcessit huius rei figura in Aaron; qui, cùm præparasset se ad sacerdotium suscipiẽdum, eoq; solemniter fuisset inauguratus, in illa celebri, & solemni cæremoniali pompa, inter plaudentis populi faustissimas precationes, duos filios natu maiores, siccis oculis, misere pereuntes vidit; &, quos vniuersus populus extinctos luxit, ijs mæstus parens, ne breuibus quidem lachrymis, parentauit; hoc enim Dei nomine prohibuerat illi Moyses, vt habetur Leuit. 10. ℣. 6. *Locutus est Moyses ad Aaron, &c. capita vestra nolite nudare, & vestimenta vestra nolite scindere* (quæ erãt tristitiæ, & luctus signa) *ne fortè moriamini, & super omnem cætum oriatur indignatio.* vnde discere possunt ij, quos Deus ad easdem sacerdotij sedes extulit, quod non debent carni, & sanguini acquiescere; sed ab ipso promotionis die cognatos, & affines pro deploratis, & extinctis habere. & nota, quod filij Aaron vocabantur *Nadab*, & *Abiu*; *Nadab*, idest *spontaneus*, & *Abiu*, idest *Pater meus*, vt explicat Philo de migrat. Abrahæ. itaque vt notat etiam Lorin. in 10. cap. Leuit. per istos illi denotantur, *qui ad honorem sacerdotij spõte se ingesserint; nec iustitiæ meritò, sed carnalis posteritatis priuilegio, sacerdotale officium vsurpauerint*, quos Deus breui consumit ℣. 2. *egressusque ignis à Domino deuorauit eos*; quin, eosdem mortuos, efferri iubet extra castra Moyses, ℣. 4. *ite, & tollite fratres vestros de conspectu sanctuarij, & asportate extra castra*; ne fratrũ et mortuorum recordatio Dei ministris noceat. sed expedit hic adducere verba Vgo Card. hunc locum exponentis, & nostro proposito opportuna *legitur*, inquit, *Leuit. 10. quod in die promotionis Aarõ mortui sunt filij eius. sic enim Prælatus debet fieri Melchisedec, qui fuit primus Sacerdos sine patre, & matre, vt dicitur ad Hebr. 7. sed de illis non potest cantari illud responsorium; Tu es Sacerdos in æternum, secundũ ordinem Melchisedec: sed secundum ordinem Aaron, qui postquam promotus fuit; postea habuit filios, quos multum dilexit. & in promotione Prælatorum nostrorum hodie nascũtur eis multi parentes, licet paucos, aut nullos habeant. Deut. 33. qui dixerit patri suo, & matri suæ nescio vos, &c. hi custodierunt eloquium tuum.* Hactenus Vgo in quibus seruanda optimis Ecclesiasticis præscribuntur.

Leuit.

Philo.

Lorin.

Qui sponte & sine meritis accipiunt Ecclesiasticos honores puniuntur.

VgoCard.

Melchisedec similes esse debent Ecclesiastici

19 Et quamuis obiter attigerit, non tamen expendit locum D. Paul. ad Hebr. 7. ℣. 3. vbi de Melchisedec dicitur, quod fuit *sine patre, sine matre, sine genealogia, neq; initium dierum, neque finem habens: assimilatus autem filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum.* multa sunt Sanct. Patrum dicta, exponentium, quo pacto intelligi debeant hæc Pauli verba, Melchisedec sine patre, matre, & genealogia fuisse asserẽtis. sed quoniam tamquam optimus sacerdos, & Dei minister laudatus fuit Melchisedec, ideo crediderim, quòd illum Spiritus sanctus voluerit sine patre, & matre appellari, quia, quamuis & patrem habuerit, & matrem ex quibus genus duxit, tamẽ, vt dignius sacerdotio fungeretur, ab eorum studio, & superuacuo amore animum suum ita subduxit, vt quasi sine patre, & matre dici meritò potuerit: & in hoc assimilatus est Christo, qui ministerio verbi Dei intentus, visus est non agnoscere matrem, nec consanguineos: *qui sunt fratres mei, & quæ est mater mea?* Pro cuius Saluatoris nostri exempli intelligentia, videtur mihi opportunum adducere doctrinam Vgon. Card. sæpius in hac materia citati; qui in Psalm. 51. ℣. 7. exponens verba illa, *euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicẽ tuam de terra viuentium*, de cognatis, & affinibus hæc dicta fuisse putat; *& radicem tuam*, inquit, *idest neputulos tuos*; quæ expositio deducta est ex vi istius vocis *radix*, quæ vt etiam docet

Hebr.

Melchisedec sine cognatione, typus optimi ecclesiastici

VgoCard

Lorin.

Lor n.

Lorin.inter cætera significata, etiam prolem denotat. *Euthymius*, inquit, *docet per radicem intelligi generationem, ac stirpem Doeg, tā præteritam, quàm futuram, tum parentes, ex quibus productus est, tum filios, ac posteros, quia radix sunt aliorum, quibus ab eis generantur*, hanc igitur radicem, cui pleriq; plus nimio de perpetuitate, & propagatione confidunt, euellit de terra viuētium Deus, vt fecit Nadab, & Abiu, vel ad Christi factum in hoc Euangelio aptius dicamus, quod his radicibus securis humanę rationis debet imminere, qua inordinatus affinium affectus præcidatur; sicuti præcidere visus est carnalem omnē affectionem Iesus per illa verba: *qui sunt fratres mei, & quæ est mater mea?* adeo vt plerique hæretici, quamuis temerè, hinc potissimū probare conati fuerint, Christum Mariæ maternitati his verbis quasi renunciantem, non verum hominem, sed phantasma fuisse. sunt itaque consanguinei *radices*: obseruant agricolæ, eas arbores quæ altius debent assurgere, ita natura exigente, altius etiam esse in terram pangendas, quo inferius radices agant: quanto igitur Prælati magis per nepotes, & posteros suos sese eleuandos, & extollendos esse cōfidunt; tanto radices istæ magis ad ima terræ descendunt, idest, terrenis rebus immersi, terrena tātum amplectuntur, donec ad inferna deueniant.

Consanguinei tāquā radix euelluntur.

Quo altius eleuātur Prælati eo magis descēdunt affines.

Sacer text.

Ecce Mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te: at ipse respondens &c.

CAP. VI.

Ostenditur efficacia orationis & intercessionis V. Deiparæ pro suis deuotis apud Deum.

SVbitam quandam in Christo Saluatore, ex aduentu Virginis Matris, mutationem attentius cōtemplari, & de eius causa aliquid comminisci, ijs qui sanctissimæ Virginis intercessioni, quātum par est, idest, plurimum deferunt, non ingratum fore credidi. Videbatur Iesus seueri Iudicis personam suscepisse, qui peccatoribus non solum æternas pænas reseruatas esse prædixerat in futura vita illis verbis: *viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabūt eam &c. Regina Austri surget in iudicio cū generatione ista, & condemnabit eam &c.* sed etiam in præsenti recidiuantibus, multo maiora mala ijs, quæ euaserant, instare vaticinatus fuerat: *erunt nouissima priora prioribus* addiderat insuper contumelias: *generatio mala, & adultera &c. sic erit, & generationi huic pessimæ &c.* adeo vt deposita insita sibi mansuetudine, in illo, contra reprobos, sæuiendi ardore sæuitiēm tantum, & minaces voces preseferret. sed quemadmodum Troianos fabulati sunt Poetæ, quæ contra Helenam, & Græcos, illa absente statuerant, eadem in concilium, adueniente, eius forma commotos, irrita fecisse; ita Saluator quæ absente Virgine Matre contra humanum genus iustè decreuerat; eadem aduentante *adhuc eo loquente ad turbas, ecce Mater eius &c.* quasi sententiam mutans, abrogat; iram ponit; & interciso eo, quem de pænis exorsus fuerat sermone, ad lætiora conuersus, de ijs gaudijs, quæ facientibus voluntatem patris, & Regni paterni futuris cohæredibus debentur, pertractat: *Quicumque fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* ex quo excitari debet illorum semisopita inertia, qui efficax hoc præsidium negligenter quærunt; & eorum augeri fiducia qui indeficiens Virginis Mariæ patrocinium in aduersitatibus sedulo implorant; cùm hoc facto sperare possint, iram Dei in mansuetudinem; truces minas in blandas promissiones; iustas pænas in vberrima præmia (diuina

Præsentia V. M. Iram Dei mitigat.

Cantic.

Cantac.

Dolet Maria cum filius peccatoribus irascitur, & precibus illum placat.

se Mariæ precibus inclinante clementia) conuertendas. Cuius argumẽtum capio ex Cantic. 8. ℣. 6. *fortis est, vt mors dilectio: dura sicut infernus æmulatio.* Matth. Cantacuz. *Durus sicut infernus zelus* &c. & hoc de B. Virg. exponens subdit in persona eiusdẽ. *zelus .i. te à meo auerso populo, eiq; succensente, dura res est sicut infernus: videlicet, grauissima res est, & summum, ingentemq; mihi dolorem affert.* Quam grauate fert Virgo cum diuinam indignatiotionem eiusque flagella hominum videt ceruicibus imminere? quam illi durum est Deum contra nos irasci? vt igitur hunc Mariæ Matris suæ, auxiliũ implorantis, dolorem leniat, & molliat, nihil non eius precibus indulget filius. de efficaci itaq; Virg. Mariæ intercessione, & protectione aliqua sunt nobis in hoc capite explicanda, & Sacrarum scripturarum, ac Patrum dictis adstruenda.

Cantac.

Grauissima pæna est à Maria separari.

M.V. obstinatos reijcit.

2 Sicut enim ab ipsa recedere grauissima pæna est, ita inexplicabilibus præmijs, & prærogatiuis ij cumulantur, qui ad eam deuotè confugiunt. optimè hoc ostendit de eadem Beata Virgin. Matth. Cantacuz. Cantic. 7. ℣. 1. de qua cum multa retulisset, & quã sit sollicita in inuitandis ad pænitentiam peccatoribus probasset: *Cũ ipsis,* subdit, *nihil persuadere potuisset ex ijs, quæ apud ipsos disseruerat, eos quidem longè dimisit; vt non leues luant pænas.* graues itaq; subeunt pænas ij, qui à B. Virgine recedentes longè dimittuntur; sicuti ad eam accedentes omnigenis consolationibus, & tam temporalibus, quam spiritualibus gaudijs recreantur. & attentè hic nota, quod quãuis *mater misericordiæ* verè dicatur & sit; tamẽ obstinatos, & qui eius suasionibus non commouentur, reijcit à se indignabunda, & longius ablegat; & merito: quauis enim etiam sæuissima pæna dignos se esse ij declarant; qui obstinato, & obdurato animo lenissimis eius persuasionibus non obediunt; cum ipsemet Deus eius precibus repugnare nescius, ijs quasi captus ligetur, ac detineatur. Nam Cantic. 4. ℣. 3. eius efficax oratio, & eloquium aptissimum ad persuadendum apud Deum, explicatur similitudine vinculi. *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* sub labiorum metaphora aptè exprimitur efficacia intercessionis apud Deum; vnde etiam Sophon. 3. ℣. 9. vt efficax esse possit populi oratio dicitur eidem restituẽdum *labium electum,* quò aptè inuocare possint Deum; sunt ergo labia B. Virg. Mariæ *vitta coccinea,* quia Deũ quasi vinctum quocumque libuerit trahunt; ita existimauit S. Ambr. in Psalm. 118. ℣. 18. *sicut resticula coccinea labia tua; per resticulam coccineam,* inquit, *vinculum persuasionis agnoscimus.* Simile quiddã narratur in veterũ monumentis de Hercule Gallicano (de quo Lucian. in Præfat. seù Hercul. Gall.) quẽ eloquij, & persuasionis efficacia celebrem finxerunt, non arcu, & sagittis superasse inuitos; sed aureis quibusdam verborum catelunis ex eius ore prodeuntibus, audientium aures illigatas, & animos ita flexisse; vt non instar eorum, qui vincti dicuntur, sed perinde, ac si ductorẽ suũ plurimi faciãt, hilares, & studiosè sequãtur; *si quidem,* inquit, Lucian. *tela ipsius acutos, certos, celeres, & animas saucientes sermones interpretamur.* Sed potentior Gallicani Herculis eloquentia Mariæ Virginis oratio, diuinas aures, suauiter, sed efficaciter feriens, coccinea labiorum suorum vitta vinctum non reluctantem, neque obsistentem, quocumque libuerit flectit, & ducit, vt quot verba, & preces pro peccatoribus emittit, & fundit, totidem vinculis Dei aures reuinciat. Vtinam porrò etiam peccatorum obstinatorum mentes eius persuasionibus deliniti trahi se paterentur, quibus eorum corda assiduo pulsat.

Cantic.

Labia typus intercessionis.

Sophon.

S. Ambr.

Herculis Gallicani vis in persuadendo. Lucian.

M.V. oratio suauiter diuinas aures ferit.

3 Eadem Cantic. verba aliam expositionem recipiunt, si illa iuxta lectionem Matth. Cantacuz. velimus in-

Cantacuz. terpretari, qui ex originali textu Hebr. & ex versione Septuag. Interpr. legit hoc pacto: *Veluti linea fabri coccinea labia tua*: seu *funiculus fabri coccineus* Quorum verborum sensus est, quod labia B. Virginis, idest, illius orationes quibus pro nobis, & ijs qui sub eius tutela viuunt, Deum interpellat, sunt veluti ille *funiculus*, seu *linea*, qua fabri vti solent in mensuris lignorum, quæ non scindunt, nec secant, nisi prius huiusmodi funiculo rubro colore tincto, qui vulgò *magra* dicitur, ea signauerint. Antiqui hunc funiculum ab ipso colore quo inficitur rubricam appellauerunt, vnde Persius.

Persi. *Atq; oculo rubricam dirigit vno.*

hanc rubricam adhibere solent ad metiendum quantum ligni scindere debeant, neque inter secandum excedũt ab relicto ab illo signo, aut deficiunt, vt conuenienter non *lineam*, vel *funiculum* simpliciter, sed *fabri* appellauerit Cantacuzenus, quia illi inhæret faber inter secandum. Huic verò benè comparantur orationes Mariæ; eo quia Deus, in distribuendis, seu diuidendis gratijs, ac beneficijs, quæ passim in omne humanum genus munificentissimè dispensat, neque magis, neque minus concedit, eo quod à Beatiss. Virg. Mariæ orationibus designatũ est; adeo vt illius preces sint instar *lineæ fabri coccineæ*, quę metit beneficia, dona, & gratias, quas Deus diuidit, atque impartitur, eo prorsus modo & mensura, quam B. Virginis oratio præscripsit. Quam enim multifariã Deus omnium bonorum largitor hæc communicet, & diuidat: significauit Apostolus 1. Corinth. 12. ℣. 4. 5. *Diuisiones gratiarum sunt, alij datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, alteri fides, alij gratia sanitatum, alij prophetia; alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum, hæc autẽ omnia operatur vnus, atque idem spiritus diuidens singulis prout vult.* Vult autem quòd Virgo Maria præscribit, qua intercedẽte Petro Apostolatum,

Oratio V. M. bene comparatur funiculo fabri

Vt largitur munera Deus sicut petit Maria.

Corinth.

Laurentio, & Stephano Martyrium, Carolo Borromæo in Episcopali dignitate, feruens salutis animarum desiderium, & studium, BB. Andreæ, & & Caiætano inconcussam fidei Christianæ confessionem hæresum propulsationem contigisse Domino annuente piè credere possumus, & quẽadmodum ij, qui in hac vita varijs ditantur meritis, in futura paribus ornantur, & decorantur præmijs; ita etiã existimare, & affirmare possumus, ꝙ varij gradus gloriæ, diuersitati donorum, & meritorum respondentes sanctis, & electis tribuantur, per eandem Virginis intercessionem.

Futuram gloriã impetrat nobis Maria.

4 Vt propterea S. August. serm. 18. de sanctis, ita Deiparam deprecetur. *O Beata Maria admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis.* sciebat nimirum quòd ipsa Virgo a Deo constituta fuit tamquam Præfecta, seu Custos sacrarij in quod fideliũ orationes delatæ reconduntur, vt inde postmodum ad Deum adducantur Hildebert. Cænoman. Episc. epist. 37. tom. 3. Biblioth. SS. Patr. *Hi profecto*, inquit, *quod in administratoria dispensatione delinquunt, in sacrario contemplationis deplorant*, Quod si in hoc sacrario à B. Virgine non reponantur, neq; ipsi Deo postmodũ ab eadem S. Deipera repræsẽtẽt irritæ sunt, & ideo ipsa enixè rogatur: *admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis*. Nota tamen, quòd non quicunque locus, sed *sacrarium* dicitur vbi reponuntur orationes; ea opinor ratione, quia in sacrario non nisi res sacræ asseruantur, vt præter nomen ipsum, Sacram scripturam, & Patres, docemur in l. sacrariũ de rerum diuis. Innuit itaq; Augustinus B. Virginem, quæ præest sacrario, seu potius (vt in eius officio canit Ecclesia) ipsa est *sacrarium Spiritus sancti*, in quod fidelium receptæ fideliter asseruãtur, & custodiuntur orationes, eiusmodi sacrarium esse in quod prophanæ orationes, & peccatorum preces locum non habent; neque enim

S. August.

Maria præest sacrario diuinarum gratiarũ.

Hildeb.

In orationibus spiritualia maxime petenda sunt.

Deus, aut eius sacraria Maria peccatorum verbis aures accomodat; quemadmodum sub ipsius Dei persona dicebat Isaias cap. 1. ℣. 15. *Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt*. non est itaq; prophanis precibus aditus ad sacrarium, quo summus sacerdos semel tãtùm in anno coram Domino se sistebat nisi peccatores resipiscant. Vel illæ orationes dicuntur non pertinere ad sacrarium, quæ ad Dei gloriam non diriguntur; sed habent pro fine aliquid temporale, & solum sæculi vanitatem spectant, v. g. temporalium rerum copiam, dignitates, honores, & his similia; pro quibus oblatæ preces meritò è sacrario exploduntur, indignæ quæ in venerabilissimum locum deferantur, cùm hanc tantum profanam terram sapiant, & ad Dei gloriam minimè dirigantur.

Isai.

Quæ orationes recipiuntur in Mariæ sacrario.

5 Imò si strictius facere vim velilimus in verbis D. Augustini, vocatur Dei Genitrix *sacrarium exauditionis*, quasi ipsa sit quæ præest auditionibus, vel potius ipsamet sit sacrarium, in quo omnes *Dei exauditiones* sunt, omnes gratiæ, concessiones, dona & ipsum *Dei fiat*. Nullum enim donum Dei, e sacrario, seu donario diuinæ eius Maiestatis egreditur, nec oratio aliqua ad eadem impetranda ingreditur absque B. Virgine Maria; adeo vt ipsa sit veluti Dei Datarius; sine cuius ope, nec supplices nostri libelli ad Deum peruenire, nec gratiarum inde concessiones redire possunt. Dicuntur verò *exauditiones sacrario* contineri, quas enim Deus nobis gratias elargitur, ad suam gloriam, & ad animarum salutem vult pertinere. vt merito dici possint *sacræ exauditiones*. Quicunque itaque temporalia à Deo postulat, & recipit, & munera diuina sibi collata ad Dei honorem non ordinat, ipsa quodammodo Dei dona profanat. Sanctus Hildebert. Episcopus Cæmomant. epist. 37. *Occursantium*, inquit, *turba negociorum sacrarium contemplationis occludit*. & excludit meritò quia sacris profana miscenda nõ sunt: ideo sacrarij exauditionis fores, similibus reserantur orationibus.

Maria Præses exauditionũ Dei.

Quomodo diuina munera profanentur.

Hildeb.

6 Progreditur in dilatanda Mariæ apud Deum intercessione S. Cyrill. Alexandrinus homil. Ephesi habita contra Nestoriũ, relata in Concil. Ephes. par. 2. Act. 1. *salue*, inquit, *Deipara Maria venerandus totius Orbis thesaurus*. Quibus verbis rerum omnium etiam temporalium, nec non earum quæ animalibus communia sunt, penes B. Virginem copiam, tamquam in thesauro esse significatur; vt omnia vel naturalia, vel supernaturalia ipsi sint in acceptis referenda, ipsa etiam lucis, & solis vsura, qua etiam bruta fruuntur; & munera quæcumque vel maxima, vel minima sint, ab ea impetranda, vel per eam. Eccli. 24. ℣. 6. *Ego feci vt oriretur in Cælis lumen indeficiens*, quod à Deo primum productum fuit ad Hominum, & totius naturæ creatæ conseruationem; cætera etiam similiter à Maria tamquam ex vberrimo Dei thesauro eruta fuerunt, vt diffusè tradit Spiritus sanctus Prouerb. 8. Neque parum quis existimet id quod Virgini tribuitur, dum *Thesaurus* dr, nam præterquam quod omnes thesauri pretiosi sunt, & maximi valoris, ipsius Dei thesaurus dici, res est omni humana dignitate superior. Baruch. cap. 3. ℣. 15. *Quis inuenit locũ eius* (Dei) *& quis introiuit in thesauros eius*? si. n. paucissimis datũ est Dei thesauros inuenire, vtique splendidissima, & pretiosissima ijs contineri oportet. sed considerandum præterea hoc loco est, appellatã Mariam à Cyrillo *venerandum thesaurum*, vt & prætij valorem, & dignitatis in ea æstimationem admirabili nexu coaluisse intelligamus; in qua thesaurus valore inæstimabilis, & dignitate venerandus vniuntur.

S. Cyrill.

Maria thesaurus orbis.

Eccli.

Baruch.

Dignitas, & pretiũ V. M. ostenditur.

7 Quod si etymologiam hujus

vocis

vocis *thesaurus* præcipuè ex Græcis, (qui illam sacræ imposuerunt Virgini) inuestigemus, aduertemus profectò, idem apud Latinos esse thesaurum, atque apud Græcos κειμήλιον *cimilian* ita Rabi Dauid in cap. 3. Malach. vnde qui huiusmodi thesauris præerat Cimeliarcha appellabatur à Græcis; de quo mentio fit in l. *cum apud S. fin autem* C. de Bon. aut. Iud. ibi. *Nec viros Reuerendissimos Oeconomos, vel Cimeliarchas sanctæ Ecclesiæ, in qua pecuniæ deponuntur,* &c. & paulo infra. *præsentibus non tantum tabularijs, sed etiam Reuerendissimo Cimeliarcha, apud quem superflua pecuniæ signatæ deponendæ sunt.* Quod nomen, & consuetudo ab illis vsque deducta temporibus adhuc seruatur, & viget in Cathedrali Ecclesia Neapolitana. Cum enim hæc Ciuitas Græcorum Colonia extiterit, adhuc plurimas Græcas voces retinet: non tamen idem hodie munus, & ministerium quod prius. Est itaque B. Virgo Dei *Cimelion*: vnde omnia desiderabila pro humana salute depromuntur. neque à Doctorum virorum doctrina recedet, qui illam Dei etiam *Cimeliarchin* appellauerit. tum quod thesaurus plerumq; appelletur etiam locus in quo latet thesaurus, vt docet Guid. Pancir. notiti. occident. Imper. cap. 36 & ideo locus in quo Infinitus Dei thesaurus latuit idem nomen meretur: tum etiam quia, eadem loquendi formula de Dei Genetrice locutus fuit Idiota in Prolog. ad contempl. Virg. *Sæpè*, inquit, *quos Iustitia filij potest damnare; Matris misericordia liberat; Quia thesaurus Domini est, & thesauraria gratiarum ipsius.* quod est, eandem *cimelion*, *& cimeliarchin* appellare; vtpotè quæ vniuersis Dei thesauris, vel naturalibus, vel supernaturalibus præest; quæ nemini dispensat summus ille Imperator absque Cimeliarcha (idest) Beata V. ne illi quicquã de suo munere detrahat. si ventũ quis cupiat, quo leniter impellente, nauis vndas secet; hunc, cum petendus sit è thesauris Dei, qui Ps. 134. ℣. 8 *producit ventos de thesauris suis*, à Maria Virgine thesauraria postulet, in cuius potestate sunt diuinorum bonorum thesauri. Contra si cui ventus noceat, qui plerumque domino permittente noxius esse solet vt Iob, cui propter ventum maxima contigerunt infortunia. Cap. 1. ℣. 18. *filijs tuis, & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum, in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit è regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt.* ab his, & similibus ventorum aduersitatibus, si qui affligi, vel opprimi verentur, B. Virginis patrocinio seruari possunt: vtpotè ea, quæ Cimeliarcha, & thesauraria Dei est, sine cuius voluntate, & potestate nil è thesauris egreditur, aut in thesauris reconditur. premitur quis aquæ penuria, præ siti iam enectus? clamet ad Deum cum Moysi Numer. 20. ℣. 6. *aperi thesaurum tuum fontem aquæ viuæ*, idest Beatissimæ Virginis Mariæ gratiarum fontem, & perennium aquarum thesaurum. Cæli, & Anni inclementiam timemus, ne nimio gelu, & niue arescant segetes, aut grandine concutiantur fructus, atque inde penuria nos premat; hæc vt accedant, vel recedant in Virg. Mariæ manu situm est Iob. 38. ℣. 22. *Numquid ingressus es thesauros Niuis, aut thesauros grandinis aspexisti*; præest autem his thesauris Dei mater, quæ claues ad illos obserandum, aut aperiendum possidet. Sed quoniam nullus est in humanis thesauris sapientia præstantior, ac preciosior, de quo Sapient. cap. 7. ℣. 14. *Sapientia Infinitus est thesaurus hominibus, quo qui vsi sunt participes facti sunt amicitiæ* Dei; propterea ijs etiam, qui hanc possidere desiderant ad diuinam Thesaurariam est recurrendum: Eccli. 1. ℣. 26. *In thesauris sapientiæ, Intellectus, & scientiæ religiositas.* Quin nec verorum amicorũ

R. Dau. — *Cimiliarcha quis fuerit. l. cum. C. de Bon. &c.* — *B. V. Maria Dei Cimelion.* — *Guid. Pancir.* — *Idiota.* — *Maria thesaurus, & thesauraria Dei.* — *Psalm.* — *Iob.* — *Numer.* — *Aquarũ fons apud Mariam.* — *Iob.* — *Sapient. Thesaurus sapientiæ penes Mariam.* — *Eccli.*

familiaritas cuipiam sine Beata Virgine contingit, sine quibus iniucunda est hæc vita vt dicebat Aristor. 8. & 9. Eth.

Arist.

Cum itaque amici instar thesaurorum sint, Eccli. 6. ℣. 14. *Amicus fidelis, protectio fortis; qui inuenit illum inuenit thesaurum*. propterea à benignitate huius cimeliarchæ erunt impetrandi.

Amici thesauri sunt.

Pro thesauris æstimat quis diuitias iuxta illud Eccli. 31. ℣. 8. *post aurum non abijt, nec sperauit in pecuniæ thesauris*, opum etiam liberalis erogatrix est Virgo.

Eccli.

Bona fama etiam inter thesauros reponitur, imo melius nomen bonum, quam diuitiæ multæ, & Eccli. 47. ℣. 15. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi, & magni*: hanc custodire augere, & conseruare tibi potest thesauraria Dei Maria; quam deuotè inuocare debent, qui maledicorum, & calumniantium vipereum virus euitare desiderant.

Bonam famam seruat Maria

Audiens quis illud Isai. 33. ℣. 6. *timor Domini ipse thesaurus eius*, ad hunc timorem peruenire desiderat? pro hoc thesauro anhelus suspirat? Mariam adeat cum fiducia Dei timorem, Amorem, & quæcumque infinitis Dei cimelijs seruantur reportaturus; nam ex quo concipiés Deum, & Iesum Christum, in quo vt ait Apostol. ad Colos. 2. ℣. 3. *sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi*, facta est omnium istorum bonorũ particeps, eaq; in se incorporauit, & clausit, eademq; aperuit edito in mundum Verbo; ex tunc claues, & claudendi, ac reserandi diuina munera potestas fuit illi tributa: per quæ munera, & spirituales præsertim gratias, cum futuræ gloriæ homines fiant participes, quæ etiam appellatur in sacris litteris thesaurus, Matth. 19. ℣. 21. *& habebis thesaurum in Cælo*; & Lucæ 12. ℣. 33. *thesaurum non deficientem in Cælis*. etiam gloria æterna, & beatitudo, quam in futuro sæculo speramus in Mariæ potestate esse dicetur, vt in Dei Cimeliarcha, & thesauraria.

Isai.

Coloss.

Oẽs Dei Thesauri in Maria reconditi.

Matth. Luc.

8 Pertinet præterea ad officium Cimeliarchæ, scripturas, tabulas dati, & accepti, debiti, & crediti conseruare: cum ea omnia quæ magni momenti sunt, aut diligenter expedit custodiri, apud Cimeliarcham deponentur. Iustinian. Nouell. 74. *Reponat chartam Venerabilis illius Ecclesiæ defensor, in eiusdem Sãctissimæ Ecclesiæ Archiuijs, hoc est vbi cimelia seruantur, prædictas subscriptiones habentem, & reconditum sit omnibus ex hoc munimen.* Seruantur itaque apud B. Virginem, tãquam apud Dei cimelia custodientem, scripturæ omnes, quas vel Dei, vel nostra interest sudulo custodiri.

Cimeliarcha custos scripturarum. Iustinian.

Cùm peccat quis, facit se ipsum æternæ pœnæ reum, & in damnationis obligationem vltroneus consentit, ac quodammodo subscribit per voluntatis consensũ sententiæ contra se latæ; de qua scriptura & chirographo dixit Apost. ad Colos. 2. ℣. 14. *& cũ mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod aduersum nos erat chirographum decreti.* S. Ioann. Chrysost. homil. 6. in cap. 2. ad Coloss. *chirographum*, inquit, *est quando quispiã reum se constituit debiti*. ideo dicitur Tob. 1. ℣. 17. *sub chirographo dedit illi memoratum pondus argenti*.

Peccatum obligat nos æternis pœnis.

Coloss.

S. Chrysost.

Tob.

Deletur hoc contra nos chirographum cum absolutionem, & liberationem erratorum, & reuocationem sententiæ condemnatoriæ obtinemus; sed Deo illud præsentare, & vna supplicem libellum pro eiusmodi liberatione à debito, ad sanctissimam Virginem pertinet, qua postulante nihil negare nouit Deus.

V. M. pro nobis liberationem à debito impetrat.

Pariter qui iustè, benè, & secundum legem operatur, facit sibi Deum debitorem, vnde gloria, & præmia, quæ pro laboribus huius vitæ expectamus in futura, promissiones Dei dicuntur in scripturis. Paul. ad Heb. 6. ℣. 12. *imitatores eorum qui fide, & patientia hereditabunt promissiones*; & S Ioann. Chrysost. ad eleemosynam nos adhortari volens *fac*, inquit, *tibi Deum*

Quomodo Deus fiat noster debitor. S. Chrysost.

Sapient. *debitorē* cui simile est illud Prouer. 19 ℣. 17 *qui miseretur pauperi; fœneratur Deo* à quo miserationis suæ obligationem reportat. seruat huiusmodi chigraphum, & custodit Maria inter cælestia cimilia. ab ea itaque & per eam æternam gloriam expectamus, quam prolato apud Deum diuinæ promissionis chirographo instat nobis concedi.

9 Spectabat postremo ad Cimeliarcham conseruare arma bellica, si quando vsus posceret profetenda. Homer. Iliad. *multa autem in opulenta Patris domo condita iacent, æsque & aurum, elaboratumq; ferrum.* quo loco per *ferrum elaboratum* armorum omne genus intelligendum est. Habet etiam Deus sua arma, quo enim pacto *Deus vltionum, Deus exercituum* se dici iuberet, si armorum apparatu destitueretur? quin armorum suorum meminit Deutor. 32. ℣. 41. *Si acuero vt fulgur gladium meum, &c. inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus deuorabit carnes de cruore occisorum.* Hæc in armamētario, & thesaurario suo asseruari Deus iubet, donec prouocatus à peccatorum flagitijs, Ierem. 50. ℣. 25. *aperuit Dominus thesaurum suum, & protulit vasa iræ suæ, quoniam opus est Domino exercituum in terra Chaldæorum.* Sed hæc arma inter cimelia, & Dei thesauros relata, sunt in potestate Beatissimæ Virginis Mariæ; quia nec punit quemquam, nec flagellat Deus, ac ne leuiter quidem ferit, nisi ex consensu Beatæ suæ Genitricis, quæ ei ex ararmamentario, arma subministrat; sed vt est in humanum genus summopere pia, eadem in humanam perniciem parata vt plurimum extorquet è diuinis manibus; redditque illum ex irato, & truci, mitem nobis, atque benignum, vt hodierni Euangelij experientia cōprobauit, & nos in principio huius cap. diximus.

(Margin: De armis quæ nam sint. — Deut. — Ierem. — Arma Dei seruat V. M. — M. V. armatum Deum placat.)

10 Explicabimus hoc idem clarius si S. Bonauent. quædam de B. Virgin. verba mystica obseruauerimus, in Psalt. enim Breui. *Aue*, inquit, *Virgo Dei Cella*, mira hæc prima fronte videri potest compellatio. Nouimus certè Beatam Virginem alicubi vocatam fuisse *domum Domini*, ob eius incolatum, plerumque *templum Domini* ob cultum; sed nusquam legimus alibi dictam *Dei cellam*. Quid itaque hoc sibi vult? Accessit ad hanc loquendi formulam S. Petrus Damianus, à quo V. Maria, *Conuentus, Collegium virtutum*, dicitur. Priusquam Deus ex immaculata Virgine carnem sumeret, in humanus quasi & ferox haberi volebat. itaque *Deus vltionum* dictus est Psalm. 93. ℣. 1. *Deus exercituum.* Isai. 1. ℣. 24. *ait Dominus Deus exercituū fortis Israel &c.* quæ nomina sæcularem quendam fastum, & irreligiosam iactantiam præseferunt, cum autem in venerabilissimum illud Virginis vterū descendit, tamquam (vt secundum nostrum intelligendi modum, & captum loquamur) ingressus in *Conuentum* Religionis, & *Collegium* sanctitatis, ac virtutum, imo tamquam in humilem *Cellam*; ex sæculari factus est Religiosus, mutauit terribile illud *vltionis* nomen, pro quo amat dici *misericors*; Qui prius elatus, & liber erat; Humilitatem professus est, & obedientiam vouit. Ad Philip. 2. *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem.* Pro vltricibus itaque & lædentibus armis, auxiliaria, & misericordiæ arma in hac cella inuenit, vt benè ab Apostol. 2. Corin. 1. *Deus misericordiarum, & totius consolationis* appelletur, *qui consolatur nos in omni tribulatione nostra*, & considera mirabilem eius conuersionem; ille quidem prius Psalm. 97. ℣. 2. *magnus Dominus* dictus est; nunc Isai. 9. ℣. 6. *paruulus datus est nobis.* Qui pridem Deus exercituum furorem tantummodo, & bellum spirabat, nunc Psalm. 84. ℣. 9. *loquitur pacem in plebem suam*; Qui prius Leo erat Isai. 38. ℣. 13. *Quasi leo sic contriuit omnia ossa mea.* & Amos

(Margin: S. Bonau. — Variæ M. appellationes. — S. Petr. Damian. — Psalm. Isai. — Vterus V. M. tāquā conuentus & Cella religiosorum. — Philip. — 2. Corin. Mira in Deo mutatio ex quo carnē suscepit ex immaculata Virgine. — Psal. Isai. — Psalm. Isai. Amos.)

lio Saluatoris nostri factũ apertè docuit, cuius cognati foris stabant, intus verò, idest in mente, & cogitatione lamina aurea, in qua venerabile nomen Dei *Tetragrammaton* inscriptũ erat; hoc etiam in animo præferebat Christus, dũ in eius ministerio occupatus, mundanorum cognatorum quasi oblitus, dixit; *qui sunt fratres mei, & quæ est mater mea?* nomen Dei ab eius animo memoriam cognatorum obliterauerat.

13 Modum autem, quo consanguineos in rerum administratione adhibere debent Ecclesiastici, visus est præscribere Spiritus sanctus in veteri testamento. pro quo velim considerẽt sacrarum litterarum studiosi locum Numer. 20. in quo Deus populo contra se, & ministros suos, in maxima aquarum penuria ad seditionem commoto volens obsequi, vsus est Mosis, & Aaronis opera. sed in hoc facto illud diligenter expendendũ, cur Deus voluerit, quod vterque frater Moses, & Aaron orarent Maiestatem suam in maxima illa populi commotione, vt dicitur ℣. 6. *ingressique Moyses, & Aaron dimissa multitudine, tabernaculum fœderis, corruerunt proni in terram, clamaueruntq; ad Dominum; &c* præterea super vtrumq; apparuit gloria, & splendor diuinæ Maiestatis. *& apparuit gloria Domini super eos*; vterque iubetur loqui cum petra, quæ datura erat populo aquas ℣. 8. *loquimini ad petram coram eis &c.* & tamẽ, cum Moyse tantum loquitur Dominus, & huic tantum dicitur *tolle virgam*; cur non dixit, *tollite virgam*; sicut dixit *loquimini ad petram*? Huius diuersitatis illa primum ratio occurrit, quia ministri, & executores diuinæ voluntatis, & veri superiores, qualis in hoc facto fuit Moyses, possunt consanguineos in orationibus, & precibus ad Deum, & in præstanda subditis populis auxiliarium aquarum copia, adsciscere, dummodo caueant, ne virgã iurisdictionis, & diuini ministerij alicui, etiam proximè coniuncto, communicent. Moyses tãtum, Dei in hac re minister, tollat virgam, vterq; oret, vterq; petris, idest duris corde, loquatur ad eliciendam aquam, sed virgam vnus Moses tollat; iustitiæ administrationẽ incorruptus Dei, & sincerus minister teneat, nec eam fratres, vel propinqui attingant, aut e manibus euellant, Ecclesiæ patrimonium per blãditias extorquendo. Vel, magis etiam ad propositum nostrum, de viris Ecclesiasticis dicere malumus; quod non debuit Aaron virgam Mosis tollere; qua hic sæpius Pharaonem, & eius subditos percusserat; ea mediante cum sæcularibus viris egerat, Aegyptios reddiderat stupidos, & eorum diuitias Israelitis conciliauerat. ergo virgam, tot mũdanorum mirabilium operatricem, diuitiarum conciliatricem, quæ inimicos in mare submergit, non debet attingere sacerdos; Moyses tollat hanc virgam; Aaron sacerdos, potius oret pro populo, & illi aquas suis p̃cibus, idest diuina beneficia poscat, sed hanc virgã non attingat, *tolle virgam, & loquimini ad petram*. non attingat, inquam, virgam illam; ex qua occasionem nancisci possit suos ditandi, in rebus mundanis proficiendi, sæculares prosperitates acquirendi, inimicos profligandi; magis curet corruere in terram per veram humilitatem, exclamare ad Dominum per feruentem orationem, vt sic super eum appareat gloria Domini.

14 Volebat Dominus Abraham seruum suum magnificare, & extollere, vt cum eo adimpleret promissiones illas, quas cum eo pactus fuerat; ideo Genes. 12. ℣. 2. dixit illi; *faciam te in gentem magnam*; quæ numero sit æquatura stellas cæli, & arenas maris, honoribus, & diuitijs nulli futura impar, prosperitatibus, & lætis successibus multis superior, *& benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisq; benedictus* hæc igitur tã profusè promissa, quo labore consequetur Abra-

ham?

Ecclesiastica auctoritas sæcularibus nõ communicãda.

Numer.

Ecclesiastici ad diuitias cõparandas minimè possunt intenti.

In spiritualibus sæculares possunt præsto esse Ecclesiasticis.

Genes.

Remunerat Deus spiritualiter recedẽtes à consãguineis

ham? num graue aliquod bellum suscipiendo, num terras, & nationes exteras sibi subiugando? absit. hæc tot, tantaq; beneficia, recedendo à cognatis obtinebit; vnde ibidem in principio cap. dicitur. *egredere de terra tua, de cognatione tua, & de domo patris tui.* dictus fuit Abraham Pater credentium, & iustorum, in quo habemus typum eorum omnium, qui vocantur ad perfectionem, & salutem; diuina itaque illi tradita præcepta animaduertere, & eius exempla sedulo imitari debent veri credẽtes, & ita demum existimare, fore se in gẽtem magnam, & potituros benedictione, si de terra, & cognatione sua egressi, vnius Dei mandata præ oculis habeant; ideo non tam de corporis, quã de animi egressione hæc voluit intelligẽda esse August. 16. de Ciuit. Dei c. 15. citatus in Caten. Lippom. quasi dixerit illi Dominus, egredere de cognatione tua, idest affectũ erga cõsanguineos omitte, fac vt stent foris, nec animum tuum immoderatus iste amor occupet. & diligenter notandum, quod quamuis satis fuisset, illi præcipere, vt de terra, vel de domo propria egrederetur, tamen præterea additur etiam *de cognatione tua*, quia omninò cõsanguineorum affectus deserendus est properantibus ad diuinas vocationes adimplẽdas, propterea subiungitur, *& de cognatione tua*; animaduertit hoc Sanct. Ambros. lib. de Abraham cap. 2. *satis,* inquit, *fuerat dixisse de terra tua: ibi enim erat exire de cognatione, exire de paterna domo: sed ideo addidit singula, vt eius affectum probaret, ne forte, aut imprudenter capisse videretur, aut fraus aliqua mandatis cælestibus pararetur*; & cætera, quæ de hoc exitu addit S. Ambros. Ita institutus exitus, recipit vberes illos fructus, qui ibi cõmemorantur, *faciamq; te ingentem magnam &c.* & in maximã ipsius Abrahæ vtilitatem resultat: quæ fuit apta Caiet. obseruatio ad hunc locũ, *iuxta Hebr.* inquit, *habetur, vade tibi de terra tua.* tibi, idest pro tua vtilitate, ad tuum emolumentum, *vt significetur,* subdit Caiet. *quod ad ipsius Abrahæ vtilitatem præcipitur egressus de terra sua.* terra enim, & cognatio nostra, quęcumque nobis coniuncta sunt significant; ita D. Ambros. loco allegato. *ergo exire de cõuersatione terrena, & à sæcularibus oblectamentis, & superioris vitæ moribus, atque actis debemus.* Quod autem hic exitus Christianis, non tam corpore, quam animo præcipiatur colligo ex Dauidico Psalm. 44. ℣. 11. vbi Deus fidelem animam sic alloquitur. *audi filia, & vide, inclina aurem tuam, obliuiscere populum tuũ, & domum patris tui*; quo facto iam nitidior reddita, diuinos obtutus excitabis ad contemplationem tui decoris; *& concupiscet Rex decorem tuum.* sed prius debes memoriam consanguineorũ foras relinquere, hoc enim est *obliuisci*; extra animum habere.

S. Aug.

S. Ambr. Deserẽda est carnalis cognatio.

Caiet.

Exire de cognatione est coniunctos relinquere.

Psalm.

15 Horũ Deus, & Rex noster decorẽ concupiscit, at verò, de ijs, qui dixerunt Psal. 82. ℣. 13. *hæreditate possideamus sãctuariũ Dei, idest* ait Hugo Card. *de his sæcularibusqui, vel minis, vel precibus obtinent suis consanguineis sãctuariũ Dei, idest* beneficia, vel præbendas, dicitur eiusdem Psalm. ℣. 9. *Deus meus pone illos vt rotam*, per quæ verba oppositum eorum, quæ Abrahæ promissa fuerũt significatum fuisse vult idem Hugo, idest varietatẽ, & æternitatem pænarum: quia rota, cũ sit circularis figuræ, nullibi habet finem, cum contra Abrahæ, æternitas successionis, & prosperitatis fuerit promissa. *pone illos vt rotam*, quia, quanto magis volunt in his terrestribus rebus fundati, tanto minus in ijs possint cõsistere: *conuenienter*, ait Augustin. in Psalm. 82. ℣. 11. *vt non sint in eo, quod cogitant stabiles*, quod etiã Orig. dicit hic *sic illos versa, & circumuolue, vt nulla sit quies, vt rota hac natura est versari, ac circumuolui*, ac si dicat quanto magis student in instabilibus rebus stabiliri, tanto (perinde ac

Psalm.

Hug. Car.

Sæculares ecclesiasticos reddituus affectantes puniuntur.

S. Aug.

Orig.

rota volubilis, quæ in vno tantū pūcto terrā attingit) fortunæ, rotæ insidētis inconstātiæ subijciantur; Pier. lib. 39. Hierog. tit. *Mutabilitas*. *Deus meus*, inquit, *pone illas vt rotam*, *hoc est*, *tam facile fœlicem eorum statum conuerte*, *quam volubiliter rota ipsa conuertitur*. vel postremo, *pone illos vt rotam*; quia rota in anteriori parte cadit, in posteriori eleuatur; ita isti, quamuis in externis bonis, quæ minora, & posterio a esse deberent (iuxta illud Matth. 6. ℣. 33. *quærite primum regnum Dei*, *& iustitiam eius*, *& hæc omnia adijcientur vobis*) eleuentur; tamen ab internis, & æternis, quæ semper deberent nobis esse anteriora, decidunt. contra verò de se ipso dicebat Paul. ad Philip. cap. 3. ℣. 13. *quæ quidem retro sunt obliuiscens*, *ad ea vero*, *quæ sunt priora extendens me ipsum*. hūc psalmi sensum obscurè expressit Hugo Cardin. *in rota*, inquit, *quæ dum ex vna parte eleuatur*, *cadit ex alia*; sed clarius Pier. li. 39 tit. *Imperitorū præcipitiū* hunc psaltis locū exponens: *rota*, inquit, *posteriore parte attollitur*, *anteriore cadit*. *posteriora sunt bona fortunæ*, *quæ*, *quia nostra non sunt*, *ea nobiscum transportare non possumus*, *ideoque à tergo relinquuntur*; *anteriora sunt æterna*, *& quæ nos assiduo comitantur*; *imo nos præcedunt*, *seque duces*, *quo progrediendum sit*, *exhibent*. *impurus igitur*, *& imperitus rerum*, *cum fortunæ bonis augetur*, *auersus retro faciem*, *quæ æterna sunt obliuiscitur*; *atque ita fit*, *vt anteriore parte neglecta*, *præceps eat*, *nam posterioris*, *quæ attollitur*, *videtur admiratione captus in quam rapiatur voraginem animaduertere nequaquam potest*, *atque ita præcipitatur*; quam etiam expositionem paucioribus verbis habes apud D. August.

16 Et meritò isti ita puniuntur, quia terrenis rebus addicti, Dei patrimonium non benè dispensant, quo pauperes, & egenos priuant. significatum hoc fuit Psalm. 104. ℣. 29. & seq. in quo, quanta animarum iactura sequatur ex hoc in ministris Ecclesiæ consāguineorum amore, quamuis obscurè, denotatur. *conuertit*, inquit Dauid, *aquas eorum in sanguinem*. aquæ sunt in diuinis symbolum diuitiarum, de quibus videtur intelligendus locus Ierem. 15 ℣. 18. *quasi mendaciū aquarum infidelium*; quæ conuertuntur in sanguinem, idest in affectum, & amorem eorum, qui sanguine coniuncti sunt; ita exposuit hunc locum ad propositum nostrum Hugo Cardin. *conuertit*, ait, *aquas*, *idest diuitias*, *& sapientiam Prælatorum*, *& Ecclesiasticarum personarum in sanguinem*, *idest consanguineorum amorem*. sed quæ inde orta sunt populis dāna, aut præiudicia? *& occidit* subdit, *pisces eorum*: ex conuersione aquarum in sanguinē, sequitur mors piscium, idest subditorum, & pauperum, qui cum aquis illis sustentari debuissent, ijsdem conuersis in sanguinem, extinguuntur. *pisces Ecclesiæ*, ait Hugo, *sunt simplices*, *& pauperes*, *qui debēt nutriri in anima aquis doctrinæ*, *& in corpore aquis diuitiarum*, *sed quia totum studium Prælatorum est ad promouendos parentes*, *& diuitiæ eorum ad ditandos consanguineos conuertuntur*, *ideo pauperes*, *& simplices moriuntur fame animæ*, & *fame corporis*. & in huius delicti pænam statuit illos vt rotam, idest affligit, & humiliat, vt exposuimus.

17 Quemadmodum contra cum ijs, qui propter cognatos diuinorum mandatorum custodiam non deserūt, indulgenter Deus agit. pro quo est summopere considerādum, quod narratur 2. Paralip. cap. 18. de operibus Asa Regis, qui multa laudabiliter fecit quamuis in plerisque etiam deliquerit. præ cæteris verò dicitur ℣. 16. *Sed & Maacham matrem Asa Regis ex augusto deposuit imperio*, *eo quod fecisset in luco* &c. hoc fuit magnum, & cōmēdabile facinus corā Dño, & diuinæ illius maiestati gratissimū. pro cuius intelligentia sciendum, quod inhonesta hæc mulier, in angusto quodā specu-

cultum

Marginalia (left): Pier. — Qui in rebus Ecclesiastic. s voluit fundari decidunt. — S. Matth. — Qui Ecclesiastica cupiunt æterna bona amittunt. — Philipp. — Pier. — Terrenis addicti decaunt à diuinis. — Psalm.

Marginalia (right): Ierem. — Vgo Card. — Male faciunt Prælati diuitias suas dantes cōsāguineis — 2. Paralip. Qui consāguineos nō verentur, vt Deo cultum exhibeāt cōmendātur

cultum Idolorum instituerit, quorum cæremonias ipsamet obibat. Lyran. *Maacham fecerat specum, vt habetur. 3. Reg. 15. in quo colebatur priapus, in quo cultu ipsa præerat; ideo dicitur huiusmodi imperium angustum, idest strictum*; ex hoc ministerio infami illam depoſuit Asa filius, ſublato inuerecũdi Idoli turpiſſimo cultu, quem tantopere mater promouebat. Quoniam igitur nullo matris, & cognationis ſuæ habito reſpectu, imo illius turpi voluntati repugnando, ſolum Dei cultum ſibi propoſuerat, ideo gratiſſima fuit coram Deo hæc illius laudabilis operatio. Theodor. apud gloſ. *adeo*, inquit, *ardẽter diuinas leges eſt amplexus, vt etiam Matrem ſuam, quæ maluit colere Aſtartem, regno priuauerit*. Quare conueniens fuit, vt vir ille, qui Dei cultum carni, & conſanguineorum affectui prætulit, qui, vt Deo obſequeretur, materna neglexit diſpẽdia, & Deo inſeruiẽs turpia matris deſideria, quibus multi obſequi ſolent, contempſit; ſingulari aliquo fauore à Deo remuneraretur. adeo enim matrem foras ſtare coegit, & adeo ab illius, & aliorũ conſanguineorũ affectu ſeiunctus fuit, vt ſcriptura, ne matrem quidem illius appellet; ita ille ab eius amore receſſerat, quaſi oblitus, illam eſſe matrẽ. vnde Hieronym. in gloſſ. *ideirco*, inquit, *non dixit Maacham matrem ſuam, ſed matrem Regis, quia non ambulauit viam rectam, ſicut filius eius*, vnde Rex illam contempſit, & priuauit. Videamus iã quid dederit præmii Deus inſigni huic viro, & ob vnicum hoc egregium facinus eximio, in eodem 1. Paralip. 19. in principio, narratur; q̃, cum ob alia delicta eſſet eidem Deus iuſtè infenſus, tamen ob iſtam impiæ matris depoſitionem, & quod deſiderijs turpibus illius noluerat obtemperare, imo inhoneſtæ matris voluntati reſtiterit, illamq; è regno deiecerit, nec conſanguineorũ appetitionibus fuerit obſecutus, cuncta illi perpetrata crimina induſſit; ideo dixit illi Propheta ℣. 3. *Iram quidam Domini merebaris, ſed bona opera inuenta ſunt in te*; quæ vero hæc bona opera fuerint, aperte ſtatim ſubditur; *eo quod abſtuleris lucos de terra Iuda, & præparaueris cor tuum* &c. quod exponens Lyran. *iram*, inquit, *Domini merebaris de rigore iuſtitiæ, ſed propter alia opera tua pepercit tibi ex dulcore miſericordiæ*. vnde ſatis inſtruimur, remouendũ eſſe ex animis immodicum cognatorum amorem, vt à Deo delictorum veniam facilius conſequamur. Theodor. quæſt. in Paralip. *oportet*, inquit, *nos, cum hæc didicerimus, fugere amicitiam & cognationem eorum, qui Deo ſunt inuiſi*, vt nimirum ſolius Dei amicitiam alijs omnibus præferamus, & cognationem cum eo ſpiritualem contrahere ſatagamus, quam etiam Chriſtus Dominus, in hoc Euangelio, carnali prætulit.

[Margin: Lyran. — Theodor. — Remunerat Deus eos qui cõſãguineos non curãt, ut diui[n]us cultus ſeruetur. — Hieron. — Paralip. — Lyran. — Malis cõſãguineis renunciantes veniã obtinent peccatorũ — Theodor.]

18 Hoc faciebat D. Paulus, qui poſt vocationem ſuam, ex perſecutore Apoſtolus, vt Chriſti veſtigia ſequeretur, cõſanguineorum immodico affectui renunciauerat; vnde ad Galat. 1. ℣. 15. *Cum placuit*, inquit, *ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam, vt reuelaret filium ſuum in me, vt euangelizarem illum in gentibus* (reuelationis huius, & euangelizationis ſpiritu repletus) *continuo non acquieui carni, & ſanguini*, ideſt, *filijs, & nepotibus. ſed noſtri Prelati pluribus talibus acquiaſcunt*, ait ad hunc locum Hugo Cardin. in quo ſecutus eſt expoſitionem Oecumenij, quam refert Iuſtinian. qui, *per carnem, & ſanguinem*, inquit, *Patriã, & cognatos intelligit, nec profectò malè*. eſt ergo illorum Pauli verborũ ſenſus; ſimul ac placuit Deo vocare me ad officium Apoſtolatus, & ad miniſterium Euangelicæ prædicationis, ex tunc non acquieui, nec multum curaui mortales meos cognatos; diuini miniſterij deſiderio, terrenorũ cognatorum amorem expellente. &, quod maxima obſeruatione dignũ, hic præ-

[Margin: Galat. — Paulus nõ acquieſcebat carni, & ſãguini ideſt conſãguineis — VgoCard. — Oecumen.]

terire

Ecclesiastici non debent tristari morte suorum

terire non possum. In veteri testamento, vt vult idem Vgo, præcessit huius rei figura in Aaron; qui, cùm præparasset se ad sacerdotium suscipiẽdum, eoq; solemniter fuisset inauguratus, in illa celebri, & solemni cæremoniali pompa, inter plaudentis populi faustissimas precationes, duos filios natu maiores, siccis oculis, misere pereuntes vidit; &, quos vniuersus populus extinctos luxit, ijs mæstus parens, ne breuibus quidem lachrymis, parentauit; hoc enim Dei nomine prohibuerat illi Moyses, vt habetur Leuit. 10. ℣.6. *Locutus est Moyses ad Aaron,&c. capita vestra nolite nudare, & vestimenta vestra nolite scindere*(quæ erãt tristitiæ, & luctus signa) *ne fortè moriamini, & super omnem cætum oriatur indignatio*. vnde discere possunt ij, quos Deus ad easdem sacerdotij sedes extulit, quod non debent carni, & sanguini acquiescere, sed ab ipso promotionis die cognatos, & affines pro deploratis, & extinctis habere. & nota, quod filij Aaron vocabantur *Nabad*, & *Abiu*; *Nadab*, idest *spontaneus*, & *Abiu*, idest *Pater meus*, vt explicat Philo de migrat. Abrahæ. itaque vt notat etiam Lorin. in 10. cap. Leuit. per istos illi denotantur, *qui ad honorem sacerdotij spõte se ingesserint; nec iustitiæ meritò, sed carnalis posteritatis priuilegio, sacerdotale officium vsurpauerint*, quos Deus breui consumit ℣. 2. *egressusque ignis à Domino deuorauit eos*; quin, eosdem mortuos, efferri iubet extra castra Moyses, ℣. 4. *ite, & tollite fratres vestros de conspectu sanctuarij, & asportate extra castra*; ne fratrũ etiã mortuorum recordatio Dei ministris noceat. sed expedit hic adducere verba Vgo Card. hunc locum exponentis, & nostro proposito opportuna *legitur*, inquit, *Leuit. 10. quod in die promotionis Aarõ mortui sunt filij eius tũc enim Prælatus debet fieri Melchisedec, qui fuit primus Sacerdos sine patre, & matre, vt dicitur ad Hebr. 7. sed de illis non potest cantari illud responsorium; Tu es Sacerdos in æternum, secundũ ordinem Melchisedec: sed secundum ordinem Aaron, qui postquam promotus fuit; postea habuit filios, quos multum dilexit. & in promotione Prælatorum nostrorum hodie nascũtur eis multi parentes, licet paucos, aut nullos habeant*. Deut. 33. *qui dixerit patri suo, & matri suæ nescio vos, &c. hi custodierunt eloquium tuum*. Hactenus Vgo in quibus seruanda optimis Ecclesiasticis præscribuntur.

Leuit.

Philo.

Lorin.

Qui sponte & sine meritis accipiunt Ecclesiasticos honores puniuntur.

VgoCard.

Melchisedec similes esse debent Ecclesiastici

19 Et quamuis obiter attigerit, non tamen expendit locum D. Paul. ad Hebr. 7. ℣. 3. vbi de Melchisedec dicitur, quod fuit *sine patre, sine matre, sine genealogia, neq; initium dierum, neque finem habens: assimilatus autem filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum*. multa sunt Sanct. Patrum dicta, exponentium, quo pacto intelligi debeant hæc Pauli verba, Melchisedec sine patre, matre, & genealogia fuisse asserẽtis. sed quoniam tamquam optimus sacerdos, & Dei minister laudatus fuit Melchisedec, ideo crediderim, quòd illum Spiritus sanctus voluerit sine patre, & matre appellari, quia, quamuis & patrem habuerit, & matrem ex quibus genus duxit, tamẽ, vt dignius sacerdotio fungeretur, ab eorum studio, & superuacuo amore animum suum ita subduxit, vt quasi sine patre, & matre dici meritò potuerit: & in hoc assimilatus est Christo, qui ministerio verbi Dei intentus, visus est non agnoscere matrem, nec consanguineos: *qui sunt fratres mei, & quæ est mater mea?* Pro cuius Saluatoris nostri exempli intelligentia, videtur mihi opportunum adducere doctrinam Vgon. Card. sæpius in hac materia citati; qui in Psalm. 51. ℣. 7. exponẽns verba illa, *euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicẽ tuam de terra viuentium*, de cognatis, & affinibus hæc dicta fuisse putat; & *radicem tuam*, inquit, *idest neputulos tuos*; quæ expositio deducta est ex vi istius vocis *radix*, quæ vt etiam docet

Hebr.

Melchisedec sine cognatione, typus optimi ecclesiastici

VgoCard

Lorin.

Lor. n. Lorin. inter cætera significata, etiam prolem denotat. *Euthymius*, inquit, *docet per radicem intelligi generationem, ac stirpem Doeg, tã præteritam, quàm futuram, tum parentes, ex quibus productus est, tum filios, ac posteros, quia radix sunt aliorum, quibus ab eis generantur*, hanc igitur radicem, cui pleriq; plus nimio de perpetuitate, & propagatione confidunt, euellit de terra viuẽtium Deus, vt fecit Nadab, & Abiu, vel ad Christi factum in hoc Euangelio aptius dicamus, quod his radicibus securis humanę rationis debet imminere, qua inordinatus affinium affectus præcidatur; sicuti præcidere visus est carnalem omnẽ affectionem Iesus per illa verba: *qui sunt fratres mei, & quæ est mater mea?* adeo vt plerique hæretici, quamuis temerè, hinc potissimũ probare conati fuerint, Christum Mariæ maternitati his verbis quasi renunciantem, non verum hominem, sed phantasma fuisse. sunt itaque consanguinei *radices*: obseruant agricolæ, eas arbores quæ altius debent assurgere, ita natura exigente, altius etiam esse in terram pangendas, quo inferius radices agant: quanto igitur Prælati magis per nepotes, & posteros suos sese eleuandos, & extollendos esse cõfidunt; tanto radices istæ magis ad ima terræ descendunt, idest, terrenis rebus immersi, terrena tãtum amplectuntur, donec ad inferna deueniant.

Consanguinei tãquã radix euelluntur.

Quo altius eleuãtur Prælati eo magis descẽdunt affines.

Sacer text.

Ecce Mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te: at ipse respondens &c.

CAP. VI.

Ostenditur efficacia orationis & intercessionis V. Deiparæ pro suis deuotis apud Deum.

SVbitam quandam in Christo Saluatore, ex aduentu Virginis Matris, mutationem attentius cõtemplari, & de eius causa aliquid comminisci, ijs qui sanctissimæ Virginis intercessioni, quãtum par est, idest, plurimum deferunt, non ingratum fore credidi. Videbatur Iesus seueri Iudicis personam suscepisse, qui peccatoribus non solum æternas pœnas reseruatas esse prædixerat in futura vita illis verbis: *viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabũt eam &c. Regina Austri surget in iudicio cũ generatione ista, & condemnabit eam &c.* sed etiam in præsenti recidiuantibus, multo maiora mala ijs, quæ euaserant, instare vaticinatus fuerat: *erunt nouissima priora prioribus* addiderat insuper contumelias: *generatio mala, & adultera &c. sic erit, & generationi huic pessimæ &c.* adeo vt deposita insita sibi mansuetudine, in illo, contra reprobos, sæuiendi ardore sæuitiẽ tantum, & minaces voces preseferret. sed quemadmodum Troianos fabulati sunt Poetæ, quæ contra Helenam, & Græcos, illa absente statuerant, eadem in concilium, adueniente, eius forma commotos, irrita fecisse; ita Saluator quæ absente Virgine Matre contra humanum genus iustè decreuerat; eadem aduentante *adhuc eo loquente ad turbas, ecce Mater eius &c.* quasi sententiam mutans, abrogat; iram ponit; & intercisso eo, quem de pœnis exorsus fuerat sermone, ad lætiora conuersus, de ijs gaudijs, quæ facientibus voluntatem patris, & Regni paterni futuris cohæredibus debentur, pertractat: *Quicumque fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* ex quo excitari debet illorum semisopita inertia, qui efficax hoc præsidium negligenter quærunt; & eorum augeri fiducia qui indeficiens Virginis Mariæ patrocinium in aduersitatibus sedulo implorant; cùm hoc facto sperare possint, iram Dei in mansuetudinem; truces minas in blandas promissiones; iustas pœnas in vberrima præmia (diuina

Præsentia V. M. Iram Dei mitigat.

se Mariæ precibus inclinante clementia) conuertendas. Cuius argumẽtum capio ex Cantic. 8. ℣. 6. *fortis est, vt mors dilectio: dura sicut infernus æmulatio.* Matth. Cantacuz. *Durus sicut infernus zelus* &c. & hoc de B. Virg. exponens subdit in persona eiusdẽ. *zelus .i. te à meo auerso populo, eiq; succensente, dura res est sicut infernus: videlicet, grauissima res est, & summum, ingentemq; mihi dolorem affert.* Quam grauate fert Virgo cum diuinam indignationem eiusque flagella hominum videt ceruicibus imminere? quam illi durum est Deum contra nos irasci? vt igitur hunc Mariæ Matris suæ, auxiliũ implorantis, dolorem leniat, & molliat, nihil non eius precibus indulget filius. de efficaci itaq; Virg. Mariæ intercessione, & protectione aliqua sunt nobis in hoc capite explicanda, & Sacrarum scripturarum, ac Patrum dictis adstruenda.

Cantic.

Cantac.

Dolet Maria cum filius peccatoribus irascitur, & precibus illum placat.

2 Sicut enim ab ipsa recedere grauissima pæna est, ita inexplicabilibus præmijs, & prærogatiuis ij cumulantur, qui ad eam deuotè confugiunt. optimè hoc ostendit de eadem Beata Virgin. Matth. Cantacuz. Cantic. 7. ℣. 1. de qua cum multa retulisset, & quã sit sollicita in inuitandis ad pænitentiam peccatoribus probasset: *Cũ ipsis,* subdit, *nihil persuadere potuisset ex ijs, quæ apud ipsos disseruerat, eos quidem longè dimisit; vt non leues luant pænas.* graues itaq; subeunt pænas ij, qui à B. Virgine recedentes longè dimittuntur; sicuti ad eam accedentes omnigenis consolationibus, & tam temporalibus, quam spiritualibus gaudijs recreantur. & attentè hic nota, quod quãuis *mater misericordiæ* verè dicatur & sit; tamẽ obstinatos, & qui eius suasionibus non commouentur, reijcit à se indignabunda, & longius ablegat; & merito: quauis enim etiam sæuissima pæna dignos se esse ij declarant; qui obstinato, & obdurato animo lenissimis eius persuasionibus non obediunt; cum ipsemet Deus eius precibus repugnare nescius, ijs quasi captus ligetur, ac detineatur. Nam Cantic. 4. ℣. 3. eius efficax oratio, & eloquium aptissimum ad persuadendum apud Deum, explicatur similitudine vinculi. *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* sub labiorum metaphora aptè exprimitur efficacia intercessionis apud Deum; vnde etiam Sophon. 3. ℣. 9. vt efficax esse possit populi oratio dicitur eidem restituẽdum *labium electum,* quò aptè inuocare possint Deum; sunt ergo labia B. Virg. Mariæ *vitta coccinea,* quia Deũ quasi vinctum quocumque libuerit trahunt; ita existimauit S. Ambr. in Psalm. 118. ℣. 18. *sicut resticula coccinea labia tua; per resticulam coccineam,* inquit, *vinculum persuasionis agnoscimus.* Simile quiddã narratur in veterũ monumentis de Hercule Gallicano (de quo Lucian. in Præfat. seù Hercul. Gall.) quẽ eloquij, & persuasionis efficacia celebrem finxerunt, non arcu, & sagittis superasse inuitos; sed aureis quibusdam verborum catelunis ex eius ore prodeuntibus, audientium aures illigatas, & animos ita flexisse; vt non instar eorum, qui vincti dicuntur, sed perinde, ac si ductorẽ suũ plurimi faciãt, hilares, & studiosè sequãtur; *si quidem,* inquit, Lucian. *tela ipsius acutos, certos, celeres, & animas saucientes sermones interpretamur.* Sed potentior Gallicani Herculis eloquentia Mariæ Virginis oratio, diuinas aures, suauiter, sed efficaciter feriens, coccinea labiorum suorum vitta vinctum non reluctantem, neque obsistentem, quocumque libuerit flectit, & ducit, vt quot verba, & preces pro peccatoribus emittit, & fundit, totidem vinculis Dei aures reuinciat. Vtinam porrò etiam peccatorum obstinatorum mentes eius persuasionibus deliniti trahi se paterentur, quibus eorum corda assiduo pulsat.

Cantac.

Grauissima pæna est à Maria separari.

M. V. obstinatos reycit.

Cantic.

Labia typus intercessionis.

Sophon.

S. Ambr.

Herculis Gallicani vis in persuadendo. Lucian.

M. V. oratio suauiter diuinas aures ferit.

3 Eadem Cantic. verba aliam expositionem recipiunt, si illa iuxta lectionem Matth. Cantacuz. velimus in-

ter-

Cantacuz. terpretari, qui ex originali textu Hebr. & ex versione Septuag. Interpr. legit hoc pacto: *Veluti linea fabri coccinea labia tua*: seu *funiculus fabri coccineus*. Quorum verborum sensus est, quod labia B. Virginis, idest, illius orationes quibus pro nobis, & ijs qui sub eius tutela viuunt, Deum interpellat, sunt veluti ille *funiculus*, seu *linea*, qua fabri vti solent in mensuris lignorum, quæ non scindunt, nec secant, nisi prius huiusmodi funiculo rubro colore tincto, qui vulgò *magra* dicitur, ea signauerint. Antiqui hunc funiculum ab ipso colore quo inficitur rubricam appellauerunt, vnde Persius.

Persi. *Atq; oculo rubricam dirigit vno.* hanc rubricam adhibere solent ad metiendum quantum ligni scindere debeant, neque inter secandum excedūt ab relicto ab illa signo, aut deficiunt, vt conuenienter non *lineam*, vel *funiculum* simpliciter, sed *fabri* appellauerit Cantacuzenus, quia illi inhæret faber inter secandum. Huic verò benè comparatur orationes Mariæ; eo quia Deus, in distribuendis, seu diuidendis gratijs, ac beneficijs, quæ passim in omne humanum genus munificentissimè dispensat, neque magis, neque minus concedit, eo quod à Beatiss. Virg. Mariæ orationibus designatū est; adeo vt illius preces sint instar *lineæ fabri coccineę*, quę metit beneficia, dona, & gratias, quas Deus diuidit, atque impartitur, eo prorsus modo & mensura, quam B. Virginis oratio præscripsit. Quam enim multifariā Deus omnium bonorum largitor hæc communicet, & diuidat, significauit Apostolus 1. Corinth. 12. ℣. 4. 5. *Diuisiones gratiarum sunt, alij datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, alteri fides, alij gratia sanitatum, alij prophetia; alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum, hæc autē omnia operatur vnus, atque idem spiritus diuidens singulis prout vult.* Vult autem quòd Virgo Maria præscribit, qua intercedēte Petro Apostolatum,

Oratio V. M. bene comparatur funiculo fabri

Ita largitur munera Deus sicut petit Maria.

Corinth.

Laurentio, & Stephano Martyrium, Carolo Borromæo in Episcopali dignitate, feruens salutis animarum desiderium, & studium, BB. Andreæ, & & Caiætano inconcussam fidei Christianæ confessionem hæreticum propulsationem contigisse Domino annuente piè credere possumus, & quēadmodum ij, qui in hac vita varijs ditantur meritis, in futura paribus ornantur, & decorantur præmijs; ita etiā existimare, & affirmare possumus, ꝙ varij gradus gloriæ, diuersitati donorum, & meritorum respondentes sanctis, & electis tribuantur, per eandem Virginis intercessionem.

Futuram gloriā impetrat nobis Maria.

4 Vt propterea S. August. serm. 18. de sanctis, ita Deiparam deprecetur. *O Beata Maria admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis.* sciebat nimirum quòd ipsa Virgo a Deo constituta fuit tamquam Præfecta, seu Custos sacrarij in quod fideliū orationes delatæ reconduntur, vt inde postmodum ad Deum adducantur Hildebert. Cænoman. Episc. epist. 37. tom. 3. Biblioth. SS. Patr. *Hi profectò*, inquit, *quod in administratoria dispensatione delinquunt, in sacrario contemplationis deplorant*, Quod si in hoc sacrario à B. Virgine non reponantur, neq; ipsi Deo postmodū ab eadem S. Deipera repræsētēt irritæ sunt, & ideo ipsa enixè rogatur: *admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis.* Nota tamen, quòd non quicunque locus, sed *sacrarium* dicitur vbi reponuntur orationes; ea opinor ratione, quia in sacrario non nisi res sacræ asseruantur, vt præter nomen ipsum, Sacram scripturam, & Patres, docemur in l. sacrariū de rerum diuis. Innuit itaq; Augustinus B. Virginem, quæ præest sacrario, seu potius (vt in eius officio canit Ecclesia) ipsa est *sacrarium Spiritus sancti*, in quod fidelium receptæ fideliter asseruātur, & custodiuntur orationes, eiusmodi sacrarium esse in quod prophanæ orationes, & peccatorum preces locum non habent; neque enim

S. August.

Maria præest sacrario diuinarum gratiarū.

Hildeb.

In orationibus spiritualia maxime petenda sunt.

Deus, aut eius sacraria Maria peccatorum verbis aures accomodat; quemadmodum sub ipsius Dei persona dicebat Isaias cap. 1. ℣. 15. *Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plena sunt.* non est itaq; prophanis precibus aditus ad sacrarium, quo summus sacerdos semel tãtùm in anno coram Domino se sistebat nisi peccatores resipiscant. Vel illæ orationes dicuntur non pertinere ad sacrarium, quæ ad Dei gloriam non diriguntur; sed habent pro fine aliquid temporale, & solum sæculi vanitatem spectant, v. g. temporalium rerum copiam, dignitates, honores, & his similia; pro quibus oblatæ preces meritò è sacrario exploduntur, indignæ quæ in venerabilissimum locum deferantur, cùm hanc tantum profanam terram sapiant, & ad Dei gloriam minimè dirigantur.

Isai.

Quæ orationes recipiuntur in Mariæ sacrario.

5 Imò si strictius facere vim velilimus in verbis D. Augustini, vocatur Dei Genitrix *sacrarium exauditionis*, quasi ipsa sit quæ præest auditionibus, vel potius ipsamet sit sacrarium, in quo omnes *Dei exauditiones* sunt, omnes gratiæ, concessiones, dona & ipsum *Dei fiat*. Nullum enim donum Dei, e sacrario, seu donario diuinæ eius Maiestatis egreditur, nec oratio aliqua ad eadem impetranda ingreditur absque B. Virgine Maria; adeo vt ipsa sit veluti Dei Datarius; sine cuius ope, nec supplices nostri libelli ad Deum peruenire, nec gratiarum inde concessiones redire possunt. Dicuntur verò *exauditiones sacrario* contineri, quas enim Deus nobis gratias elargitur, ad suam gloriam, & ad animarum salutem vult pertinere. vt meriro dici possint *sacræ exauditiones.* Quicunque itaque temporalia à Deo postulat, & recipit, & munera diuina sibi collata ad Dei honorem non ordinat, ipsa quodammodo Dei dona profanat. Sanctus Hildebert. Episcopus Cænomant. epist. 37. *Occursantium*, inquit, *turba negociorum sacrarium contemplationis occludit.* & excludit meritò quia sacris profana miscenda nõ sunt: ideo sacrarij exauditionis fores, similibus reserantur orationibus.

Maria Præses exauditionũ Dei.

Quomodo diuina munera profanentur.

Hildeb.

6 Progreditur in dilatanda Mariæ apud Deum intercessione S. Cyrill. Alexandrinus homil. Ephesi habita contra Nestoriũ, relata in Concil. Ephes. par. 2. Act. 1. *salue*, inquit, *Deipara Maria venerandus totius Orbis thesaurus.* Quibus verbis rerum omnium etiam temporalium, nec non earum quæ animalibus communia sunt, penes B. Virginem copiam, tamquam in thesauro esse significatur; vt omnia vel naturalia, vel supernaturalia ipsi sint in acceptis referenda, ipsa etiam lucis, & solis vsura, qua etiam bruta fruuntur; & munera quæcumque vel maxima, vel minima sint, ab ea impetranda, vel per eam. Eccli. 24. ℣. 6. *Ego feci vt oriretur in Cælis lumen indeficiens,* quod à Deo primum productum fuit ad Hominum, & totius naturæ creatæ conseruationem; cætera etiam similiter à Maria tamquam ex vberrimo Dei thesauro eruta fuerunt, vt diffusè tradit Spiritus sanctus Prouerb. 8. Neque parum quis existimet id quod Virgini tribuitur, dum *Thesaurus* dr̃, nam præterquam quod omnes thesauri pretiosi sunt, & maximi valoris, ipsius Dei thesaurus dici, res est omni humana dignitate superior. Baruch. cap. 3. ℣. 15. *Quis inuenit locũ eius* (Dei) *& quis introiuit in thesauros eius?* si. n. paucissimis datũ est Dei thesauros inuenire, vtique splendidissima, & pretiosissima ijs contineri oportet. sed considerandum præterea hoc loco est, appellatã Mariam à Cyrillo *venerandum thesaurum*, vt & prætij valorem, & dignitatis in ea æstimationem admirabili nexu coaluisse intelligamus; in qua thesaurus valore inæstimabilis, & dignitate venerandus vniuntur.

S. Cyrill.

Maria thesaurus orbis.

Eccli.

Baruch.

Dignitas, & prætiũ V. M. ostenditur.

7 Quod si etymologiam hujus

vocis

vocis *thesaurus* præcipuè ex Græcis, (qui illam sacræ imposuerunt Virgini) inuestigemus, aduertemus profectò, idem apud Latinos esse thesaurum, atque apud Græcos *κειμήλιον cimilion* ita Rabi Dauid in cap. 3. Malach. vnde qui huiusmodi thesauris præerat Cimeliarcha appellabatur à Græcis; de quo mentio fit in l. *cum apud* §. *fin autem* C. de Bon. aut. Iud. ibi. ***Nec viros Reuerendissimos Oeconomos, vel Cimeliarchas sanctæ Ecclesiæ, in qua pecuniæ deponuntur,*** &c. & paulo infra. ***præsentibus non tantum tabularijs, sed etiam Reuerendissimo Cimeliarchâ, apud quem superflua pecuniæ signatæ deponendæ sunt.*** Quod nomen, & consuetudo ab illis vsque deducta temporibus adhuc seruatur, & viget in Cathedrali Ecclesia Neapolitana. Cum enim hæc Ciuitas Græcorum Colonia extiterit, adhuc plurimas Græcas voces retinet: non tamen idem hodie munus, & ministerium quod prius. Est itaque B. Virgo Dei *Cimelion*: vnde omnia desiderabilia pro humana salute depromuntur. neque à Doctorum virorum doctrina recedet, qui illam Dei etiam *Cimeliarchin* appellauerit. tum quod thesaurus plerumq; appelletur etiam locus in quo latet thesaurus, vt docet Guid. Pancir. notiti. occident. Imper. cap. 36 & ideo locus in quo Infinitus Dei thesaurus latuit idem nomen meretur: tum etiam quia, eadem loquendi formula de Dei Genetrice locutus fuit Idiota in Prolog. ad contempl. Virg. *Sæpè* inquit, *quos Iustitia filij potest damnare; Matris misericordia liberat; Quia thesaurus* Domini *est, & thesauraria gratiarum ipsius.* quod est, eandem *cimelion, & cimeliarchin* appellare; vtpotè quæ vniuersis Dei thesauris, vel naturalibus, vel supernaturalibus præest; quæ nemini dispensat summus ille Imperator absque Cimeliarcha (idest) Beata V. ne illi quicquã de suo munere detrahat. si ventũ quis cupiat, quo leniter impellente,

R. Dau.

Cimiliarcha quis fuerit. l. cum. C. de Bon. &c.

B. V. Maria Dei Cimelion.

Guid. Pancir.

Idiota.

Maria thesaurus, & thesauraria Dei.

nauis vndas secet; hunc, cum petendus sit è thesauris Dei, qui Ps. 134. ℣. 8 *producit ventos de thesauris suis*, à Maria Virgine thesauraria postulet, in cuius potestate sunt diuinorum bonorum thesauri. Contra si cui ventus noceat, qui plerumque domino permittente noxius esse solet vt Iob, cui propter ventum maxima contigerunt infortunia. Cap. 1. ℣. 18. *filijs tuis, & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum, in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit è regione deserti, & concussit quatuor angulos domui, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt.* ab his, & similibus ventorum aduersitatibus, si qui affligi, vel opprimi verentur, B. Virginis patrocinio seruari possunt: vtpotè ea, quæ Cimeliarcha, & thesauraria Dei est, sine cuius voluntate, & potestate nil è thesauris egreditur, aut in thesauris reconditur. premitur quis aquæ penuria, præ siti iam enectus? clamet ad Deum cum Moysi Numer. 20. ℣. 6. *aperi thesaurum tuum fontem aquæ viuæ*, idest Beatissimæ Virginis Mariæ gratiarum fontem, & perennium aquarum thesaurum. Cæli, & Anni inclementiam timemus, ne nimio gelu, & niue arescant segetes, aut grandine concutiantur fructus, atque inde penuria nos premat; hæc vt accedant, vel recedant in Virg. Mariæ manu situm est Iob. 38. ℣. 22. *Numquid ingressus es thesauros Niuis, aut thesauros grandinis aspexisti*; præest autem his thesauris Dei mater, quæ claues ad illos obserandum, aut aperiendum possidet. Sed quoniam nullus est in humanis thesauris sapientia præstantior, ac preciosior, de quo Sapient. cap. 7. ℣. 14. *Sapientia Infinitus est thesaurus hominibus, quo qui vsi sunt participes facti sunt amicitiæ* Dei; propterea ijs etiam, qui hanc possidere desiderant ad diuinam Thesaurariam est recurrendum. Eccli. 1. ℣. 26. *In thesauris sapientiæ, Intellectus, & scientia religiositas.* Quin nec verorum amicorũ

Psalm.

Iob.

Numer.

Aquarũ fons apud Mariam.

Iob.

Sapient. Thesaurus sapientiæ penes Mariam.

Eccli.

Sapient.

debitorē cui simile est illud Prouer.19 ℣.17. *qui meſeretur pauperi; fœneratur Deo* à quo miserationis ſuæ obligationem reportat. ſeruat huiuſmodi chigraphum, & cuſtodit Maria inter cæleſtia cimilia. ab ea itaque & per eam æternam gloriam expectamus, quam prolato apud Deum diuinæ promiſſionis chirographo inſtat nobis concedi.

9 Spectabat poſtremo ad Cimeliarcham conſeruare arma bellica, ſi quando vſus poſceret proferenda. Homer.Iliad. *multa autem in opulenta Patris domo condita iacent, æſque & aurum, elaboratumq; ferrum.* quo loco per *ferrum elaboratum* armorum omne genus intelligendum eſt. Habet etiam Deus ſua arma, quo enim pacto *Deus vltionum, Deus exercituum* ſe dici iuberet, ſi armorum apparatu deſtitueretur? quin armorum ſuorum meminit Deutor.32. ℣.41. *Si acuero vt fulgur gladium meum, &c. inebriabo ſagittas meas ſanguine, & gladius meus deuorabit carnes de cruore occiſorum.* Hæc in armamētario, & theſaurario ſuo aſſeruari Deus iubet, donec prouocatus à peccatorum flagitijs, Ierem.50.℣.25. *aperuit Dominus theſaurum ſuum, & protulit vaſa iræ ſuæ, quoniam opus eſt Domino exercituum in terra Chaldæorum*. Sed hæc arma inter cimelia, & Dei theſauros relata, ſunt in poteſtate Beatiſſimæ Virginis Mariæ; quia nec punit quemquam, nec flagellat Deus, ac ne leuiter quidem ferit, niſi ex conſenſu Beatæ ſuæ Genitricis, quæ ei ex armamentario, arma ſubminiſtrat; ſed vt eſt in humanum genus ſummopere pia, eadem in humanam perniciem parata vt plurimum extorquet è diuinis manibus; redditque illum ex irato, & truci, mitem nobis, atque benignum, vt hodierni Euangelij experientia cōprobauit, & nos in principio huius cap. diximus.

De arma quæ nam ſint.

Deut.

Ierem.

Arma Dei ſeruat V. M.

M.V. armatum Deum placat.

10 Explicabimus hoc idem clarius ſi S.Bonauent. quædam de B.Virgin. verba myſtica obſeruauerimus, in Pſalt. enim Breui. *Aue*, inquit, *Virgo Dei Cella*, mira hæc prima fronte videri poteſt compellatio. Nouimus certè Beatam Virginem alicubi vocatam fuiſſe *domum Domini*, ob eius incolatum, plerumque *templum Domini* ob cultum; ſed nuſquam legimus alibi dictam *Dei cellam*. Quid itaque hoc ſibi vult? Acceſſit ad hanc loquendi formulam S.Petrus Damianus, à quo V.Maria, *Conuentus, Collegium virtutum*, dicitur. Priuſquam Deus ex immaculata Virgine carnem ſumeret, inhumanus quaſi & ferox haberi volebat. itaque *Deus vltionum* dictus eſt Pſalm.93.℣.1. *Deus exercituum*. Iſai. 1.℣.24. *ait Dominus Deus exercituū fortis Iſrael &c.* quæ nomina ſæcularem quendam faſtum, & irreligioſam iactantiam præſeferunt, cum autem in venerabiliſſimum illud Virginis vterū deſcendit, tamquam (vt ſecundum noſtrum intelligendi modum, & captum loquamur) ingreſſus in *Conuentum* Religionis, & *Collegium* ſanctitatis, ac virtutum, imo tamquam in humilem *Cellam*: ex ſæculari factus eſt Religioſus, mutauit terribile illud *vltionis* nomen, pro quo amat dici *miſericors*; Qui prius elatus, & liber erat; Humilitatem profeſſus eſt, & obedientiam vouit. Ad Philip.2. *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem*. Pro vltricibus itaque & lædentibus armis, auxiliaria, & miſericordiæ arma in hac cella inuenit, vt benè ab Apoſtol.2.Corin.1. *Deus miſericordiarum, & totius conſolationis* appelletur, *qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra*; & conſidera mirabilem eius conuerſionem; ille quidem prius Pſalm. 97. ℣. 2. *magnus Dominus* dictus eſt; nunc Iſai.9. ℣.6. *paruulus datus eſt nobis*. Qui pridem Deus exercituum furorem tantummodo, & bellum ſpirabat, nunc Pſalm.84. ℣.9. *loquitur pacem in plebem ſuam*; Qui prius Leo erat Iſai.38.℣.13. *Quaſi leo ſic contriuit omnia oſſa mea*. & Amos

S.Bonau.

Variæ M. appellationes.

S. Petr. Damian

Pſalm. Iſai.

Vterus V. M. tāquā conuentus & Cella religioſorum.

Philip.

2. Corin. Mira in Deo mutatio ex quo car ē ſuſcepit ex immaculata Virge.

Pſal. Iſai.

Pſalm. Iſai. Amos 5.

Luc. Maria humiliando se exaltatur.

dubitationem ipsamet soluit in mirabili suo cantico Luc.cap.1.non ℣.52. *deposuit*, inquit, *potentes de sede*, propterea inclinauit se, ne deponeretur, sed inclinata resurgit, quia Deus *exaltauit humiles*, & ita fuit Aurora inclinans se per humilitatem, & consurgēs per diuinam gratiam, quia dum se Domini ancillam professa est, supra choros Angelorum elata fuit. sed magis ad propositum nostrū dicamus, quod quanto magis extollebatur donis, honoribus, & virtutibus à Deo infusis; eo sibi ipsi humilior, & dimissior esse videbatur, & quantum coram Deo consurgit, tantundem coram hominibus inclinat se, & deijcit. Vel dicamus, quod quamuis ad Deum per mentis eleuationem, & puram conscientiam ascendat, amoris intentione, & orationis feruore ad illum eleuata; tamen originis suæ memor, se ipsam ad nos inclinat, nos nostraque fouere, & tueri gaudet, preces nostras respicit; excelsior facta, & Angelorum Regina, peccatores adhuc non respuit, sed illorum se clamoribus inclinat; lōgè secus quam mundanæ mulieres, quæ in aliquem vel diuitiarum, vel honorum, gradum eleuatæ, iā compares suas salutare, & respicere dedignantur.

Mariæ in maxima dignitate, humilitas extollitur

Maria Angelis superior, & hominum precibus inclinatur.

12 Et iure debuit se inclinare per misericordiam, vt vota supplicum audiat quæ Deo representet; est enim tamquam mediatrix, quæ Deum inter & homines pacem tractat, vulgo diceremus *Pactera*, ideo debet vtrinque hinc Dei, inde hominum prætensiones audire; & propterea consurgit, quando cum Deo agit, inclinat se quando cum hominibus, vt sic mundū reconciliet Deo; & hinc est, quod Cātic.8. ℣.10. ministra pacis appellatur, *ex quo*, inquit, *facta sum coram eo, quasi pacem reperiens*. perijsse iam, & excessisse ex mūdo videbatur pax, Isai. 48. ℣.22. *non est pax impijs*, & Ierem. 8. ℣.11. *dicētes pax, pax, cū non esset pax.* hanc tñ sola Maria reperit, & pro hominū salute protulit, de qua Isai.9. ℣.6. *& vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Simile quid narratur in historijs, & ex Cæl.lib.23. cap.1. refert auctor Polianth.t.1. fol. 218. de Pieria, quæ vna ministra fuit sæuissimi belli, quod inter Myuntios, & Milesios ardebat dirimendi, & firmissimæ inter vtrosque pacis confirmandæ. huius enim Pieriæ amore incensus nobilis iuuenis Milesius nomine Phrygius, cupiens ei gratificari, percunctatus est ab illa, *quid facere posset quod illi gratissimum foret*; cui modesta puella prudenter respondit, gratissimum sibi fore, *si Miletum multis sæpè comitibus securè eundi facultas ab illo daretur*. quod Phrygius de pace iuxta ipsius mentem interpretatus, ita cum Milesijs ciuibus suis egit, vt pacis iustæ conditiones vtrimque & proponerentur, & reciperentur, stabiliretur que firmissima concordia; ex quo Pieriæ postmodum tam celebre fuit nomen, vt deinde in mulierum votis id vnum precarentur *sic se amari, sicuti Pieriā Phrygius adamaßet.* Cæpit virtutū sua egregia, & venustissima pulchritudine Dei filium Beatissima Virgo, quo tempore maximum ardebat bellum inter Deum, & homines, cum isti iniustè aduersus Deum suis peccatis rebellassent; amantem enim Deum arguunt verba illa Cantic.4.℣.9. *vulnerasti cor meum soror mea sponsa*; cupiens itaque tantæ amicæ in omnibus gratificari, vt veri amantes solent, omnia se, quæ illi grata, & iucunda fore cognouerit impleturum pollicetur cum Cantic. 2. ℣. 14. illi dicit. *sonet vox tua in auribus meis*. quasi dicat. fac me tantum audire tui petentis vocem, quicquid petieris illico impetratura; in hunc enim sensum de precibus Mariæ Virginis, hæc eadem Cantic. verba interpretatur est Fernand. in Genes.cap.19.sect.15. num.3. cuius etiam facti figura præcessit in Salomone, qui 3.Reg.cap.2.postulata se omnia concessurum Matri suæ dixit

Maria reconciliatrix inter Deum, & homines.

Cantic.

Isai. Ierem.

Isai.

Maria inuentrix pacis quæsitæ. Cæl.

Prudentissimæ mulieris honestum factum.

Cantic.

Mariæ gratificari Deus desiderat, eiusq. preces audire

Fernand.

℣.20.

℣. 20. ... mater mea, neque enim fas est, vt auertam faciam meam; & ad illa verba similia Cantic. 8. ℣. 13. *fac me audire vocem tuam.* Dionys. Carthus. in Cantic. artic. 27. de Virgine Deipara; *orationes*, inquit, sub Dei persona, *quas pro fidelibus, & impijs fundis amorose percipio*; ac si dicat, nihil illis denegare possum. Sed Maria cui nihil charius, nihil antiquius peccatorum salute est, nihil habet quod libentius petat, aut pro quo efficacius laboret præter cócordiã inter Deũ, & homines; ideo hos illi reconciliatura, *ex quo facta est coram eo quasi pacem reperiens*, hoc enixe petit ab amatore suo, vt multis sæpè ciuibus suis commeantibus possit ad Cælestem patriam ire, idest, vt quamplurimos homines possit in cælestem Hierusalem introducere: Quam eius voluntatem hominibus benefaciendi intelligens filius, inito cum humano genere fœdere, firmissimam inter Deum, & homines stabiliuit pacem; qua stante vtrimq; maxima cum libertate agitur, & sic sola virgo facta est corã eo quasi pacem reperiens, vt deinde aliæ omnes mulieres Mariæ fælicitatem prædicent Luc. 1. ℣. 48. *beatam me dicent omnes generationes*, & ita se à Christo sponso amari fidelis, & deuota anima cupit, sicut intemerata Virgo amata fuit, cui fecit magna, qui potens est; Quæ omnia ad Dei Matris laudem, sed ad summam etiam nostra referenda sunt vtilitatem.

Cant.

Dionys. Carthus.

Pacem à Deo pro nobis petit V. Maria

Luc.

13 Constituta itaq; inter Deum, & homines pace, ne redintegrari possit odiosum sibi bellum, Dæmones vtrorumq; hostes sua præsentia fugat, facta illis terribilis, & terrifica. placet mihi pro hac re demostranda locus ille Cantic. 8. ℣. 6. *lampades eius lampades ignis, atque flammarum* pro quibus Matth. Cantacuz. legit, *pinnæ ipsius, quæ in orbem sunt pinnæ ignis, flammæ eius*; ad quem locum notat P. Vincent. Riccar. noster, quod vox πτέρυγα, non pinnas absolutè, sed pinnas, quæ vndique cingant significant. Quas igitur flammeas pinnas his verbis circa Mariam laudat sponsus? pro intelligẽtia necesse est nosse quod narrat Pier. Valer. lib. 7. tit. *formido*. in Sicilia vetustum, & iucundum exerceri venationis genus: nobiles enim conuenientes cum venatorijs armis, & instrumentis ad locum vbi Ceruos congregatos esse compererunt prodeũt, habet quilibet ex venatoribus fasciculum virgarum, quarum alterum caput perforatum est, vnde funiculus transmitti potest; circundantes itaque locum, virgis in terram depactis funiculum extendunt, sicq; feras concludũt. *Virgis ita dispositis pennarum punicarum, quas in hunc vsum magno numero fucatas habent fasciculos ad traductum per virgas funiculum hic, & illic alligant qui aura, vel leuissima impulsi varia iactatione mouentur*, tum venaticis canibus inclusas feras agentes, has vbi ad pensiles pennas peruenere pauefactas sagittis conficiunt. refert etiam eadem ferè Nemes. in Cinyget. ex quo colligitur quod non solum Cerui, vt refert Pier. sed alia etiam sæuiora animalia ita capi possunt, ideo ad hunc morem alludens Senec. lib. 2. de Ira. cap. 12. ferarum omnis generis meminit. *Cum maximos*, inquit, *ferarum greges linea pennis distincta contineat, & in insidias agat, ab ipso effectu dicta formido.* Simili arte quis nesciat infernalium bestiarum agmina à fidelibus superari? puniceæ enim pennæ virtutum charitatis, & misericordiæ, quæ in orbem disponit Beatissima Virgo, ita Dæmones perterrent, & fugant, vt facile à suis deuotis confici, & superari queant; fit enim illis rutilans Mariæ charitatis feruor formido, vnde Cant. 6. ℣. 9. vbi legitur *terribilis vt castrorum acies ordinata*; reddũt Septuag. Interpr. in abstracto, *Formido vt castrorum acies ordinata*; quæ hostibus formidabilis, & formido suis est mitissima protectrix.

Mariæ vis in fugando Dæmone.

Cantic.

Vincen. Riccard.

Pier.

Iucundũ genus venandi ceruos.

Nemes.

Senec.

Charitate & misericordia Dæmones fugat Maria.

Cant.

14 Duæ ex eiusmodi terribilibus

feris

feris erant mors, & peccatum;mõstra hominibus inuisa semper,& formidanda,quæ etiam per Mariam fugata fuerunt, & confossa.expendamus hic locum Ioan.11.ex quo apparebit quod intendimus. Fuit Lazari resuscitatio veluti symbolum reparationis totius humani generis,quod Christus venerat saluare, & viuificare mortuum iam propter peccatum,vt colligitur ex sermon.64. S.Petr. Chrysol.narrat itaq; S.Euangelista Ioan. loco citato quod in resuscitatione Lazari Martha, quæ Euæ Matris, & peccatorum typum in hoc gessit, postquam Christo Saluatori confessa est, accersiuit Mariam, quæ propter nominis similitudinem significat Virginem Deiparam;vt enim reuiuisceret Lazarus, & mors quæ illum detinebat fugaretur necessaria fuit Mariæ præsentia sine qua inuicta, & interrita mors semper restitisset, nec peccatum deletum fuisset: sed ad eius solum nomen formidolosa recedit,& Lazari, idest humani generis viuificatio fugata morte, & deleto peccato consequitur;quod significans idẽ S.Petr.Chrysol.eod.serm.*vbi*,inquit, *Martha confessa est Christo, & quicquid est culpa, non in persona mulieris pia confessione deleuit, mittitur ad Mariam: quia sine Maria nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari. veniat Maria: veniat materni nominis baiula, vt videat homo Christum virginalis vteri habitasse secretũ quatenus prodeãt ab inferis mortui,mortui exeãt de sepulchris.* grassabantur enim mors, & peccatũ illius ductor in vniuersam Adam posteritatem,& nemine illis resistente tot iam hominum millia impunè prostrauerant;cum Maria generis humani stragem miserata validiorem, & vtrique parem athletam produxit, qui de illis animose triumphauit,ideo canimus illud 1.Corinth.15, ℣.55. *vbi est mors victoria tua, vbi est mors stimulus tuus? stimulus autem mortis peccatum*; ideo etiam in Lazari resuscitatione, vbi contra mortem & peccatum pugnandum erat quia Mater Maria adesse non poterat, materni saltem nominis baiula aduocatur, & altera hæc Maria solo nomine illi par, pro Virgine Deipara vicariã operam præstat, & sic prodeũt ab inferis mortui,mortui exeunt,de sepulchris. Hanc igitur de morte, & peccato victoriã V. sãctissimę debemus,cuius sub nomine de istis infensissimis inimicis triumphamus; & propterea Martha, idest peccatores ad Mariam mittitur, vt ab ea mundetur, quemadmodum leprosi, vt mundarentur ad sacerdotem missi sunt Luc. 16. ℣. 14. *ite ostendite vos sacerdoti, & factũ est dum irent mundati sunt*. nec illud prætereundum, quod Martha post confessionem mittitur ad Mariam,vbi *quicquid culpa pia confessione deleuit*, quia dimissis culpis accedendum est ad Mariam, & maculas abluat necesse est, qui Mariam vult habere aduocatam; sed hoc obiter.

15 Illud ad rem nostram, quod ad Mariam accedendum est ijs,qui salutem consequi desiderant, à qua vna accepimus veram salutẽ, & salutis auctorem, & ideo Angelus in augustissima illa legatione ad Mariam quæ habetur Luc.1. cum bis nominis Christi meminisset, primum ℣. 31. cum dixit *& vocabis nomen eius Iesum*; iterum cum ℣.sequenti subdit, *filius altissimi vocabitur* diuersimodè locutus est. Si itaque (dicet quis) vocandus erat Iesus, vt quid oportuit subdere, *& filius altissimi vocabitur?* Quia duo nomina Christo conueniunt, alterum, qua Deus est, Patri æterno, & immenso coæqualis, & hoc nomen nullus hominum aut percipere, aut pro rei maiestate exprimere congruè potest. de quo Exod.6.℣.3. 4. *ego Dominus qui apparui Abraham &c. & nomen meum Adonai non indicaui eis.* alterum vero, qua homo pro nobis factus,genus humanum redimẽdum suscepit; sicut itaque vt Verbum spectat ad Patrem,qui illum appellauit filium Psalm. 2. ℣.7.

Ioan.

S.Chrysol.

Maria V. fugat mortem.

Maria vitæ reparatrix.

1.Corint.

Etiam nomen Mariæ cõtra mortem peccatum efficax.

Luc.

Luc.

Christo propter duas naturas duo nomina tribuit Angelus.

Exod.

Psalm.

Dominus dixit ad me filius meus es tu, ego hodie genui te; quo pacto de illo dixit Angelus, *filius altissimi vocabitur*; ita etiam ad Virginem sanctissimã, vt Iesus est, & Saluator pertinet; ideo tu ait Angelus *vocabis nomen eius Iesum*; fuit hæc obseruatio S. Thom. in Caten. Luc. 1. *dicit autem, tu vocabis; non Pater*; quasi Saluatorẽ Christum, & mundi redemptorem efficere, idest salutarem *Iesu* titulum illi imponere (vt sic loquamur) opus fuerit potius Virginis quam Patris æterni; ideo addit S. Thom. ibidem ex Cyrill. *hoc autem nomen (* Iesus, & Saluatoris *) de nouo fuit verbo impositum, natiuitati congruens carnis*, neque enim illi tale fuerat inditum à Patre nomen in prima sua generatione; quando enim appellandus fuit *filius altissimi*, tunc diuino ore appellatus fuit. ideo non dixit Angelus tu vocabis, sed vocabitur; idem S. Thom. ex Cræc. *non vtique tu impones vocabulum, sed ipse vocabitur, à quo nisi à consubstantiali patre? nullus enim filium nouit nisi pater*. Sicut ergo Maria fuit, quæ digna fuit vocare eum Iesum, & hoc illi nomen imponere, ita quæcunq; ab hoc nobis maximè propitio nomine pro nostra salute prodierunt, eadem nobis contulit Maria, & proinde cum mortem, & peccatum destruxit Saluator, Maria destruxit, quæ illum fecit Saluatorem, vt exposuimus.

Iesus vt Saluator est filius Mariæ. S.Thom.

A Maria Iesus Saluator appellatur.

S.Thom.

16 Sed quod in hac V. Mariæ protectione, & studio pro nostra salute magni faciendum est, illud esse potest: quod non longè quærenda, aut multo labore adeunda nobis sunt illius patrocinia; cum obuiam, & semper adstantem patronam habeamus; ideo cum multa eius munera, & præclaræ dotes multis sub figuris exprimantur Eccli. 24. ℣. 17. & sequent. patrocinium tamen & protectio, ita significantur, vt omnibus absque cura obuia esse denotentur, nam Cedrus dum dicitur; *Quasi Cedrus exaltata sum in Libano*, vel sanctissimum eius corpus ex quo formatũ fuit mysticum Christi templum significat, sicut Cedro templum ornauerat Salomon, vt obseruat Vgo Cardin. vel à peccati verme, seu fomite incorruptã inocentiam; vel Virginalẽ viriditatem, vel vim fugandorum Dæmonum, de qua glos. *odor*, inquit, *Cedri serpentes interimit, & fugat*, vnde *Virg. 3. Georg.*

Eccli.

Mariæ patrocinii omnibus obuia esse ostēditur.

Disce & odoratam tabulis accendere Cedrum,

Per Cypressum vero, cum subditur, *Quasi cypressus in monte Sion*; Clementia Virginis exponitur, *quia*, inquit Vgo Cardin. *Cypressus mollis est, & B. Virgo mitis, & ad misericordiam flexibilis*. per Palmam verò, cum additur, *quasi palma exaltata sum in Cades*, victoria de omnibus hostibus, cuius hieroglyphicum fuit palma: per Rosam cum subiungitur *Quasi plantatio rosa in Iericho*, eius pulchritudo, & eminentia super alios Sanctos, quibus ita supereminet, sicuti Rosa, est aliorum omnium florum Regina; pietas eiusdem & misericordia per oliuam; *quasi oliua speciosa in campis*: demum verò cum additur; *Quasi platanus exaltata sum iuxta aquas in plateis*, eius patrocinium significatur. platanus enim est hieroglyphicum protectionis; *quippe quæ*, vt ait Cic. 2. de Nat. Deor. *ad opacandum locum patulis sit diffusa ramis*; perinde ac Beatiss. Virgin. Mariæ protectio est suis, quod dicitur Isai. 4. ℣. 6. *vmbraculum diei ab æstu*. platani folium munimentum significat ab insidijs, vt tradit Pier. lib. 17. S. Inuenio. & Maria munit suos ab insidijs, tam visibilium, quam inuisibilium hostiũ, ideo *quasi platanus exaltata sum*. Sed quare additur *in plateis & iuxta aquas*? Cum enim in reliquis similitudinibus cõparetur abroribus, vel plantis, quæ in locis arduis solitarijs, & infrequentibus proueniunt, vt sunt montes, & campi; *in Libano, in monte Sion, in campis* &c. quare cum se platano propter protectionem assi-

Maria clemens.

VgoCard.

Maria victrix.

Cic.

Isai.

Pier.

milat

Omnibus protectionem suã cõmunicare gestit Maria.

milat, in plateis mansionem, & stationem suam constituit? Cuius diuersitatis non alia reddi potest ratio, nisi quia protectionis suæ vmbram, non in arduis montibus, neque in desertis campis, sed in medijs vrbibus, in frequentibus plateis expandit, vt verè sit quasi *platanus in plateis*, quasi patrocinium cunctis obuium, & omnium ad eam recurrentium opportunitatibus expositum. & vt hoc auxilium nõ opportunum modo, sed numquam deficiens fore intelligas, dicitur hæc platanus aquis irrigua, *iuxta aquas*, quia iuxta filium in cælesti solio constituta, è perenni beneficiorum eius, & gratiarum fonte manantibus aquis alluitur.

Sacer tex.

Adbuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius.

CAP. VII.

Quanta sit B. Virginis Mariæ celeritas in subueniendo peccatoribus.

1 N omnibus Christi Saluatoris, & Sanctorum suorũ perfectis actionibus, Sãcti spiritus prouidentiam, & assistẽtiam adfuisse, credendum est; & nihil, sine speciali diuina dispensatione factum, aut fieri potuisse, pro comperto habendũ. Cur ergo voluit Spiritus sanctus, quod dum Iesus in diuini verbi prędicatione erat occupatus, in reprehendendis vitijs, obiurgandisque acriter Hebræorum erratis incaluerat, exemplo de aduentu suauissimæ Matris suæ fieret certior? an non poterat in aliud opportunius tempus iste aduentus differri, ne inceptus cum audientium profectu sermo præcideretur? scio plures eius rei causas reddi, ex quibus vnam vel alteram in expositione litterali non omisimus; sed in sẽsu morali videmur apposite respondere posse, si dicamus: subitum, & inexpectatum hunc Mariæ Virginis aduentum, figurã veluti fuisse præsentaneæ opis, & festinati subsidij, quo peccatoribus in cunctis opportunitatibus tam huius, quàm futuræ vitæ aduersus diuinæ vltionis flagella Dei Mater tempestiuè assistit, & auxiliatur. Minabatur Christus Iudæis, & sub eorum persona cunctis hominibus impænitentibus, maxima, & suprema mala in iudicio: *Viri Niniuitæ resurgẽt in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam*; exprobrabat Iudæis pertinaciam, & perfidiam in incredulitate, & contemptum cælestis suæ prædicationis exemplo Niniuitarum qui *pænitentiam egerunt in prædicatione Ionæ*: temerarios, & ceruicosos acriter corripiebat, & iniurijs etiam lacessebat, *generatio mala, & adultera* &c. in hac vita plectẽdos eos affirmauerat, & multo magis in futura, quãdo fient nouissima peiora prioribus: denique mala omnia quæ obsessis à Dæmone contingere cuiquam possunt, ijsdem euentura prædicebat: *sic erit generationi huic pessimæ.* Ad extremum, vndique pœnas, & tormenta contra homines spirabat. Cum has minas mitigatura, hanc sæuientem iram lenitura, & remissura pœnas, opportuna adstitit B.V. Maria, quæ quoties filium, quamuis iuste contra peccatores iratum videt, illicò iis auxiliatura adest; & auditis minacibus Saluatoris vocibus: *sic erit generationi huic pessimæ*, non differt, sed festina accurrit intercessura apud filium pro animarum sibi deuotarum salute; adeo vt expressè meminerit Euangelista quòd *adhuc eo loquente* &c. *Ecce Mater eius*, &c. dixit: *adhuc eo loquente*; si enim loqui destitisset, fortasse intempestiua patrona adstitisset. *adhuc eo loquente* non dum sermonem compleuerat; vix

B.V. patrocinia erga peccatores.

Christi indignatio in peccatores.

Festinat B.V. vt peccatores adiuuet

iratus Christus, minacia verba proferre ceperat, & presto fuit patrocinium Virginis. *adhuc eo loquente, ecce Mater tua* &c. quod denotat etiam particula *ecce*, quæ ad exprimendam admirationem, & nouum quid, aut insperatum ponitur; admirandũ quippe est, quàm cito Dei mater, & si aliquando insperata, conciliatura peccatoribus filium aduenter: *adhuc eo loquente, ecce mater tua* &c. priusquam iustissimæ vltionis sententiam pronunciet, accedit protectrix, clientium suorum causas defensura, & rigorem iudicis temperatura, mitissimæ suæ intercessionis patrocinio. Nihil itaque vel in temporalibus, vel in spiritualibus, in hac, aut futura vita, mali, aut damni diuina iustitia in eos potest irrogare, quibus Mater patrocinatur, & nota ly *ecce mater tua*, vt gratior Iudici fiat, matrem se nominat & ostendit; vt peccatoribus veniam facilius impetret, Deumque iratum flectat, materna ostendit viscera. *ecce mater tua.* Sanctorum quoque preces suis sociat: *ecce mater tua, & fratres tui* de quibus; in hoc eodem Euangelio dicitur: *qui fecerit voluntatem fratris mei, ipse meus frater est.* vide quanta sit de peccatoribus Virgini cura; quantaque fuerit tantæ Virginis efficacia in suadendo excandescenti Christo pietatem; ex eo iam cõijce quòd relictis Christus minacibus verbis, dixerit: *quicumque fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est*; quibus verbis nil dulcius, piumque magis.

Propitia nobis V. Mar. apud Deũ.

2 Propterea crediderim Virginẽ Deiparam, & ab Ecclesia iuxta ipsius nomen, vt serm. 2. super missus est testatur S. Bernard. & in veteribus etiã scripturis, *Maris stellam*, vocatam fuisse vt Eccli. 50. ℣. 6. *quasi stella matutina in medio nebulæ*; nauigantibus enim æstuosum vitæ pelagus, si tempestas aliqua oriatur, & diuinæ misericordiæ splendorem nubes obducãt; futuram Dei placabilitatem, & cessationem instantium flagellorum impetrare, & præsagire vna hæc stella potest. quæ commotas à diuina iustitia contra peccatores vltionis vndas, suo aduentu sedandas prænunciat. itaque ad opem illius implorandam hortabatur fideles idem Bernard. eod. serm. *Si iactaris*, inquit, *superbiæ vndis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis, voca Mariam: si iracundia, aut auaritia nauiculam cõcusserit mentis, respice ad stellam voca Mariam.* quin instantibus, & sæuientibus diuinæ iræ tempestosis, & æstuãtibus vndis, quæ tamquam *flagellum inundans* Isai. 28. ℣. 15. & 18. transeunt, vna hæc stella mitigat oĩa, vnde etiã de ea exponit Vg. Card. verb. Eccli. 24 ℣ 6. *sicut nebula texi omnem terram, ab ardore*, inquit, *iræ Dei.* & paulo infra de Virg. Maria loquens; *exstat, ab vndis mundanæ tempestatis, & exire facit confidentes in se; vnde & Maria maris stella dicitur.*

S. Ber.

Eccli.

B.V. stella trãquillitatẽ prænunciaus.

S. Bern.

Isai.

Vgo Card Maria ardorẽ iræ Dei mitigat, & à mundi vndis liberat

3 Quin ob similitudinem, quam cum stella matutina, splendidissimo phosphoro habet aurora, quatenus vtraque est aduentantis solis prænuncia, ideo etiam auroræ nomen eidem Beatissimæ Virgini tribuitur, Cantic. 6 ℣. 9. *progreditur quasi aurora consurgens*; & merito quemadmodum enim aurora solis exortum anticipata festinatione præcurrit, quo mortalibus inter densas noctis tenebras delitescentibus, optatæ lucis radijs illucescat: ita Maria Virgo sanctissima Iustitiæ solis, qui Christus est, maturat auxilium anteuertere, vt deuotos suos in tribulationum tenebris afflictos cælestis lucis, & protectionis suæ splendore illustret; adeo vt soleat Maria in subueniendo miseris filium præcurrere, sicut Aurora Solem, cuius rei ratio reddi potest, quia ille Iudex est, hæc verò patrona; Iudices autem tardi, & seueri sunt in actionibus, aduocati solliciti, & festini in patrocinijs. Possemus etiam dicere, quòd auroræ comparatur Virgo: *quæ progreditur quasi aurora consurgens*;

Cantic.

V. M. filium præcurrit vt adiuuet miseros.

gens; non solùm propter hanc celeritatem, qua obtenebratas peccatorum mentes illustrat, sed etiam ob multiplices gratias quibus animas fæcundat, & hominibus succurrit, vt sit verè *quasi aurora consurgens*; nam *aurora*, *Centimana* dicta fuit; vnde Eusth. in Odyss. *aurora*, inquit, *digiti*, *per allegoriam radij solis intelliguntur*, *cùm ipse Sol in Iliade Centimanus sit dictus*; Itaque B. V. Maria *Centimana*, & *aurora* dicitur non solùm quia Deo adest in omnibus quæ ad extra operatur quæ omnia singillatim enumerat Sapiens Prouer. 8. & illis verbis epilogat ℣. 30. *cùm eo eram cuncta componens*; sed etiam, quia in patrocinando hominibus, quot flagellis, indignatus hominum peccatis, filius sæuit, totidem manibus Maria flagella illi è manibus eripit, & ab hominum ceruicibus repellit; & *centum manibus* agit, quia eodem tempore, infinitis penè ad eam recurrentibus, manum suæ benignissimæ protectionis porrigit, & infinita pro hominum vtilitate operatur; vt propterea B. Andreas Auellinus noster, erga Mariam deuotissimè affectus, illam *Facendiera del Cielo* appellauerit; quod cuncta negocia, quæ in Cælesti aula, pro hominum salute expediuntur, ea procurante, & patrocinante, absoluantur; ad quā similitudinem etiam D. Epiph. Orat. de laudib. Mariæ: *multoculam* nominauit; quasi non solùm Centum manibus prouideat, sed totidem oculis videat, & misereatur humanis miserijs. Benè nectuntur hæc duo in B.V. *multocula*, & *centimana*. multos, & quasi infinitos habet oculos; vt miserorū miserias aspiciat, eosque ad nos conuertit; sed quid cōferret hominibus, si omnes, & omniū necessitates aspiceret, prodesse tamen non posset, aut posset parum? quot ergo oculos, tot manus, vt illis videat, his prouideat miseris. Fuit etiam *Centimana*, dum vixit, propter infinita, quę ad Dei gloriam operata est, quam in omnibus actionibus cumulauit, & auxit, & ad quam cuncta quæ operabatur dirigebat.

Aurora, Centimana dicta. Eusth.

B.V. Centimana erga peccatores pietate.

B. Andreas, virginem, Cæli negociatricem appellat.

S. Epiph.

Deipara quare multocula sit dicta.

B.V. Centimana ad Dei gloriam.

4 Eādem Mariæ Virg. in succurrendo velocitatem egregiè espressit Spiritus sanctus, Cantic. 1. ℣. 8. ex versione LXX. nā vbi vulgata habet *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea*, LXX. legūt, *equæ meæ*, quos sequitur S. Ambros. serm. 2 in Psalm. 118. & Euseb. est maxima Equinorum pullorum laus pernicitas; cùm, quo non possumus cito, & expedite ire pedites, eo his adiuti, velocissimè perueniamus: eiusmodi certè est auxilium Virginis Deiparæ, quo qui vehuntur citissimè ad bonorum operum metam, & ad gloriam Paradisi perueniunt. magis autē *equæ*, quàm equo comparatur propter partum, & propter velocitatem. vtrumque, partum, scilicet, & velocitatem significauit in equa Salomonis S. Ambros. lib. de Isaac cap. 4. *Virtutis labor*, inquit, *quærit victoriam*, *vt possit equa illi*, *quæ Salomonis est comparari*, *velox ad currendum habilis ad partum*. Virginis autem Mariæ celeritatē expressit Luc. cap. 1. ℣. 39. vbi de ea verba faciens: *exurgens*, inquit, *Maria abijt in montana cum festinatione*. Nouerat iam Virgo diuino grauidata fætu, prolis, quam in vtero gerebat, infinitam virtutē, ideo festina properat ad Elisabeth, vt quam primùm sua, & eius, quem gerebat, Saluatoris præsentia mundaretur, & sanctificaretur, materno adhuc aluo inclusus Ioannes Baptista, ederetur que in lucem talis præcursor, qui dignus esset præparare ac sternere venturo Saluatori in humanis mentibus vias; vt sic citius humana redemptio compleretur, & ad hanc respiciens Virgo abijt cum festinatione. *Laeta*, ait S. Ambr. *pro voto*, *religiosa pro officio*, *festina præ gaudio*. & paulo post: *Contuendum est*, subdit, *quia superior venit ad inferiorem*, *vt inferior adiuuetur*; *Maria ad Elisabeth Christus ad Ioannem. Cito quoque aduentus Mariæ*, & *præsentiæ diuinæ*

Cant.

S. Ambr. Euseb.

Maria velocitas in miserādo.

S. Ambr. V. M. equæ comparata pp partū, & velocitatē

Luc.

Celer Maria ad miserendum.

S. Ambr.

bene-

Pietas Mariam mouit.

beneficia declarantur, cum subditur: *simul autem vt audiuit salutationem Mariæ* &c. habes ex his Ambr. verbis, Mariæ aduentum cito beneficiorum gratiam comitari Vgo Cardin. in cap. 24. Eccli. ℣. 19. ibi. *quasi oliua speciosa in campis*; de Beata Virgine loquens: *pietas*, inquit, *trahebat eam quando cõcepto Saluatore abijt in montana cum festinatione*; pietas nimirum & desiderium humanæ salutis. & ideo cita festinat, vt cito aduentus sui beneficia communicet; est enim non tam benefica quàm ipsamet beneficentia, nec minus benigna quàm benignitas ipsa dici (suo modo) potest; de benignitate autem testatur Seneca lib. 2. de Benef. cap. 5. *quod omnis benignitas properat & proprium est libenter faciẽtis cito facere*. quàm ergo benigna sit B. V. libenterq; patrocinetur, ex eo quod *equa* dicta sit, colligitur.

Vgo Card.

Benignitatis est cito facere. Seneca

5 Eadem Mariæ pernicitas, seù velocitas in subueniendo hominibus exaggeratur magis dum additur: *In curribus Pharaonis*; expertum enim est, Equos curules, velociociores esse in cursu, quàm sint singulares, qui celetes appellabantur antiquitùs, vnde Homer. velocissimum Vlysseæ nauis cursum significaturus, illum maluit cursui Curulium equorum comparare: propterea, *Equa in Curribus*, assimilatur Virgo, velocissimè ad suorum salutem properans. Neque abnuo equæ conuenientissimè comparari potuisse Virginem Deiparam, ob insignem illius, & memorabilem pietatem, quam etiam in equabus obseruant rerum Scriptores; testatur enim Aelian. lib. 3. de Animal. cap. 8. quod pullos equarum, quos nondum plenè nutritos, Matres reliquerunt, aliæ equæ miseratæ, cum sobole propria educant. reliquit nos, noxij pomi cibo male pastos, Eua nostra mater, & in hac lachrymarum valle esurientes posthabuit; sed quos materna inhumanitas deseruit, Mariæ immensa pietas suscepit alendos; ad hãc igitur exules suspiramus, dicentes, Psalm. 26. ℣. 10. *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me Domina autem assumpsit me.* Huius suaui benignitatis lacte pascimur, & roboramur; hæc extenta, & exuberantia charitatis vbera, prolixa pietate offert; hæc ad sugendum diuinarum gratiarum lactem inuitat, dicens Eccli. 24. ℣. 26. *transite ad me omnes qui me concupiscitis, & generationibus meis implemini*; quo loco admirabilis est Dion. Carthus. gloss. *transite*, ait, *ad me, præparando corda vestra ad gratiarum mearum infusionem; & à generationibus mei, idest pietatis meæ affectibus informationinibusque internis implemini*, suaui pietatis, & nectareo lacte recreandi, qui ab Euæ vberibus amarum, & noxium virus suxistis.

Equæ curuli similis B.V. quia velocissimus ad nos adiuuandos.

B.V. Equæ comparata ꝓ pietatem. Aelian.

Psalm.

Eccl.

S.Chart.

6 Tandem Deiparæ Virginis pietatem, & pietatis suffragia, mirificè explicauit S. Petr. Chrysol. sermon. 142. *Virgo*, inquit, *Genetricem te dici pietas voluit, quam non sinebat integritas*. allusum videtur ad morem illorum, qui ex ignobili loco, & conditione, alicuius magnatis fauore, ad maximos honores euehuntur, vt cum quis à sũmo Pontifice, ex ima plebe, ad Episcopatum, vel etiam Cardinalitium culmen eleuatur; isti enim in signum grati, & memoris animi, postmodum in conuentibus, & consistorijs solẽt omnia ad libitum, & rectam voluntatem eius, cuius munere creati fuerunt Pontificis, vel Principis, facere; & in grauibus, dubijsque determinationibus eius, quantùm possunt, sententiæ subscribunt, & dictis per omnia adhærẽt, Electoris sui voto obsequiosi. Erat Virgo Maria (natura inspecta) ex humana conditione vilis, & ignobilis; hãc placuit diuinæ *pietati* ad eminentissimam Matris Dei sedem eleuare, & insigne hoc Maternitatis Dei beneficiũ in ipsam singulari fauore conferre, reluctante, & contradicente diuina iustitia, quæ illam communi cum alijs hominibus iure, humanis miserijs su-

S.Chrysol.

B.V. pietatis creatura.

bijci

bijci debere contendebat; ideo ait Chrysol. *Genetricem te dici pietas voluit, quam non sinebat integritas*. Ex hoc singulari priuilegio, & prærogatiua, aliæ omnes Mariæ singulares, & eximiæ gratiæ prodierunt, ex quo enim electa fuit Mater Dei, meruit etiã obtinere originalis puritatis candorẽ; integritatis Virginalis illibatam custodiam; & cuncta, quæ in ea suspicimus, à *pietate* obtinuit, à qua Dei Mater electa fuit; *nam genetricem dici te pietas voluit*. Quid igitur mirum si gratitudinis ergo, ei, à qua electa fuit, adhæret, & in sanctissimæ Trinitatis consistorio, vota sua, ad nutum pietatis electricis distribuit? huic certè intercedenti, sicut omnia sua priuilegia debet, ita nihil negat; iustitiæ contra nescit assentiri, & obsequi; quia huic suæ electioni repugnauit; nec enim Virginem *Genetricem dici sinebat integritas*. vota itaque sua, & suffragia, pietate suadente, dispensat. exprimẽtum duplex eius rei habes apud Vgonem Cardin. Comm. in Eccli. cap. 24. ℣. 19 exponentem verba illa: *quasi oliua speciola in campis*; quæ de sanctissima Dei genetrice ita interpretatur ad hanc pietatem respiciens: *Pietas*, inquit, *trahebat eam quando concepto Saluatore, abijt in montana cum festinatione, vt seruiret Elisabeth in partu eius; & pietas aperuit os eius, quando dixit filio suo in nuptijs filii vinum non habent. Ioan.* 2. pietas illam ad sua vota trahit; pietas illi os aperit, vt pro nobis intercedat. Et hinc est, quòd cùm præsensisset Christum iratum contra peccatores multa intentare, vt in hoc Euangelio, remisso rigore, secundum pietatem ferri sententiam impetrauerit, nec enim prius cessauit loqui Christus, quàm dixisset; *quicunque fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, soror, & mater est*; in quibus apparet, quod diuina miseratione, & Virginis intercessione à cælesti patre adoptati sumus.

Vota Deiparæ pro pietate.

VgoCard.

Pietas Mariam trahit ad peccatorũ patrocinium.

7 Sed vt ad propositum, vnde paulisper declinauimus, redeamus pulcherrima etiam similitudo, ad eandem Mariæ celeritatem, in patrocinãdo, significandam, habetur Prouerb. 31. ℣. 14. vbi de eadem Virgine Maria dicitur: *facta est quasi nauis Institoris de longè portans panem suum*. Velocissimus est cursus nauium, quas secunda spirantis venti aura leniter impellit. Non potuit itaq; Mariæ festinus occursus, congruentius exprimi, quàm comparãdo illam *Naui*, cuius animæ vela, diuina spiritus (eiusq; sancti) aura impleuit. Luc. 1. ℣. 35. *Spiritus sanctus superueniet in te*, &c. Imo ex omnibus nauibus, illæ citius properant, quæ de longè veniunt, vt celerius cursum absoluant. quare etiam Maria, *Nauis de longe veniens, & portans panem* gratiarum dr. fuit .n. imminentis & auxilij præsagium *Nauis*, ideo Alciat. Emblem. 43. Nauem in medio mari collocat cum inscriptione: *spes proxima*. cum ergo B. V. M. Naui comparet Spiritus sanctus, eaque spes nostra sit, *& mater spei*, vt dicitur Eccli. 24. ℣. 24. vtique festino ad nos cursu cum fænore gratiarum, & beneficiorum cælestium, citissimè venit. Magis confirmat, quod diximus, addita particula: *Institoris*, idest, *Mercatoris*, nam Nauium quædam dicuntur *militares*, quæ milites ad pugnam deportant; quædam *onerariæ*, à ferendis onustis rebus dictæ; ita Alexand. ab Alexand. Genial. Dier. lib. 4. cap. 4. vnde Zosim. lib. 3 Histor. in Iulian. *vbi* inquit, *cunctas naues; tam militares, quàm onerariass conuenire iusserat*. B. Virgo non fuit Nauis militaris quia non belli, & mortis; sed vitæ, salutis, & pacis mercibus onusta ad nos venit; vnde L X X. legunt: *facta est tãquam Nauis mercaturam exercens de longe, congregat autem hac vitam*. Sed nec nauis oneraria congrue dici potuit, quæ impedimenta omnia, & onera diuitiarum respuit in summa paupertate leuis, sed facta est tamquam *Nauis institoris* expedita, & celer, quæ de

Prouerb.

Mariæ festinus occursus, Nauemp denotatus

Luc.

Alciat.

Maria nauis, spei proximæ typus. Eccli.

Naues quæ militares, & quæ onerariæ.

Alexan. ab Alex.

Zosim.

se Mariæ precibus inclinante clementia) conuertendas. Cuius argumẽtum capio ex Cantic. 8. ℣. 6. *fortis est, vt mors dilectio: dura sicut infernus æmulatio.* Matth. Cantacuz. *Durus sicut infernus zelus* &c. & hoc de B. Virg. exponens subdit in persona eiusdẽ. *zelus .i. te à meo auerso populo, eiq; succensente, dura res est sicut infernus: videlicet, grauissima res est, & summum, ingentemq; mihi dolorem affert.* Quam grauate fert Virgo cum diuinam indignationem eiusque flagella hominum videt ceruicibus imminere? quam illi durum est Deum contra nos irasci? vt igitur hunc Mariæ Matris suæ, auxiliũ implorantis, dolorem leniat, & molliat, nihil non eius precibus indulget filius. de efficaci itaq; Virg. Mariæ intercessione, & protectione aliqua sunt nobis in hoc capite explicanda, & Sacrarum scripturarum, ac Patrum dictis adstruenda.

Cantic.

Cantac.

Dolet Maria cum filius peccatoribus irascitur, & precibus illum placat.

2 Sicut enim ab ipsa recedere grauissima pæna est, ita inexplicabilibus præmijs, & prærogatiuis ij cumulantur, qui ad eam deuotè confugiunt. optimè hoc ostendit de eadem Beata Virgin. Matth. Cantacuz. Cantic. 7. ℣. 1. de qua cum multa retulisset, & quã sit sollicita in inuitandis ad pænitentiam peccatoribus probasset: *Cũ ipsis,* subdit, *nihil persuadere potuisset ex ijs, quæ apud ipsos differuerat, eos quidem longè dimisit; vt non leues luant pænas.* graues itaq; subeunt pænas ij, qui à B. Virgine recedentes longè dimittuntur; sicuti ad eam accedentes omnigenis consolationibus, & tam temporalibus, quam spiritualibus gaudijs recreantur. & attentè hic nota, quod quãuis *mater misericordiæ* verè dicatur & sit; tamẽ obstinatos, & qui eius suasionibus non commouentur, reijcit à se indignabunda, & longius ablegat; & merito: quauis enim etiam sæuissima pæna dignos se esse ij declarant; qui obstinato, & obdurato animo lenissimis eius persuasionibus non obediunt; cum ipsemet Deus eius precibus repugnare nescius, ijs quasi captus ligetur, ac detineatur. Nam Cantic. 4. ℣. 3. eius efficax oratio, & eloquium aptissimum ad persuadendum apud Deum, explicatur similitudine vinculi. *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* sub labiorum metaphora aptè exprimitur efficacia intercessionis apud Deum; vnde etiam Sophon. 3. ℣. 9. vt efficax esse possit populi oratio dicitur eidem restituẽdum *labium electum,* quò aptè inuocare possint Deum; sunt ergo labia B. Virg. Mariæ *vitta coccinea,* quia Deũ quasi vinctum quocumque libuerit trahunt; ita existimauit S. Ambr. in Psalm. 118. ℣. 18. *sicut resticula coccinea labia tua; per resticulam coccineam,* inquit, *vinculum persuasionis agnoscimus.* Simile quiddã narratur in veterũ monumentis de Hercule Gallicano (de quo Lucian. in Præfat. seù Hercul. Gall.) quẽ eloquij, & persuasionis efficacia celebrem finxerunt, non arcu, & sagittis superasse inuitos; sed aureis quibusdam verborum catenulis ex eius ore prodeuntibus, audientium aures illigatas, & animos ita flexisse; vt non instar eorum, qui vincti dicuntur, sed perinde, ac si ductorẽ suũ plurimi faciãt, hilares, & studiosè sequãtur; *si quidem,* inquit, Lucian. *tela ipsius acutos, certos, celeres, & animas saucientes sermones interpretamur.* Sed potentior Gallicani Herculis eloquentia Mariæ Virginis oratio, diuinas aures, suauiter, sed efficaciter feriens, coccinea labiorum suorum vitta vinctum non reluctantem, neque obsistentem, quocumque libuerit flectit, & ducit, vt quot verba, & preces pro peccatoribus emittit, & fundit, totidem vinculis Dei aures reuinciat. Vtinam porrò etiam peccatorum obstinatorum mentes eius persuasionibus deliniti trahi se paterentur, quibus eorum corda assiduo pulsat.

Cantac.

Grauissima pæna est à Maria separari.

M. V. obstinatos reijcit.

Cantic.

Labia typus intercessionis.

Sophon.

S. Ambr.

Herculis Gallicani vis in persuadendo. Lucian.

M. V. oratio suauiter diuinas aures ferit.

3 Eadem Cantic. verba aliam expositionem recipiunt, si illa iuxta lectionem Matth. Cantacuz. velimus inter-

terpretari, qui ex originali textu Hebr. & ex versione Septuag. Interpr. legit hoc pacto: *Veluti linea fabri coccinea labia tua*: seu *funiculus fabri coccineus*. Quorum verborum sensus est, quod labia B. Virginis, idest, illius orationes quibus pro nobis, & ijs qui sub eius tutela viuunt, Deum interpellat, sunt veluti ille *funiculus*, seu *linea*, qua fabri vti solent in mensuris lignorum, quæ non scindunt nec secant, nisi prius huiusmodi funiculo rubro colore tincto, qui vulgò *magra* dicitur, ea signauerint. Antiqui hunc funiculum ab ipso colore quo inficitur rubricam appellauerunt, vnde Persius.

Cantacuz.

Persi.

Atq; oculo rubricam dirigit vno.

hanc rubricam adhibere solent ad metiendum quantum ligni scindere debeant, neque inter secandum excedũt ab relicto ab illa signo, aut deficiunt, vt conuenienter non *lineam*, vel *funiculum* simpliciter, sed *fabri* appellauerit Cantacuzenus, quia illi inhæret faber inter secandum. Huic verò benè comparãtur orationes Mariæ; eo quia Deus, in distribuendis, seu diuidendis gratijs, ac beneficijs, quæ passim in omne humanum genus munificentissimè dispensat, neque magis, neque minus concedit, eo quod à Beatiss. Virg. Mariæ orationibus designatũ est; adeo vt illius preces sint instar *lineæ fabri coccineæ*, quę metit beneficia, dona, & gratias, quas Deus diuidit, atque impartitur, eo prorsus modo & mensura, quam B. Virginis oratio præscripsit. Quam enim multifariã Deus omnium bonorum largitor hæc communicet, & diuidat, significauit Apostolus 1. Corinth. 12. ℣. 4. 5. *Diuisiones gratiarum sunt, alij datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, alteri fides, alij gratia sanitatum, alij prophetia; alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum, hæc autẽ omnia operatur vnus, atque idem spiritus diuidens singulis prout vult*. Vult autem quòd Virgo Maria præscribit, qua intercedẽte Petro Apostolatum,

Oratio V. M. bene comparatur funiculo fabri

Ita largitur munera Deus sicut petit Maria.

Corinth.

Laurentio, & Stephano Martyrium, Carolo Borromæo in Episcopali dignitate, feruens salutis animarum desiderium, & studium, BB. Andreæ, & & Caiætano inconcussam fidei Christianæ confessionem hæreticorum propulsationem contigisse Domino annuente piè credere possumus, & quemadmodum ij, qui in hac vita varijs ditantur meritis, in futura paribus ornantur, & decorantur præmijs; ita etiã existimare, & affirmare possumus, quod varij gradus gloriæ, diuersicati donorum, & meritorum respondentes sanctis, & electis tribuantur, per eandem Virginis intercessionem.

Futuram gloriã impetrat nobis Maria.

4 Vt propterea S. August. serm. 18. de sanctis, ita Deiparam deprecetur. *O Beata Maria admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis*. sciebat nimirum quòd ipsa Virgo a Deo constituta fuit tamquam Præfecta, seu Custos sacrarij in quod fideliũ orationes delatæ reconduntur, vt inde postmodum ad Deum adducantur Hildebert. Cænoman. Episc. epist. 37. tom. 3. Biblioth. SS. Patr. *Hi profecto*, inquit, *quod in administratoria dispensatione delinquunt, in sacrario contemplationis deplorant*, Quod si in hoc sacrario à B. Virgine non reponantur, neq; ipsi Deo postmodũ ab eadem S. Deipera repræsẽtẽt irritæ sunt, & ideo ipsa enixè rogatur: *admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis*. Nota tamen, quòd non quicunque locus, sed *sacrarium* dicitur vbi reponuntur orationes; ea opinor ratione, quia in sacrario non nisi res sacræ asseruantur, vt præter nomen ipsum, Sacram scripturam, & Patres, docemur in l. sacrariũ de rerum diuis. Innuit itaq; Augustinus B. Virginem, quæ præest sacrario, seu potius (vt in eius officio canit Ecclesia) ipsa est *sacrarium Spiritus sancti*, in quod fidelium receptæ fideliter asseruãtur, & custodiuntur orationes, eiusmodi sacrarium esse in quod prophanæ orationes, & peccatorum preces locum non habent; neque enim

S. August.

Maria præest sacrario diuinarum gratiarũ.

Hildeb.

In orationibus spiritualia maxime petenda sunt.

Deus, aut eius sacraria Maria peccatorum verbis aures accomodat; quemadmodum sub ipsius Dei persona dicebat Isaias cap. 1. ℣. 15. *Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt*. non est itaq; prophanis precibus aditus ad sacrarium, quo summus sacerdos semel tãtùm in anno coram Domino se sistebat nisi peccatores resipiscant. Vel illæ orationes dicuntur non pertinere ad sacrarium, quæ ad Dei gloriam non diriguntur; sed habent pro fine aliquid temporale, & solum sæculi vanitatem spectant, v. g. temporalium rerum copiam, dignitates, honores, & his similia; pro quibus oblatæ preces meritò è sacrario exploduntur, indignæ quæ in venerabilissimum locum deferantur, cùm hanc tantum profanam terram sapiant, & ad Dei gloriam minimè dirigantur.

Isai.

Quæ orationes recipiuntur in Mariæ sacrario.

5 Imò si strictius facere vim velilimus in verbis D. Augustini, vocatur Dei Genitrix *sacrarium exauditionis*, quasi ipsa sit quæ præest auditionibus, vel potius ipsamet sit sacrarium, in quo omnes *Dei exauditiones* sunt, omnes gratiæ, concessiones, dona & ipsum *Dei fiat*. Nullum enim donum Dei, e sacrario, seu donario diuinæ eius Maiestatis egreditur, nec oratio aliqua ad eadem impetranda ingreditur absque B. Virgine Maria; adeo vt ipsa sit veluti Dei Datarius; sine cuius ope, nec supplices nostri libelli ad Deum peruenire, nec gratiarum inde concessiones redire possunt. Dicuntur verò *exauditiones sacrario* contineri, quas enim Deus nobis gratias elargitur, ad suam gloriam, & ad animarum salutem vult pertinere. vt meritò dici possint *sacræ exauditiones*. Quicunque itaque temporalia à Deo postulat, & recipit, & munera diuina sibi collata ad Dei honorem non ordinat, ipsa quodammodo Dei dona profanat. Sanctus Hildebert. Episcopus Cæmomant. epist. 37. *Occursantium*, inquit, *turba negociorum sacrarium contemplationis occludit*. & excludit meritò quia sacris profana miscenda nõ sunt: ideo sacrarij exauditionis fores, similibus reserantur orationibus.

Maria Præses exauditionũ Dei.

Quomodo diuina munera profanentur.

Hildeb.

6 Progreditur in dilatanda Mariæ apud Deum intercessione S. Cyrill. Alexandrinus homil. Ephesi habita contra Nestoriũ, relata in Concil. Ephes. par. 2. Act. 1. *salue*, inquit, *Deipara Maria venerandus totius Orbis thesaurus*. Quibus verbis rerum omnium etiam temporalium, nec non earum quæ animalibus communia sunt, penes B. Virginem copiam, tamquam in thesauro esse significatur; vt omnia vel naturalia, vel supernaturalia ipsi sint in acceptis referenda, ipsa etiam lucis, & solis vsura, qua etiam bruta fruuntur; & munera quæcumque vel maxima, vel minima sint, ab ea impetranda, vel per eam. Eccli. 24. ℣. 6. *Ego feci vt oriretur in Cælis lumen indeficiens*, quod à Deo primum productum fuit ad Hominum, & totius naturæ creatæ conseruationem; cætera etiam similiter à Maria tamquam ex vberrimo Dei thesauro eruta fuerunt, vt diffusè tradit Spiritus sanctus Prouerb. 8. Neque parum quis existimet id quod Virgini tribuitur, dum *Thesaurus* dr̃, nam præterquam quod omnes thesauri pretiosi sunt, & maximi valoris, ipsius Dei thesaurus dici, res est omni humana dignitate superior. Baruch. cap. 3. ℣. 15. *Quis inuenit locũ eius* (Dei) *& quis introiuit in thesauros eius?* si. n. paucissimis datũ est Dei thesauros inuenire, vtique splendidissima, & pretiosissima ijs contineri oportet. sed considerandum præterea hoc loco est, appellatã Mariam à Cyrillo *venerandum thesaurum*, vt & prætij valorem, & dignitatis in ea æstimationem admirabili nexu coaluisse intelligamus; in qua thesaurus valore inæstimabilis, & dignitate venerandus vniuntur.

S. Cyrill.

Maria thesaurus orbis.

Eccli.

Baruch.

Dignitas, & prætiũ V. M. ostenditur.

7 Quod si etymologiam huius

vocis

vocis *thesaurus* præcipuè ex Græcis, (qui illam sacræ imposuerunt Virgini) inuestigemus, aduertemus profecto, idem apud Latinos esse thesaurum, atque apud Græcos κειμήλιον *cimilian* ita Rabi Dauid in cap. 3. Malach. vnde qui huiusmodi thesauris præerat Cimeliarcha appellabatur à Græcis; de quo mentio fit in l. *cum apud* §. *sin autem* C. de Bon. aut. Iud. ibi. *Nec viros Reuerendissimos Oeconomos, vel Cimeliarchas sanctæ Ecclesiæ, in qua pecuniæ deponuntur,* &c. & paulo infra. *præsentibus non tantum tabularijs, sed etiam Reuerendissimo Cimeliarcha, apud quem superflua pecuniæ signatæ deponendæ sunt.* Quod nomen, & consuetudo ab illis vsque deducta temporibus adhuc seruatur, & viget in Cathedrali Ecclesia Neapolitana. Cum enim hæc Ciuitas Græcorum Colonia extiterit, adhuc plurimas Græcas voces retinet: non tamen idem hodie munus, & ministerium quod prius. Est itaque B. Virgo Dei *Cimelion*: vnde omnia desiderabila pro humana salute depromuntur. neque à Doctorum virorum doctrina recedet, qui illam Dei etiam *Cimeliarchin* appellauerit. tum quod thesaurus plerumq; appelletur etiam locus in quo latet thesaurus, vt docet Guid. Pancir. notiti. occident. Imper. cap. 36 & ideo locus in quo Infinitus Dei thesaurus latuit idem nomen meretur: tum etiam quia, eadem loquendi formula de Dei Genetrice locutus fuit Idiota in Prolog. ad contempl. Virg. *Sæpè* inquit, *quos Iustitia filij potest damnare; Matris misericordia liberat; Quia thesaurus Domini est, & thesauraria gratiarum ipsius.* quod est, eandem *cimelion*, *& cimeliarchin* appellare; vtpotè quæ vniuersis Dei thesauris, vel naturalibus, vel supernaturalibus præest; quæ nemini dispensat summus ille Imperator absque Cimeliarcha (idest) Beata V. ne illi quicquã de suo munere detrahat. si ventũ quis cupiat, quo leniter impellente, nauis vndas secet; hunc, cum petendus sit è thesauris Dei, qui Ps. 134. ℣. 8 *producit ventos de thesauris suis*, à Maria Virgine thesauraria postulet, in cuius potestate sunt diuinorum bonorum thesauri. Contra si cui ventus noceat, qui plerumque domino permittente noxius esse solet vt Iob, cui propter ventum maxima contigerunt infortunia. Cap. 1. ℣. 18. *filijs tuis, & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum, in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit è regione deserti, & concussit quatuor angulos domui, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt.* ab his, & similibus ventorum aduersitatibus, si qui affligi, vel opprimi verentur, B. Virginis patrocinio seruari possunt: vtpotè ea, quæ Cimeliarcha, & thesauraria Dei est, sine cuius voluntate, & potestate nil è thesauris egreditur, aut in thesauris reconditur. premitur quis aquæ penuria, præ siti iam enectus? clamet ad Deum cum Moysi Numer. 20. ℣. 6. *aperi thesaurum tuum fontem aquæ viuæ*, idest Beatissimæ Virginis Mariæ gratiarum fontem, & perennium aquarum thesaurum. Cæli, & Anni inclementiam timemus, ne nimio gelu, & niue arescant segetes, aut grandine concutiantur fructus, atque inde penuria nos premat; hæc vt accedant, vel recedant in Virg. Mariæ manu situm est Iob. 38. ℣. 22. *Numquid ingressus es thesauros Niuis, aut thesauros grandinis aspexisti*; præest autem his thesauris Dei mater, quæ claues ad illos obserandum, aut aperiendum possidet. Sed quoniam nullus est in humanis thesauris sapientia præstantior, ac preciosior, de quo Sapient. cap. 7. ℣. 14. *Sapientia Infinitus est thesaurus hominibus, quo qui vsi sunt participes facti sunt amicitiæ* Dei; propterea ijs etiam, qui hanc possidere desiderant ad diuinam Thesaurariam est recurrendum: Eccli. 1. ℣. 26. *In thesauris sapientiæ, Intellectus, & scientia religiositas.* Quin nec verorum amicorũ

R. Dau.

Cimiliarcha quis fuerit. l. cum. C. de Bon. &c.

B. V. Maria Dei Cimelion.

Guid. Pancir.

Idiota.

Maria thesaurus, & thesauraria Dei.

Psalm.

Iob.

Numer.

Aquarũ fons apud Mariam.

Iob.

Sapient. Thesaurus sapientiæ penes Mariam.

Eccli.

Sapient.

debitorē cui simile est illud Prouer.19 ℣.17 *qui miseretur pauperi, fœneratur Deo* à quo miserationis suæ obligationem reportat. seruat huiusmodi chigraphum, & custodit Maria inter cælestia cimilia. ab ea itaque & per eam æternam gloriam expectamus, quam prolato apud Deum diuinæ promissionis chirographo instat nobis concedi.

9 Spectabat postremo ad Cimeliarcham conseruare arma bellica, si quando vsus posceret proferenda. Homer.Iliad.*multa autem in opulenta Patris domo condita iacent, æsque & aurum, elaboratumq; ferrum.* quo loco per *ferrum elaboratum* armorum omne genus intelligendum est. Habet etiam Deus sua arma, quo enim pacto *Deus vltionum, Deus exercituum* se dici iuberet, si armorum apparatu destitueretur? quin armorum suorum meminit Deutor.32.℣.41. *Si acuero vt fulgur gladium meum, &c. inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus deuorabit carnes de cruore occisorum.* Hæc in armamētario, & thesaurario suo asseruari Deus iubet, donec prouocatus à peccatorum flagitijs, Ierem.50.℣.25.*aperuit Dominus thesaurum suum, & protulit vasa iræ suæ, quoniam opus est Domino exercituum in terra Chaldæorum*. Sed hæc arma inter cimelia, & Dei thesauros relata, sunt in potestate Beatissimæ Virginis Mariæ; quia nec punit quemquam, nec flagellat Deus, ac ne leuiter quidem ferit, nisi ex consensu Beatæ suæ Genitricis, quæ ei ex ararmamentario, arma subministrat; sed vt est in humanum genus summopere pia, eadem in humanam perniciem parata vt plurimum extorquet è diuinis manibus; redditque illum ex irato, & truci, mitem nobis, atque benignum, vt hodierni Euangelij experientia cōprobauit, & nos in principio huius cap. diximus.

De armis quæ nam sint.

Deut.

Ierem.

Arma Dei seruat V. M.

M.V. armatum Deum placat.

10 Explicabimus hoc idem clarius si S.Bonauent. quædam de B.Virgin.verba mystica obseruauerimus, in Psalt.enim Breui. *Aue*, inquit, *Virgo Dei Cella*, mira hæc prima fronte videri potest compellatio. Nouimus certè Beatam Virginem alicubi vocatam fuisse *domum Domini*, ob eius incolatum, plerumque *templum Domini* ob cultum; sed nusquam legimus alibi dictam *Dei cellam*. Quid itaque hoc sibi vult? Accessit ad hanc loquendi formulam S.Petrus Damianus, à quo V.Maria, *Conuentus, Collegium virtutum*, dicitur. Priusquam Deus ex immaculata Virgine carnem sumeret, inhumanus quasi & ferox haberi volebat. itaque *Deus vltionum* dictus est Psalm.93.℣.1. *Deus exercituum.* Isai. 1.℣.24. *ait Dominus Deus exercituū fortis Israel &c.* quæ nomina sæcularem quendam fastum, & irreligiosam iactantiam præseferunt, cum autem in venerabilissimum illud Virginis vterū descendit, tamquam (vt secundum nostrum intelligendi modum, & captum loquamur) ingressus in *Conuentum* Religionis, & *Collegium* sanctitatis, ac virtutum, imo tamquam in humilem *Cellam*; ex sæculari factus est Religiosus, mutauit terribile illud *vltionis* nomen, pro quo amat dici *misericors*; Qui prius elatus, & liber erat; Humilitatem professus est, & obedientiam vouit. Ad Philip.2. *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem*. Pro vltricibus itaque & lædentibus armis, auxiliaria, & misericordiæ arma in hac cella inuenit, vt benè ab Apostol.2.Corin.1.*Deus misericordiarum, & totius consolationis* appelletur, *qui consolatur nos in omni tribulatione nostra*, & considera mirabilem eius conuersionem; ille quidem prius Psalm.97.℣.2. *magnus Dominus* dictus est; nunc Isai.9.℣.6. *paruulus datus est nobis*. Qui pridem Deus exercituum furorem tantummodo, & bellum spirabat, nunc Psalm.84.℣.9. *loquitur pacem in plebem suam*; Qui prius Leo erat Isai.38.℣.13. *Quasi leo sic contriuit omnia ossa mea*. & Amos

S.Bonau.

Variæ M. appellationes.

S. Petr. Damian

Psalm. Isai.

Vterus V M. tāquā conuentus & Cella religiosorum.

Philip.

2.Corin. Mira in Deo mutatio ex quo car[nē] suscepit ex immaculata Virgi[n]e. Psal. Isai.

Psalm. Isai. Amos 3.

℣.8.

Luc. Maria humiliant se exaltatur.

dubitationem ipsamet soluit in mirabili suo cantico Luc.cap.1.non ℣.52. *deposuit*, inquit, *potentes de sede*, propterea inclinauit se, ne deponeretur, sed inclinata resurgit, quia Deus *exaltauit humiles*, & ita fuit Aurora inclinans se per humilitatem, & consurgẽs per diuinam gratiam, quia dum se Domini ancillam professa est, supra choros Angelorum elata fuit. sed magis ad propositum nostrũ dicamus, quod quanto magis extollebatur donis, honoribus, & virtutibus à Deo infusis; eo sibi ipsi humilior, & dimissior esse videbatur, & quantum coram Deo consurgit, tantundem coram hominibus inclinat se, & deijcit. Vel dicamus, quod quamuis ad Deum per mentis eleuationem, & puram conscientiam ascendat, amoris intentione, & orationis feruore ad illum eleuata; tamen originis suæ memor, se ipsam ad nos inclinat, nos nostraque fouere, & tueri gaudet, preces nostras respicit; excelsior facta, & Angelorum Regina, peccatores adhuc non respuit, sed illorum se clamoribus inclinat; lõgè secus quam mundanæ mulieres, quæ in aliquem vel diuitiarum, vel honorum, gradum eleuatæ, iã compares suas salutare, & respicere dedignantur.

Mariæ in maxima dignitate, humilitas extollitur

Maria Angelis superior, & hominum preces inclinatur.

12 Et iure debuit se inclinare per misericordiam, vt vota supplicum audiat quæ Deo representet; est enim tamquam mediatrix, quæ Deum inter & homines pacem tractat, vulgo diceremus *Pactera*, ideo debet vtrinque hinc Dei, inde hominum prætensiones audire; & propterea consurgit, quando cum Deo agit, inclinat se quando cum hominibus, vt sic mundũ reconciliet Deo; & hinc est, quod Cãtic.8. ℣.10. ministra pacis appellatur, *ex quo*, inquit, *facta sum coram eo, quasi pacem repertens*. perijsse iam, & excessisse ex mũdo videbatur pax, Isai. 48. ℣.22. *non est pax impijs*, & Ierem. 8. ℣.11. *dicẽtes pax, pax, cũ non esset pax*. hanc tñ sola Maria reperit, & pro hominũ salute protulit, de qua Isai.9. ℣.6. *& vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Simile quid narratur in historijs, & ex Cæl.lib.23. cap.1. refert auctor Polianth.t.1. fol. 218. de Pieria, quæ vna ministra fuit sæuissimi belli, quod inter Myuntios, & Milesios ardebat dirimendi, & firmissimæ inter vtrosque pacis confirmandæ. huius enim Pieriæ amore incensus nobilis iuuenis Milesius nomine Phrygius, cupiens ei gratificari, percunctatus est ab illa, *quid facere posset quod illi gratissimum foret*; cui modesta puella prudenter respondit, gratissimum sibi fore, *si Miletum multis sæpè comitibus securè eundi facultas ab illo daretur*. quod Phrygius de pace iuxta ipsius mentem interpretatus, ita cum Milesijs ciuibus suis egit, vt pacis iustæ conditiones vtrimque & proponerentur, & reciperentur, stabiliretur que firmissima concordia; ex quo Pieriæ postmodum tam celebre fuit nomen, vt deinde in mulierum votis id vnum precarentur *sic se amari, sicuti Pieriã Phrygius adomasset*. Cæpit virtutũ sua egregia, & venustissima pulchritudine Dei filium Beatissima Virgo, quo tempore maximum ardebat bellum inter Deum, & homines, cum isti iniustè aduersus Deum suis peccatis rebellassent; amantem enim Deum arguunt verba illa Cantic.4.℣.9. *vulnerasti cor meum soror mea sponsa*; cupiens itaque tantæ amicæ in omnibus gratificari, vt veri amantes solent, omnia se, quæ illi grata, & iucunda fore cognouerit impleturum pollicetur cum Cantic. 2. ℣. 14. illi dicit. *sonet vox tua in auribus mei*, quasi dicat. fac me tantum audire tui petentis vocem, quicquid petieris illico impetratura; in hunc enim sensum de precibus Mariæ Virginis, hæc eadem Cantic. verba interpretatur est Fernand. in Genes.cap.19.sect.15. num.3. cuius etiam facti figura præcessit in Salomone, qui 3.Reg.cap.2. postulata se omnia concessurum Matri suæ dixit

Maria reconciliatrix inter Deum, & homines.

Cantic.

Isai. Ierem.

Isai.

Maria inuentrix pacis quæ perierat. Cæl.

Prudentissimæ mulieris honestum factum.

Cantic.

Mariæ gratificari Deus desiderat, eiusq. preces audire

Fernand

℣.20.

℣ 20. *pete mater mea, neque enim fas est, vt auertam faciam meam*; & ad illa verba similia Cantic. 8. ℣. 13. *fac me audire vocem tuam.* Dionyſ. Carthuſ. in Cantic. artic. 27. de Virgine Deipara; *orationes*, inquit, ſub Dei perſona, *quas pro fidelibus, & impijs fundis amorose percipio*; ac ſi dicat, nihil illis denegare poſſum. Sed Maria cui nihil charius, nihil antiquius peccatorum ſalute eſt, nihil habet quod libentius petat, aut pro quo efficacius laboret præter cōcordiā inter Deū, & homines; ideo hos illi reconciliatura, *ex quo facta eſt coram eo quaſi pacem reperiens*, hoc enixe petit ab amatore filio, vt multis ſæpè ciuibus ſuis commantibus poſſit ad Cæleſtem patriam ire, ideſt, vt quamplurimos homines poſſit in cæleſtem Hieruſalem introducere: Quam eius voluntatem hominibus benefaciendi intelligens filius, inito cum humano genere fœdere, firmiſſimam inter Deum, & homines ſtabiliuit pacem; qua ſtante vtrimq; maxima cum libertate agitur, & ſic ſola virgo facta eſt corā eo quaſi pacem reperiens, vt deinde aliæ omnes mulieres Mariæ fælicitatem prædicent Luc. 1. ℣. 48. *beatam me dicent omnes generationes*, & ita ſe à Chriſto ſponſo amari fidelis, & deuota anima cupit, ſicut intemerata Virgo amata fuit, cui fecit magna, qui potens eſt; Quæ omnia ad Dei Matris laudem, ſed ad ſummam etiam noſtra referenda ſunt vtilitatem.

13 Conſtituta itaq, inter Deum, & homines pace, ne redintegrari poſſit odioſum ſibi bellum, Dæmones vtrorumq; hoſtes ſua præſentia fugat, facta illis terribilis, & terrifica. placet mihi pro hac re demoſtranda locus ille Cantic. 8. ℣. 6. *lampades eius lampades ignis, atque flammarum* pro quibus Matth. Cantacuz. legit, *pinnæ ipſius, quæ in orbem ſunt pinnæ ignis, flammæ eius*; ad quem locum notat P. Vincent. Riccar. noſter, quod vox πτερύγια, non pinnas abſolutè, ſed pinnas, quæ vndique cingant ſignificant. Quas igitur flammeas pinnas his verbis circa Mariam laudat ſponſus? pro intelligētia neceſſe eſt noſſe quod narrat Pier. Valer. lib. 7. tit. *formido*. in Sicilia vetuſtum, & iucundum exerceri venationis genus: nobiles enim conuenientes cum venatorijs armis, & inſtrumentis ad locum vbi Ceruos congregatos eſſe compererunt prodeūt, habet quilibet ex venatoribus faſciculum virgarum, quarum alterum caput perforatum eſt, vnde funiculus tranſmitti poteſt; circundantes itaque locum, virgis in terram depactis funiculum extendunt, ſicq; feras concludūt. *Virgis ita diſpoſitis pennarum punicarum, quas in hunc vſum magno numero fucatas habent faſciculos ad traductum per virgas funiculum hic, & illic alligant, qui aura, vel leuiſſima impulſi varia iactatione mouentur*, tum venaticis canibus incluſas feras agentes, has vbi ad penſiles pennas peruenere pauefactas ſagittis conficiunt. refert etiam eadem ferè Nemeſ. in Cinyget. ex quo colligitur quod non ſolum Cerui, vt refert Pier. ſed alia etiam ſæuiora animalia ita capi poſſunt, ideo ad hunc morem alludens Senec. lib. 2. de Ira. cap. 12. ferarum omnis generis meminit. *Cum maximos*, inquit, *ferarum greges linea pennis diſtincta contineat, & in inſidias agat, ab ipſo effectu dicta formido.* Simili arte quis neſciat infernalium beſtiarum agmina à fidelibus ſuperari? puniceæ enim pennæ virtutum charitatis, & miſericordiæ, quæ in orbem diſponit Beatiſſima Virgo, ita Dæmones perterrent, & fugant, vt facile à ſuis deuotis confici, & ſuperari queant; fit enim illis rutilans Mariæ charitatis feruor formido, vnde Cant. 6. ℣. 9. vbi legitur *terribilis vt caſtrorum acies ordinata*; reddūt Septuag. Interpr. in abſtracto, *Formido vt caſtrorum acies ordinata*; quæ hoſtibus formidabilis, & formido ſuis eſt mitiſſima protectrix.

14 Duæ ex eiuſmodi terribilibus

feris

Cant. *Dionyſ. Carthuſ.* *Pacem à Deo pro nobis petit V. Maria* *Luc.* *Mariæ vis in fugando Dæmone.* *Cantic.* *Vincen. Riccard.* *Pier.* *Iucundū genus venandi ceruos.* *Nemeſ.* *Senec.* *Charitate & miſericordia Dæmones fugat Maria.* *Cant.*

feris erant mors, & peccatum; mõstra hominibus inuisa semper, & formidanda, quæ etiam per Mariam fugata fuerunt, & confossa. expendamus hic locum Ioan. 11. ex quo apparebit quod intendimus. Fuit Lazari resuscitatio veluti symbolum reparationis totius humani generis, quod Christus venerat saluare, & viuificare mortuum iam propter peccatum, vt colligitur ex sermon. 64. S. Petr. Chrysol. narrat itaq; S. Euangelista Ioan. loco citato quod in resuscitatione Lazari Martha, quæ Euæ Matris, & peccatorum typum in hoc gessit, postquam Christo Saluatori confessa est, accersiuit Mariam, quæ propter nominis similitudinem significat Virginem Deiparam; vt enim reuiuisceret Lazarus, & mors quæ illum detinebat fugaretur necessaria fuit Mariæ præsentia sine qua inuicta, & interrita mors semper restitisset, nec peccatum deletum fuisset: sed ad eius solum nomen formidolosa recedit, & Lazari, idest humani generis viuificatio fugata morte, & deleto peccato consequitur; quod significans idẽ S. Petr. Chrysol. eod. serm. *vbi*, inquit, *Martha confessa est Christo, & quicquid est culpa, non in persona mulieris pia confessione deleuit, mittitur ad Mariam: quia sine Maria nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari. veniat Maria: veniat materni nominis baiula, vt videat homo Christum virginalis vteri habitasse secretũ. quatenus prodeãt ab inferis mortui, mortui exeãt de sepulchris.* grassabantur enim mors, & peccatũ illius ductor in vniuersam Adam posteritatem, & nemine illis resistente tot iam hominum millia impunè prostrauerant; cum Maria generis humani stragem miserata validiorem, & vtrique parem athletam produxit, qui de illis animose triumphauit, ideo canimus illud 1. Corinth. 15, ℣. 55. *vbi est mors victoria tua, vbi est mors stimulus tuus? stimulus autem mortis peccatum*; ideo etiam in Lazari resuscitatione, vbi contra mortem & peccatum pugnandum erat quia Mater Maria adesse non poterat, materni saltem nominis baiula aduocatur, & altera hæc Maria solo nomine illi par, pro Virgine Deipara vicariã operam præstat, & sic prodeũt ab inferis mortui, mortui exeunt, de sepulchris. Hanc igitur de morte, & peccato victoriã V. sãctissimę debemus, cuius sub nomine de istis infensissimis inimicis triumphamus; & propterea Martha, idest peccatores ad Mariam mittitur, vt ab ea mundetur, quemadmodum leprosi, vt mundarentur ad sacerdotem missi sunt Luc. 16. ℣. 14. *ite ostendite vos sacerdoti, & factũ est dum irent mundati sunt*. nec illud prætereundum, quod Martha post confessionem mittitur ad Mariam, vbi *quicquid culpa pia confessione deleuit*, quia dimissis culpis accedendum est ad Mariam, & maculas abluat necesse est, qui Mariam vult habere aduocatam; sed hoc obiter.

Ioan. | S. Chrysol | Maria V. fugat mortem. | Maria vitæ reparatrix. | 1. Corint. | Etiam nomen Mariæ cõtra mortem peccatum efficax. | Luc.

15 Illud ad rem nostram, quod ad Mariam accedendum est ijs, qui salutem consequi desiderant, à qua vna accepimus veram salutẽ, & salutis auctorem, & ideo Angelus in augustissima illa legatione ad Mariam quæ habetur Luc. 1. cum bis nominis Christi meminisset, primum ℣. 31. cum dixit *& vocabis nomen eius Iesum*; iterum cum ℣. sequenti subdit, *filius altissimi vocabitur* diuersimodè locutus est. Si itaque (dicet quis) vocandus erat Iesus, vt quid oportuit subdere, *& filius altissimi vocabitur?* Quia duo nomina Christo conueniunt, alterum, qua Deus est, Patri æterno, & immenso coæqualis & hoc nomen nullus hominum aut percipere, aut pro rei maiestate exprimere congruè potest. de quo Exod. 6. ℣. 3. 4. *ego Dominus qui apparui Abraham &c. & nomen meum Adonai non indicaui eis.* alterum vero, qua homo pro nobis factus, genus humanum redimẽdum suscepit; sicut itaque vt Verbum spectat ad Patrem, qui illum appellauit filium Psalm. 2. ℣. 7.

Luc. | Christo propter duas naturas duo nomina tribuit Angelus. | Exod. | Psalm.

Dominus dixit ad me filius meus es tu, ego hodie genui te; quo pacto de illo dixit Angelus, *filius altissimi vocabitur*; ita etiam ad Virginem sanctissimā, vt Iesus est, & Saluator pertinet; ideo tu ait Angelus *vocabis nomen eius Iesum*; fuit hæc obseruatio S. Thom. in Caten. Luc. 1. *dicit autem, tu vocabis; non Pater*; quasi Saluatorē Christum, & mundi redemptorem efficere, idest salutarem *Iesu* titulum illi imponere (vt sic loquamur) opus fuerit potius Virginis quam Patris æterni; ideo addit S. Thom. ibidem ex Cyrill. *hoc autem nomen (* Iesus, & Saluatoris *) de nouo fuit verbo impositum, natiuitati congruens carnis*, neque enim illi tale fuerat inditum à Patre nomen in prima sua generatione; quando enim appellandus fuit *filius altissimi*, tunc diuino ore appellatus fuit, ideo non dixit Angelus tu vocabis, sed vocabitur; idem S. Thom. ex Græc. *non vtique tu impones vocabulum, sed ipse vocabitur, à quo nisi à consubstantiali patre? nullus enim filium nouit nisi pater*. Sicut ergo Maria fuit, quæ digna fuit vocare eum Iesum, & hoc illi nomen imponere, ita quæcunq; ab hoc nobis maximè propitio nomine pro nostra salute prodierunt, eadem nobis contulit Maria, & proinde cum mortem, & peccatum destruxit Saluator, Maria destruxit, quæ illum fecit Saluatorem, vt exposuimus.

Iesus vt Saluator est filius Mariæ. S. Thom.

A Maria Iesus Saluator appellatur.

S. Thom.

16 Sed quod in hac V. Mariæ protectione, & studio pro nostra salute magni faciendum est, illud esse potest: quod non longè quærenda, aut multo labore adeunda nobis sunt illius patrocinia; cum obuiam, & semper adstantem patronam habeamus; ideo cum multa eius munera, & præclaræ dotes multis sub figuris exprimantur Eccli. 24. ℣. 17. & sequent. patrocinium tamen & protectio, ita significantur, vt omnibus absque cura obuia esse denotentur. nam Cedrus dum dicitur; *Quasi Cedrus exaltata sum in Libano*, vel sanctissimum eius corpus ex quo formatū fuit mysticum Christi templum significat, sicut Cedro templum ornauerat Salomon, vt obseruat Vgo Cardin. vel à peccati verme, seu fomite incorruptā inocentiam; vel Virginalē viriditatem, vel vim fugandorum Dæmonum, de qua glos. *odor*, inquit, *Cedri serpentes interimit, & fugat, vnde Virg. 3. Georg.*

Eccli.

Maria patrocinii omnibus obuii esse ostēditur.

Disce & odoratam tabulis accendere Cedrum,

Per Cypressum vero, cum subditur, *Quasi cypressus in monte Sion*; Clementia Virginis exponitur, *quia*, inquit Vgo Cardin. *Cypressus mollis est; & B. Virgo mitis, & ad misericordiam flexibilis*. per Palmam verò, cum additur, *quasi palma exaltata sum in Cades*, victoria de omnibus hostibus, cuius hieroglyphicum fuit palma: per Rosam cum subiungitur *Quasi plantatio rosæ in Iericho*, eius pulchritudo, & eminentia super alios Sanctos, quibus ita supereminet, sicuti Rosa, est aliorum omnium florum Regina; pietas eiusdem & misericordia per oliuam; *quasi oliua speciosa in campis*: demum verò cum additur; *Quasi platanus exaltata sum iuxta aquas in plateis*, eius patrocinium significatur. platanus enim est hieroglyphicum protectionis; *quippe quæ*, vt ait Cic. 2. de Nat. Deor. *ad opacandum locum patulis sit diffusa ramis*; perinde ac Beatiss. Virgin. Mariæ protectio est suis, quod dicitur Isai. 4. ℣. 6. *vmbraculum diei ab æstu*. platani folium munimentum significat ab insidijs, vt tradit Pier. lib. 17. S. Inuenio. & Maria munit suos ab insidijs, tam visibilium, quam inuisibilium hostiū, ideo *quasi platanus exaltata sum*. Sed quare additur *in plateis & iuxta aquas*? Cum enim in reliquis similitudinibus cōparetur abroribus, vel plantis, quæ in locis arduis solitarijs, & infrequentibus proueniunt, vt sunt montes, & campi; *in Libano, in monte Sion, in campis* &c. quare cum se platano propter protectionem assi-

Maria clemens.

VgoCard.

Maria victrix.

Cic.

Isai.

Pier.

Omnibus protectionem suã cõmunicare gestit Maria.


milat, in plateis mansionem, & stationem suam constituit? Cuius diuersitatis non alia reddi potest ratio, nisi quia protectionis suæ vmbram, non in arduis montibus, neque in desertis campis, sed in medijs vrbibus, in frequentibus plateis expandit, vt verè sit quasi *platanus in plateis*, quasi patrocinium cunctis obuium, & omnium ad eam recurrentium opportunitatibus expositum. & vt hoc auxilium nõ opportunum modo, sed numquam deficiens fore intelligas, dicitur hæc platanus aquis irrigua, *iuxta aquas*, quia iuxta filium in cælesti solio constituta, è perenni beneficiorum eius, & gratiarum fonte manantibus aquis alluitur.

Sacer tex.

Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius.

CAP. VII.

Quanta sit B. Virginis Mariæ celeritas in subueniendo peccatoribus.

1 

N omnibus Christi Saluatoris, & Sanctorum suorũ perfectis actionibus, Sãcti Spiritus prouidentiam, & assistẽtiam adfuisse, credendum est; & nihil, sine speciali diuina dispensatione factum, aut fieri potuisse, pro comperto habendũ. Cur ergo voluit Spiritus sanctus, quod dum Iesus in diuini verbi prędicatione erat occupatus, in reprehendendis vitijs, obiurgandisque acriter Hebræorum erratis incaluerat, exemplo de aduentu suauissimæ Matris suæ fieret certior? an non poterat in aliud opportunius tempus iste aduentus differri, ne inceptus cum audientium profectu sermo præcideretur? scio plures eius rei causas reddi, ex quibus vnam vel alteram in expositione litterali non omisimus; sed in sẽsu morali videmur apposite respondere posse, si dicamus: subitum, & inexpectatum hunc Mariæ Virginis aduentum figurã veluti fuisse præsentaneæ opis, & festinati subsidij, quo peccatoribus in cunctis opportunitatibus tam huius, quàm futuræ vitæ aduersus diuinæ vltionis flagella Dei Mater tempestiuè assistit, & auxiliatur. Minabatur Christus Iudæis, & sub eorum persona cunctis hominibus impænitentibus, maxima, & suprema mala in iudicio: *Viri Niniuitæ resurgẽt in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam*; exprobrabat Iudæis pertinaciam, & perfidiam in incredulitate, & contemptum cælestis suæ prædicationis exemplo Niniuitarum qui *pænitentiam egerunt in prædicatione Ionæ*: temerarios, & ceruicosos acriter corripiebat, & iniurijs etiam lacessebat, *generatio mala, & adultera* &c. in hac vita plectẽdos eos affirmauerat, & multo magis in futura, quãdo fient nouissima peiora prioribus: denique mala omnia quæ obsessis à Dæmone contingere cuiquam possunt, ijsdem euentura prædicebat: *sic erit generationi huic pessimæ.* Ad extremum, vndique pœnas, & tormenta contra homines spirabat. Cum has minas mitigatura, hanc sæuientem iram lenitura, & remissura pœnas, opportuna adstitit B.V. Maria, quæ quoties filium, quamuis iuste contra peccatores iratum videt, illico ijs auxiliatura adest; & auditis minacibus Saluatoris vocibus: *sic erit generationi huic pessimæ*, non differt, sed festina accurrit intercessura apud filium pro animarum sibi deuotarum salute; adeo vt expressè meminerit Euangelista quòd *adbuc eo loquente* &c. *Ecce Mater eius*, &c. dixit: *adbuc eo loquente*; si enim loqui destitisset, fortasse intempestiua patrona adstitisset. *adbuc eo loquente* non dum sermonem compleuerat; vix

B.V. patrocinium erga peccatores.

Christi indignatio in peccatores.

Festinat B.V. vt peccatores adiuuet

iratus Christus, minacia verba proferre ceperat, & presto fuit patrocinium Virginis. *adhuc eo loquente, ecce Mater tua* &c. quod denotat etiam particula *ecce*, quæ ad exprimendam admirationem, & nouum quid, aut insperatum ponitur; admirandũ quippe est, quàm cito Dei mater, & si aliquando insperata, conciliatura peccatoribus filium aduentet: *adhuc eo loquente, ecce mater tua* &c. priusquam iustissimæ vltionis sententiam pronunciet, accedit protectrix, clientium suorum causas defensura, & rigorem iudicis temperatura, mitissimæ suæ intercessionis patrocinio. Nihil itaque vel in temporalibus, vel in spiritualibus, in hac, aut futura vita, mali, aut damni diuina iustitia in eos potest irrogare, quibus Mater patrocinatur, & nota ly *ecce mater tua*, vt gratior Iudici fiat, matrem se nominat & ostendit; vt peccatoribus veniam facilius impetret, Deumque iratum flectat, materna ostendit viscera. *ecce mater tua*. Sanctorum quoque preces suis sociat: *ecce mater tua, & fratres tui* de quibus in hoc eodem Euangelio dicitur: *qui fecerit voluntatem fratris mei, ipse meus frater est.* vide quanta sit de peccatoribus Virgini cura; quantaque fuerit tantæ Virginis efficacia in suadendo excandescenti Christo pietatem; ex eo iam cõijce, quòd relictis Christus minacibus verbis, dixerit: *quicumque fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est*; quibus verbis nil dulcius, piumque magis.

Propitia nobis V. Mar. apud Deũ.

2 Propterea crediderim Virginẽ Deiparam, & ab Ecclesia iuxta ipsius nomen, vt serm. 2. super missus est testatur S. Bernard. & in veteribus etiã scripturis, *Maris stellam*, vocatam fuisse vt Eccli. 50. ℣. 6. *quasi stella matutina in medio nebulæ*; nauigantibus enim æstuosum vitæ pelagus, si tempestas aliqua oriatur, & diuinæ misericordiæ splendorem nubes obducãt; futuram Dei placabilitatem, & cessationem instantium flagellorum impetrare, & præsagire vna hæc stella potest. quæ commotas à diuina iustitia contra peccatores vltionis vndas, suo aduentu sedandas prænunciat. itaque ad opem illius implorandam hortabatur fideles idem Bernard. eod. serm. *Si iactaris*, inquit, *superbiæ vndis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis, voca Mariam: si iracundia, aut auaritia nauiculam cõcusserit mentis, respice ad stellam voca Mariam.* quin instantibus, & sæuientibus diuinæ iræ tempestosis, & æstuãtibus vndis, quæ tamquam *flagellum inundans* Isai. 28. ℣. 15. & 18. transeunt, vna hæc stella mitigat oĩa, vnde etiã de ea exponit Vg. Card. verba Eccli. 24 ℣ 6. *sicut nebula texi omnem terram, ab ardore*, inquit, *iræ Dei.* & paulo infra de Virg. Maria loquens; *exstat, ab vndis mundana tempestatis, & exire facit confidentes in se; vnde & Maria maris stella dicitur.*

S. Ber.

Eccli.

B.V. stella trãquillitatẽ prænuncians.

S. Bern.

Isai.

Vgo Card. Maria ab ardorẽ iræ Dei mitigat, & à mundi vndis liberat.

3 Quin ob similitudinem, quam cum stella matutina, splendidissimo phosphoro habet aurora, quatenus vtraque est aduentantis solis prænuncia, ideo etiam auroræ nomen eidem Beatissimæ Virgini tribuitur, Cantic. 6 ℣. 9. *progreditur quasi aurora consurgens*; & merito quemadmodum enim aurora solis exortum anticipata festinatione præcurrit, quo mortalibus inter densas noctis tenebras delitescentibus, optatæ lucis radijs illucescat: ita Maria Virgo sanctissima Iustitiæ solis, qui Christus est, maturat auxilium anteuertere, vt deuotos suos in tribulationum tenebris afflictos cælestis lucis, & protectionis suæ splendore illustret; adeo vt soleat Maria in subueniendo miseris filium præcurrere, sicut Aurora Solem. cuius rei ratio reddi potest, quia ille Iudex est, hæc verò patrona; Iudices autem tardi, & seueri sunt in actionibus, aduocati solliciti, & festini in patrocinijs. Possemus etiam dicere, quòd auroræ comparatur Virgo: *quæ progreditur quasi aurora con-*

Cantic.

V.M. filium præcurrit vt adiuuet miseros.

gens;

gens; non solùm propter hanc celeritatem, qua obtenebratas peccatorum mentes illustrat, sed etiam ob multiplices gratias quibus animas fæcundat, & hominibus succurrit, vt sit verè *quasi aurora consurgens*; nam *aurora*, *Centimana* dicta fuit; vnde Eusth. in Odyss. *auroræ*, inquit, *digiti*, *per allegoriam radij solis intelliguntur*, *cùm ipse Sol in Iliade Centimanus sit dictus*; Itaque B. V. Maria *Centimana*, & *aurora* dicitur non solùm quia Deo adest in omnibus quæ ad extra operatur quæ omnia singillatim enumerat Sapiens Prouer. 8. & illis verbis epilogat ℣. 30. *cùm eo eram cuncta componens*; sed etiam, quia in patrocinando hominibus, quot flagellis, indignatus hominum peccatis, filius sæuit, totidem manibus Maria flagella illi è manibus eripit, & ab hominum ceruicibus repellit; & *centum manibus* agit, quia eodem tempore, infinitis penè ad eam recurrentibus, manum suæ benignissimæ protectionis porrigit, & infinita pro hominum vtilitate operatur; vt propterea B. Andreas Auellinus noster, erga Mariam deuotissimè affectus, illam *Facendiera del Cielo* appellauerit; quod cuncta negocia, quæ in Cælesti aula, pro hominum salute expediuntur, ea procurante, & patrocinante, absoluantur; ad quā similitudinem etiam D. Epiph. Orat. de laudib. Mariæ: *multoculam* nominauit, quasi non solùm Centum manibus prouideat, sed totidem oculis videat, & misereatur humanis miserijs. Benè nectuntur hæc duo in B.V. *multocula*, & *centimana*. multos, & quasi infinitos habet oculos; vt miserorū miserias aspiciat, eosque ad nos conuertit; sed quid cōferret hominibus, si omnes, & omniū necessitates aspiceret, prodesse tamen non posset, aut posset parum? quot ergo oculos, tot manus, vt illis videat, his prouideat miseris. Fuit etiam *Centimana*, dum vixit, propter infinita, quę ad Dei gloriam operata est, quam in omnibus actionibus cumulauit, & auxit, & ad quam cuncta quæ operabatur dirigebat.

Aurora, Centimana dicta. Eusth.

B.V. Centimana erga peccatores pietate.

B. Andreas, virginem, Cæli negociatricem appellat.

S. Epiph.

Deipara quare multocula sit dicta.

B.V. Centimana ad Dei gloriam.

4 Eādem Mariæ Virg. in succurrendo velocitatem egregiè espressit Spiritus sanctus, Cantic. 1. ℣. 8. ex versione LXX. nā vbi vulgata habet *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea*, LXX. legūt, *equæ meæ*, quos sequitur S. Ambros. serm. 2 in Psalm. 118. & Euseb. est maxima Equinorum pullorum laus pernicitas; cùm, quo non possumus cito, & expedite ire pedites, eo his adiuti, velocissimè perueniamus: eiusmodi certè est auxilium Virginis Deiparæ, quo qui vehuntur citissimè ad bonorum operum metam, & ad gloriam Paradisi perueniunt. magis autē *equæ*, quàm equo comparatur propter partum, & propter velocitatem. vtrumque, partum, scilicet, & velocitatem significauit in equa Salomonis S. Ambros. lib. de Isaac cap. 4. *Virtutis labor*, inquit, *quærit victoriam*, *vt possit equa illi*, *quæ Salomonis est comparari*, *velox ad currendum habilis ad partum*. Virginis autem Mariæ celeritatē expressit Luc. cap. 1. ℣. 39. vbi de ea verba faciens; *exurgens*, inquit, *Maria abijt in montana cum festinatione*. Nouerat iam Virgo diuino grauidata fætu, prolis, quam in vtero gerebat, infinitam virtutē, ideo festina properat ad Elisabeth, vt quam primùm sua, & eius, quem gerebat, Saluatoris præsentia mundaretur, & sanctificaretur, materno adhuc aluo inclusus Ioannes Baptista, ederetur que in lucem talis præcursor, qui dignus esset præparare ac sternere venturo Saluatori in humanis mentibus vias; vt sic citius humana redemptio compleretur, & ad hanc respiciens Virgo abijt cum festinatione. *Laeta*, ait S. Ambr. *pro voto*, *religiosa pro officio*, *festina præ gaudio*. & paulo post: *Contuendum est*, subdit, *quia superior venit ad inferiorem*, *vt inferior adiuuetur*; *Maria ad Elisabeth Christus ad Ioannem*. *Cito quoque aduentus Mariæ*, *& præsentia diuina*

Cant.

S. Ambr. Euseb.

Maria velocitas in miserādo.

S. Ambr. V. M. equæ comparata pp partū, & velocitatē

Luc.

Celer Maria ad miserendum.

S. Ambr.

bene-

bijci debere contendebat; ideo ait Chrysol. *Genetricem te dici pietas voluit, quam non sinebat integritas.* Ex hoc singulari priuilegio, & prærogatiua, aliæ omnes Mariæ singulares, & eximiæ gratiæ prodierunt, ex quo enim electa fuit Mater Dei, meruit etiã obtinere originalis puritatis candorẽ; integritatis Virginalis illibatam custodiam; & cuncta, quæ in ea suspicimus, à *pietate* obtinuit, à qua Dei Mater electa fuit; *nam genetricem dici te pietas voluit.* Quid igitur mirum si gratitudinis ergo, ei, à qua electa fuit, adhæret, & in sanctissimæ Trinitatis consistorio, vota sua, ad nutum pietatis electricis distribuit? huic certè intercedenti, sicut omnia sua priuilegia debet, ita nihil negat; iustitiæ contra nescit assentiri, & obsequi; quia huic suæ electioni repugnauit; nec enim Virginem *Genetricem dici sinebat integritas.* vota itaque sua, & suffragia, pietate suadente, dispensat. exprimẽtum duplex eius rei habes apud Vgonem Cardin. Comm. in Eccli. cap. 24. ℣. 19 exponentem verba illa: *quasi oliua speciosa in campis*; quæ de sanctissima Dei genetrice ita interpretatur ad hanc pietatem respiciens: *Pietas*, inquit, *trahebat eam quando concepto Saluatore, abijt in montana cum festinatione, vt seruiret Elisabeth in partu eius; & pietas aperuit os eius, quando dixit filio suo in nuptijs fili vinum non habent. Ioan.* 2. pietas illam ad sua vota trahit; pietas illi os aperit, vt pro nobis intercedat. Et hinc est, quòd cùm præsensisset Christum iratum contra peccatores multa intentare, vt in hoc Euangelio, remisso rigore, secundum pietatem ferri sententiam impetrauerit, nec enim prius cessauit loqui Christus, quàm dixisset; *quicunque fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, soror, & mater est*; in quibus apparet, quod diuina miseratione, & Virginis intercessione à cælesti patre adoptati sumus.

Vota Deiparæ pro pietate.

VgoCard

Pietas Mariam trahit ad peccatorũ patrocinium.

7 Sed vt ad propositum, vnde paulisper declinauimus, redeamus pulcherrima etiam similitudo, ad eandem Mariæ celeritatem, in patrocinãdo, significandam, habetur Prouerb. 31. ℣. 14. vbi de eadem Virgine Maria dicitur: *facta est quasi nauis Institoris de longè portans panem suum.* Velocissimus est cursus nauium, quas secunda spirantis venti aura leniter impellit. Non potuit itaq; Mariæ festinus occursus, congruentius exprimi, quàm comparãdo illam *Naui*, cuius animæ vela, diuina spiritus (eiusq; sancti) aura impleuit. Luc. 1. ℣. 35. *Spiritus sanctus superueniet in te*, &c. Imo ex omnibus nauibus, illæ citius properant, quæ de longè veniunt, vt celerius cursum absoluant. quare etiam Maria, *Nauis de longe veniens, & portans panem* gratiarum dr. fuit .n. imminentis &c auxilij præsagium *Nauis*, ideo Alciat. Emblem. 43. Nauem in medio mari collocat cum inscriptione: *spes proxima.* cum ergo B. V. M. Naui comparet Spiritus sanctus, eaque spes nostra sit, *& mater spei*, vt dicitur Eccli. 24. ℣. 24. vtique festino ad nos cursu cum fænore gratiarum, & beneficiorum cælestium, citissimè venit. Magis confirmat, quod diximus, addita particula: *Institoris*, idest, *Mercatoris*, nam Nauium quædam dicuntur *militares*, quæ milites ad pugnam deportant; quædam *onerariæ*, à ferendis onustis rebus dictæ, ita Alexand. ab Alexand. Genial. Dier. lib. 4. cap. 4. vnde Zosim. lib. 3. Histor. in Iulian. *vbi* inquit, *cunctas naues; tam militares, quàm onerariass conuenire iusserat.* B. Virgo non fuit Nauis militaris, quia non belli, & mortis, sed vitæ, salutis, & pacis mercibus onusta ad nos venit; vnde L X X. legunt: *facta est tãquam Nauis mercaturam exercens de longe, congregat autem hac vitam.* Sed nec nauis oneraria congrue dici potuit, quæ impedimenta omnia, & onera diuitiarum respuit in summa paupertate leuis, sed facta est tamquam *Nauis institoris* expedita, & celer, quæ de-

Prouerb.

Mariæ festinus occursus, Nauemp denotatus

Luc.

Alciat.

Maria nauis, spei proximæ typus. Eccli.

Naues quæ militares, & quæ onerariæ.

Alexan. ab Alex.

Zosim.

longè

Cælestem mercaturã instituturus, ita vocauit. Matth. 4. ℣. 18. *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* In hac naui Deus sua beneficia hominibus detulit, dum humanam salutem mediante virgineo vtero operatus est; & quoniam plerosq; nouerat pudibundos, qui ob tenuitatem meritorum, & copiam peccatorum, non auderent accedere ad tanti beneficij largitorem, ipse tamquam *institor* benigne ad merces eos inuitat, & ne quis emendo se non esse caussetur, vltro absque pretio offert Isai. 55. ℣. 1. *Venite emite absque argento* & 52. ℣. 3 *gratis venundati estis, & sine argento redimemini.* Et huius *institoris nauis*, fuit Maria Virgo. Quin probabiliter etiam nauem militarem appellare illã possumus, quatenus nobis pacem, Diabolo vero bellum attulit; maximè si obseruemus vim vocis originalis, quæ sic habet, vt refert Salaz. in Prouerb. Salom. cap. 31. ℣. 14. *Facta est quasi naues*, vt significet quod tamquam classis magna est pro nobis instructa, contra diabolum; nam & Genes. 3. ℣. 15. dicitur *Inimicitias ponam inter te, & mulierem*; quod dictum fuisse de Virgine Deipara vnanimiter Expositores concordant. & Cant. c. 7. ℣. 1. *Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum?* quem locum paraphrasticè interpretatus de Virgine Ghisler. sub B. Mariç persona sic loquitur. *Cum ad vos me conuertam animaduertetis me vt Sunamitem pacem vobis conferre, idque maximè admirabimini, quod cum instar præfortium castrorum vos tuear, gaudio nihilominus, & exultatione vos perfundam adueniens sicut chori castrorum*; affert siquidem pacem, cum gaudio, quæ perpetuis nostris hostibus crudele bellum pro nostra defensione indixit, pro quibus Diabolo occurrit *terribilis, vt castrorum acies ordinata*, vt & nos tueatur, & hostes terreat, atque fuget.

Matth. *In Mariæ Naui Iesus merces suas aduexit in mundũ.* *Isai.* *M.V. pro nobis contra diabolũ militat* *Salaz.* *Genes.* *Cantic.* *Ghisl.* *V. M. nobis iucunda, hostibus terribilis.*

10 Nauis, etiam aduentus, Hieroglyphicum fuit, vt ostendit Pier. lib. 45. §. Rostrum; & B. Virgo instar nauis ostendit Dei ad nos aduentum in carne. Vel alium nauis significatum accipiamus, cum pro fęlicitate, & salute sumitur, vt in Hadriani Augusti numo cernitur nauis cum Inscriptione. *Fælicitati Aug.* quod etiã asserit idem Pier. lib. eod. §. ad hæc, & §. quæ verò; quod Mariæ optimè congruit, nulla enim maior fęlicitas, nulla salus tutior & iucundior ea contingere humano generi potuit, quam attulit *Maria.* S. August. serm. 18. qui est secundus de Annunciat. *Præcisum est in ea illud Euæ infælicitatis elogiũ*; vt merito subsecutam fælicitatem scias. eadem nauis salutis indicium fuit apud Athenienses; qui, vt refert Pier. lib. 45. §. Quæ vero; inuiolabili lege præceperãt, quo tẽpore sacerdos Apollinis nauis puppim coronabat, ne quisquam interficeretur: dum igitur Christus summus sacerdos *Mariam* coronatam exaltauit super choros Angelorum nemo mortis sententiam sub illius custodia mancipatus, timere potest, & vt videas salutem hac mystica naui non significatam solum, sed aduectam ad nos, diuinitus è Cælo dimissã, subdit Augustin. loco citato. *Genitrix Domini nostri salutem attulit mundo.* Narrat Plutarchus libell. de non fænerando: Quod bello Medico Athenienses graui timore oppressi, consuluerunt Apollinem; à quo responsum tulerunt, *vt muris ligneis vterentur:* Ambiguũ hoc responsũ illi ita interpretati sunt, quasi iuberentur nauibus se committere: Quare relicta Attica terra, & possessionibus, retinendæ libertatis caussa in naues confugerunt, ibique seruati sunt. Ita prorsus qui tribulationibus, & calamitatibus huius vitæ ferendis se impares esse cognoscunt, dictum sibi à Numine putent, vt ad nauem hanc siue murum ligneũ confugiant; de qua dictum est Cant. 8. ℣. 9. *si murus est ædificemus super eum propugnacula argentea; si ostium est compingamus illud tabulis cedrinis.*

Pier. *Nauis fœlicitatis hieroglyphicum.* *V. M. causa fælicitatis nostræ.* *S. Aug.* *Plutar.* *Naues fuerunt Atheniensibus causa salutis.* *Excipit nos M. V. in Nauim suæ protectionis, & seruat.* *Cantica.*

infestabant, *Sanctorum iter pacatum reddidit*. *Quam*, *enim speciosi pedes euangelizātium pacem. Quam pacem? Dominum nostrum Iesum Christum, quem peperit Maria.* Vel per mare incedamus in hac vita, fluctus insultantes; idest, diaboli tentationes, & aduersariorum iniurias arcere, & sedare potest Virgo propter Imperiū, quod in mare obtinet: vel in terra ambulemus peccatores, qui tamquam latrones innocentum, & piorum vitæ insidiantur, eorumque animam diripere, & spiritualia etiam bona deprædari cupiunt, reprimit; & Sanctorum, qui eius auxilium implorant, vitæ lubricæ cursum, tutum reddit: passiones, quin etiam, & vitia, quæ plerumque laten ter, & ex insidiis nos aggrediuntur, facile vitant, qui sub eius patrocinio victuri, illius sese tutelæ deuouerunt; propterea enim duo hæc elementa, quorum illud ob instabilitatem insidum, istud ob viarum grassatores in tutum esse solet, deuotis Virginis Mariæ, in eiusque laudem, & honorem conuenientibus nulli nocumēto fuisse dicuntur.

In Mari, & interra salutem suis præstat M.

13 Quin, non solum cessantes à nocumento natiuam quodammodo feritatem exuunt mundanæ istæ creaturæ pro ijs qui B. Virginē pio affectu venerantur & colunt; sed etiam fidele obsequium, & sedulam custodiam ijs exhibent: multo tutiorem armatis militum cohortibus, aut numeroso famulitio. ideo ait S. Proclus. *terra*, *& mare*, *satellitum more*, *huic subseruiūt Virgini*, & vt Virgini gratificentur, eius deuotis famulantur instar satellitum, quorum munus est custodire Principum personam. Dionys. Halicarnass. lib. 4. Antiq. Rom. de Tarquinio superbo ait, *Primum satellitio se stipauit audacissimorum hominum; gladios, & lanceas gestantium exterorum, & ciuium, qui noctu excubantes circa Regiam, interdiu comitantes eum per vias tutum reddebant ab insidijs.* & Q. Curtius lib. 10. de Reb. Alexan. Magn. *Persis*, inquit, *corporis sui custodiam credidit, Persas satellites fecit*. vt intelligamus quod creaturæ, quæ cæteris hominibus solent sæpius esse occasiones peccandi, sicq. quodammodo illos infestant, & lædunt: B. Virginis primum satellites, illi famulatum exhibentes, eam semper custodierunt, & seruarunt. Quo deinde priuilegio, & honorifica prærogatiua ornandos, & muniendos se esse pie sperare possunt (quantum fas est sub lege peccati constitutis) illi qui præcipuo cultu, & affectu erga Deiparam sunt propensi. Quorum non mediocre beneficium est creaturas tamquam satellites sub Imperio habere: quod, cum (vt ex adductis Dionys. & Curtij verbis colligitur) solis Regibus, & Principibus permissum sit, nobis) argumento esse potest tantopere suis deuotis B. V. cælestium munerum oblationibus occurrere, vt in hoc fauore cæteris mortalibus, non parum præferantur; ita enim ipsis elementa, & inanimata satellitum more subseruiunt, sicuti ipsis Regibus armati custodes famulatum præstant.

Dion. Halic. Satellites Principū custodes.

Q. Curt

Inanimata V. M. satellitiū præbent.

Quos V. M. tuetur cæteris hominibus præferūtur.

14 Quæ omnia magis perspicua fient, si varias eorundem Sancti Procli verborum versiones attentius expendamus. Vatabl. Græc. & Latin. Reg. Gal. habent *mare*, *& terra muneribus cumulant Virginem*. Vel *munera Virgini offerunt*. Peltanus vertit. *& terra, & mare Virginem honorant donisque cumulant*. Idque merito si enim Domini honorandi, & colendi sunt, cuncta obsequium Mariæ debēt cunctorum Dominæ, quod vel ipsum eius nomen significat; *dicitur enim Maria* latinè, Hebraicè *Domina*. Sanctus Petrus Chrysol. sermon. 142. vt hinc euidentissimum desumi possit signum Imperij, ac dominij, quod super illa elementa obtinet hæc communis Domina; cui cum muneribus, & tributis occurrere dicuntur tāquam obsequiosi subditi: & vt eius deuoti confidunt, in marinis, & terrestribus

Peltan.

Maria omnium Domina.

tentantionumque ventis, & fluctibus expositis: ipsa tamen Beata Virgo *pons* est per quē tutè, celeriterq; ad Deum pergitur. Quod dum dicimus non longè à nauis similitudine, de qua paulò supra locuti fuimus recedemus; nam Pontis nomine scalę nauticę plerumque significātur. Virgilius Aenid. lib. 10.

Interea Aeneas socios de puppibus altis
Pontibus exponit.

& ita V. Maria dicitur *Pons* idest *scala* qua ad Deum itur. D. Bernerd. serm. de Aqueduct. *filioli hæc peccatorum scala est, hæc mea maxima fiducia.* & D. Fulgent. serm. de laudibus Mariæ. *Facta est Maria scala cælestis, quia per ipsam Deus descendit ad terras, vt per ipsam homines ascendere mereantur ad cælum.* Et in hoc mirabiliter apparet multiplex diuinarum gratiarum per Beatam Mariam Virginem dispensatio.

M. V. ita est est pōs vt etiam sit scala eundi ad cælum. S. Bernar. S. Fulgent.

17 Vel postremo, & fortè melius Virgo Maria *Pons* Dei seù Deo, benè & conuenienter nuncupatur, ad hoc enim pontes adinuenti sunt, vt cùm aquæ intumescunt, & nauigationes, commercia, ac frugum transportationes, vel impediuntur, vel omninò tolluntur, per pontes saltem facilis, & tutus pateat transitus negociatoribus. Cum itaque peccata tamquam aquæ turgentes dilatarentur, Osee 4. ℣. 2. *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt.* adeo vt sublata negociatione, neque diuina ad nos dona peruenire, neque nostræ ad Deum preces transire possent: peccata enim diuiserant inter homines, & Deum, adeo vt ad hunc illis omnis interclusus fuisset accessus: vnde subdit Propheta ℣. 3. *propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea, in bestia agri, & in volucre cæli, sed & pisces maris congregabuntur*, quasi ex hac separatione homines diuino auxilio destituti in maxima mala incurrissent: vnde enim frugum penuria, aeris intemperie premabantur, inde morbidæ, & mortiferæ lues in omne animalium genus grassabantur, sed Beata Virgo instar pontis intercedens, & nobis iter ad Deum, & diuinis ad nos beneficijs viam suppeditauit.

Per M. tamquam per pontē superatis peccatorū vndis accedimus ad Deum

Osee.

Per M. V. rerum vbertas ad nos venit.

Tunc responderunt quidam de Scribis, & Pharisæis dicentes: Magister volumus à te signum videre.

Sacer tex.

CAP. VIII.

Colliguntur fragmenta ex Euangelio.

1 

HOC 12. Matth. cap. plura enumerantur, quæ Dominus, & Saluator Iudaico populo beneficia præstiterat: nihilominus signanter adnotat Euangelista; *tunc*, quando scilicet tot signa viderant, tam insignia beneficia experti fuerant; cùm obstupescere, & admirari Christi diuinitatem debebant; *tunc*, inquam, firmius in incredulitate obfirmantur; *tunc* magis odijs sæuiunt, & calumnijs grauioribus pugnant; ac machinis validioribus aggrediuntur, dicentes: *volumus à te signum videre.* fiunt enim aliquando quidam beneficijs peiores; scelestique homines euadunt gratijs obstinatiores, & in benefactorē magis sæui. vnde S. Chrysost. homil. 44. in Matth. ait: *Quasi admirans Euangelista scribit, tunc; quando scilicet flexos iam esse oporteret, quando admirari, atque obtupescere, quando saltem confusi decedere debebant, tunc in malignitate, atque pertinacia sua pertinaciter perseuerant.* Auctor Imperfect. in Matth.

Aliqui beneficijs peiores fiunt.

S. Chrys.

Auct. Imperf.

homil.

homil. 30. in ponderatione eiusdem particulæ persistens, & ingratitudinem Iudæorum reprehendens: *Iudæi*, inquit, *Dei virtutem ad Diaboli potentiam porrexerunt; & non ædificati miraculo, sed destructi Inuidia, pro gloria blasphemiam obtulerunt* Domino, *dicentes: hic non eijcit Dæmonia nisi in Beelzebub*. nota verba illa, *& non ædificati miraculo, sed destructi inuidia*; nam quasi spirituale in nobis ædificium, Christi merita, & Sanctorum intercessiones construunt, quod propria voluntas, & Inuidia demolitur, destruit, & disperdit; B. Isaias Abbas orat. 22. *propria voluntas, totum virtutis ædificium euertit*. atque hinc fit vt qui per propriam voluntatem hoc ædificium destruunt, se ipsos reddant quasi inhabiles ad seruiendum Deo; audiendus Sanct. Hieronym. Comm. in Ionam cap. 1. adductus in glos. DD. Duacens. *Cum Deus*, inquit, *quasi quandam pulcherrimam domum seruituro sibi homini extruxerit; deprauatus est homo à propria voluntate, & à pueritia diligenter appositum est ad malum cor eius*; ita propria voluntas indurando cor, demolitur spirituale animæ ædificium.

Propria voluntas & inuidia destruunt Dei ædificium.

B. Isa. Abb.

S. Hieron

2 Qui ad Iesum calumniandum, & coarguendum accedunt, *Scribæ* sũt, idest, *legis Doctores*. Vide perditos Doctorum mores, qui veritatis, & rectitudinis duces fore se profitentur, qui aliorum sunt Magistri; ipsimet calumnias, & falsitates struunt. Qui aliorum falsa crimina examinare deberent, ipsi sunt criminum satores, & sartores maximi; ipsi iniustè iustis etiã viris imponunt. Causarum patroni; & veritatis defensores, iniuste iustos calumniantur; ex aduocatis facti accusatores. Marc. 3. ℣. 6. *consilium faciebant aduersus eum; vt possent accusare eum*. adeo vt de eis perinde ac de veteratoribus aduocatis verificetur, quod de M. Cœlio dixit Cicer. relatus in 4. lib. apophr. Cum enim Cœlius melius obijceret crimina, quàm defenderet, dixit Cicer. *Bonam dextram, malam sinistram habes*. allusit ad milites, qui in pugna ensem dextra tenent, sinistra clypeum; gladio feriunt, clypeo tuentur; significauit itaque illum, magis nocendi, quàm iuuandi artes exercere. eiusmodi prorsus erant Scribæ erga Christum, parati ad impugnandam illius innocẽtiam, & tardi ad illam subleuandam.

Perditi causidicorũ mores ostenduntur.

Marc.

Cicer.

Acuta sẽtentia in causidicos.

3 Scribis Pharisęi iunguntur: *accesserunt Scribæ, & Pharisæi*; dignum venenata patella operculum, malis cõsultoribus, pessimi consiliarij. dicuntur *Pharisæi* à *Phares*, quod est *diuisio*, & benè; illis enim qui diuisiones moliuntur, iunguntur Scribæ (hoc est) legis Doctores; hi enim (Doctores scilicet) qui lites, odia, & dissensiones componere deberent; scissuras, ac diuisiones assiduò serunt; sic lucra cumulant, & per iniustitias opes augent. Scitum fuit dictum Henrici III. Nigri Imperatoris: *qui litem aufert, execrationem in benedictionem mutat*: sed causidici, & patroni, quibus hominum dissensiones, & diuturniores lites quæstuosæ sunt, malunt lites serere, quarum vna aliam absq; fine aliquo consequitur, cum perpetua ciuium inquietudine. hi sunt qui contentiones de hæreditatibus excitant, & ciuiles simultatos fouent, quib. in Ciuitate manentibus, ita necesse est lites crescere, sicuti introductis Medicis creuerunt morbi. Hos *vulturios togatos* appellabat Apule. quod diuitum reliquijs inhiãt; & dum litigantibus hæredibus patrocinantur, ipsi maiorẽ hæreditatis partem sibi vindicant; vnde Innoc. de vilitat. conditionis humanæ; de istis locutus, ait: *Sæpè causas tantum differunt; quod litigantibus plus quam totum auferunt: quia maior est expensarum sumptus, quàm sententiarum fructus*; & sic *diuisores* sunt, siue *Pharisæi*, adeo quæstui, & huic cum litigãtibus diuisioni intenti, vt bene de illis dixerit Cassiod. super illud Psal. 73. ℣. 10. *irritat aduersarius nomen tuum &c.*

Doctores & causidici scissuras seminant.

Henrici Imperatoris dictũ.

Causidici Vulturij togati. Apul. Innoc.

Litigantium incommoda

Cassiod.

Quod

Etiam silentio ledit linguis causidici, nisi argenteis funibus ligetur.

Quod *apud causidicos etiam ipsum silentium vanale est, ac lingua eorum damnifica, nisi funibus argenteis ligetur;* & vt ex litibus maiora emolumenta, & compendia percipiant, iura contorquent, & lites protrahunt. Beda: *Scribæ, & Pharisæi ad hoc Domino adhærebant, vt illius admiranda opera, vel negarent, vel sinistra interpretatione deprauarent.* Quoties sinistra aduocatorum, iuris interpretatione, vir iustus integra causa sua cadit? *Quomodo,* ait idem Cassiod. ibid. *inter armatos, argutos, tumultuosos, virtute, numero, contubernio poterit ex aquo, & bono absolui inermis, abiectus, peregrinus, & pauper audiri vbi est gurges de sutoribus fabularum, de concinnatoribus carminum, de publicatoribus sinistrarum opinionum?* Sic hominum facta, & iura tractant causidici, quomodo Christo adhærebant Pharisæi, vt illius iustitias, sinistra interpretatione deprauarent.

Cassiod.

Calumniæ causidicorum.

4 Quem Dæmoniacum appellauerant ℣. 24. *hic non eijcit Dæmones, nisi in Beelzebub principe Dæmoniorũ.* nunc Magistrum vocant *Magister volumus.* &c. in quo subdola adulátium palpitatio notatur. S. Chrysost. homil. 44. in Matth. *verba,* inquit, *considera, quomodo adulatione, ac derisione plena sunt, putarunt enim assentatiuncula ipsum allicere; qui modo adulantur, modo conuiciantur, modo Dæmoniacum, modo Magistrum appellant.* Dummodo quæ appetunt homines consequantur; etiam si pro Dæmoniaco habeant, rectorem, ac doctorem, tamquam magistro illi blandiri non verentur. Proteum illum Aegyptiorum, in varias formas mutabilem, imitari mihi videntur Scribæ isti, & qui eos æmulantur adulatores; modo enim canem simulant blandientem, & vt gratiam à Saluatore impetrent, adulantur; modo viperam referunt mordentem, ac sæuientem Leonem, dum conuicijs illum lacessunt.

Adulator versutia.

S. Chrys.

Adulatores Proteum imitantur.

5 Maxima arguitur Scribarum Pharisæorumque superbia, imperiose enim exordiuntur: *volumus,* quasi dominatores potestatiuè loquuntur, & quod precario impetrare se posse sperare poterant, arroganter petendo amittunt. Imperium sibi arrogant Doctores, ijdem qui scissuras in Republica moliuntur, & *Pharisæorum,* siue *diuisorum* nomine nuncupantur; illud sibi pro viuendi, & regnandi norma proponunt: *Diuide, & impera.* quod dictum certè inhumanum videtur. & ideo Christum non Dominum vocát, sed Magistrum, *magister volumus;* dominium enim supra se nemini concedunt; non patiuntur superbi dominatum; propriæ voluntatis amatores, seruitutis iugum detrectant. Vtinam saltem intellectum (quando voluntatem sui tantum iuris esse volunt) magistro ad suscipiendam fidem accomodarẽt. Sed ne hoc quidem obsequium domino præstare dignantur: cum Deo contendunt, seque glorificant, qui suas cõplere student voluntates; ideo merito illos Deus spernit. Amos 5. ℣. 21. *Odi, & proieci festiuitates vestras, & non capiam odorem cætuum vestrorum* non suas Deus, sed illorum festiuitates vocat; tales enim sũt, quoniam ab illorum propria voluntate oriuntur. hinc Sanct. Hieronym. ibi: *Odijt autem,* inquit, *& non solum odit, sed proijcit festiuitates eorum, qui non celebrant festiuitates Dei, sed suas: quia Dominus voluntatem respicit offerentium.* Cæterum, rebus benè examinatis, satius est, Diuinam, quàm nostram sequi voluntatem, & alacriter coram Deo illud repetere: *non mea, sed tua voluntas fiat;* ita enim certi erimus, omnia nostra negocia, multo fore tutiora. Arist. lib. 2. de Repub. cap. 8. *Omnia,* inquit, *melius est lege fieri, quàm hominum (quæ non est tuta regula) voluntate.* Idem voluit Sanctus Dorotheus Abbas doctrina 19. *Non debemus,* inquit, *menti nostræ credere; obliqua enim regula, quæ recta essent inflecteret, & intorqueret.* curua enim

Propia voluntas scissuras, & dominiũ quærit.

Odit Deus propiã hominũ voluntatem.

Amos.

Nostra, non Dei est festiuitas expropia volũtate

S. Hier.

Arist.

Propia voluntas non tuta regula.

S. Dorot.

Voluntas propia regula obliqua.

ſi velimus ad rectam regulam dirigere, recta fiunt; quòd ſi inflexam velimus illis regulam accomodare, omnia incuruantur. eſt notandus pro hac re locus D. Auguſtin. ſuper Pſalm. 35. optimè hanc ſimilitudinem explicantis: *Iuſtitia Dei eſt*, inquit, *vt aliquando ſanus ſis; aliquando vt ægrotes. ſi, quando ſanus es, dulcis eſt voluntas Dei, & quando ægrotas amara eſt voluntas Dei, non recto corde es. Quare? quia non vis dirigere voluntatē tuam ad voluntatem* Dei; *ſed* Dei *vis curuare ad tuam: illa recta eſt, ſed tu curuus, voluntas tua corrigenda eſt ad illam, non illa curuanda eſt ad te, & rectum habebis cor*. hinc diſces quantum inſaniant, qui propriam voluntatem tantopere fouent, cùm ſic diuinam velint, ſi fieri poſſet, incuruare.

S. Aug.

Pretioſū Aug. dictum.

Sacer text.

Generatio mala, & adultera.

6 QVi tamquam ouis ad occiſionē ductus, præ lenitate, & nimia manſuetudine ſua, nec aperuit os ſuum; & qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur; adeo nunc excandeſcit contra Iudæos, vt non ſolùm malos, quod eſt conuitium, verum etiam adulteros eos appellet, quod eſt improperium: *generatio*, ait, *mala, & adultera*. & hoc varijs ex cauſis; quæ ſuis locis adnotatæ ſunt, tum in ſenſu litteræ, tum etiam morali; Quarum potiſſima eſt, quia volebat oſtendere, quòd animum omnibus paſſionibus inſuperabilem habebat, quem nec Iudæorum conuicia irritare, neque blanditiæ mollire poterant. *Cum ei conuitiabantur*; ait Sanct. Thom. in Caten. *manſuete eis reſpondet; cum autem adulantur conuiciosè; demoſtrans quod vtraque paſſione ſuperior erat, & neq; conuitijs in iram deducitur, neque ab adulatione mollitur*. Hæc eſt vera imperturbatio, & ἀπάθεια iuſtorū, hæc inconcuſſa tranquillitas, & ſyncera ſerenitas; quam nullæ nubes obducūt; nulli turbines infeſtant. Sed quoniam hæc aſpera Saluatoris reprehenſio cōtra adulatores intenditur, ideo ex hoc Chriſti facto erudimur, quantopere cauti, & accurati eſſe debeamus contra adulatorum fallaces blanditias; quorum mellitis dictis, ne animi ſenſim abripiantur, & allidantur ad inanis gloriæ vadoſa littora, exemplo Saluatoris, ſtatim illos reijcere, & ſeueris verbis increpatos remouere à noſtro conſortio debemus; maximum enim imminet periculum, ne ſi illis aures accomodemus, inſtar Syrenarum nos decipiant. obturatis itaque mentis auribus prætereundi ſunt eorum fallaces ſcopuli, ad quos, ſubdolo laudationum cantu, ideo pellicere nos tentant, vt ad extremum demergant. Quod ſi Saluator noſter, qui erat omni tentatione ſuperior, ne deciperetur adulationibus, ſcribas, eius modeſtiam aſſentatiunculis euertere tentantes, ſtatim reiecit, nec diutius illorum adulatoria verba audire voluit; quanto magis hoc nobis incumbit, qui fragiles ſumus, & præſertim propriæ laudis ambitioſi, & ad inanem gloriam, naturaliter procliues.

Cur conuitia, & improperia Chriſtus Iudæis inferat.

S. Thom.

Iuſtorum imperturbatio.

Adulatio citò excutienda.

7 Plurium DD. expoſitio eſt, quod Scribæ, & Phariſæi appellentur *generatio mala*, propter ſummam ingratitudinem erga Deum creatorem, & munificum benefactorem; quem ſenſum approbauit S. Thom. in Caten. *propterea autem*, inquit, *appellantur generatio mala, quia ingrati ſemper facti ſunt circa benefactores, & beneficijs deteriores fiunt; quod eſt vltimum malitiæ*. Sed cur ingratitudo *vltimum malitiæ* appellatur? tū quia homine ingrato nihil videt terra peius; tum etiam, quia ingratitudo opponitur virtuti, & quantū in ſe eſt, præſtantiſſimas virtutes euertere nititur, Liberalitatem, Magnificentiam, Magnanimitatem, quæ ſicuti eſt ſumma virtus, & complementum, ac ornatus aliarum omnium, vt dicebat Ariſt. 4. eth.

Adulatores dicuntur generatio mala.

S. Thom.

Ingratitudo vltimum malitiæ.

Ingratitudo virtutes oēs impugnat

Ariſt.

eth.cap.de Magnanim. ita cùm ingratus totis viribus,& conatibus suis opera viri Magnanimi labefactare contendat, summum malitiæ gradum attingit. Cum enim omnium virtutũ alumna sit gratitudo, è cuius perennibus fontibus, pietas in parentes, amor in patriam, obsequium erga superiores, affectus erga a quales,erga cunctos beneficentia prodeunt:certe colligere possumus cum Cicer. ad Attic. lib. 8. *Omnia vitia inesse ingratis*, & vltimũ malitiæ esse, beneficijs deteriores fieri, & ideo nulla ciuilibus legibus, exitiosa pæna in ingratos constituta fuit, q maius hoc malũ sit, quàm vt ab hominibus vindicari possit. & hinc est, quod Iob hoc vitium maximam iniquitatem appellauit: perinde ac si *vltimum malitiæ* dixisset cap. 31. ℣. 27. *si osculatus sum manum meã ore meo; quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum*. osculari manum suam, hic dicitur,qui sibimet, suæque industriæ, diuina beneficia arrogat. S.Bernardus sermon.28.in Cantic. ad hunc sensum: *si osculatus sum*, inquit, *manũ meam* &c.*quod tunc fieri arbitror,cum donum Dei, non Deo, sed meritis tribuitur actionum*. hoc appellat Iob *iniquitatem maximam, & negationem contra Deum*, ideo non mirum si ingratitudinem etiam S. Thom. in allegato loco, *vltimum malitiæ*, appellet, imo ipsemet Saluator paulo post, hãc summam malitiam in ingratis Iudæis reprehendens, appellat eos *generationem pessimam*, superlatiuè, quia ad summum malitiæ peruenerunt.

Gratitudo,omniũ virtutum alumna. — *Cic.* — *Iob.* — *S.Bern.*

8 Præterea, inde etiam arguitur sũma ingratitudinis malitia, quia cùm alia vitia resipiscentibus peccatoribus, Dei benignitate deleantur; ingrati cõtra, quo magis diuinis beneficijs prouehuntur, eo fiunt deteriores. Sanct. Thom in Caten. ex Chrysost. *non vt eos induceret, signa faciebat, sciebat.n. lapideos esse*;nimirum naturam eius lapidis referunt,qui *Iphnius* appellatur, quem referunt Scriptores,oleo excalefactum,cùm sit mollissimus,durescere; itidem ingrati, beneficiorum oleo, quo delibuti, mollescere debuerunt: magis lapidei,& duriores fiunt;& propterea in dies semper in malo augentur,& ipsis beneficijs redduntur deteriores;quoniam enim acceptorum obliuiscuntur, ea etiam amittunt S.Gregor.9.moral. cap.9. *Qui de acceptis*, inquit,*extollitur cuncta quæ acceperat amittit*: neque solum amittit, sed eadem in suimet perniciem conuertit S. Bernar.serm. 1.in caput. Ieiun.*nõ modo*, ait, *nihil augetur ingrato, sed & quod accepit, vertitur ei in perniciem*. Sicuti, quibus vitalia corporis mẽbra cœperunt mali humoris esse receptaculum, medicamenta non modo non prosunt, sed etiam nocent: ita ijs qui diuinis beneficijs abutuntur,etiam diuinæ munificentiæ pharmacum,quod alios iuuat,& sanat,est damnosũ;& sic ipsis beneficijs fiunt deteriores.de his loquebatur etiam S.Chrysost.serm.de lapsu prim. Homi.*seruo*, inquit,*peior est,qui patronum, post datam libertatem, offendit*; ita se ipso peior existimandus,qui post acceptũ beneficium, ingratus extitit.

Ingrati, beneficiis deteriores fiunt — *S.Thom.* — *S.Greg.* — *S.Bern.* — *S. Chrys.*

9 Quo vero ad aliud cõuicium, quo scribas *generationem adulteram* nominat: animaduertendum, quod hac voce taxare voluit illorum improbitatem: quoniam enim dixerant: *volumus*, ideo merito appellantur *generatio adultera*; quia cùm alij omnes peccatores; tum præsertim qui propriam voluntatem sequi intendunt, diuinis sponsalibus renunciãtes, adulterantur. Certissimum est (ex pluribus scripturæ locis) adeo delectari Deum consortio animæ in puritate, & simplicitate vitæ degentis,vt illam, arctissimo sibi,perinde ac sponsam,vinculo obstringat. hoc totus sacrorum Canticorum liber resonat; hoc Prophetarum vaticinia, doctorum testimonia comprobant. sed èscontra recedentes à se, & sacri huius fœderis vincula derimentes per peccatum, adeo abo

Propia voluntas adulterium causet in anima.

minatur, vt non solum eiusmodi animas adulteras nominet, sicuti in hoc textu; sed quod probrosius est, meretriciam eisdẽ procacitatẽ obijciat Isai. cap. 1. ex quo Prophetæ vaticinio colligitur, quod voluntas propria (quantum in se est) cũ Deo quasi diuortium facit: nam cum præmisisset vates ℣. 19 *si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis*. idest, ego tamquam paterfamilias meis bonis, & terra mihi obsequium exhibens frugibus vos, tamquam meas sponsas, sustentabit: subdit ℣. 20. *Quod si nolueritis*. si nimirum per prauam vestram voluntatem à consortio, & coniugio meo recedere malitis; probrosæ meretricis dedecora merebimini; quod quasi admirans illis obijcit ℣. 21. *Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis Sion?* per propriam scilicet voluntatem recedendo, & adhærendo vanis amatoribus. Et quemadmodum mulier propter adulterium amittit dotem; vt est text. in Decretal. cap. *plerumque* de donat. inter vir. & vxor. ita anima propter voluntatem cui obsequi delibe-rat diuinis donis, & dotibus suis priuatur, quæ sunt virtutes, & perfectiones eiusdem animę. B. Isaias Abb. orat. 22 *propria voluntas perdit omnes virtutes, & animo tenebras offundit, vt honestatis lucem aspicere nequeat*; ab hoc igitur vitio, quod virtutes impedit declinandum, cum ex eo mala cuncta procedant.

Isai.

Propia voluntas quasi meretricium

Adultera anima dotẽ amittit.

B. Isa. Abb.

10 Inter leges connubiales, illa est præcipua, quam tradidit Aristot. 2. Oecon. & refert Alexand. ab Alexan. lib. 4. cap. 8. Dier. Genial. *vxori, mariti mores, pro legibus habendos*; atque ijs sese accomodare debere. Quomodo ergo non soluunt animæ hoc connubium ij, qui diuinæ voluntati non solum immorigeri sunt, verum etiam apertè repugnant, eamque vt suis desiderijs obsequantur, non magni æstimant. At de iustis, qui in sacro hoc fœdere perseuerare intendunt dicitur Psalm. 1. ℣. 2. *in lege* Domini *voluntas eius*. quasi dicat, diuinam voluntatem ita desiderijs suis omnibus anteponit, vt Dei legem sibi pro volunctate præscribat, ita enim locũ hunc mirificè ad propositũ nostrũ illustrat explanatio P. nostri Agellij; *non vllus sponsus*, inquit, *tam ardenter sponsæ formam deperit, quàm ille* (iustus) *Dei legem*; si igitur Deo desponsatur, qui propriam voluntatem, non in se, sed in Dei lege habet; ergo merito, qui dicunt, *volumus*, adultera generatio appellantur, quia per propriam voluntatem moechantur: in quos inuehitur Beda in tit. Psalm. 48. *visitata peruersitas est in hominibus*, ait, *quòd cùm deberent viuere secundum Dei voluntatem, potius volunt viuere secundam propriam; & dum ipsi nolunt corrigi, volunt Deum deprauari, arbitrantes non esse iustum quod ipse vult, sed quod ipsi volunt*. in quo adulteras imitantur, qui virorum voluntati, postposita omni verecundia, obsequi renuunt.

Alex. ab Alexan.

Mariti mores, vxori lex sunt.

Psalm.

Iustus nubit Dei legi.

P. Agell.

Beda.

Signum non dabitur ei nisi signum Ionæ Prophetæ.

Sacer tex.

11 IVstus est meritorum præmiator Dominus, neque facta solum, verũ etiam voluntates æqua satisfactione compensat. petebãt Pharisęi signa de cœlo, quibus respondet: *signum non dabitur*, idest, *de cælo*. Apostoli vero & discipuli eius, qui oĩa reliquerant, vt Saluatorem sequerentur; neque in terra quicquam quærebant, non fuerunt terrenis bonis addicti: ideo vtrorumque merita compensaturus, istis signum dedit de cælo in transfiguratione, & ascensione: scribis vero mundanis, ac terrenis, dat terrena, & infima signa, ideo eis signum Ionæ, & ab imo corde terræ petitum, pollicetur. est hæc certè iusta Dei remuneratio, qui seruis suis omnia terrena posthabentibus, in cælis præparat, & reddit compensationem, superbos vero, & arrogantes de cælo signa petentes ne terrenis quidem

Iustis cælestia dantur signa, peccatoribus terrena.

digna-

Raban.

dignatur, sed signũ è corde terræ exhibet. voluit hoc Raban. *respondere*, inquit, *incipit nõ eis signum de cælo. quod indigni erant videre, sed de profundo inferni tribuens; discipulis autem suis signum de cælo dedit; quibus æternam beatitudinis gloriam, & prius in mon te figuraliter, & post veraciter in cælũ superelevatus ostendit.* Hæc ille.

12 Negat munificẽtissimus Iesus se daturum signum, & nihilominus signum promittit: ea est illius benignitas, vt ne arrogãtibus quidem, & eius facta calumniantibus negare queat. negat signum de cælo, tonitrua, fulgura, tempestates, quibus terreri potuissent; sed pollicetur signũ Ionæ, quod mirabilem Dei ad parcendum peccatoribus, & condonandum errata prõptitudinem, & procliuitatem figurabat. negat signa pœnalia, sed offert signa miserationis, & indulgentiæ: nam cõmuniter, per signũ Ionæ, intelligitur Christi passio, & mors; quæ vera fuit, & salutaris omnium nostrorum peccatorum ablutio, ad hanc mentẽ scripsit S. Chrysost. homil. 44. *Quamquam sciret*, inquit, *nihil se ipsis profuturum, tanta eius misericordia est, quòd pro ipsis mortuus est.* Confidamus itaque in diuina miseratione, quia etiam cùm minas, & supplicia intentat, etiam cum petita negat, nequit tamen à sua bonitate recedere, & præmia, atque miserationes exhibet. Quo nullum clarius exemplum adduci potest eo, quod habetur in hoc Euangeliõ, in quo cũ subiratus videretur cõtra Hebræos, eosq; generationem malam, adulteram, & pessimam appellasset: tamen memor miserationum suarum, quæ à sæculo sunt, promittit illis signum Ionæ, idest, remissionem omnium suorum peccatorum per propriam mortem, & resurrectionem consequendam. similiter etiam redigit illis in memoriam Ionæ Prophetæ prædicationem, & Niniuitarum pœnitentiam, & Dei in illos indulgentiam, vt si ipsi etiam velint audire prædicationes suas, sciant pa-

Signa pœnæ negat, misericordiæ signa, etiã iratus, offert Deus.

Signum Ionæ passio est Christi. S. Chrys.

Etiã iratus Deus miseretur

ratam etiam sibi diuinã misericordiã, & hoc quia, etiam si indignatus sit contra Iudæos, tamen illis misericordiam non negat iuxta illud; Habac. 3. ℣. 2. *Cùm iratus fueris misericordiæ recordaberis.* quod est mitissimi Dei erga nos proprium.

Habac.

13 Hinc etiam discimus, quòd sicuti laborantibus vitio propriæ voluntatis, & dicentibus *volumus*, promittit *signum Ionæ*, idest, mortẽ suam: ita omnibus ex propria volũtate peccantibus, eiusdem passionis meritis, & efficaci remedio medetur: ex quo apparet, quod mors Saluatoris fuit veluti medicamentum contra morbum propriæ voluntatis, quo laborare cæpit vniuersum genus humanum post parentum nostrorum lapsum. & quoniam contraria cõtrariis curantur, ideo graue hoc propriæ voluntatis vitium curaturus per suam mortem; cum ei *Angelus apparuisset de cælo confortans eum* Luc. 22. ℣. 51. omnino priuauit se propria voluntate, vt redundanti parentum nostrorum voluntati, per negationem voluntatis mederetur: *non mea*, dixit ad patrem, *sed tua volunas fiat*; ita abnegando propriam, seq; resignando in diuinam voluntatem, medecinã attulit morbo eorum, qui persistere, & pertinaciter perseuerare intendunt in voluntate sua; & quia homo dum peccat quasi Deo videtur dicere: non tuam, sed meam voluntatem implere intendo, ideo remedium huic morbo Christus per suã mortem attulit, dicendo: *non mea, sed tua voluntas fiat*; & subijciendo suam diuinæ voluntati, in quo transgressus fuerat Adam.

Passio Christi medetur morbis propriæ voluntatis.

In corde terræ.

Sacer text.

14 MVltorum Patrum opinio fuit, per *cor terræ* denotari *sepulchrum*: ita Beda, Chrysost. & Euthym. & appositè ponderat Chrysost. aliud esse *terram*, aliud, *cor terræ*, ideo consultò non dictum fuit quòd

Beda. Chrysost. Euth. Cor terræ est Christi sepulchrũ

S.Chrys. filius hominis erit in terra; *non ait*, inquit Chrysost. *in terra, sed in corde terræ, vt sepulchrum denotetur*. Sed quæ est ratio, quamobrem sepulchrū, *cor terræ* sit appellandum, aut quæ est inter hæc duo conuenientia? primo ob similitudinem inter cor, & sepulchrum, de corde enim dixit Vgo Cardin. lib. 3. de Anima. *Cor paruum est & magna capit, vix ad vnius milui refectionem sufficere potest, & totus ei mundus non sufficit*. hinc illud Psalm. 100. *superbo oculo, & insatiabili corde*. Et Eccli. 14. ℣. 9. *insatiabilis oculus cupidi*. Ita sepulchrum quamuis paruum, magnorum tamen est capax, Imperatores, Monarchas, & ingentia totius Orbis capita, quasi hianti ore expectās; & cùm sit adeo paruus, totus ei mundus non sufficit. de quo interpretari possumus verba illa Prouerb. cap. 30. ℣. 15. *Tria sunt insaturabilia, & quartum, quod numquam dicit sufficit. Infernus, & os, vulua* &c. per *Infernum*, vt ex Hebræo notat Salazar ad verbū, intelligi debet *sepulchrum*; & fauet ēt proposito nostro lectio Caietani, qui pro *Infernum, foueam* reddit, quo nomine optimè significatur *sepulchrum*. Et quemadmodum Plato, *terrā, mortis stomachū* appellauit; eo quia quos mors conficit, hos terra decoquit, & digerit: ita cor terræ mole minimum, sed spatio capacissimum, sepulchri vice fungitur. Bene igitur per *cor terræ, sepulchrum* significatur; pro quo ad nostrum propositum sciendum, quod verbum *recordor*, dicitur quasi *in cor*, seù *mentem redeo*; sic vsurpauit apud Plaut. in Mostell. adolescens, qui diu prophanis amoribus indulserat, sed ad extremum in se reuersus, ait:

Recordatus, multū, & diù cogitaui, &c. idest, in cor à quo abieram, & alienatus fueram, reuersus. Eiusmodi est sepulchrum, seù mortis recordatio, per quam peccator in se ipsum redit. Quare quemadmodum cor est primum, quod in humano corpore generatur, secundum S. Thom. 2. 2. quæst. 122. artic. 2. & vltimo moritur, vt est etiam doctrina Arist. 2. de Generat. Animal. cap. 4. *fit autem*, inquit, *primo cor, idq; efficit, non solum sensu percipitur, sed etiam, quod per obitum vita hic vltimo deficit, euenit enim in omnibus, vt quod vltimum fit, hoc primum deficiat, & quod primum, id vltimum, quasi natura decursionem reducē agat, & à calce ad carceres vnde proruit redeat*. Ita memoria mortis, sicuti prima omnium in vitam spiritualē nos educit, & facit spiritualiter viuaces; ita omnium postrema nos debet comitari. Cor numquam quiescit, & dormientibus nobis vigilat; similiter mortis meditatio semper debet in nobis esse excitata, & vigilans, vt dicamus illud Cātic. 5. ℣. 2. *Ego dormio, & cor meum vigilat*; somnus enim mortis est imago; sponsa ergo dùm *dormit, vigilat*, quia se morituram, dum dormit, ruminat, quia vigil semper est cū mortis memoria, quā iure *cor* suū appellat. ideo in meditanda morte, summam philosophiæ, siue humanæ perfectionis, sitam esse, dicebat Plato. Corde nihil habemus charius, ideo quos summopere amamus, eos in corde gerere, seù toto corde amare, dicimur. etiam mortis memoria debet nobis inter cara, & eximia esse, & ita Principem in vita locum tenere, sicut cor in corpore.

15 Et propterea hāc memoriam à Deo deprecabatur Dauid, Psalm. 9. ℣. 21. *constitue*, inquit, *legislatorem super eos, vt sciant gentes quoniam homines sunt*. appellatur hic memoria mortis, per quam homines ad proprię fragilitatis cognitionem perueniunt *legislator*; neque dissimilis fuit doctrina Hesichij præbit. Centur. prima nu. 94. *optimus*, inquit, *animæ corporisque pædagogus est indelebilis memoria mortis*. quia nihil aptius dirigit hominem, ad cognitionem sui ipsius (in quo sūmam philosophiæ reposuit Socrates) quam assidua mortis rememoratio; ideo *vt sciant gentes quoniam homines sunt*; quàm imbecilli, & fragiles,

Marginalia: Vgo Card. Cor, & sepulchrum omnia deuorant. — Psalm. Eccli. — Prou. — Caiet. — Plat. — Terra, mortis stomachus. — Plaut. — Cor, primò generatur, et postremò moritur. S. Thom. — Arist. — Mortis memoria prima, & postrema sit in nobis. — Cant. — Nil mortis memoria carius. — Psalm. — Mortis memoria legislator dicitur. — Hesich.

consti-

constitue legislatorem. Et vt scias hunc legislatorem esse mortem, legunt, & interpretantur alij: *nouaculam*, idest, *mortis memoriam*. nam sicut *nouacula* remouet superfluos pilos à corpore, ita cogitatio mortis remouet ab humana mente redundantes cogitationes rerum temporalium, & facit cælestibus magis intentos. Ita voluit Petr. Abbas Cellens. lib. de Panib. cap. 11. *meditatio mortis, veluti nouacula acuta radit renascentia quotidie superflua desideria carnis*. Hoc autem fit quoq; per terrorem æterni impendentis iudicij, quod post mortem geritur, ideo Hieronym. legit: *pone Domine terrorē eis*, &c. quo perit ad mortis recordationem, spem aliarum quaruncunque rerū præcidimus. nouacula enim citissimè radit, quia acutissimè secat.

Mortis memoria quasi nouacula. *Petr. Cell.* *Indicij extremi terror, quasi nouacula.* *S. Hier.*

16 Alibi etiam ad exprimendum quantum nos incitet hæc meditatio mortis significata fuit mors per metaphoram calcarium; quibus nimirum quasi tardi, & detrectantes equi impellimur ad cogitationem rerum salutarium, & animæ nostræ salubrium. ita eam appellauit Sanctus Franciscus (cui mortis memoria cum humilitatis impresserat sensum, vt propterea cinereas vestes elegerit, à quibus fragilitatis humanæ semper admoneretur) vt in eius vita affirmat Angel. Reatin. relatus à R.P. Luca VVandigno his verbis: *dixit S. Franciscus Angelo Tancredo; Domine Angele balthеum ensem, & calcaria militaria sat longo cinxisti tempore; oportet te modo ferre; pro cingulo rudem funem, pro ense Crucem, pro calcaribus, puluerem, & lutum platearum*. His verbis conuersus est Angelus; & nos discimus, nihil magis vrgere nos ad conuersionem, quam hæc calcaria pulueris, & luti: cum enim quis attenta meditatione nouissima sua recolit, quàm fragilis sit reminiscitur, & quòd de terra sumptus, in puluerem debet reuerti, hæc cogitatio instar acutissimi stimuli, & calcarium, ad conuersionem vel nolentem incitat, & adigit. atque ex hac doctrina facilius erit explanare locum Apocalyps. 6. ℣. 8. *Et ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum nomen illi mors; & infernus sequebatur eum; & data est illi potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, & morte, & bestijs terræ*. cur cùm morti detur ius in vniuersam terram, non tribuuntur illi calcaria, quo facilius cursum suum peragere posset, quod exprobrando obiecit illi D. Paul. 1. Corint. 15. ℣. 59. *vbi est mors stimulus tuus*? Cæterum sciendum est non indigere mortem calcaribus, cùm non eius solum præsentia, sed simplex etiam, & accurata eius meditatio, perinde ac calcaria, humanæ menti admota, ad quæuis bona opera citissimè peragenda impellat. sed quia de hac re abundè satis diximus initio huius operis, hæc (hoc loco) satis.

Mortis memoria quasi calcaria nos vrgent ad bonum. *S. Franc.* *Apoc.* *Mors calcaribus non indiget, vt ad perfectionē adigat.* *1. Corint.*

Viri Niniuitæ.

Sacer text.

17 Niniue appellatur *speciosa*, vt docet Beda; per quā intelliguntur ij, qui nimium student ornatui, & luxui corporis; isti non leuibus reprehensionibus possunt conuerti, & desistere à vitijs; quia quem propriæ pulchritudinis studium, ita inflat, vt speciem suam admirabundus ostentet, iste difficile ab hac superbia remouetur, & acri Ionæ reprehensione indiget. agnouit hoc muliebre vitium Comicus ethnicus, qui fœminam cordatam sic inducit loquentem in Pœnulo.

Niniue, idest, speciosa. *Pulchritudinis studium in fœminis maximū.* *Com.*

Multa sunt mulierū vitia; sed hoc è multis maximum est;
Cum sibi nimis placent, nimisque operam dant, vt placeant viris.

Certè muliebre hoc vitium ad viros etiam, hisce præcipuè temporibus, nimio studio pertransijt; quod dum video, vetustum, aboletumque ritum illum recolo, cuius meminit Alexand. ab Alexan. gen. dier. lib. 1. cap. 14. qui postquam dixerat multorum Deorum

Alex ab Alex.

templi

templa semper clausa; aditusque aut numquã, aut statutis diebus, nec omnibus patebat; subdit: *Contra verò, ædem Horæ* (quæ Dea est pulchritudinis) *perpetuò apertam Romani voluere, illiusque aditum patere omnibus.* quod confirmat Plutar. proble. 45. & hoc ideò factum puto, vt locus daretur confluentibus ad templum illius Nnminis, quod omnes venerantur, & colunt semper; Ijs nisi persuadeas, quod Ion. 3. ℣. 4. *adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur*, idest, intra modicum tempus species illa, & decor cui tantum fidunt, immutabitur, & deflorebit, non agũt pænitentiam; quia nimis de pulchritudine sua sibi cõplacent. de his loquebatũ Ierem. 8. ℣. 6. *omnes conuersi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium, apprehenderunt mendacium, & noluerunt reuerti.* equus est meretriciæ procacitatis indicium, vt docet Pier. lib. 4. & præsertim multum gloriabundus incedit, cùm phaleratus, & ornatus superbit. qui ergo luxu, & ornamentis corporis natiuam speciem ornare (vel potius infucare) delectantur, sicuti procacitatem equorum imitantur; ita etiam non secus ac equi, difficile reuertuntur, nec agunt pænitentiam, dicente Propheta: *noluerunt reuerti*; nisi maxima illis imminentia pericula prænuncientur. nã equus quantumuis cespitans, & indomitus videatur, virgæ tamen vmbra domatur, & regitur; ita elata, & superba vanorum hominum mens, & præcipuè fœminarum, quantumuis effera videatur, & indomabilis, diuinorum flagellorum recordatione concutitur.

Horæ templum semper apertum, & quare. Plut.

Pulchritudini student oës. Ion.

Fœminarum vani tas a proratione coercenda. Ier.

Pier.

18 Duobus exemplis explicauit Saluator pænas impænitentiũ; in quorum priore à Niniuitis desumpto, cõparat se Ionæ: *& ecce plusquam Ionas hic*; in altero vero Salomoni: *& ecce plusquam Salomon hic.* hoc autem fuit discrimẽ inter Ionam, & Salomonem, (vt animaduertit S. Chrysost.) quia ille iuit ad prędicandum Niniuitis, qui audita illius prædicatione pænitentiã egerunt: Salomonem vero Regina Austri conuenit, nec passa est ad se venire; sed à finibus terræ, & Regnis suis venit, vt Salomonem ausculcaret. Hinc excipimus, quòd sicut benignissimus Saluator noster instar Ionæ plerumque dignatur ad nos pro salutatione nostra venire; non solum per sacramentalem pænitẽtiam, sed etiã per internas animæ visitationes, & inspirationes; ita etiam vt debitas illi gratitudinis vices rependamus, debemus illũ tamquam Salomonem conuenire; & vt fecit Regina Saba 3. Reg. 10. ℣. 1. audita fama Salomonis, idest præueniente diuina gratia excitati, festinare in occursum Domini, & interni affectus latebras omnes eidem reuelare.

Comparat se Christus Ionæ, & Solomini, & quare.

In prædicatione Ionæ.

Sacer text.

19 Exemplum, & typus nostratium prædicatorũ fuit Ionas, quem Dominus ipse elegit, & misit ad prædicandum Niniuitis, ad illos conuertendum, & ad annunciandum instantem cladẽ, nisi propediem resipuissent. *Ionas* interpretatur *Columba*, seu *dolens*, ita docet Beda in expositione huius Euangelij; quo nomine ostenditur requiri in Concionatoribus columbæ puritatem, innocentiam, candorem, & castitatem: eiusmodi enim si fuerit Ionas idest prædicator, profectò Niniuitæ, idest peccatores pænitentiam facient. Quod si vtriusque tam columbæ, quam prædicatoris proprietates comparare velimus, inueniemus in pluribus conuenire. Nam proprium prædicatoris diuini Verbi est increpare, & reprehendere immorigeros, & discolos, vnde Paul. 2. ad Timot. 4. ℣. 2. *increpa, argue, obsecra, in omni patientia, & doctrina &c.* sed & ille (ait Pier. lib. 22. tit. *Correctio*) *columbarum pullos, aut par turturum obtulisse dicitur apud Adamantium; qui aliquẽ ab sterruerit à vitijs, & sceleribus, hortandoque*

Ionas .i. columba, & dolens

Prædicator sit Colũba per innocentiam.

2. Timot. Pier. Columbarũ pullos, aut par turturum offert peccatorem cõuertens

monen-

Columba charitatis typus. *monendoque ad anima simplicitatem traduxerit*. In corripiendo necessario in primis adhibenda est charitas, & charitatiuus affectus; cuius typum fuisse columbam docet idem Pier. ibidem tit. *Charitas*. eiusmodi columbæ, cum virentis oliuæ surculo redeunt ad Deum, à quo per inundantis diluuij aquas dimissæ fuerant, ad explorandum num cessasset peccatorũ diluuiũ, istæ igitur columbæ mediatrices inter hominem, & Deum, pacem factam, & cessasse peccatorum aquas annunciãt; de istis demum accipi potest illud Psalm. 67. ℣. 14. *pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri*. argentum in anterioribus, significat puritatem in hoc sæculo: sed posteriora illita auro, quod pretiosius metallum est, futuram denotant beatitudinem: vt sciamus quòd isti, quietam, ac pacatã in hac vita, & æternam in futura beatitudinem nanciscuntur. Debet etiam *Ionas* siue *prædicator* esse *dolens*, idest, assuetus pænitentiæ, amans mortificationum; vitæ austeritati, non delicijs deditus, condolens peccatis populi, & propter ea lugens Ioel. 2. ℣. 17. *Inter vestibulum, & altare plorabunt sacerdotes, ministri Domini, & dicent. Parce Domine, parce populo tuo &c.* isti sunt verbi Dei prædicatores.

Pier.

Psalm.

Prædicator sit dolens.

Ioel.

Sacer text.

Regina Austri; quæ venit à finibus terræ.

20 EX his duobus exemplis à Christo adductis, primum desumptum est à viris; cùm dicitur: *Viri Niniuitæ resurgent in iudicio cum generatione ista*; alterum vero à muliere cùm subditur: *Regina austri resurget &c.* diligenter autem vtrumq; factum attendẽnti, apparet aliquod discrimen inter virilem stabilitatem, & muliebrem mobilitatem: viri enim fecerunt pænitentiam in prædicatione Ionæ, qui ad ipsos iuit; non vagantur, non longinquas regiones peragrant; quia vbique diuinis inspirationibus locum esse norunt; ideo in propria Ciuitate expectarunt Prophetam. sed mulier; leuis, & circumeundi cupida, audita sapientia Salomonis, *venit à finibus terræ*. ea est enim mulierum rerum nouarum, sibique admirabilium percipiendarũ cupiditas, vt nullis æstimatis periculis, nullo habito famę, quę periclitatur respectu, ne longinquas quidẽ regiones peragrare formident, & tales sunt in hoc sexu curiositatis stimuli, vt à finibus terræ, si opus sit, paratæ sint venire; neque vllis impedimentis retardari possunt; quin animo, & desiderio suo satisfaciant. est mulierum peculiare vitium curiositas, & vagandi studium, & omnia explorandi; quo incitatæ ad quæcumque loca citissime eunt. ideo muliebris mobilitas Apocalypſ. 12. ℣. 1. per Lunam denotata fuit *mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius*; hæc Luna sub pedibus, celeritatem in eundo denotat, non solum propter orbicularem figuram, cuius motus est velocior, quo pacto Fortuna etiam pilæ insidens effingebatur, ob properam mobilitatem, sed etiam quia Luna inter omnes planetas breuissimè cursum suum peragit; ita etiam mulier citissimè maxima emititur spatia, vt ad finẽ suũ perueniat. Quare inter bonæ fæminæ elogia, quæ recensentur in quodam Epitaphio apud Barnab. Brisson. de formul. fol. 796. illæ sunt præcipuæ dum dicitur, quod fuit.

Mulierũ vagatio.

Curiositas propriũ mulierũ vitium.

Apoc.

Sermone lepido: tum autem incessu commodo,

Domum seruauit, lanam fecit.

tamqnam summopere suspiciendum in fęmina videatur, quòd domum seruans, raro egressa fuerit. Hunc in fœmineo sexu domesticum secessum cõmendauit Alciat. embl. 196. Phidias enim (vt tradit Pausan.) & pluribus refert Pier. lib. 28. tit. *Virginum Custodia*; sub Veneris (per quam muliebrem sexum intellexit) pedibus non Lunam, sed testudinem finxit; vt

Mulieres non vagentur. Bar. Briss.

Alciat.

Testudo muliebris tarditatis sit typus.

deceret

doceret, ita debere mulieres semper domi manere, sicuti testudo nūquam è testa sua egreditur.

Alma Venus, quæ nam hæc facies, quid denotat illa
Testudo, molli quam pede Diua premis?
Me sic effinxit Phidias, sexumque referri
Fœmineum nostra iussit ab effigie.
Quodque manere domi, & tacitas decet esse puellas,
Supposuit pedibus, talia signa meis.

sed mulieres contra, vagari, in publicum prodire, sermocinari, conspici amant, & desiderant; exemplo sit hæc Regina Austri, quæ venit à finibus terræ: erat nimirum mulier, domesticis laribus contineri nescia. Nisi quis pro mulierum defensione dicere malit, maiorem esse in fęminis deuotionem, quæ sexus imbecillitatem animi firmitate, & constantia superant, vt salutaria præcepta audiant, & rebus spiritualibus vacent: ideo tres mulieres ad monumentum Domini ituræ, Luc. 24. ℣. 1. *valde diluculo venerunt &c.* & Ioann. 20. *Maria Magdalena, venit mane; cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum*; quamquā in istis etiam mulieribus inconsulta prouidentia notari possit, quæ non domi, & antequā prodirent, sed egressiæ iam, & in itinere quærebant Marc. 16. ℣. 3. *quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti.*

Mulierū deuotio.

Fæminarum imprudentia

Audire.

Sacer text.

21 Est etiam hoc notabile in fęminis, vt non tam faciendi, quàm audiendi animo veniant; celebrant Ecclesias, & conueniunt gregatim ad pia loca, adeunt concionatores, vt audiant, non vt faciant. Sed contra *viri Niniuitæ*, factis tenus, verbis procul ad Deum reuersi, *pænitentiam egerunt*. fœminæ ad diuinum verbum, & sapientiam, ab extrinseca tantum apparentia, & vana curiositate rapiuntur, vt *audiant*, non vt fructus faciant; vt spectent, veniunt, vt spectentur, & ipsæ. Secus faciunt viri, quos vbi interna Dei inspiratio tetigit, non externa, & vana signa deuotionis circuneundo ostentant; sed secum ipsi habitant, & intra se proficiunt. ad quod ostendendum, quia est admodum apposita, non est hic omittenda subtilis ponderatio verborum, quibus sponsa laudat sponsum, & ab eo inuicem laudatur in Cantic. Nam sponsus cap. 2. ℣. 1. his verbis sponsæ laudes extollit: *Sicut Lilium inter spinas; sic amica mea inter filias.* Laudatur hic sponsa illa pulcherrima mulierum, quæ tota pulchra, & sine macula est, idest, perfectissima anima in muliebri sexu. Hæc appellatur *Lilium*; aliæ vero omnes, inter quas eminet, dicuntur *spinæ*. Sūt *spinæ* frutices infructiferi, & siluestres, impedientes etiam fruges ne prouenniant; vt dicitur in Euangelio de diuini Verbi grano Luc. 8. ℣. 7. *& simul ortæ spinæ suffocauerunt illud*; ita mulieres impediunt progressus, & bona opera virorum sicut dictum est. Eccli. 19. ℣. 2. *vinum & mulieres apostatare fecerunt Sapientes*; & Sanct. Cyprian. de singularit. Cleric. adducit illud ex Salomone. Eccli. 42. ℣. 13. *de vestimento procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Spinæ vellicant corpora, & conterunt vestes secus eas prætereuntium; ita mulierum consuetudo, animam, & corpus lædit, & rem familiarem honorem, & gloriam imminuit, ac deterit hinc 1. Corinth. 7. ℣. 1. dicitur: *bonum est homini mulierem non tangere*. nimirum, quia vt spina semper lædit, sic fæmina. ideo in Polianth. adducitur similitudo illa: *flores spinarum admodum suauiter spirant, sed pungunt eos qui negligenter eas carpunt; ita mulierum pulchritudo alacriter redolet, sed ferè offendit eum qui ea imprudenter capitur.* & sicut spinæ vestes prætereuntium apprehendunt, ita fæmi-

Fæminarum curiositas, vt audiāt non vt faciant.

Cant.

Mulieres spinæ.

Luc.

Mulieres virorum progressus impediunt.
Eccli.
S. Cypr
Eccli.
Mulieres corpus, Animam diuitias. & honorem carpunt
1. Corint.

nea species incautos apprehendit: vnde S.Gregor. Neocæsariens. *expertus sum*, inquit, *mulierem esse quandam mollem terram; Cor enim ipsius quasi sagena prætereuntes concludit, quod si manu sola contingat, tenet*. Quod si aliqua in muliebri sexu eminere videatur, & alijs esse perfectior, illa est *Lilium*. hic flos si eminus adspiciatur, non est visui iniucundus; sed si cominus admotum contrectes, malum emittit odoré, & quasi nauseam prouocat. Ita prorsus mulieres, etiam si visum aliquantum delectent, tamen alios sensus lædunt; & etiam illæ, quæ cominus perfectiores esse videntur, si propius earum intima perscruteris, si quasi manu contrectans familiarius cum illis verseris, aliquid mali odoris senties, & sub specioso cortice, immundam plerumque latere conscientiam comperies. quicquid igitur in mulieribus boni est, totum apparentia est, & extrinseca tantũ, ac fallax ostentatio. Vel fortasse illa mulier *lilium* est, & virtutibus micans, quæ spinis vallata est, & arctissima custodia munita. lilium, pulcherrimus quidem flos, oculisq; iucundus, ac naribus suauissimus, caue tamen ne manu florem hũc contrectes, emittet enim fætorem quam maximum; ita & mulier virtutes quidem seruat, quousq; ab hominum consortio, & nimia familiaritate seruatur; si secus, se ipsã conficit, propinquisq; officit. Sponsa verò vt laudis à sponso acceptæ compensationem rependat, ita illum commendat ibidem ℣.2. *sicut malus inter ligna syluarum; sic amicus meus inter filios*. Comparatur vir, *malo*, arbori fructiferæ; enim vero etiam in hoc nostro Euangelio dicitur: *quod viri Niniuitæ pænitentiã egerunt in prædicatione Ionæ*; ex diuino verbo quæstum, & fructum producunt ij, qui perfectiores sunt. de quibus dicitur Matth.7.℣.20. *ex fructibus eorum cognoscetis eos*; cuiusmodi erat sponsus. reliqui verò viri imperfecti, comparantur lignis siluarum infrugiferis quidem ex se, propter naturales imperfectiones; & quia 2. Corinth.3.℣.5. *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis*; sed diuinæ gratiæ surculo in eis insito, fœcundantur, proficiunt, & fructificant; implentes illud Iacob. 1. ℣. 21. *suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras*. ita ex infrugiferis, fiunt fructiferi, Et fructificant pro salute animarum. eo ergo perfectior. iustus vir, perfecta muliere, quo malus arbor frugifer, lilio campestri; & eo nequior mala mulier, viro scelesto, quo spina, ad nihil apta, ligno infrugifero ad nõnulla vtili.

S.Greg. Neocæs.

Mulier lilium est eminus iucundum, cominus non item.

Mulieres custodiendæ.

Cant.

Vir iustus arbor frugifera.

2.Corint.

Iacob.

22 Atq; vtinam solo auditu mulieres contentæ essent, nec præterea inutilibus, & inanibus sermonibus adstantium deuotionem in Ecclesijs inquietarent: nec auditores ab attentione cum concionatorum dispendio auocarent garrulitate sua; sunt enim adeo vanæ loquacitatis amantes, vt teste Plin. lib. 11. cap. 17. non minus miraculum sit taciturnam mulierem inuenire, quàm mutam cicadam: quod vtrumque hoc genus sit natura sua garrulum, & loquax. & quàm hoc sit verum cõperiemus ex his, quæ de hac Regina Austri narrantur 2. Paralip. c. 9.℣.1. *Regina quoque Saba cum audisset famam Salomonis venit vt tentaret eum in ænigmatibus*; expende finem huius mulieris, non ob bonum finem, vt proficeret, sed *vt tentaret* venit, & fortasse etiam, vt deciperet; ideo muliebre genus, idem Salomon, *sagenæ* cõparauit Eccle.7.℣.27. *sagena cor eius*; qua pisces incauti decipiuntur; & vt verbositatem earum intelligas, & quàm impotentes sint ad arcana reticenda, subditur: *cumque venisset ad Salomonem locuta est ei quæcunque erant in corde suo*; si venerat audire, vt quid locuta est ei, quicquid arcani habebat in corde? nesciunt præ nimia loquacitate parcere linguæ, eiq; frænum rationis imponere. vtraque mulierum errata, tum nimiũ studium

Mulier garrula.

Plin.

2.Paral.

Eccle.

Mulier et arcana profert.

vagandi, tum nimiam loquacitatem ab ipsa fortasse experientia doctus Salomon aperuit Prouerb. 7. ℣. 10. *Mulier ornatu meretricio, parata ad decipiendas animas, garrula, & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo cōsistere pedibus suis.* ex quibus earum mobilitas, & loquacitas, deprehenditur.

Prou.

Cùm autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem.

Sacer text.

23 COactus exire immūdus hic spiritus ab voluptuosa sibi humanæ animæ domo, per loca arida, & deserta vagatur, quia summæ eius deliciæ sunt, habitare cum peccatoribus, eosque affligere, atque vexare, quare cùm ab illis exire cogitur, vniuersum hunc mundum, etiam Vrbes frequentissimas, pro locis desertis reputat. appellantur deserta loca infrugifera, & solitaria; diabolus vbi animarum quæstum facere non potest, nec occasionem eas affligendi habet, in deserto sibi esse videtur; ideo quoties non potest homines affligere, infructuose, & inutiliter dicit se ambulare. considera pro hac re verba eiusdem diaboli Iob. 1. ℣. 7. *circuiui terrā, & perambulaui eam.* Carus erat Iob Domino, eumq; gratiæ suæ præsidijs satis munierat ab incursu Dæmonum; quare cum illum affligere non posset, nullus nō locus ei ingratus erat, vbique desertum inuenerat, ideo totam terram se perambulasse dicit; si qua peruadere ad ipsum Iob, aut ad nocendum alicui homini posset, explorans; rectè Origen. lib. 1. in Iob. *Circuit, inquit, omnem terram, non carnalibus vestigijs, sed circuitionibus iniquitatis; non terrenis gressibus, sed spiritualibus seductionibus. Terram circuis à Diabole, ad desolandum, ad exterminandum.* nam circuire, & perambulare, eorū est, qui infructuose huc, illucque vagantur; cùm igitur non potuisset affligere Iob (cùm dicatur ℣. 9. *non ne tu vallasti eum, ac domum eius vniuersamque substantiam eius per circuitum &c.*) ideo videbatur sibi totum hunc perambulandi, & circumeundi laborem frustra suscepisse. Cùm vero facultas illi data est, & potuit iustum illum virum (domino permittente) percutere, tunc sibi requiē datam fuisse existimauit. Et hæc est illa requies, quam (vt dicitur in textu nostro) quærit, quando coactus fuit exire ab homine; videtur enim sibi quiescere, affligendo, & vexando homines. Sed quæret hic aliquis, quæ requies potest esse irrequietis? quam requiem quærit, qui nullibi potest quiescere in æternum? Dicimus, quòd etiam si sciat quòd nullam inuenire possit requiem; & quamuis merito assiduè, & æternaliter pænis suis sit affligendus; tamen ita illi gratum est, quando videt, & procurat hominum miserias, vt tunc inter maximos cruciatus, maximè quiescere, & gaudere videatur, Theophylac. Episc. Bulg. exposit. in hoc Euang. *Requies autem est Dæmonij, ait, baptizatos turbare per mala opera; quoniam non baptizatos iam habet. conuertitur itaque ad baptizatum cum septem spiritibus.* & hæc illius requies.

Deliciatur dæmō affligens peccatores

Iob.

Requiem videtur sibi adinuenisse diabolus dum hominem affligit, & tentat Orig.

Theoph.

Ambulat per loca arida, & inaquosa.

Sacer text.

24 SI *ambulare* accipiamus pro *spatiari*, & delectationis causa circuire, quo pacto videtur sumi hoc verbum Genes. 3. ℣. 8. *& cùm audisset vocem Domini* Dei *ambulantis in Paradiso &c.* vere etiam dicere poterimus, quod *ambulat diabolus* per arentia corda peccatorum, idest, per destituta lachrymarum aquis pectora. sunt enim qui pænitentiæ, & lachrymarum salutari aqua non irrigantur, arida illa loca, de quibus Isai. cap. 1. ℣. 30.

Genes.

Loca inaquosa corda sine lachrymis.

Isai.

Vbi lachrymæ ibi Paradisus.

℣. 30. *Cum fuerint velut quercus defluentibus folijs, & velut hortus absq; aqua.* vertunt alij: *tamquam Paradisus absque aqua.* opponuntur hęc duo *desertum*, & *Paradisus*: quia hic est locus irriguus; illud inaquosum. vbi igitur non inueniuntur hæc lachrymarum fluenta, ibi loca, quantumuis culta esse videantur, sunt deserta, & arida. Contra vero lachrymis irrigua deserta, in Paradisum conuertuntur, in quo cuncta omnigenis florum coloribus vernant & redolentibus odoribus recreant. Petr. Abb. Cellens. lib. de Panib. Cap. 12. de aqua lachrymarum sic loquitur: *Aut facit*, inquit, *aut inuenit Paradisum*; *Cùm enim profusione lachrymarum tota irrigatur conscientia, ligna producuntur, fructum vitæ facientia.* ad eundem sensum pertinēt illa Petr. Damiani opusc. 13. cap. 12. *mox vt lachrymæ ex munere intimi pectoris eruperint, protinus anima reuirescit; & tamquam arbor verna Austri fomite recalescens, rediuiuo virtutum suarum flore vestitur.* Ita vernat animæ Paradisus, his aquis madidus in suauissimos odores, & optimos flores germinat aridus pridem peccatorum hortus. sed diabolus, qui ex Paradiso eiectus fuit, & in deserta detrusus, omissis hortis hisce, lachrymarum rore irriguis, arida loca siccorum, & induratorum cordium spatiabundus obambulat. Quòd autem vbi lachrymarum aqua scatet, ibi Paradisus quidam diuinarum deliciarum vernet, colligitur Cant. 4. ℣. 12. vbi fons comparatur eiusmodi horto: *hortus conclusus fons signatus*; sed hic fons Paradisum in anima irrigat; vnde sequitur, *emissiones tuæ Paradisus*. idq; paulo infra repetitur ℣. 15. *fons hortorum, puteus aquarum viuentium*; nullibi viuentes lachrymarum aquæ fluunt, quin ibi Paradisus vernet, ac floreat.

Petr. Cell.

Petr: Damian. i

Anima, lachrymis reuirescit

Cant.

Sacer text.

Tunc dicit: reuertar in domum meam, vnde exiui.

Diabolus se emēdat vt peius negat.

25 VErbum ἐπιστρέφειν, quod hic ponitur in textu Græco; & *reuerti* significat, & *corrigere*, seu *emendare*. Quid ergo per hunc reditum Diabolus tamquam perperam, & negligenter à se factum intendit, dum ait: *reuertar*, idest, *corrigam*, seu *emendabo?* Finis Diaboli est mala agere, huc omnia eius vota, & studia diriguntur; tunc igitur *emendat* negligentias suas, quando id, quod egit, videtur sibi perperam egisse, quia potuisset illud peius agere crudelius affligēdo, & acrius tentando; corrigit itaq; deterius faciendo. hæc diaboli hostis nostri consuetudo, debet nos instruere, & erudire, vt quoniam finis noster contrarius diabolico fini, est bona agere: ideo sicut ille perperam facta in deterius vertens, emendare dicitur; ita etiam nos, si quæ negligenter, & tepidè in diuino seruitio egimus, ea debemus duplicata industria, & maiori feruore compensare. pudor enim esset, si in hoc homo conuersus permitteret se à diabolica diligentia superari; & quoniā ille actiones suas emendat, vt deteriores faciat, reprehendendus esset peccator, si quæ per incuriā mala commisit, aut quæ bona oscitanter fecit, non curaret pari sedulitate corrigendo reparare.

In melius proficiendum.

26 Sed ijsdem Dæmonis verbis monentur peccatores conuersi, quàm solliciti, & cauti esse debeāt, ne regressus iterum ad eos diabolo pateat; qui animam semel à se possessam, etiam si ab ea ad tempus exierit, adhuc tamen suam vocat, *reuertar*, ait, *in domum meam*. & exclusus non diffidit de reditu, nihil dubitat: non cunctabundus remeat, sed asseueranter dicit. *reuertar.* quasi certo sciat se intromissum iri; non veretur de resistentia, & obstaculis, quibus pænitens illi præcludere regressum potest; sed quasi securus

Cauti sint conuersi ne ad eos diabolus redeat.

Quasi securus dæmon de regressu ad peccatore

ait: *reuertar*. bene dicebat Salomon Eccli. 5. ℣. 5. *de propitiato peccato, noli esse sine metu.* excubandum itaque contra hunc hostem, & tunc magis timendum, quando nos reliquisse videtur, quia tunc ipse maiores conatus adhibet, & sollicitus ad redeundum dicit: *reuertar*. nobile stratagema fuit, quo Cyrus Persa Scythas, alioquin inuictos prostrauit. relicta enim in castris magna vini quantitate; fugam simulauit; ingressi castra Scythæ, vbique palantes diffusi, mero se se ad satietatem ingurgitarunt; tunc eos Cyrus somno vinoque sepultos, ad vnum omnes facile cecidit. etiam diabolus plerumque à peccatore exiens, simulat fugã; sed in castris relinquit fomitem, & incentiua prauosque habitus peccati; quòd si pænitens interim vino deliciarum grauatus, torpescere videatur (de huiusmodi enim dicitur Prouer. 4 ℣. 17. *comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt*. quo scelerũ vino ebrij fiunt peccatores Prouer. 7. ℣. 18. *veni, inebriemur vberibus &c.*) hunc vitijs sopitũ, opprimit dæmon.

Eccli.

Prou.

27 Sed quæ es; si suam dixit domũ, cur inde exiuit? cur de ea, quã tot tantisq; laboribus acquisiuerat possessione, sponte excidit? si ipsius gaudiũ est afflictio, & inquietudo hominis, cur suas has delicias omisit? Crediderim ipsummet diabolum præ multitudine, & fœditate peccatorũ, quæ perditæ vitæ homines assidue perpetrant nauseantem, ea plerumq; diutius ferre non posse: sicut nos etiam ad nimium rosarum, & florum odorẽ nauseamus. Quare fatigatus quodammodo ex tam peruersa conuersatione, & effræni hominum licentia ad peccãdum, quasi aliqualem extrinsecam relaxationem quærens, inde exit. atque hinc æstimare possumus, quàm misera, & infelix sit peccatoris conscientia; quàm inquieta, & turbida, assiduisq; agitata cruciatibus; insuper, quàm fœda, & horrenda peccati facies, cuius adspectum diabolus ipse, qui summopere malis istis recreatur, plerumque refugit a leout, præ nausea, & fæditate peccatorum ex immunda hac cloaca, quam domum suam appellat, aliquando tamen exeat, ad relaxationẽ. Quare videtur mihi infelicis peccatoris anima longè deterior mansio, quàm sit ipsemet infernus. nam diabolus inferni stationẽ sustinet tot iam annos; at vero peccatoris diuturnum consortium, quasi sustinere impotens, plerumq; exit; quasi magis crucietur ex consortio, & consuetudine peccatoris, quàm ex aliorum Dæmonum con consuetudine, & æternis, acerbisque flammis in Inferno.

Fœditatẽ peccatorũ etiam diabolus odit

Peccator dæmone peior, sua non sentit mala.

28 In eo quod dicit, *vnde exiui:* demonstrat, quòd seruat adhuc inuisum Deo superbiæ, & iactantiæ peccatum; nam etiam per vim expulsus, dicit se exiuisse; quasi voluntariè inde abscesserit, vbi summas suas delicias existimat esse: sed hanc & superbiam inde colligas, quòd hanc domũ, tã & si ab ea probrosè exclusus, suã appellat. hinc discimus, quòd possessio rerũ, & semper ferè comitem, & adiunctam habet superbiam, & hanc plurimum nutrit; ideo ob superbiã dicit *meam*, est enim diuitum superborum se, suaque iactare, & ea etiam quæ non possidẽt, sua appellare: in quo præsertim diabolum efferri adnotauimus in expositione illorum verborum Matth. 4. ℣. 9. *Hæc omnia tibi dabo &c.* & clarius Luc. 4. ℣. 6. vbi cùm ostendisset Saluatori *regna orbis terræ*, dixit illi, *tibi dabo potestatem hanc vniuersam: quia mihi tradita sunt, & cui volo do illa*; ita superbiam, & iactantiam suam prodens.

Dæmonis iactantia.

Opes superbiam nutriunt.

Et veniens inuenit eam vacantem.

Sacer tex.

29 Qvàm laxa in peccatoris anima spatia? quàm vastæ solitudines? bene igitur *arentia loca* per quæ inambulat, *deserta*, & *inhospita* interpretatur Euthym. sed parum dici-

Iusti virtutibus pleni: impij inanes & vacui.

dicimus si spatiosa tantum, & deserta loca in peccatoris anima esse dicamus: sunt. n. vacantia et, & inania. subtiliter hoc animaduertit S. Ambr. in cap. 1. Luc adductus à Sanct. Thom. in Caten. ibi. *Elisabeth impletum est tempus pariendi, &c. si diligenter*, inquit, *aduertas, plenitudinis verbum, nūquam inuenies positum; nisi in generatione iustorum; vnde & nunc dicitur, Elisabeth impletum est; plenitudinem enim habet iusti vita, inanes autem sunt dies impiorum*. Vacuum, natura, præter quam in peccatoris anima refugit: quod si vacuum dicitur, in quo nihil est; inane occupat peccatoris conscientiam, in qua nihil, idest, peccatum est. quod fortasse voluit Dauid Psalm. 75. ℣. 6. *dormierunt somnum suum, & nihil*, idest, peccatum, *inuenerun in manibus suis*. ideo filio prodigo, qui viuendo luxuriosè cunctam substantiam suam dissipauerat, nihil relictum fuit: quare vacuus bonis omnibus spiritualibus, & temporalibus cæpit egere, nimirū inanis erat, & hoc nihil tantū modo habebat. Et hinc est quòd spiritus hanc domum inuenit *vacantem* fide, & bonis operibus. Sanct. Hieronym. *vacantem*, interpretatur, *destitutam præsidio diuino, & Angelica custodia* (vnde ait) *Quia igitur Dei, & Angelorum præsidia non habebant, & ornati erant superfluis obseruationibus legis, reuertitur diabolus ad sedem suam &c.* Hæc dicit Hieronym. exponens hunc locū de Synagoga Hebræorū, quæ in particulari si ad hominē malimus trāsferre, intelligemus animam, cùm destituitur Christi, & SS. Angelorum præsentia; nedum non plenam, & redundantem, sed inanem, & vacuam remanere; & sic inuenire dicitur illā *vacantem*; adeout liber Dæmoni pateat accessus. Priuatur primo præsentia Dei anima peccatrix, & sic est *vacans*, quia non fruitur sacramentali Dei repletione, per infrequentiam sacratissimæ communionis; & caret ijs omnibus beneficijs, quæ vberrime percipiuntur in sacro illo conuiuio, in quo dum *Christus sumitur; mens impletur gratia*: ad hanc faciliorem habet dæmon accessum. secundo deserta est hæc domus, quoniam non habitat in ea Christus per fidem; per quā habitaculum Deo præparari dicebat Apostolus ad Ephes. 3 ℣. 17. *habitare Christum per fidē in cordibus vestris*; quare in hæreticis & ethnicis, in quibus per fidem nō habitat, inuenit diabolus ampla spatia, ibique dominatur. Tantundem etiam *vacans* dicitur & diabolo parata, in qua adsit fides, sed destituta operibus; de quibus dicitur 2. Petr. cap. 1 ℣. 8. *Hæc si vobiscum adsint & superent; non vacuas, nec sine fructu constituent &c.* Dicitur etiam vacans quia destituitur custodia Angelorum (vt ex Hieronymo diximus) quibus animam custodientibus, Dæmō arcetur, neq; audet ingredi, quod si ab his vacet: Dæmones statim, captata occasione, non singulares, sed assumptis pluribus socijs regressi *habitant ibi*; vt hinc pendas quanta sit Angelorum custodia, & præsidium.

S. Ambr.

Anima peccatoris quasi vacuum Psalm.

S. Hieron

Anima, Dei, & Angelorum præsidio destituta, dicitur vacās

Anima sine Eucharistia, fit vacās.

Sine fide diabolo vacamus.

Ephes.

Anima sine operibus diabolo vacat. 2. Petr.

Vacat dæmoni anima destituta Angelorū munimine.

Scopis mundatam.

30 MVnda coram Deo sunt, quæ virtutum nitorem retinēt: sordida verò quæ vitijs squallent; contra; diabolus vitia habet pro nitela, virtutes pro sordibus. ideo Beda: *hoc Dominus*, inquit, *adiunxit, ad ostendendum distinctionem suorum, & Satanæ operum: quia videlicet ipse polluta mundare velit; Satanas vero, ea quæ mundata fuerunt, grauioribus sordibus quærat attaminare.* sed quare plures adhibet scopas ad mundādam sibi animam Dæmon *scopis mundatā*; cùm vnius offensæ culpa, reddatur homo Deo inuisus, & diuina gratia omnino indignus? nam per vnum peccatum mortale homo amittit gratiam, virtutes, & merita bonorum præcedentium operū. si itaque potest illum vna scopa idest, vno peccato; cur *scopis*

Sacer tex.

Sordes, munditiæ dæmonis.

Beda.

Non satis est diabolo, vno hominē peccato inquinari.

m unda-

mundatam domum eligit? Vt ſcias quòd diabolus nullum non laborem (etiam ſi ſuperuacuus videri poſſit) omittit, vt animam peccatorum ſordibus inquinet: ideo quamuis vna tantum ſatis eſſe poſſit ſcopa, nihilominus ex redundanti plures adhibet; non ſolum neceſſaria facit vt hominem perdat, ſed etiam quædam non neceſſaria adiungit, & peccatorũ parat copiam, expetitq; cumulum, vt ſecurus ſit de noſtra ruina. Homo vero ſuimet imprudenter negligens; cùm poſſit per vnius pænitentiæ ſcopam, modico labore omnes fœditates purgare; mauult diabolo per vitiorum dedecora, quàm Deo ſuo per virtutum ornamenta domum inſtruere. nec nouum eſt pænitentiam per ſcopam ſignificari; ait enim S. Bernar. ſerm. 2. de Aſſumpt. Beatæ Mariæ. *Intret ergo domum Saluator, quam pænitens Lazarus mundat*: deinde ſubdit paulo infra. *Virginalem domum intelligi volens ſpiritus, ſiluit nõ incongruè pænitentiam, quæ malum vtique comitatur. abſit enim vt proprij quicquam inquinamenti, domus hæc aliquando habuiſſe dicatur; vt in ea proinde ſcopa Lazari quæreretur*. Vel pluribus ſcopis mundat hanc domum diabolus, vt pluribus hoſpitibus ſufficiat. Incert. ſub nom. Emiſſ. *non ſufficit ei vt ſolus talem domum poſſideat, ſocios quærit; ſpatioſus eſt locus; multis indiget habitatoribus*. vides ampla ſpatia in aula peccatorum, de quibus nos paulo ſupra diximus: nec mireris, quod dum domus pluribus habitatoribus deſtinatur, pluribus ſcopis purgetur. peccatum, ſcopa diaboli eſt, qua, virtutibus mundatur anima; ergo diabolus *mundat* ſibi animam, cùm inde remouet virtutes; *ornat* illam, cùm introducit vitia; vtrumque facit adhibitis ſcopis *malæ ſcopæ* (ait idem Incert.) *quæ virtutes pellunt, & vitia relinquunt; male ſcopæ, quæ pauimenta diſſipant, & puluerem nõ eijciunt*; eiuſmodi ſunt irritamenta vitiorum, deliciæ, honorum, & opum deſideria, aliaque his ſimilia; Quibus debet ſedulus, & ſuimet ſtudioſus fidelis, bonas ſcopas opponere, quæ peccatorum amotis fœditatibus, virtutum aulæa ſuſpendant: & pauimenta conſcientiæ ita mundent, vt puluerem etiam minimorum errorum eijciant.

Peccatoris negligentia in ſe mundando.

S. Bern.

Pænitentia ſcopa eſt.

Peccatũ, ſcopa diaboli, virtutes pellens.

Et ornatam.

Sacer text.

31 Qvod de muliere dixit Comicus in Moſtell. quod *Nequicquam exornata eſt benè, ſi morata eſt malè*: quia turpem ornatum, turpes mores, peius cæno collinunt: idẽ de anima verius dici põt: quã nequicquã infucas apparẽt js, niſi optimis moribus, & virtutibus exornes; imo omnis eius ornatus, cænoſus eſt, niſi cui virtutis aurum prætium addit, & nirorẽ. ſed quemadmodum apud benè ſenſatos, externa ornamenta, potius deturpant animam, quæ nequicquam exornata videtur benè, ſi morata ſit malè: ita in aula diaboli, quo turpioribus vitijs anima eſt deformis, eo iudicatur formoſior, cõptior, & ornatior. etiam ethnicis virtutes viſa ſunt præclara ornamenta; vnde Crates referente Stob. ſerm. 32. dicebat: *id eſt verum mulieris ornamentum, quod illam honeſtiorem facit, talem vero præſtat, non aurum, non ſmeragdus, non coccus, ſed quæcumque grauitatis, moderationis, & pudoris ſpecimen adhibent*. diabolo id videtur ornare animã, quod illam deornat, id honeſtare, q̃ dehoneſtat, id polire q̃ inficit; ideo eius oculis tũc eſt ſatis ornata, cùm multum eſt foedata: & cùm Caſtitas, Continentia, Humilitas, Pax, Charitas ſint vera ornamenta Animarum, quæ Deus amat; è contra, vt dicit Imperf. in Matth. *Luxuria fornicatio, Voluptas, Superbia, Auaritia, diſcordia, ornamenta diaboli ſunt*. ſed quemadmodum, vt dicebat Sanct. Cyprian. lib. de Habit. Virgin. *ornamentorum, ac veſtium inſignia, & lenoci-*

Comic.

Anima ſine virtutibus, inornata Deo.

Peccatoris anima diabolo comptior.

Stob.

Imperfec.

Vitia diaboli ſunt ornamẽta

S. Cypr.

nia formarum: non nisi prostitutis, & impudicis fœminis congruunt; & nullarum fere pretiosior cultus est, quàm quorum pudor vilis est. ita relata diabolica ornamenta, animam à Deo desciuisse, & prostituto pudore, meretricem factam, arguunt.

Sacer text.

Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus nequiores se.

32 NOn rogat illos septẽ, quos assumit, neque compellit, quia promptos inuenit ad eundum; quare volentes, & vltroneos assumit. non est necesse multis diabolum rogare ad nocendum homini, satis per se contra nos dæmones sæuiunt. imo nisi diuina potẽtia prohiberẽtur, multo plura, & maiora mala hominibus facerent. sed Deus benignè illorum erga nos hostilitatem coercet, nec eis licentiæ fræna præter modum laxat. ideo primo permisit Iob in bonis tantum externis vexari, tum etiam in corpore &c. Vel ex eo quod facile etiam non rogati, huic se spiritui septem alij nequiores adiungunt, conijcimus, verissimum esse, quod facile ad mala conueniunt mali; & fiũt nequiores, quia facilius in communione alterno exemplo incitati, & docti, peccant. ideo peruersæ vitæ homines, cùm in alicuius damnum debent coire, nõ sunt rogandi, etiam irrequisiti confluunt, in quo similes sunt diabolicis istis nequioribus spiritibus: & quamuis immundo illi spiritui, qui reuerti volebat, tamquam nocẽdi peritissimo, etiam duo, vel tres comites satis esse potuissent (præsertim ex eo ordine qui illo nequiores continet) *septem* tamen, idest, vt volunt Expositores, *plurimi*, se illi adiunxerunt. quorum imitatores ij sunt, qui peccatoribus, & nocentibus adiungunt se se in perniciem alicuius, cuius vitæ, vel bonis, vel honori insidiãtur. horum voces refert Salomon Prouerb. 1. ℣. 11. *veni nobiscum, insidiemur sanguini*, &c. In quo

Dæmones vltrò contra nos sæuiunt.

Mali, facilè ad mala conueniunt.

Prouer.

etiam pænitentium tarditas, & negligentia tacitè arguitur, qui scientes quanta sit diaboli promptitudo ad nocendum, & mala agendum: tamlentè conueniunt ad bona opera: accipiant saltem ab hostibus exemplum; quàm illi sunt in nostram perniciem frequentes, tantumdem in diuinum obsequium properent conuenire ad Oratoria, Ecclesias, visitationes infirmorum, & alia pia opera, pro animarum salute.

Arguuntur negligentes.

33 Inter Dæmones, qui est nequior, & ad nocendum aptior, ille reputatur perfectior, & præcedit alijs in potestate, & præeminentia, quemadmodum illos antecedit intellectu, & donis naturæ. mirum itaque videri potest, quod hic immundus spiritus rediturus in domum vnde exierat, assumat septem alios spiritus *nequiores se*, & sibi superiores. nam certum est, esse Dæmones superbissimos spiritus; quæ illis superbia æternam damnationem peperit; cum ne Deum quidem sibi præponi pati voluerint; & tunc sibi summam iniuriam factam putant, cùm alicui subijci coguntur. & hinc oritur odium internicinum, quo in homines desæuiunt, quia dictum fuit de muliere Genes. 3. ℣. 15. *ipsa conteret caput tuum.* Cur igitur iste *assumit spiritus nequiores*, & superiores; qui assumptis alijs inferioribus, potuisset illuc, omnibus superior reuerti, & ipse dominaricur, inquam, mauult subesse superioribus? Ea est Dęmonis in hominem crudelitas, vt sẽper magis sæuiat contra ipsum; ideo vt semper magis illum affligẽdo vexet nõ curat assumere secũ spiritus nequiores, seque superiores, dũmodo ex eo quod sunt nequiores, sint etiam aptiores ad nocendum. remittit itaque etiam de insita sibi superbia aliquid, vt augeat humanorum damnorum incremẽta. si enim spiritus inferiores assumpsisset, non fuissent nequiores, & per consequens, neque aptiores ad nocendum: ideo vt plurimum noceat, nequiores assumit, quasi

Dæmones nequiores sunt superiores.

Genes.

Vt noceat homini dæmon, fert nequiores se.

oblitus suæ superbiæ, dummodo in maiorem hominis perniciem omnia illius studia intendantur; & cùm possit dominari, mauult famulari, vt peccatori dominetur, & magis noceat. sed quod magis est deplorabile, etiam inter homines, plerique ita animati inueniuntur, qui dum propter superbiã quærunt imperare, eligunt (nec renuant) seruire. multi enim, quos gradus per se se, suaque industria consequi non possunt, assumptis alijs spiritibus nequioribus (quibus interim omnia præstare coguntur, etiam probrosa obsequia) attingere contendũt; & vt populo imperent, primum nequioribus, quorum opera eleuantur, seruiunt.

Multi vt imperent, seruiunt.

Et ingressi habitant ibi.

Sacer text.

34 NEgandus est diabolo ad animam regressus, quem si concesserimus, non solum ingredi vult, sed etiam *habitare*. difficilis est illi primus aditus, cum vndequaque præclusæ sunt fores; sed si aliquà, vel per fenestras oculorum, aut per oris ostium regressum permiseris, & *ingreditur*, & *habitat*; imo constituta ibi quasi statione, non sine maximo labore expellitur. sicuti milites præsidiarij intra vrbis munimenta admissi, dispositis excubijs, & munitis mænibus, aditum negant, & arcent ingredi volentes: ita diabolus cùm intromissus incipit in anima habitare; adeo vt Christus Dux strenuissimus, & contra diabolicum hostem instructissimus, pro liberanda ab eius incolatu humana anima laborare quasi debeat. Luc. 11. ℣. 14. dicitur: *erat Iesus eijciens Dæmonium*; Cur non dixit, *eiecit Dæmonium*, & *locutus est &c.* sed *erat eijciens*? est hęc phrasis indicium difficultatis perficiẽdi hoc opus eiectionis: quemadmodum pictores, vt ostendant, laboriose à se, & diuturno tempore tabulas depictas, adscribunt: *Zeuxis pingebat*; ita, vt diabolum possidentem animam ab incolatu difficulter, & laboriose remoueri, significaret Euangelista, dixit: *Erat eijciens*; non eiecit. Vel collige hinc pessimum recidiuantium peccatorum statum, ad quos cùm per reiterata peccata redit diabolus, domum ad perenniter inhabitandum sibi cõstruit, & plures secum, se peiores aduocat; & qui prius facilè inde fuerat expulsus: recidiuante, peccatore domesticus, ac familiaris imò dominus fit illi dæmon, & peccatum.

Reciduãtium peccatorum difficilis conuersio

Lucas illustratur.

Sic erit generationi huic pessimæ.

Sacer text.

35 BEnè hæc cũ ijs conueniũt, quæ mox dixerat: *& erunt nouissima hominis illius peiora prioribus*. peccator enim cùm prius ab vno spiritu obsideretur, factus postea sua culpa nocentior, pluribus fuit subditus. & ideo quæ prius fuerat appellata *generatio mala*, deinde aucta malitia dicitur *adultera*, tum quia ad summam etiam nequitiam perueniunt, *pessima*, merito nominantur. est hic Domini in reprehendendis vitijs ordo, conueniens ipsorum peccatorum progressioni; qui primo fiunt *mali*; ita tamen, vt possint resipiscere, quia non dum habitum vitiorum induerunt. deinde in peius recidiuando progressi, merentur appellationem *adulteræ*; & ad extremũ *pessimi*. Qui progressus, præsertim in malitia propriæ voluntatis, est obseruabilis, propterea enim hæc generatio scribarum appellatur *mala, adultera, & pessima*; quia propriæ voluntati addicta, arroganter dicebat: *volumus*. Hunc progressum in ijsdem Iudæis optimè obseruauit Arnoldus Abbas Bonæ vallis tractat. de septem Verb. Domin. in Cruce. explicans illud: *nesciunt quid faciunt &c. demissis*, inquit, *palpebris, & complosis in arctum; violenter sibi cæcitatem imprimebant: vsque adeo in hoc malum voluntarij, vt voluntas consuetudinem, & consuetudo faceret necessi-*

Peccantium progressio in sceleribus

Propiæ voluntatis multa mala.

Arnold.

tatem;

tatem; necessitas verò vsque ad illam verecordiam erumperet, vt nescirent quid facerent. & hinc fortasse est, quòd peccatum recidiuantium per propriã voluntatem, comparatur ijs, qui per eandem viam sæpius remeant Ierem. 2. ℣. 36. *Quàm facta es vilis, iterans vias tuas.* non est dubium hic loqui Prophetam de vitio propriæ voluntatis, quod eàdem ambulandi similitudine expressit idem Ierem. 7. ℣. 17. *ambulabunt post prauitatem cordis sui;* & ℣. 24. *abierunt in voluntatibus, & in prauitate cordis sui.* notat autem P. Ghisler. explicans illud: *Quàm facta es vilis,* quod Hebraica vox *thzelo*, & *ambulare* significat, ac *discurrere*; & *vilescere*: vulgat. itaque posteriorem significationem retinens, reddidit, *facta es vilis.* Pagnin. vero ex Hebr. aliam secutus notionem vertit: *Cur discurris valdè, ita repetendo viam tuam;* significatur itaque quod homo per propriam voluntatem assiduo peccata iterans, & in prauitate cordis sui ambulans, eo tandem deducitur, vt coram diuinis oculis penitus vilescat, & abiectus fiat: quippe qui appellatur *pessimus*: quod illi nomen conuenit, cum semper grauius peccet.

Ierem. *Ierem.* *P. Ghisl.* *Pagnin.* *Repetit peccata, faciens voluntatem.*

FERIA VI. POST DOMINIC. I. QVADR.

IOAN. 5.

Sacr. Euang.

Erat dies festus Iudæorum: & ascendit Iesus Ierosolymam. Est autem Ierosolymis Probatica piscina, quæ cognominatur Hebraice Bethsaida, quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini secundum tempus descendebat in piscinam: & mouebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate. Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cum vidisset Iesus iacentem: & cognouisset, quia iam multum tempus haberet, dixit ei. Vis sanus fieri? Respondit ei languidus. Domine, hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam. Dum venio enim ego, alius ante me descendit. Dicit ei Iesus. Surge: tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo ille: & sustulit grabatum tuum, & ambulabat. Erat autem sabbatum in illa die. Dicebant ergo Iudæi, illi, qui sanatus fuerat. Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Respondit eis. Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: tolle grabatum tuum, & ambula. Interrogauerunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi:

tolle grabatum tuum, & ambula? Is autem, qui ſanus fuerat effectus, neſciebat quis eſſet. Ieſus autem declinauit à turba conſtituta in loco. Poſtea inuenit eum Ieſus in templo, & dixit illi. Ecce ſanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Abijt ille homo, & nuntiauit Iudæis, quia Ieſus eſſet, qui fecit eum ſanum.

CAP. I.

Explicatur ſenſus litteræ.

1 
Oſt hac erat dies feſtus Iudaorum, & aſcendit Ieſus Ieroſolymam. Duo ſtupẽda miracula & nuſquam alibi lecta, in hac Euangelica narratione exponuntur; quorum alterum, Deus per Angelicum miniſterium operabatur in aqua piſcinæ; alterum ſuis verbis, & diuina virtute, Ieſus Chriſtus Redemptor noſter dignatus eſt, ad languidi iacentis ſanitatem operari. vtriuſque meminit Euangeliſta, & illud, tamquam præludium, ad huius poſterioris intelligentiam clariorem, præmittit. Beda hoc animaduertit Comment. in Ioann. *duo pariter miracula, ait, humana ſanitatis leguntur; vnum inuiſibiliter, per Angelicam adminiſtrationem, alterum per Dominicam præſentiam, viſibiliter exhibitum*; idem admonuit Ericus. Maximum igitur Chriſti miraculorum narraturus Euangeliſta, & notabile, nõ tantum ob factum ipſum; ſed etiam, quia magnam eidem Saluatori, Phariſæorum Inuidiam concitauit; ſuſcitauitq; contra ipſũ graues eorum cõtentiones; vt in poſtrema huius quinti cap. parte refertur; vtitur quodam, quaſi neceſſario apparatu; præmittitq; ea, quæ ad rerum narrandarum intelligentiam, neceſſaria fore videbantur; temporis nimirum, loci, adſtantium, & aliarum circumſtantiarum declarationem.

Hic tantũ narratum miraculũ recenſetur

Beda.

Eric.

2 Et quo ad tempus, partim quidem illud expreſſit S. Ioan. ſed verbis adeo mutilis, vt adhuc non clarè liqueat inter huius loci Expoſitores, quid ijs ſignificetur: *erat*, ait, *dies feſtus Iudæorum, & aſcendit Ieſus Ieroſolymam*. difficultas eſt, quia plures erant dies feſti, & ſolemnes apud Iudæos, in quibus Ieroſolymis coram Deo apparere, ad ſacrificia ei offerenda, debebant omnes maſculi Hebræorum; ideo cum generali diei feſti nomini, nullam particularitatis notam videatur appoſuiſſe, per quam poſſet internoſci, non leui diſſenſioni cauſam præbuit. Trium iſtiuſmodi feſtorum præceptum habetur Exod. 23. ℣. 14. *tribus vicibus in anno mihi feſta celebrabitis.* Primum appellabatur Paſcha, ſeù feſtum azymorum, celebrandus in memoriam exitus de terra Aegypti; ℣. 15. *ſolemnitatem azymorum cuſtodies; ſeptem diebus comedes azyma*; alterum dicebatur feſtum Pentecoſtes, in quo primos triticeos panes, in ſignum gratitudinis, Deo offerebant. ſubditur ℣. 16. *& ſolemnitatem meſſis primitiuorum operis tui*. ideſt vt vertit Vatabl. *ſeruabis diem feſtum meſſis præcoctum fructuum operis tui*; tertium feſtum, erat Tabernaculorum; ſiue ſcenophegiæ; quia per ſeptem dies habitabant in tentorijs, memores beneficij, quo vniuerſum Iſraeliticũ populũ Deus, per quadraginta annos in deſerto degentem ſub tabernaculis, miraculoſe ſuſtentauit, & deduxit; additur ibidem: *ſolemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaueris omnes*

Ioan.

Trium feſtorũ præceptum.

Vatabl.

fruges tuas de agro. his tribus temporibus, omne masculinum domino se sistebat; vnde ℣.17. *Ter*, inquit, *in anno apparebit omne masculinum tuum, coram Domino Deo tuo.* vtrum ex his tribus festis, in Israel celebrari solitis, fuerit id, de quo loquitur Euangelista, dicens, *erat dies festus Iudæorum* incertum est. Putanr grauissimi aliquot Patres, hæc verba, ad festum Pentecostes, esse referenda, ita Chrysost. homil. 35 in Ioan. S. Cyrill. Alexand. in Ioann. lib. 2. cap. 23. quos sequuntur Theophylac. exposit. in hoc Euangel. Incert. sub nomine Emyss. Euthym. D. Thom. Vgo Card. Lyran. & ex Recentioribus, Maldon. in cap. 5. Ioann. videntur isti vim maximam facere in illis verbis, quæ habentur initio capitis, *Post hæc*; quasi ista debeant immediatè, secũdum ordinem rerum gestarum, cohærere cum antecedentibus: quare, cum supra, cap. 2. Ioannes narrauerit, quod Christus Dominus, in festo Paschatis eiecit vẽdentes de templo; propterea, cum primum festum, immediatè post Pascha, esset Pentecostes, de hoc tãtum volũt hæc verba posse intelligi; adeo vt, propter cohærentiam, & successionem festorum, dixerit Euãgelista *post hæc. supra enim*; ait Vgo Card. *cap. 2. ascendit in Pascha, infra cap. 7. ascendit in Scenophegia*; cum ergo, per ordinem festorum, Pentecostes sit media inter Pascha, & Scenophegiam, videtur consonum verbis Euangelistæ, hoc, de quo loquimur, fuisse festum Pentecostes; eidem põderationi innititur Maldon. qui præterea, in Euãgelica Ioannis narratione, obseruat, magnum illud Pascha, nõ appellari solo, & absoluto Paschatis nomine (quod alijs festis etiam erat commune) vt citatis aliquod ex Ioan. locis, nititur ostendere.

Quis nam fuerit festus dies variæ DD sententiæ. Prima sententia. Cyrill. Theophyl. Emyss. Euthym. D. Thom. Vgo. Lyran. Maldon.

Fundamentum primæ sententiæ.

Vgo.

Maldon.

3 Alij secus sentientes, hoc festum, maximum omnium à Iudæis celebratorum, celeberrimum nimirum illud Pacha azymorum, quod per antonomasiam, & excellentiam *dies festus* appellatur, interpretantur; sic exponit D. Irenæ. lib. 2. contra Hæres. cap. 39. Ruper. Abb. Tuitiens. in Ioan. lib. 5. c. 1 Iansen. in Concord. Euangel. cap. 36. & inter Recentiores Baronius, & Salmer. tom. 6. tract. 16. qui adducit etiã pro hac opinione Abulens. in suo defensorio; quos sequuntur Barad. Tolet. Luc. Brug. & alij. Videtur istis impossibile, tueri primam expositionem, & concordare dicta aliorum Euangelistarum cum dictis Ioannis; neque enim putant fieri potuisse, breui eo tempore, quod inter primum Pascha, de quo Ioan. meminit cap. 2. & Pentecostem intercurrit, ea, quæ & à Ioann. & ab alijs narrantur. Nam post eiectos è templo nundinatores, narratur sermo cum Nicodemo habitus, eiusque baptismus; deinde, quod Iesus in Iudæam profectus, ibi baptizauerit: & specialiter notatur, quod ibi commoratus fuerit, Ioann. ℣.22. *Post hæc venit Iesus in Iudæam terram, & illic morabatur cum eis, & baptizabat*; si moratus fuit, certè, aliquot ibi dies mansit. inde, Iudæorum insidias declinans, in Galilæam redijt, transiens per Samariam, & reuersus in Cana Galilææ, vbi aquam transmutauerat in vinum, Reguli filium sanauit in Capharnaum Ioan. cap. 4. ℣. 47. hæc autem omnia, non videtur istis verosimile, tam breui temporis spatio, potuisse compleri, & propterea hoc festum nolunt fuisse Pentecostem, post Pascha illud, de quo loquitur Ioannes cap. 2. sed alterum Pascha sequentis anni; in quo etiam annuo spatio, multa, omissa à Ioanne, supplent alij Euangelistæ; de vocatione, seu electione Apostolorum, & missione eorundem ad prædicandum Marc. 3. ℣. 13. 14. Luc. 6. ℣. 13. & sequent. Matth. 10. in principio; de sermone habito in monte, de quo Matth. ibidem, & alij Euangelistæ. Expendunt præterea isti verba illa Ioan. 4. ℣. 35. vbi Christus, ex Iudæa in Galilæã proficiscens, dixit. *Quatuor men-*

2. sententia de hoc festo.

Iren. Rupert. Iansen. Baron. Salmer.

Barad. Tolet. Luc. Brugens.

Fundamentum secundæ sententiæ.

Ioan.

Marc. Luc. Matth.

Alia ratio.

ses sunt, & messis venit; sed nullus dies festus, apud Hebræos solemnis, occurrebat quatuor menses ante messem, nisi Pascha; quia messis in Palestina orientali, & calida regione, agitur Maio mense, inter Pascha, & Pentecostē, & propterea hic, *per diem festum*, Pascha debet intelligi; quando enim cap. 4. superiori dixit Iesus, adhuc quatuor menses ad messem superesse, agebatur ferè Nouember mensis, vel circiter: post quod tempus, primus dies festus est Pascha; quare de hoc, non de Pentecoste, videtur hic locutus Ioannes; cuius verba illa, *post hæc*; non ita sunt exacte interpretanda, quasi interim, nihil potuerit à Christo agi. præsertim, quia quando alibi Ioannes voluit hoc festum significare (vt in locis à Maldon. adnotatis) ijs circunstantijs, & notis illud descripsit, vt facile ab alijs diebus festis internosceretur; hæc igitur, quia magis recepta, videtur etiã esse probabilior opinio.

Ioan. *Maldon.* *Quæ probabilior sit opinio.*

4 Instabat igitur solemnis ille, & festiuus Paschatis dies, quem tantopere Hebræi venerabantur, præcipuo illum cultu, & obseruatione celebrantes; *& ascendit Iesus Ierosolymam, &* idest iccirco, ideo; vt cum Iudæis dies festos faciens; *non videretur legi contrarius*, ait S. Ioan. Chrysost. vt simplicem, & instantis humanæ reparationis insciam, & rudem turbam, ad solemnem festiuitatem, vndique ex vicinis locis confluentem, cælesti doctrina imbueret, & mirabilibus signis alliceret, addunt Theophyl. & Euthym. sed aliud, animaduersione dignum, hic cõsiderat D. Cyrill. affirmans, narrari ab Euangelista hunc reditum in Iudæam, & paralytici miraculum; *vt à collatione rerum ostenderet, quanto alienigenæ, tam moribus, quam facilitate credendi, Iudæis præstarent.* Vnius Samaritanæ conuersio, & publicum de Christi virtute testimonium, integram illi Ciuitatem conciliauerat; quando Ioan. 4. ℣. 30. *Exierunt de Ciuitate, & veniebant ad eum*; Regulus, & vniuersa eius domus, viso vno miraculo, credidit; de quo dicitur Ioan. 4. ℣. 53. *credidit ipse, & domus eius tota*; perfidi autem Iudæi, quãto, maioribus signis, debuissent moueri ad obsequium tanto benefactori præstandum, eo magis contra eum, malignitatis suæ venenatas sagittas emittebant. *Ascendit* autem dicitur, quia, ex Galilæa in Iudæã tendentibus, per accliuia eundum est; & præsertim pergẽtibus Ierusalem, quæ in edito, & montuoso loco sita erat; quare eodem verbo vtitur Isai. cap. 2. ℣. 3. Populum Israeliticum ad venerationem templi inuitans; *Venite*, ait, *Ascendamus in montem Domini; & ad domum Dei Iacob*, ad quem locum Interpretes multa dicunt de situ Ierosolymorum; huc igitur, propter diem festum, perrexit Dominus, instante iam Paschate.

Io Chrys. *Theoph. Euthym. Cyrill.* *Alienigenæ facilitate credẽdi Iudæis præstãtes.* *Ioan.* *Ioan.* *Isai.*

5 *Est autem Ierosolymis Probatica Piscina, quæ cognominatur Hebraice, Bethsaida: quinque porticus habens.* Locus miraculi hic describitur; neque satis fuisse duxit, commonere, quod Ierosolymæ contigerit: sed etiam, in qua Ciuitatis parte, specialiter exponendum, iudicauit Euangelista; neque sufficiebat dicere, quod hoc miraculum, propè piscinam, operatus fuerit: neque enim deerant Ierosolymis plures aliæ piscinæ, & congregationes aquarum, vt videri potest in descriptione illius Vrbis. Hæc tamen verba, quia in Græcis codicibus diuersimodè leguntur, diuersas interpretationes receperunt; in quo non est longius immorandum, quia vtro modo legantur, parum variant sensum. Quidam itaq; in recto legunt verba; *est autem Ierosolymis* προβατικὴ κολυμβήθρα, idest *probatica piscina*, ita D. Hieronym. de locis Hebraic. Chrysost. Theophylac. Cyrill. & alij, quam lectionem sequitur vulgat. sed in Græcis ferè omnibus codicibus, habentur hæc verba in casu obliquo; *est autem Ierosolymis* ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρᾳ; idest, *In*, seu *Ad*, siue *iuxta probaticam*

Huius textus variæ lectiones, & sensus *Hieron. Chrysost. Theophy. Cyrill.* *Huius textus varia lectio.*

piscinam

piscinam. In qua posteriore lectione, aliqua vox est necessario subintelligenda, quæ cum adiectiuo, *probatica*, consentiat, vt sit sensus: Ierosolymis, iuxta locum; vel in loco, qui vocatur probatica piscina; Ita visus interpretari Euthym. cuius verba sunt: *est Ierosolymis piscina à loci situ, quæ dicitur probatica.* quidam non locum; sed vel forum, vel plateā subintelligunt. Maldonat. portam. *erat enim*, inquit, *porta quædam Vrbis, quæ porta gregis vocabatur*; quare significat Euangelista, Ierosolymis, prope portam, siue ad portam, quæ probatica; siue gregis, dicebatur, fuisse piscinam quandam. nam *probatica* nomen græcum est; προβατον autem, ouem significat; dicebatur itaque probatica, siue ouilla; quam eandem esse cum porta gregis, de qua ipse interpretatur hūc locum, putat Maldon. eumque secutus Salmer. quæ Nehem. 3. apud L X X. Interpr. πύλη προβατική, idest, *porta gregis*, appellatur; prope hanc igitur portam, vel forum, fuit piscina, de qua in hoc Euangelio loquitur Ioannes. Quod si hæc verba in casu recto legantur, itidem sensus erit, fuisse Ierosolymis piscinam quandam, dictam probaticam ab ouibus, vel quia ibi victimæ offerendæ congregarentur, & abluerentur; vt volunt Hierony. Theophyl. Euthym. vel quod esset collectio aquarum; per occultas fistulas ex templi atrio, in hunc locum corriuatarum vt, præter cæteros, dixit Aristæas de LXX. Interpr. græca vox κολυμβήθρα proprie natatoriam, vel natabulum significat; ita eandem vocem græcam reddidit Interpres eiusdem Ioan. cap. 9. ℣. 7. & 11. *Vade laua in natatoria siloe*. &c. neque tamen errauit dum hic piscinam transtulit, nomine à piscibus deducto, locum carentem piscibus appellās; quamuis enim initio, piscinæ, à seruandis tantum piscibus dicerētur, tamen postea, etiam ad stagna, in quæ aquæ pluuiæ congregantur, in alium etiam vsum translata fuit hæc vox, tantum ob similitudinem; vnde Festus apud Sex. Pomp. *piscinā*, eam fuisse dicit, *ad quam & natatum, & exercitationis causa veniebat populus.*

Euthy. *Maldon.* *Salmer.* *Nehem.* *Hierony.* *Theophyl.* *Euthym.* *Euthym.* *Ariste.* *Quæ nominis piscinæ origo, & significatio.* *Festus.*

6 Hanc probaticam piscinam, scribit Euangelista, cognominatā fuisse Hebraice *Bethsaida*; ita enim emendatiores codices Romanæ editionis habent, quamuis apud græcos sit *Bethesda*. Si priorem lectionem sequamur, *Bethsaida*, ex Hebraico, & Chaldaico idiotismo, significat *domum piscationis*, & accedit ad etymologiam piscinæ, de qua diximus, cum accipiatur pro loco, in quo congregantur aquæ, vel ad alendos pisces, vel non: Chaldaica enim phrasi, *domus* pro loco accipitur, vt obseruat interpres Euthym. quemadmodum agrum appellant *domum seminis*, & stabulum *domum iumenti*. est itaque domus piscationis, locus aquosus, qualis erat locus piscinæ, in quem, ex atrio, per subterraneos cuniculos, effundebātur aquæ, quibus in templo vtebantur ad sacrificia. Si verò, cum græcis Codicibus, malimus legere *Bethesda*, duplicem huius nominis interpretatiònem inuestigat Luc. Brug. vel enim deducitur à *Beth*, quæ significat *domum*, & *esda* absque aspiratione, quod est *effusio*, & sic interpretabitur *domus effusionis*; vel à *bet*, & *besda* cum adspiratione ex lectione Syriaca, quæ significat *misericordiam*, est enim *besda*, nomen, deriuatum ab Hebræo *besed*, quod est misereri; & sic dicetur *domus misericordiæ*; vt etiam obseruauit Salmer. Vel quod ibi Deus, maximè miserationem suam ostenderet, curando in piscinā, per Angelicum ministerium commotā, infirmos; vel quod, propter multitudinem languentium, esset instar hospitalis, dareturque opportuna occasio hominibus charitatiuis, exercendi opera misericordiæ: & iuuandi infirmos. non desunt qui velint, hanc esse piscinam illam, quam Ioseph. lib. 6. de bell. Iudaic. cap. 6. stagnum Salo-

Varia lectio huius nominis Bethsaida *Euthym.* *Luc. Brug. Nominis Bethesda origo, & interpretatio.* *Salmer.* *Ioseph.*

monis

monis appellauit, quod ab eo cõstructa videretur, pro ministerio templi; vel ad excipiendas aquas, inde effluẽtes; adeo vt, propterea etiam August. initio tract. 20. in Ioan. illam, piscinam Salomonis appellauerit. Hæc habebat in circuitu, *porticus*, siue ambulacra quinque: *ne*, inquit Rupert. *multitudo languentium, ad cælestis remedij opificem piscinam excubans, tectum non haberet: longa enim erat, supernæ visitationis expectatio.* deseruiebant itaque porticus ad salubritatem, & commoditatem infirmorum.

August.

Piscinæ Euangelicæ descripti[o]. Rupert.

7 *In his iacebat magna multitudo lãguentium, cæcorum, claudorũ, aridorum, expectantium aquæ motum.* Hinc melius intelligimus vsum supra memoratarũ porticuum; nocuisset enim infirmis, prope piscinam diuinum remedium expectantibus, diù sub dio esse, & præsertim nocturno tempore; ideo, horum vtilitati consultum volentes, porticus, piscinæ circum ædificarunt. Quod autem dixit *iacebat*, de plerisque non de omnibus intelligendum est; probabile enim est eos, qui vel sedere, vel stare poterant, non iacuisse; quo paratiores essent, & ad minimum aquæ motum, in piscinam descenderent. neque mirari debemus, q non pauci ibi fuisse, sed multi memorant, *multitudo magna languentiũ*, hoc. n. humanas nobis miserias in mẽtẽ reuocat, quarũ tanta est copia, vt nõ singulares, sed, facta multitudine, plurere in humana capita videantur: nemo enim non est, qui varijs calamitatibus, & diuersis infirmitatibus, non sit subditus. & quoniam Angelica medela, quamcumque infirmitatem remouebat ab humanis corporibus, dicente Euangelista, quod *sanus fiebat vnus, à quacumque detinebatur infirmitate?* ideo non pauperes tantum, propter necessitatem, sed etiam diuites deploratæ sanitatis, illic assedisse verosimile est: quod ex eo colligitur paralytici responso, quo interrogatus à Domino, *vis sanus fieri?* respondit, *hominem non habeo*; eo se diuitibus miseriorem denotans, quo præter grauissimã, & diuturnam infirmitatẽ, etiam ijs carebat, à quibus in descensu adiuuaretur; cum contra, in illo triginta, & octo annorum spatio, multos vidisset, famulitio stipatos, propter seruorum tantummodo adiutorium, priores in piscinam descendisse. Tria tantum ægrotorũ genera enumerauit, ne alijs commemorandis esset prolixior, quæ vnico *languentium* verbo complexus fuit; *neque plures enumerat* ait Euthy. *quia per enumeratos morbos, alij quoq; significati sunt.* Vel has infirmitates recensere voluit, quæ humana arte videntur, quasi incurabiles; quæ fuit sententia Vgon. Cardin. *posuit*, inquit, *ista tria, cæcorum claudorum aridorum, quia in omnibus, nulla est cura naturalis.* De Cæcis, certum est, cum naturaliter, à priuatione ad habitum non detur regressus. Claudi ob debilitata, & luxata membra naturaliter sunt incurabiles, præsertim si inueteratus sit morbus. Aridi vero, idest mutili, aut habentes stupentia membra, medicamentis naturalibus curari nõ possunt, quando morbus callum duxit. Expectabant isti, vt Angelus, de cælo descẽdens, moueret aquam; in quo etiam, humanarum rerum anxius status repræsentatur: quippe etiam inter ægritudines, expectabundi, & incerti pendemus; & spe nitimur: in rebus vero prosperis, & dum sani sumus, infirmitatum timore angimur. Hic *motus* fuit concussarum, & collisarum aquarum strepitus, vt etiã à cæcis audiri posset.

Ad quid porticus deseruirẽt

In piscina non solum pauperes sed etiam diuites infirmi iacebant.

Cur tria tantũ morborum genera numerantur. Euthym.

Vgo.

In aquæ motus expectatione anxius hominis status figuratur.

8 *Angelus autem Domini descendebat secundum tempus, & mouebatur aqua.* Si verba hæc, iuxta græcam lectionem interpretari velimus, pro *autem*, legemus, *enim*; *Angelus enim Domini &c.* redditur hic ratio, cur multitudo illa languidorum, expectaret aquæ ab Angelo conturbatæ, & concussæ motum. Poterat Deus infinita sua virtute, etiam absque Angelorum ministerio, idem sanationis miraculum

opera-

operari; maluit tamen per ministros hoc facere, quos salutis humanæ custodes præposuit; & per quos, potenter operando, virtutem suam testatam facit; & propterea ad Ephes. 1. ℣. 21. *virtutes*, appellantur. Vel quia Angelorum proprium est homines languentes, & mæstos consolari; ideo enim in scriptura, cum primum mentio Angelorum fit, dicitur, quod ad consolandos homines venerunt; qualis fuit Angelus, de quo Genes. 16. ℣. 7. qui ad consolationem Agar apparuit illi, *iuxta fontem aquæ in solitudine, quæ est in via Sur, in deserto*; nusquam prius Angelos nominauerat scriptura, quorum postea sæpissimè meminit; vt igitur illos maximè solere afflictis consolationis opem adhibere demonstraret; cum primum illos inducit, consolationibus præesse voluit. hic etiam Angelus descendebat in piscinam, vt ex illa languentium multitudine, is, qui sanabatur, exhilaratus recederet, & reliqui, eadem spe confortati, quàm primum sanitatem se recuperaturos, confiderent. Non recipitur cōmuniter opinio eorum; qui putant Angelum, huic ministerio deputatum, fuisse eūdem Raphaelem, qui Tobiam sanauit, qui, à reddenda hominibus sanitate, *medecina Dei* interpretatur; & hunc volunt, huius piscinæ sanantis custodiæ, fuisse specialiter à Deo deputatum (quam expositionem refert Pater Fabian. Iustinian. in Tob. cap. 5. ℣. 5.) quia, cum summo Deo, Regum Regi, millia millium ministrent: nec sit verosimile, vnum tantum Angelum, Deo in vna re ministrare, ideo, non est ad vnum tantum, hoc munus exactè reducendum.

Ephes. Angelorum munus homines consolari.

Gen.

Tob.

Iustinian

9 Descendebat hic Angelus, vt videtur communis expositorum opinio esse, inuisibiliter; alioquin enim, non motum aquæ, sed aduentum Angeli, dicerentur languidi expectasse; vnum reperi Vgonem, cui visum est, hunc Angelum descendentem, videndum se se præbuisse; *descendebat*, inquit, *assumpto corpore, quo commotionem illam peragebat*. ex quibus patet, visum Vgoni, corpus necessario assumendum fuisse Angelo, per quod moueret aquam, quod minimè videtur necessarium fuisse, poterat enim immisso vento, vel per contactum virtualem applicando suam virtutem, vt fit in cælestibus corporibus, aquam illam commouere; quod, si quis instet, hunc Angeli descensum, futurum fuisse ignotum, & nemini facile persuaderi potuisse, illum fuisse Angelum: respondet Barad. ex Dei reuelatione, hoc innotuisse. Vel dicamus, quod cum Angeli, virtutes Dei, & dicantur, & sint, quæ admirabilia, & naturæ vires superantia, Deus in hoc mundo facit, ea, persuasum esse hominibus eo ipso, per Angelos fieri.

Inuisibiliter Angelus descendebat.

Vgo.

Barad.

10 Subditur, quod iste descensus Angeli, fiebat *secundum tempus*; siue statuto tempore, quando vero, vel quoties id contigerit, quia Euāgelista nō explicat certè determinari non pōt D. Cyrill. lib. 2. in Ioan. cap. 125. hoc tempus ad vnum Pentecostes diem coarctat; Salmeron ad festum Paschatis, quasi fuerit typus communis futuræ redemptionis, quam Dominus, & Saluator noster, magni consiglij Angelus, in illo eodem die erat completurus, non vnius tātum, sed omnium hominum infirmitatibus medendo. non defuerunt, qui idem miraculum, singulis Iudæorum festiuitatibus repetitum, affirmauerint, vt refert Maldon. probabilior tamen, & magis recepta est sententia Euthym. incertum fuisse hoc tempus, solique Deo cognitum; ita Maldon. Luc. Brug. Iansen. & alij. *dicens*, inquit Euthym. *statuto tempore docuit, quòd non semper fiebat miraculum; sed certis temporibus hominibus quidem incognitis, verùm frequēter, vt opinor in anno*: in quibus verbis duo dicit, & quòd tempus huius Angelici aduētus erat incertum, & quòd non semel in anno, sed sępiùs descendebat. De quo etiam repetito descen-

Cyrill. Quando & quoties Angelus descendebat. Salmer.

Maldon. Euthym. Maldon. Luc. Brug. Iansen.

su

Ambr. su dubitari solet: propter auctoritatem D. Ambros. in lib. de ijs, qui initiantur myster. affirmantis vnum tantum, quolibet anno, curatum fuisse. Euthym. & iure, vt dicit Euthymius, *non semper fiebat miraculum*, quia non diuinæ virtuti, per Angelicum ministerium, vis sanationis tributa fuisset; sed aquis; Cur turbabatur aqua. Quæ ratio fuit, cur ad maiorem miraculi, & diuini operis manifestationem, Angelus descendens, aquam mouerit, & cõturbauerit. Cæteroqui enim, tranquilla, & quiescens aqua, aptior est naturaliter sanãdis ægritudinibus. Ideo turbidà Deus, & penè cænosà vti maluit, vt non casu, aut fortuito, vel ex naturali aquæ facultate, sed ex sua diuina, infinita benignitate, & dispensatione, etiam præter naturæ ordinem, aquæ vim sanatiuam inesse, intelligerent, qui sanabantur; & Deo, pro accepto benefitio, gratias haberent, & agerent. Additur in textu Latino vox illa *Domini*, quæ neque in Græco habetur, nec Syriaco: quam volunt Ians. & Luc. Brug. appositam, Iansen. Luc. Brug. ad exprimendum, hunc fuisse Angelum bonum, cum, neque diuinæ maiestati conueniat, per malos Angelos beneficia conferre hominibus; neque eorundem malorum spirituum natura ferat, vt in aliquo, ad exhibendum hominibus subsidium, Deo inseruiãt: quin potius hominis perniciẽ, & ruinam; non solum æternam, sed etiam temporalem machinantur.

11 *Et qui prior descendisset in piscinam, post commotionem aquæ, sanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate.* Vnde aqua piscinæ virtutem haberet. Vnde habuerit hæc piscinæ aqua commota, hanc virtutem sanandi, varijs modis explicatur à Patribus. Quamuis enim visum sit plerisq; quod eiusmodi virtus inesset aquis istis, propter sacrosanctum, Venerabilis Dominicæ Crucis, lignum, quod sub ijs latebat; qua de re, longam narrationem habet Vgo Cardin. ad hunc Vgo. Ioan. locum, desumptam ex Magistro Histor. Euangelicæ cap. 81. iam inde à Salomone, & templi ædificatione huius ligni memoriam repetentis. alij tamen, alias rationabiliores caussas adduxerunt, puta, inditam fuisse aquis hanc virtutem, propter sanguinem victimarum in ijs ablutarum, vt visus est tenere Euthym. sed vtrosque reijcit Euthym. Iansen. Iãsen. quia, si vis ista sanatiua, ex ligno Crucis, vel victimarum sanguine manasset; non *secundũ tẽpus*, vt specialiter dicit Euãgelista, sed sẽper sanauissent aquæ, vt adnotat etiam Chrysost. *Huius aquæ natura*, inquit, *per se non sanabat, sed dumtaxat cũ ab Angelo mouebatur*. Chrysost. Nec defuerũt, qui locũ hunc piscinæ, teste Adrecomio (quẽ adducit Barad) illum eundem fuisse, in quo Adrecom. Barad. olim, tempore captiuitatis Babylonicæ, sacer ignis, per multos annos delituit; quem, cum requireret illuc reuersus Nehemias, nõ ignem, sed aquã crassam reperit; vt fusius narratur lib. 2. Machab. cap. 1. sed probabilior, & Machab. receptior opinio est, hanc sanationem, diuinæ virtuti tribuendam esse: Deus enim per Angelum, tanquam per ministrum suum, aquæ commotæ eam vim tribuebat, vt quamcunque infirmitatem sanare posset; ita Tolet. annot. 4. in cap. 5. Ioan. ex Chrysost. homil. 35. Salmer. tract. 18 tom. 6. Ange- Tolet. Chrysost. Salmer. lus enim Domini, descendens, aquæ commotæ imprimebat virtutem sanandi; non quod motus ille sanitatẽ operaretur; sed erat quoddam signum descendentis Angeli, & virtutis, in aquis iam existentis ad sanandum, vt dicit Cyrill. lib. 2. In Ioan. cap. 125. De tem- Cyrill. pore etiam, quo per Angelicum ministerium istud miraculum fieri cæperit, Quo tempore hoc miraculũ cæperit. incerti sumus; cum nulla huius Euangelicæ narrationis, alibi in Scriptura occurrat mentio. Ideo relinquitur cõiecturis locus. Existimat Luc. Brug. cir- Luc. Brug. ca aduentum Christi cæpisse, & Euangelio sufficienter promulgato, vna cum legis sacrificijs, desijsse; qua de re, audiendum est Tertull. testimonium, Tertull. lib. aduersus Iudæos cap. 13. *Hoc miraculum*, inquit, *post Christi mortem*

fieri

fieri desijt: qua causa est, cur Iosephus eius mentionem nullam fecerit, si enim eius ætate miraculum ederetur, de illo scripsisset: respondet his verbis Tertul. obstinatæ eorum pertinaciæ, qui huic Euangelicæ narrationi, non adhibent fidem, quia nusquam alibi, huius virtutis sanatiuæ, neque in sacra, neque in prophana historia fiat mentio, & præsertim à Iosepho: ratio est, quia paucis annis durauit; neque fortasse à vero abest, tunc desijsse fieri hoc miraculum, cum in pænam, illatæ Saluatori necis, omni cælesti, & Angelico præsidio, quo, ad illud vsque tempus, protecti fuerant, destituti fuerunt; in cuius derelictionis signum, auditæ fuerunt cælestium virtutum voces, clamátiũ in templo, *Migremus hinc*, vt ipsemet Ioseph. refert excid. Ierosoly. lib. 7. cap. 12.

In pœnã illatæ Christo mortis hoc miraculũ operari desijt

Ioseph.

12 Quod autem primus sanababatur, *qui prior descendisset sanus fiebat*, auget fiduciam eorum, qui omnem industriam suam, in suscipiendis diuinis beneficijs collocant, neque sunt, erga munificentissimum Dominum, segnes; sed diuinas eius vocationes cito audiunt, & suis omnibus viribus diuinæ gratiæ correspódent; iuxta vetus illud prouerbium *cum Minerua, & manum moue*, istis deinde, Deus beneficia cumulatiora confert; cum contra inertes, & diuinum talentum sub terra defodientes, alijs fructibus priuet. Ex verbis illis, *à quacunque detinebatur infirmitate*, miraculi magnitudo, & diuinæ operatricis virtutis potentia colligitur; si enim naturaliter illa aqua sanauisset, nequaquam, omnibus æquè languoribus tollendis, satis esse potuisset: nullum enim medicamentum, aut naturale, aut artificiale inuenitur, quod omnibus infirmitatibus medeatur; quin pharmaca, vt plurimũ, cum noxium aliquem humorem expellunt, eius contrarium irritant; quæ enim frigidarum ægritudinum causas remouent, calidas excitant; quæ iuuant hepar, lædunt stomachum, & sic de alijs quibuscunque; sed aqua huius admirabilis piscinæ, diuina virtute imbuta, æquè omnibus ægritudinibus medebatur; propter vim, à summo Medico insitam, cui vniuersa natura subiecta est, & famulatur.

Omnia morborũ genera vno eodẽque pharmaco mederi, naturæ vires nequiunt.

13 Erat *autem quidam homo ibi triginta, & octo annos habens in infirmitate sua.* Hactenus, ad intelligẽtiam dicendorum, tempus, & locum descripsit, in quibus Iesus, subsequens miraculum operatus est; ex quibus, patet nobis primum miraculũ, quod Deus quotannis, & sæpius etiam in anno, ad probaticam piscinam faciebat. accedit iam ad alterius miraculi, quod Saluator edidit, historiam; languidum, qui sanandus erat, circumscribens. *erat*, ait, *quidam homo ibi*, pauperes, & miseri, apud homines, ignoti sunt, ideò, ne nomen quidem, destituti huius humana ope languidi, espressit Euangelista: *quidã homo* ait, adeo ignotus erat, vt ne de nomine quidem eius liqueret. *non ponit nomen eius*, inquit Vgo Cardin. *vt innueret humilitatem eius, & paupertatem*. Sed in eiusmodi homines, quos cæteri prætermittunt, & tamquam ignotos spernunt, misericordiæ suæ lumina conuertit Deus, nã de isto, qui ignotus erat hominibus, subditur, *hunc cum vidisset Iesus. solet enim Deus*, ait Luc. Brug. *ijs maxime auxilium ferre qui humano auxilio sũt destituti*; & concorditer Iansen. *ostendit*, inquit, *se magis eorum curam habere, quos hominum inhumanitas negligit.* èeontra diuites, qui in hoc mundo innotescunt, præterit, & dimittit inanes; & merito ignoti sunt Deo ij, qui in eius libro, cum iustis non scribuntur, sed delentur de libro viuentium. Ex eo autem, quod *triginta, & octo Annos* in infirmitate perdurans, de consequenda tamen sanitate non desperauit, & deplorato illo morbo tamdiù vexatus, adhuc tamen viuaci spe, ad valetudinem aspirauit, admirationem patientiæ, & constantiæ suæ excitat in ijs, qui hanc historiam consi-

Pauperũ vix cognita nomina

Vgo.

Hominib. incogniti Deo notissimi.

Luc. Brug

Iansen.

Admirabilis Euãgelici languidi constantia.

Theophyl.

derant, quam animi, pene inuicti, tolerantiam, his verbis celebrat Theophyl. *stupenda paralytici constantia, annos habebat triginta octo, & quotannis liberari à malo expectans, assidebat, & impediebatur, à potentioribus prauentus; nec tamen destitit: neque desperauit.* sunt qui hoc, paralysis proprium esse dicant; paralytici enim, quoniam, vt plurimum sunt melancholici, sunt etiam, in infirmitatum tolerantia, alijs longè patientiores, ob terream qualitatem resistentem, quæ in illis prædominatur. Quamuis autem, hunc languidi istius morbum, communi nomine ἀσθένειαν, idest, infirmitatem, appellet Euangelista, hoc tamen fecit, vt ab effectu exprimeret, illum membrorum debilitate, & inualiditate, adeo laborasse, vt consistere per se non posset; neque tamen improbabile visum est aliquibus, hunc cæcum fuisse, vt refert Maldon. adeo vt, propterea non potuerit, per tot annos, in commotam aquam ingredi, quia nō poterat aquā videre, cū incipiebat moueri, sed motum, ex rumore tantū percipiebat; esto hoc possit esse verum; consentiunt tñ oēs sancti Patres, præcipuū lāguorem istius, fuisse paralysim, ita Chrysost. Euthym. Theophyl. Irenæ. lib. 2. cap. 41. Ambr. 4. de fid. Hilar. & alij, quod crediderim, verosimile visum fuisse patribus, ex grabato, de quo paulo post fit mentio, in istiusmodi enim lectis, qui huius morbi genere laborant, solent per Vrbes circumferri, ad stipem ostiatim petendā. Ne tamen quis erret, existimans hunc paralyticū, eundem fuisse cum eo, cuius sanatio narratur Matth. 9. ideo ex loci, personarum, & aliarum rerum circunstantijs, hoc discrimen ostendit Chrysost. neq; illa omittenda sunt, ad percipiendam miraculi magnitudinem; diuturnitas nimirum morbi, quæ illum reddit insanabilem, & summa paupertas, atque imbecillitas infirmi, qui ne hominem quidem habebat, cuius auxilio, tempestiuè descenderet in piscinam; in quam festinato, & maturè venire non poterat. verba illa *habens in infirmitate* significant: detentus, aggrauatus, à sua infirmitate.

Quis huius langui di morbus fuerit.

Maldon.

Chrysost. Euthym. Theoph. Irenæ. Ambr. Hilar. Matth. Chrysost.

14 *Hunc cum vidisset Iesus iacentem, & cognouisset, quia multum iam tempus haberet.* Viderat certè illum iam pridem, diuinitatis oculis, quibus omnia nuda, & aperta sunt. sed loquitur hic Euangelista de Christo homine, & significat, quod corporalibus oculis in hunc languidum respexerit, & eius miseriarum commiseratione, commotus fuerit. *Hunc cum vidisset*; ea his verbis videtur vis inesse, quasi casu in hunc oculos conuertisset; ita enim in plerisque actionibus se gerebat, vt, quæ diuino consilio multo pridem agēda esse decreuerat, & sciebat; ea, quasi inopinato, & improuisè aggrederetur. Vel *vidit*, idest, nemine indicante, ipsemet Dominus in illum conuersus est; qui enim propter paupertatem, non habebat à quo adiuuaretur; neque aliquem habere potuit, qui medicum accerseret. In sequentibus autem verbis, cum subditur; *& cognouisset, quia multum iam tempus haberet*, particula *&* videtur esse redditiua rationis; causam enim hic indicat Euangelista, quamobrem hunc, ex tota illa languentium multitudine, sanandum elegerit; cognouit nimirum, quia multum tempus ibi habuerat Sanct. Thom. in Caten. *triginta & octo annos habens*, inquit, *per vnumquemque annum, eripi ab ægritudine expectans, assidebat, & nō desistebat, vt cognoscamus, propter quam causam, dimittens alios, ad hunc venit.* Ita enim fore vidit, vt ex deplorata sanitate, & morbo immedicabili conualescens, firmius esset argumentum diuinæ suæ potestatis. Vel, ideo sanauit, quoniam cognouit, quod multum tempus habebat, vt diuinam misericordiam, etiam si lento gradu incedat, in tempore tamen aduenire, ad consolationem afflictorum ostenderet. Euthym. *eum, qui multo tempore, assiduus fuerat, &*

Quæ inopinatio videbatur aggredi, æterno cō silio Domino disposuerat.

Nemine indicante ad pauperem Iesus conuertitur, & festinat.

D. Thom. quare alijs prætermissis ad hūc Dominus accedit.

Euthym.

toleran

tolerantissimus, cæteris præponit; tum, quod miseratione dignior erat: tum etiã docens, quod inter eos, qui superno egẽt medicamine, Deum magis flectunt, qui sunt constantissimi, potest etiam tertia addi ratio, quia scilicet, hominem non habebat, ideo meruit cælestis præsidij obtinere remedium; ita enim magis diuina prouidentia clarescit, quando eos amplectitur, quos homines derelinquunt. Idem expertus fuerat, qui dicebat Psal. 26. ℣. 10. *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me*. sed vnde cognouit, quia multum ibi tempus habebat? non desunt signa diuturnæ infirmitatis, macies in corpore, & squallor, languidus, & subtristis aspectus, nimius in ore pallor, & concaui oculi, & cætera, ex medicis petenda. potuit etiam, externis indicijs hoc cognoscere, puta, ex grabati, iam putrescentis, cariosis lignis; ex defluentium vestium vetustate, & eiusmodi alijs.

...os, qui ...ominem ...o se non ...bet, di...na exci...t mi se...tio. ...salm.

15 *Dicit ei vis sanus fieri?* superuacua, & intẽpestiua videri posset hæc interrogatio, nisi à superna Dei prouidentia facta fuisset; quod, ipsius sensum perscrutantibus, manifestissime apparet. quamquam enim certissimum sit, quod languidus nihil magis expetebat, quam sanitatẽ; pro qua, assiduus in piscina, & patiens, commorabatur; adeo vt, irridentis potius, quam commiserentis verba, hæc esse videantur, *vis sanus fieri?* Tamen, voluit his verbis Saluator, iam certus, quid esset facturus, languidi patientiam tentare; & periculum facere, nũ intempestiuam, & derisoriam hanc interrogationem, impatienter ferret, an vero, humiliter miseriam suam exponens, digniorem se, ad diuinum beneficium redderet. describens enim miserrimum morbi sui statum, & simul descẽdens in considerationem debilitatis, & inopiæ, humiliatus est, & mansuetè respondit; quod sũmæ patientiæ videtur tribuere, etiam S. Thom. in Caten. *non turbatus est*, inquit, *ad interrogationem, neq; dixit, iniuriari mihi venisti? quoniam interrogas si volo sanus fieri; sed mansuetè respondet.* certo sciebat Saluator, nihil illum malle, quam sanari, sed, vt disponeretur ad recipiendam sanitatẽ, facta sanitatis mentione, & maius in eo curationis desiderium accendere, & experiri patientiam voluit; idem exponendi modus placuit Iansen. Cyrillus autem iudicat, quod paulatim his verbis, aliquam in eo, si non fidem, saltem fiduciam, excitare voluerit, vt ad susceptionem gratiæ, per eam præpararetur; dum enim petit, nũ velit sanus fieri, occultè insinuat, se, quod interrogat, facere posse, aut velle. *interrogatio eiusmodi*, ait Cyrill. *ad illud occultius intelligendum, reducebat; quod ipse, facile id præstare posset*. neque enim poterat hunc languidum, statim ad fidem diuinitatis suæ inducere, quia non erat illi notus, neque illum amplius viderat, & propterea, non exigit ab eo statim fidem, sed tantummodo voluntatem, & dispositionem: Maldon. *non exigit*, inquit, *ab eo fidẽ, exigit voluntatem; quia fidem habere non poterat, voluntatem habere poterat*; cur autem fidem habere non posset, explicauit Euthym. *non dixit*, ait, *vis, vt te curem; quia is, qui morbo tenebatur, nequaquam ipsum cognoscebat; ideo etiam, nec fidem ab eo requisiuit.* Non exigit à nobis Deus, nisi id, quod possumus. Quod si, absque vlla præuia interrogatione, ipsum sanasset, non ita facile illum, languidus sanatus, paulo post, in templo cognouisset: sed in interrogantis, & quasi tacitè, vel morbum exprobrantis, vel sanitatem promittentis faciem intuitus: facilius postea, potuit auctorem sanitatis suæ cognoscere, eiusque effigiei meminisse. Addit Salmer. aliam rationem, cur interrogandus fuerit, *vis sanus fieri?* Humana enim malitia, eo vsque progressa est, vt multi, quo segnius vitam degant, & otiosè viuant; malint languorem, & debilitatem corporis, vel pati, vel mentiri, quam recuperata va-

...ur à Do...ino infir...us inter...gatur?

...atientiã ...orum ...tat Deus

D. Thom.

Iansen. Cyrill.

Cyrill.

Maldon.

Euthym.

Deus quæ nobis impossibilia sunt non requirit.

Salmer.

Frequens ignauorū vitium.

letudine, laboribus vitam sustentare: nec desunt plerique, qui apparentes quasdam in corpore infirmitates, data opera prouocent; quo, collectis ostiatim eleemosynis, absque labore viuere possint: colligitur hoc, ex narratis à Ser. Sulpitio, in vita Sancti Martini, cuius solo occursu, cum multi sanarentur, eiusmodi ignauissimi homines, cum illum eminus videbant, arrepta fuga, illius occursum declinabant; ab istis certè, si quis eos curare voluisset, oportuisset prius quærere, *vis sanus fieri?* Sed in verbis Saluatoris, Nota illius modestiam, & lenitatem; petit an velit sanus fieri; non, an velit vt illum sanum faciat: ne arrogantiam, & temeritatem ostentaret; ideo Euthym. ait: *non dixit; vis vt te curem: quia erat ab arrogantia alienus*; imo lenis, & modestus.

Sulp.

Magna Saluatoris modestia.

Euthym.

16 *Respondit ei languidus, Domine, hominem non habeo, qui, cum mota fuerit aqua, mittat me in piscinam.* Id, quod summopere desiderant homines, in eo, omnes suas cogitationes defixas habent, illud animo assiduò versant. hic igitur languidus, cum in piscinæ porticibus, multis annis perseuerasset, tantummodo, vt semel mota aquà, posset alijs maturius ingredi in piscinam; etiam si Christus, sua interrogatione, illi obscurè sanitatem obtulisset, tamen, inhærens suæ imaginationi, & eidem applicando verba Saluatoris; putauit, per illa verba, *vis sanus fieri*, oblatam sibi a Christo operam suam, ad descensum in piscinam; ad quod pietatis, & misericordiæ opus, vt illum magis commoueret, inopiam suam manifestando respondit, *hominem non habeo.* exaggerat his miseriam suam, qui in summo, & longo morbo, etiam humano omni subsidio destituebatur. *Aeger iste*, ait Cyrill. *tam dolores suos, quam solitudinem deflebat, dicens, hominem non habeo.* quoniam enim magnum est solatium miseris, aliquem, qui illis compatiatur, habere, ideo, ad defectum compatientis, augetur dolor languentis; ideo paralyticus, excitatus ad spem sanitatis recuperandæ, existimabat Christum, præsto illi fore in descensu Angeli, sic D. Chrysost. *videbatur*, ait, *ei fortassè, ita Christus interrogare, vt ipsum in piscinam mitteret: hac gratia, sibi eum, misericordia conciliare vult.* hunc etiã sensum secutus est Euthym. addens præterea, quod languidus dixit, *hominem non habeo*, vt segnitiei, & torpedinis suspicionem omnem, à se amoliretur. videdebatur enim Christus interrogasse, an vellet sanus fieri, quasi, tam longo tempore ibi infirmus permansisset, non ex defectu auxilij, sed ob suam pigritiam. Euthym. *suspicabatur*, inquit, *quod hoc propterea ipsum interrogaret, vt argueret, quod præ segnitie, frustraretur sanitate:* Hanc negligentiæ suspicionem, ita à se remouet hac responsione, vt ostendat, non suæ voluntati, & curæ, sed auxiliatis manus defectui tribuendum esse, quod, tamdiù frustra expectans, non sanus fieret: ita respondet, quasi Christus ab eo causam quæsiuisset, cur non fieret sanus; cui petitioni satisfaciens, quoniã, ait, videris causam quærere, quamobbrem sanus non fiam, scito, hoc inde fieri, quia *hominem non habeo.* in quo, modestiam eius summopere commendat Chrysost. hom. 36. *vides*, ait, *humilitatem, nõ maledixit, vt nonnullos audimus, non execratus est diem suum; non se irrideri arbitratus est, rogatus, an vellet sanus fieri* Ex hac eadem responsione, *hominem non habeo*, colligitur, hunc languidum, ad piscinam iacentem, non fuisse eundem cum eo, cuius curatio, à Christo Saluatore facta narratur Matth. 9. vt aliqui temere suspicati sunt, ille enim plures habebat, à quibus summo studio, & cura tractabatur, hic, omni auxilio destitutus, triginta octo annos iacuerat.

Augetur miseria, quæ non habet adiutorem.

Cyrill.

Chrysost.

Euthym.

Desidiæ vitiũ huic infirmo maxime innisum.

Chrysost.

Matth.

17 Considerãdum autem, quod Saluatorem, *Dominum*, appellauit, etiam si illum non cognosceret, cum infra dicatur; *is autem qui sanus factus*

fuerat

fuerat, nesciebat, quis esset &c. proprium hoc est miserorum, & præsertim diuturno morbo afflictorum, omni honoris, & obsequij genere; illos prosequi, à quibus aliquod præsidij necessitatibus suis sperant, quorum gratiam, lenibus, & honorificis verbis, demereri student; ita iste, vt etiam visum fuit Cyrillo, Christum appellauit *Dominum*, non quod illum adhuc, tamquam Deum veneratus fuerit: sed, quo eum, blandis verbis alliceret, ad ferendum sibi auxilium. Vel ex ipsa sanitatis oblatæ commemoratione, aliquid, in Christo domino, suspiciendum esse, animaduertit: & licet apertè non dixerit *volo*, implicitè tamen, ex hac illius responsione, ardens in eo voluntas, & desiderium sanitatis colligitur. ex frustratione enim toties repetita, & quia hominem se non habere professus est, tantundem in se abundare voluntatem significauit, quãtum deficiebat facultas, & auxilium opportunum. nam quia interrogatio illa, *vis sanus fieri?* significare videbatur; *cur tanto tempore distulisti sanari?* ideo respondet languidus, ex miseria, & sũma paupertate sua hoc fieri; & dum dixit, *hominem non habeo*, tacitè etiam auxilium petijt; qđ, benigna sua interrogatione, visus fuerat obtulisse Iesus.

Cyrill.

Tacitè languidus oblatam gratiam acceptat.

18 *Dicit ei Iesus, surge, tolle grabatum tuum, & ambula.* In miraculis suis, ante omnia, Saluator studebat, vt innotescerent, vt magis appareret magnitudo operis, & diuinæ suæ virtutis. ideo hunc, tot annorum spatio cognitum, sanare voluit: vt, qui postmodum illum sanum vidisset, certo sciret, non humanis remedijs, sed diuina ope, restitutum fuisse sanitati; vt enim diuinitatem suam assereret, ab hac, non à phantastica aliqua illusione prodire, opera sua ostendebat; & ideo hunc lãguidum imperio tantum sanauit. medici, herbis, & pharmacis curant, non præcipiendo, sed medendo; viri sancti orando, &, suis apud Deum precibus, intercedendo; sed Deus omnium Dominus, solo iussu languorem repellit: *solius Dei proprium est*, ait Cyrill. Alexand. *vt sic imperare possit; non enim orat, vt homo curetur: ne de prophetarum numero aliquis videatur; sed vt virtutum omnium dominus, fieri quod vult imperat.* sed quæret aliquis; nonne satis erat dicere iacenti, *surge*? vel languido, *tolle grabatum*? vel paralytico, *ambula*? cur ergo, tria præcipit *surge, tolle grabatum tuum, & ambula*? Nisi Dominus sanans paralyticum iussisset, vt lectum secum portaret, languidus fortasse, veritus legis præceptum, non confirmasset coram alijs, miraculi sui magnitudinem, sustollendo grabatum. Quoniam enim lex præcipiebat, sabbato quiescẽdum ab operibus, & prælertim ab oneribus ferendis, ideo ille, legis rigorem attendens, grabatum tollere veritus fuisset; & magna illa Iudæorum multitudo, qui ad solemne festum conuenerant, miraculum ignorasset; hinc non solum languidum iussit dominus surgere, sed ad rei manifestationem tollere grabatũ, & ambulare. sed nullum enim his verbis, redundare intelligemus, si singula ponderauerimus; dum enim dixit *surge*, hoc præceptiuo verbo sanitatem restituit; de cuius recuperatione, vt certus esset, in experimẽtum restitutæ valetudinis, addidit, *tolle grabatum*; quo facto, non simplicis sanitatis, sed etiam validæ, & robustæ specimen ederet. tertio vero, vt alijs etiam innotesceret miraculi veritas, iussit illum ambulare. accesserat enim Iesus ad iacentis lectulum solus, ideo vt etiam circumstantium Iudæorum animi, ad fidem excitarentur, & ad reddendas Deo, bonorum omnium vberi datori grates, iussit illum, per mediam turbam, sublato grabato ambulare. ita sentiunt Euthym. & Theophyl. in hoc Euangel. & idem considerauit S. Thom. in Caten. ex Chrysost. est autem *grabatus*, quem hic languidus tollere iubetur, ex veteribus Latinis scriptoribus, vilioris lecti genus

Propriũ Dei solo iussu mederi.

Cyrill.

Non frustra Dominus tria præcipit paralytico.

Euthym. Theophy. S. Thom.

nus, vtpotè, in quo meridiari solebāt, ita vsurpauit hanc vocem. Catull.

Catull.

At mihi nullus erat, neque hic, neq; illic,
Fractum, qui veteris pedem grabati
In collo sibi collocare posset.

Martial.

Quod autem vilium, & pauperum hominum fuerint grabati, colligo ex Martiali, qui, in explicandis, mendici hominis semifractis sarcinulis, ita lusit. *Ibat tripes grabatus, & bipes mensa.* propter eandem vilitatem, extensa fuit hæc eadem vox, ad exprimendas lecticas quasdam, idoneas ad circumferendos impositos ægrotos, Virgil. in Moret.

Virg.

Membra leuat sensim vili demissa grabato.

in quo sensu etiam hic accipi debet, languidus enim iste Euangelicus, in simili grabato ob nimiam suam paupertatē, & assiduum dolorem iacebat.

19 *Et statim sanus factus est homo ille, & ambulabat.* Non per interualla temporis, sed *statim*, continuo sanatus est; quod apposuit Euangelista, vt modus operandi, quo Christus Dominus sanauerat, à curationibus medicorum distingueretur; qui prius, exhibitis pharmacis, purgare solent corpus, sanguinem educere, & paulatim, per media naturalia, sanitatem restituere. Sed diuina Saluatoris virtus, quolibet medicamento efficacior, verbi tantum remedio sanabat. conuenit enim infinitæ Dei virtuti in momento agere Beda in Caten. D. Thom. *multū, ait, inter sanationem domini, & quæ à medicis infertur, distare probatur; hæc, videlicet, voce iubentis, & mox impletur; illa vero, per multa temporis spatia, aliquoties perficitur,* & benè addidit *aliquoties*, contingit enim sæpius, vt omnia medicorum studia, & labores, nullam languidis vtilitatem afferant: ideo medicorum princeps dicebat: *Ars longa, vita breuis; experimentum difficile*; sed Christi Domini sola voluntas satis est, ad quosuis, etiam insanabiles morbos tollendos,

Diuina virtus celeriter, & instantaneè operatur. Beda.

Hypocr.

cum eius nutui omnia obediant. sicuti enim in Christo duplex erat natura, diuina, & humana, ita illius verba, & Dei erant, & hominis; quatenus homo, verbis vtebatur, ad exprimendas interiores animi conceptiones; sed quatenus loquebatur vt verus Deus; cuius dicere est operari; quia *ipse dixit & facta sunt &c.* ita, solis verbis efficiebat, quicquid volebat: ideo, ex quo dixit paralytico *surge*, non solum, vt homo, aperuit voluntatem suam, restituendi languido sanitatem, sed etiā, vt Deus, ea, quæ dixerāt, mirabiliter adimpleuit, & operatus est; idem obseruat, & explicat fusius Tolet. in cap. 5. Ioann. annot. 6. non solum itaque vt homo, iussit paralyticum surgere, sed tamquam Deus, dedit eidem surgendi facultatem; & ideo doctè Augustin. *non enim*, inquit, *operis imperium fuit; sed operatio sanitatis.* ideo *statim sanus factus est homo ille*, in eodē prorsus temporis momento restitutus sanati. Consulto autem Euangelista addidit, *& ambulabat* ad exaggerandam quippe diuini operis magnitudinem, & benè adnotat Maldon. euentum omnibus Saluatoris miraculis, semper respondisse, &, eam vbiq; fuisse Christi præcipientis verborum efficaciam, vt statim ita omnia euenirēt, & fierēt, sicuti ipse præceperat fieri, & ideo, etiam si satis fuisset dicere, quod languidus sanus factus fuerat, tamen, quia præter restitutam illi sanitatem, Christus iusserat, vt sublato in humeros grabato, ambularet, ne hoc Christi verbum, frustra prolatum fuisse, videretur, præter testimonium recuperatæ sanitatis, addit Euangelista, quod sanus, *ambulabat*; in hoc etiam diuinum Christi præceptum adimplens.

Diuinæ virtutis infallibilis est effectus.

Tolet.

S. Aug.

Maldon.

Nihil à diuina voluntate, et imperio excidere potest.

20 *Erat autem sabbatum in die illo.* Hic incipit Euangelista narrare, quam occasionem inuenerint Iudæi, Christo Domino infensi, vt grauem contra illum calumniam suscitarent. Inter bonos, & malos, Deum, & Diabolum, præter alia quamplurima: hoc

Quæ causa Iudæis dominum calumniādi.

etiam

etiam discriminis intercedit, quod Deus etiam ex malis, eruit bonum; sed diabolus à conuerso, etiam ex bonis, malorum occasionem arripit. Ita enim ex hoc miraculo, & infirmitate, Christus fidem infirmi sanati requirebat, & conuersionem Iudæorum; sicut diabolus, Deo repugnans, ex bono sanitatis, malum machinari incipit, & insidias Christo struere, eiusque diuinæ potestatis fidem, apud Hebræos, minuere, & eleuare. Cęterum, aliter accidit, nam dum languidus, ab imminenti sibi pœna timens, purgare factum suum conatur; & miraculum Christi clarius innotuit, & Saluatoris virtus, atque inocentia magis apparuit. quod si, præter diem sabbati, visus fuisset aliquis, grabatum ferens, nemo hoc calumniari ausus fuisset; sed iste languidus, in ipso celeberrimæ festiuitatis die, grabatum portans, accusatus ob legis transgressionem, miraculum magis propalauit. Obserua autem, quam sagax sit, in comminiscendis calumnijs, humana malitia; factum ipsum restitutæ sanitatis damnare non poterant, ideo modum ipsius accusant; & dissimulantes miraculum, ea, quæ ad miraculi confirmationem præscripta fuerant, vellicabāt; quod considerans etiam D. Augustin. tract. 17. in Ioan. *nō vtique*, ait, *illi iam obijciunt, quod die sabbati sanatus esset homo; sed quod portaret grabatū suum; si sanitas nō erat differenda, numquid & opus fuerat imperandum?* hoc ex mente Iudæorum dicit Augustin. qui miraculum prætereuntes, ex quo glorificari potuisset Iesus, asportationem oneris, capta ex die sabbati occasione, subdole incusabant.

Quam in calumniā do agax humana mens.

S. Aug.

21 *Dicebant ergo Iudæi illi, qui sanatus fuerat, sabbatum est, non licet tibi, tollere grabatum tuum.* Sabbatum quietem significat, & colebatur apud Hebræos ex Domini præcepto, in honorem quietis illius, qua Deus, die septimo, requieuit ab omni opere, quod patrarat; falso enim Plutarch. in sympos iac. notionē huius vocis, à græco verbo σαββάτω quod tripudijs, & choreis vacare significat, deducendam esse voluit; cum potius diuinis laudibus celebrandis, & maximis omnipotentis Dei operibus extollendis, oporteat operam dare. huius diei sanctificationem, non solū inter decalogi præcepta præscripsit Deus Exod. 20. ℣ 8. *memēto, vt diem, sabbati sanctifices*, abstinendo scilicet, ab operibus seruilibus; sed etiam per Prophetas, eius cultum illi populo cōmendauerat; vt in eo, cum ab alijs operibus; tum præsertim à portandis oneribus, abstinerent edicens, præsertim Ierem. cap. 17. ℣. 21. *Nolite portare pendera in die sabbati.* Tot igitur nominibus celebre festum, negligenter præuaricando, prophanare, videbatur Hebræis res flagitiosa; ideo languido obijciunt; *non licet tibi tollere grabatum tuum*; nō licet, reclamantibus Dei præceptis, & Prophetarum monitis. Hoc autem, non ex vera, sed simulata pietate dicebant, nec tam ipsos sabbati violatio sollicitabat, quam increbrescens, & aucta Christi fama vexabat. prætendebant igitur, malignitati suæ legis transgressionē. Legis enim apparenti tm̄, obseruationi intenti, nolebāt licere sabbato onera portare, & ipsi aggrauabant conscientias suas, calumniæ, & inuidiæ pondere. & cum lex magis velit sanctificari sabbatum, per abstinentiam à delictis; quæ sunt vere seruilia opera, iuxta illud Ioann. 8. ℣. 34. *qui facit peccatum, seruus est peccati:* ipsi contra perfidia sua, sabbati honorem, quem tueri se simulāt turpe fœdabant.

Plutarc.

Exod.

Irem.

Iudæorū simulata pietas.

Quæ pondera præcipuè, sabbato circumferri prohiberentur.

Ioan.

22 Quod si quis quærat, Cur Saluator noster, qui dicebat Matth. 5. ℣. 17. *non veni soluere legem aut Prophetas, sed adimplere*; id, quod in lege, & Prophetis expressè prohibebatur iusserit; respondere possumus, per hanc Saluatoris iussionem, non fractā fuisse legē: volebat. n. Deus, vt Sabbato quiescerent, & diuina erga se beneficia, in memoriam reuocarent, eaque

Matth.

Domini Iussione implebatur non soluebatur diuina lex

animo secum volutarent; magis igitur illos ad hoc excitabat, ingenti hoc, sanitatis restitutæ, fauore; ex quo, singularem Dei erga homines prouidentiam poterant conijcere: indicauit hoc Beda dicens. *Dominus enim, qui optimè nouerat, sabbatum queti destinatum fuisse, ad diuina beneficia meditanda; sciebat etiam, non frangi illius obseruationem, si ea fierent; quæ publicè testarentur gratiam, diuina largitate acceptam; quis de sabbato melius, quam tanta diuinitatis potentia nosset?* Vel hoc iussit Christus, vt iam assuescerent Iudæi Euangelio, intelligerentq; aduentum Messiæ, qui legis iam inania præcepta, in Euangelica venerat mutare documenta; vt indicaret, sabbatum magis sanctificari, & gratius Deo esse transactum per bona opera, quam per abstinentiam à seruilibus, ideo sæpius sabbato curauit infirmos, præcipiens etiam, vt onera portarẽt. Theodhylac. hoc indicans, *in sabbato*, inquit, *sanat, docens hominem, intelligere sabbati obseruationem; & non putare soli sabbatum ocio corporali, sed malorum abstinentia; nam benefacere alicui, Dei lex non prohibet, quæ lex Dei est benefacientis.* & hinc fortasse factum fuit, q; cum Dominum ipsum immediatè calumniari non possent, (seù, ne magis dilataretur miraculi fama, nollent) contra eum inuehebantur, qui, eo iubente, legem transgressus videbatur; sperantes fore, vt sic, calumnia in ipsum iubentem recideret; fieretq; dominus apud populum, non pius, pro restituta sanitate, sed nocens, pro intempestiuo iussu. S. Chrysost. de languido loquens, hoc attigit: *sciebat*, inquit, *non ita esse morsos ex sabbati solutione, sicuti ex infirmitatis sanatione*. gloria, & laus, quam Christus per miracula consequebatur apud plebem, Scribas, & Pharisæos summopere angebat. nõ audebant autem ipsum dominum apertè criminari, quia sciebant, quod, inter cætera legis mandata, illud etiam continebatur, vt, si quis vidisset Asinum proximi in foueam prolapsum, posset illum in die sabbati releuare; quod, si per legem licet iumentis, multo magis, laborantibus hominibus licebit ferre suppetias. D. Augustin. tract. 17. in Ioann. in Caten. *non calumniabantur dominum, quia sanum fecerat sabbato; quia eis respondere posset, quia si cuiusquam iumentum in puteum cecidisset, vtiq; in die sabbati erueret illud, & saluaret.* Hæc ille ad hoc propositum.

Beda. — *Cur sabbato sæpius Dominus curauerit infirmos.* — *Theophy.* — *Magis angebantur Scribæ manifestatione miraculi, quam sabbati transgressione.* — *Chrysost.* — *August.*

23 *Respondit eis: qui me sanũ fecit, ille mihi dixit, tolle grabatum tuũ, & ambula.* His verbis languidus, appositè, calumniantium erga se, criminationem refellit; & simul obedientiã suam, & gratitudinem erga curatorem ostendit: primo reijcit accusationem de transgressione legis; prætendens enim sanantis auctoritatem, satis se rationabilem causam habuisse significat, portandi onus illud, etiam in sabbato; neque sufficere Pharisæorum accusationes contra auctoritatem illius, qui maximam virturem in sanando mostrauerat. *maioris auctoritatis*, ait sub persona ipsius Incert. *est, quam vos fitis, ille, qui me sanum fecit*; Vere enim putabat, quod, qui poterat vnico tantum hoc verbo *surge* prolato, inueteratum languorem remouere, posset etiam à sabbati obseruatione absoluere. S. Cyrill. *magna*, inquit, *quasi voce dicere videtur* (languidus sanatus) *illum potius, quam sabbatum esse honorandum; cui tanta vires, cui tanta gratia inest, vt diuturnum hunc morbum, verbo fugauerit*. Secundo obedientiam exercuit, dum nihil propter sabbatum cunctatus, statim, præcipientis Domini vocibus obtemperauit, nihili pendens criminationes, quas sibi propterea instare animaduertebat; sed tantum constituens, ei sibi imperãti esse parendum; cuius ope, & virtute, optatam salutem recuperauerat; *non acciperem*, ait Augustin. eius nomine, *iussionem, à quo acceperam sanitatem?* non minus diuina

Incert. — *Cyrill.* — *August.*

virtus,

virtus, in restituenda sanitate, suspicienda quam mandatum, tamquam ab ore diuino profectum, implendum, mihi visum est. benè ergo iudicauit, expedire sibi, illius mandata promptè exequi, qui tantam potentiam in sanatione ostenderat, *illius potius*, vt benè dicit Eric. hom. in hoc Euangel. *volens obtemperare mandatis, à quo sanatus fuerat; quam illorum falsæ religioni cedere; qui eius sanitati, & domini sui gloriæ inuidebant.* Gratitudinem vero animi præ se tulit, dum apertè, quantum potest, sanitatis auctorem profitetur, & miraculum manifestat. *gratus*, ait S. Gaudent. tractat. de paralyt. tom. 7. Biblioth. Sanctorum PP. *de salubritate recepta; quoniam non præualet calumniantibus, facti præstare rationem; præcepti, atque operis denotat auctorem*; quod dum fecit, noluit in se sum, culpam intentatæ erga se criminationis, reijcere, sed eorum *deliria* (vt appellat Chrysost.) ostentare, qui negare videbantur ei esse parendum, qui, tam stupendo miraculo, morbum à languido remouisset. potuisset certè respondere Iudæis, non sibi esse imputandum hoc crimen, sed ei, qui id fieri iussetat: sed maluit modesta tantum, & breui hac responsione, obiectam calumniam diluere; quia verè erga beneficum curatorem gratus, *neq; beneficium siluit*, ait Chrysost. hom. 36. *neque deprecatus est; sed clara voce, quid acceperit profitetur, & prædicat.* idem obseruat Euthym. in exposit. huius Euangel. est ergo apertus horum verborum sensus; an non vobis etiam, sicuti mihi, videtur omni cultus, & honoris genere dignus is, qui vnico verbo, me ex deplorato morbo liberans, integræ restituit sanitati? ergo illius iussu, non meopte consilio, sublatum grabatum porto; non est cur transgressionem sabbati insimuletis, indicauit enim eximium miraculum, debere me in omnibus, viro tam eximio obedire; neque enim negligenda, aut differenda sunt illius imperata; qui, sicuti diuinam ostendit in sanando virtutem, ita iubendo, potest legẽ interpretari. quomodo enim, aliquod nefas ille præcipere potuit; in quo tanta virtus, & potestas eluxit?

Eric.

Gratitudo huius languidi elucet.

Gaudent.

Chrysost.

Chrysost.

Euthym.

25 *Interrogauerunt ergo eum; quis est homo ille, qui dixit tibi, tolle grabatum tuum, & ambula?* Eiusmodi est liuida inuidia, vt semper de alieno bono, quod illam cruciat, demptum velit; de qua benè Ouid. 2. Metam.

— *videt ingratos intabescitq; videndo*
Successus hominum; carpitq; & carpitur vnà.
Suppliciumque suum est.

& propterea; etiamsi lãguidus, dubius ad tanti miraculi magnitudinem, dixisset, *qui me sanum fecit, ille mihi dixit, tolle grabatum tuum &c.* quasi nescius Deus ne, an diuinus homo dicendus esset, tam stupendi operis patrator; Nihilominus Iudæi, qui, vt ait S. Cyprian. lib. de Liu. *inde perierunt, quod maluerunt Christo inuidere, quã credere*, illius facta minuere volentes, interrogant, *quis est ille homo, qui dixit tibi, tolle grabatum tuum &c. hominem* appellant, cuius diuina opera admirari cum non possent, calumniari, & damnare studebant. Adhuc magis apparet Iudaica perfidia, & malitia, vt obseruat Theophyl. cum enim duo dixisset languidus, primo miraculum; *Qui me sanum fecit*: secundo, facti sui rationem reddens, addidisset, *ille mihi dixit, tolle grabatum tuum, & ambula*; Iudæi liuore suffusi, dissimulantes id, quod admirari debebãt, & quod eos poterat ad Deum conuertere, illudq; quod in miraculo suspicere debuerant, silentio inuoluentes; accusant id, quod in transgressione sabbati videbantur, apparenter criminari posse: non itaq; quærunt: *quis est, qui te sanum fecit*; sed hoc callidè prætereuntes, quod propter verecundiam, neque negare, neque calumniari poterant; quærunt, *quis est, qui dixit tibi, tolle grabatum tuum? Iudæi* di-

Turpis inuidiæ aculei, ac damnas.

Ouid.

Cyprian.

Hominẽ appellant cuius diuina opera calumniari volebã

Theophyl. cit ad hoc propositum Theophyl. *non interrogant eum, quis est, qui te sanum fecit; sed quis est, qui dixit tolle grabatum? ita ad bonum spontè excacabantur, sursumque, atque deorsum rapiebant sabbati violationem; vt sibi videbatur*. quod etiam adnotat Sāct. D. Thom. Thom. in Caten. ex Chrysost. hom. 36 Videtur autem sub his verbis; *quis est, qui dixit tibi tolle grabatū &c.* nescio quid minax subesse, quasi dicerent, in eum, qui hoc contra legem fieri præceperat (tamquam contra legis violatorem) esse animaduertendum. magis illos mouere debuisset, si verè pij fuissent, magnitudo virtutis, in restituenda sanitate ostensæ, quæ esse poterat stimulus ad venerationem tanti benefactoris; quam zelus, ex scrupulosa sabbati obseruatione, ad struendam calumniam, excitare. sed ita est humana malitia, semper dissimulans bona; & exaggerans, si quæ potest, tamquam mala obijcere iustis viris, quorum, quia desperat assequi sanctitatem detrahit actionibus. vnde colligitur, quod Hebræos, nō tam legis æstimata violatio, quam sanitatis mirabiliter restitutæ opus cruciabat; quod testatur etiam D. Chrysost. dicens; quod *non præuaricationem ægreferrent, sed paralytici inuiderent sanitati*, vt enim cōceptum in eum venenum effunderent, omisso miraculo, in eum, qui tollere grabatum iusserat, diligenter inquirunt.

Bona præterit humana malitia, sola perscrutans mala

Chrysost.

26 *Is autem, qui sanus fuerat effectus; nesciebat, quis esset: Iesus autem declinauit à turba, constituta in loco.* Lāguidus iste, qui propter morbi diuturnitatem, triginta, & octo annis ia cuerat; neque alibi Christum Dominum viderat; neque eum de nomine nouerat, quamuis de facie cognosci ab illo potuerit, post habitum secum sermonem, in restitutione sanitatis; ideo merito excusat illū Euangelista, quod in responsione, non apertè professus fuerit Iesum fuisse, à quo recepisset sanitatem, quemadmodum postea fecit; sed tantum dixerit: *Qui me sanum fecit* &c. Vidit illum primum languidus, cum lectulo suo adstitit, & paucissimis verbis cum eo habitis, sanitate illi restituta, statim se subduxit, præuidens calumniam Iudæorum, qui propter inuidiam, malunt damnare, quod nou possunt æmulari. Sed neque ab aliquo nomen ipsius, neque conditiones intellexerat; hoc tantum de eo sciebat, quod est liberè fassus, illum sibi causam fuisse salutis. Hanc igitur languidi dubiam responsionem excusaturus Euangelista, causam reddit, quamobrem Iesum non nosset quis esset; quia nimirum declinauerat, statim edito miraculo; adeo vt, languidus, componendis sarcinulis suis, & sustollendo grabato intentus, nō animaduertere potuerit, qua Christus diuertisset, vt illum consectatus, posset, de tanti benefactoris rebus, diligentius inquirere. Animaduertunt Iansen. & Luc. Brug. quod in græcis codicibus non habetur particula, *a*, sed tantum absolutè legitur, *declinauit turba constituta in loco*; quæ verba duos sēsus recipere possunt; primus est, quod recesserit Iesus propter turbam, quæ erat in loco proximo porticibus; ita Euthym. exponit: quia enim miraculo nemo interfuerat, & popularem gloriam fugiebat Iesus, ideo, ne coram turba, illum sanatus languidus plus nimio veneraretur, subduxit se, eo quod turba esset in loco illo; ne inanis gloriæ captandæ, occasionem quærere videretur: imo se ab ea alienum penitus ostēderet. alter sensus est, quod declinauerat Iesus, turba constituta in loco, idest immiscens se se turbæ, quæ inde parum aberat; quem sensum illustrat versio Syriaca; *subtraxerat se in turba; seu, per turbam multam, quæ erat in loco:* propter celebritatis enim pompam, Iudæi frequentes conueniebant in sanctam illam Ciuitatem, ob laturi Deo munera sua, & quia piscina parum aberat à templo, ideo in ijs, circa piscinam, locis frequentes homines versabantur; inter quos, facile fuit

Cur sanitati restitutus Languidus Domini non agnouerit nomen.

Iansen. Luc. Brug.

Euthym.

Inanis gloriæ occasiones fugiendas esse docemur.

Iesu

Iesu delitescere; qui & absque discipulis erat, & languido vix dum de facie innotuerat.

27 Quamobrem vero latere voluerit Iesus, plures adducuntur rationes; vel, vt diximus, ad fugiendam inanem gloriam: tum, quia præuiderat Iudæos, ob huius facti inuidiam, summopere commouendos, vnde ab eorum voluit se iniurijs subducere; *ne Iudaeorum inuidiam magis accenderet*. ait Theophy. solet enim aspectus eius, cui inuidemus, maiorem flãmæ æstum augere: quo vel extincto, vel amoto, cessat liuor. Horat.

Theophyl.

Horat.

Vrit enim fulgore suo, qui prægrauat artes
Infra se positas: extinctus amabitur idem.

ideo abscondit se in turba; *vt ira Iudaeorum aliquantum deferuesceret*, ait Cyrill. cũ sub hoc prætextu, q. contra legis præceptũ, iusserat sabbato onus portare, popularem contra eum (tamquam publicum legis transgressorem) tumultum suscitassent. est & alia ratio, quam indicant Chrysost. & Theophy. si enim, eo præsente, de edito miraculo quæsitum fuisset testimonium; suspectum videri potuisset, quod, eo benefactore præsente, dixisset lãguidus, sed cum, eo absente, paulatim innotuit miraculum, & non in obsequium illius, sed solius veritatis intuitu, libere, rem ipsam professus est, omnis abfuit falsitatis, & obsequij suspicio. *Quare declinauit?* ait Chrysost. *primum, vt se absente, minimè suspiciosum esset testimonium; inde ne illorum insania vehementius accenderetur*, & Theophyl. *at Iesus se subduxerat*, ait, *vt ablente ipso, testimonium sanitatis illius, suspicione magis careret; & ne videretur gratificari ei, sed veritatem testari*. si quæ vero aliæ rationes, pro morum vtilitate, huius facti reddi possunt, alibi expendentur.

Cyrill.

Quare se subduxerit Dñs
Chrysost.
Theophyl.

Chrysost.

Theophyl.

28 *Postea inuenit eum Iesus in templo, & dixit illi; ecce sanus factus es.* Non minus animarum quam corporum sanitati consulens dominus; sicut languidum, corpore ægrum, in porticibus piscinæ conuenerat; ita eidem, se se in templo obtulit, animam sanaturus. *temporum*, ait Cyrill. *& locorum in omni re, opportunitate seruata.* Non igitur casu illum inuenit, sed, vt omnia Christi opera consultissimè fiebant; ita nunc languidum, factum sanum, consulto adiuit, quamuis casu id fecisse visus fuerit. volebat enim Iesus, vt, iam absente se satis diuulgato miraculo, etiam, pro maiori Dei gloria, manifestaretur auctor illius. ordinabat enim omnia sua opera ad diuinam laudem, ideo, quo magis glorificaretur, Deus iudicauit expedire, si ipse, tamquam auctor manifestaretur. Verosimile fit Euthym. languidum, postquam grabatum domũ reportauerat, in tẽplum venisse, quo Deo debitas gratias, pro tam insperato sanitatis beneficio, ageret; vbi inuenit illum Iesus, *orantem, vt opinor*, ait Euthym. *& Deo gratias agentem*. hic opportunus Iesu locus visus est, ad sanandam animam. Quod autem statim à sanatione in templum iuerit, neq; præteriti temporis angustias, & miserias, quas per triginta, & octo annos sustinuerat infirmus, quæsiuerit solatijs, & voluptatibus compensare, induxit Chrysost. ad extollendam illius pietatem, his verbis. *Magnum*, inquit, *& reuerentiæ, & pietatis signum; non enim in forum, non in porticus concessit; non voluptati, non otio indulsit; sed in templo versatur*, etiam si magnam timendi causam haberet, ne irati Iudæi illum iniuria afficerent; tamen dum mauult gratus Deo videri, illorum minas, & intẽtatam pænã neglexit: non latet in domo timidus, qui propter trangressionem legis fuerat accusatus, sed in propatulo versatur pius, & gratus Deo. Quoniam enim in templo, in illo solemni festiuitatis die, plurima confluebat multitudo, ideo quo pluribus miraculum, & singulare erga se collatum beneficium patefieret, illic versa-

Non solũ corpori, sed anime.

simul mederi Dei proprium est.

Cyrill.

Magna lãguidi pietas, qui, sanitati restitutus, templum adit.

Euthym.

Ad sanandam animam templum est locus Dño opportunus.

Chrysost.

batur;vt euidentius esset,restitutæ sibi mirabiliter sanitatis,testimonium.

28 Sed attendamus iam verba, quibus illum cōmonefecit Saluator; *ecce*, inquit, *sanus factus es* . inuitat illum ad recordationem beneficij , in quo , non tam res ipsa , & sanitas restituta , magni momenti fuerat : quam modus , quo eam illi benignissimus Dominus contulerat : hæc tacitè indicantur per illam particulam , *ecce* , qua excitatur animus , ad rei magnitudinem attendendam;& ,vt sanatus iste tanti esset beneficij memor , cōmemorat illi recuperatam sanitatem ; *ecce sanus factus es; idest*, ait Tolet. *attende , & memoria perpetua conserua;ne vnquam excidat,te sanum factum esse*. ita enim fiet,vt,& beneficium , & benefactorem sedulo recolens, pius, & gratus viuas , & Deum assiduo, pro tanto munere, venereris, ac colas in posterum.vult enim Deus, vt accepta beneficia memoria recolentes,gratos nos semper exhibeamus diuinæ illius maiestati. Hinc toties, in veteri testamento, iusserat filios Israel meminisse stupendæ liberationis,qua in manu forti , & brachio suæ diuinitatis,eduxit eos de Aegypto,& de fœdissima illa seruitute . Exod. 13. ℣.3. *mementote diei huius in qua egressi estis de Aegypto, & de domo seruitutis; quoniam in manu forti eduxit vos Dominus de loco isto*, & Deutor.16. ℣.3. *memineris diei egressionis tua de Aegypto , omnibus diebus vita tua* . quotidianam huius beneficij commemorationem exigebat; idq; facit Deus, non solum, vt debitus illi honor reddatur; sed etiam ad nostram vtilitatem:quia, diuina beneficia recolentes, vilitatem nostram consideremus , & humiliati sub potenti manu ipsius , promptius in obsequio diuinæ maiestatis suæ perseueremus. Aut dixit, *sanus factus es* , sed potes iterum ægrotare , & ad pristinum languorem redire;nisi recuperatam sanitatem seruare in posterū cures,ab animæ,ac corporis inordinatis operibus abstinens.Modestè autem, & leniter Saluator,ne exprobrare illi beneficium videretur,non dicit, *ego te sanaui*;sed *sanus factus es*;quod & cōsiderās Chrysost.hom.35.*Christi intuere*,inquit,*humilitatē;nō dixit, sanū te feci* ; *sed sanus factus es,in neutro personam adducit , ostenditq; gratia, & benignitate potius , quam meritis in sanitatem restitutum*. Neque leuis est eiusdem Chrysost. obseruatio, his verbis,contineri quandam fraternæ,& charitatiuæ correctionis formulā;qua, & se ipsum,quilibet contritus, & pænitens admonere, & modestè etiam proximum,si opportunitas exigat corripere debet.*Hac*,ait, *& nobis frequenter in ore sint verba; his, & alter alterum admoneamus,ecce sanus factus es* vt , hac diuinorum beneficiorum recordatione , à peccatis in posterum abstineamus.

Tolet.

Beneficiorū recordatio, Deo gratissima & debita

Exod.

Deut.

Christi Domini modestia exēplaris

Chrysost.

Fraternæ correctionis formula exibetur.

Chrysost.

29 *Iam noli amplius peccare* . Meminimus paulo ante , quod diuinorum beneficiorum recordatio, plurimum nos iuuat ; sed inter cætera emolumēta, illud præcipuè operatur, quod his verbis docere Saluator prætendit;ne,scilicet,in posterum, peccatorum criminibus diuinam bonitatem irritantes , ad sæuiora infligenda pœnarū vulnera , irritemus mitissimi Numinis clementiam.ergo, propterea , primum Christus dixit paralytico, *sanus factus es*; vt illum deinde, lenibus verbis hortaretur ad fugam peccatorum, ideo statim subdit;*Iam noli amplius peccare*. Ex quo colligunt Chrysost.Euthym.& alij,nota fuisse Christo Saluatori occulta huius languidi peccata ; neque enim diceret *noli amplius peccare , ne tibi &c.* nisi præsupponeret , quod propter peccata hactenus ægrotasset. Nosse autem occulta, & arcana cordium reuelare argumentum diuinitatis est;cuius etiam aliud signū prætulit Saluator , dum peccata remisit , sine quo , non sanatum fuisset corpus;si enim peccatum fuerat causa infirmitatis in corpore , non poterat

Beneficiorum Dei memoria ad euidāda peccata satis iuuat.

Chrysost. Euthym.

Deum se ostendit, dum occulta languidi peccata cognoscit.

nisi

Beda. Eric.

nisi illo remoto, hæc restitui: ideo Beda quem sequitur Ericus in hoc Euãgel. *propter peccata*, inquit, *sua languerat: nec, nisi illis dimissis, sanari poterat.* quæ etiam fuit obseruatio Vgon. Cardin. *Quia* inquit, *causa non soluta impossibile est effectum destrui; ostendit, quia & causam infirmitatis destruxerat, scilicet peccatum*, quod, etiam testimonio Pharisæorum, soli Deo est possibile. Et nota, quod voluntas peccandi magis Deo displicet, ideo hæc damnatur; neq; enim dixit, *ne vltra pecces*; sed *noli peccare*: quia propensio illa, & desiderium viuendi sẽsualiter, est maximum peccatorum, quod significans incert. sub nomin. Emyss. illud, *noli amplius peccare*: sic exponit, quasi dictum fuerit: *non sit tibi voluntas peccandi*: nã multi actus illiciti, absque voluntatis assensu, non sunt peccata. *multi enim*: subdit idem Incert. *peccant, qui peccare nolunt, vnde Apostolus; non enim, quod volo, hoc ago: sed, quod nolo, illud facio, magnum igitur peccatum est voluntas peccandi*: ex qua, multi actus neutri, euadunt peccata.

Vgo.

In peccatis mala voluntas magis Deo displicet.

Emyss.

30 Hæc eadem paralytici ægritudo indicat nobis, & sedulo nos admonet, cõsueuisse Deum, animi morbos, corporis languoribus plectere; hinc enim ait Chrysost. in Caten. *discimus, quod ex peccatis ei orta est hæc ægritudo*; & propterea, corporis infirmitates, diuinæ vltionis flagra dici possunt, quia his delicta puniantur. vnde etiam Matth. 9. ℣. 2. sanato alio paralytico dixit. *confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* &, quemadmodum veteres Romani Magistratus sontes, prius virgis cædi iubebant, inde capite plecti: ita Deus, prius corporalium ægritudinum virgis, homines corripit: quibus, nisi admoniti resipiscant, vltima pœna damnantur: omnia autem hæc, quamuis nobis in hac vita soleãt esse molesta, fiunt ad nostram vtilitatẽ: *Ideo enim Deus*, ait præclarè Chrysost. *ob animi peccatum, corpus flagellat, vt deterioris partis supplicio, melior, ad quærendum remedium conuertatur*; ita Lacedemonij, seruos, coram ingenuis filijs suis increpabant, & verberabant, vt mancipiorum exemplo, admonerẽtur, & instruerẽtur ingenui. Qui ergo ad peccandum, & prouocandam iram Dei, prompti fuerunt; si diuina benignitate liberentur, iam norunt; quemadmodum in posterum præseruare se ipsos sanos possint, & corpore valido, si, nimirum, innocentes sint animo. neque tamen absolutè credendum est, quod quælibet corporis ægritudo propter peccata eueniat; cum ex alijs etiam causis, permittente Deo, soleant oriri. *Non ita sentiendum est*, ait Beda; *quasi omnis, qui infirmatur, ob peccata infirmetur*; & pergit recensere alias causas, propter quas potest Deus permittere corporales infirmitates. Quibus vero rationibus infirmitates corporis, ex peccatis animi proueniant, explicat fusius Tolet. hic ad quod etiam propositum multa congerit Vgo Card.

Chrysost.

Matth.

Pulcrum exemplũ.

Chrysost.

Quã vtilis sit aliquando corporis infirmitas

Simile.

Tolet.

Vgo.

31 *Ne deterius tibi aliquid cõtingat.* Grauis, & seuera, his verbis, contra recidiuantes continetur sententia, fore quippe, vt benignitate, à qua releuati fuerant à morbo contempta; grauiorum se faciãt flagellorum reos, si in pristina peccata, semel condonata relabantur. Hærere hominum animis alte infixa deberent hæc verba; quorum nemo non diuinorum beneficiorum gratijs cumulatus, timore iuste concutietur: si acceptorum immemor, & dimissa sibi semel, iterumque peccata, impudenter repetens, maiora aduersum se prouocet flagella pœnarũ. Quod, si sæpius mente agitaremus, illud Bernard. obseruaremus serm. 54. in Cantic. *quia*, inquit, *recidere deterius est, quam cadere; inualescente periculo, inualescat, & metus*, & iure dicitur, *ne tibi deterius aliquid cõtingat*: iustum enim esse sentit Theophyl. *vt, qui priori supplicio non est emendatus, ad maiora tormenta ducatur.*

Alte retinenda minax hæc Saluatoris sẽtentia.

Bernard.

Theoph.

tam

Duplici pæna dignus qui peccata iterat.

tamquam insensatus, & contemptor. Qui enim peccata semel dimissa iterat sicuti dupliciter peccat, & repetiti criminis, & ingratitudinis culpa, reus; ita non potest simplici tãtum pæna multiplicata peccata luere. Ideo, cũ quis, speciali Dei fauore, obtinuit, vt ab eo exierit spiritus immundus, si eidem negligenter aditum iterum dederit, non vni, sed pluribus locum facit. appositè D. Bernard. serm. 3. in Cantic. damna reincidentiæ recensens; *si dixerit mihi Iesus*, inquit, *dimittuntur tibi peccata tua; nisi ego peccare desiero, quid prodierit? exui tunicam meam, si reinduero eam, quantum profeci? si rursus pedes meos, quos lauerã, inquinauero, nũquid aliquid lauisse valebit? sordens omni genere vitiorum, iacui diù in luto fæcis: sed erit sine dubio reincidenti, quam iacenti deterius.* Sed redeamus ad benignam illam Saluatoris correctionem, ex qua excipitur, tria posse esse remedia, quibus adhibitis, homo præseruetur à lapsu, & infirmitatibus animæ. primum est memoria beneficiorum: *iam sanus factus es*; alterum, fuga peccatorum, *noli amplius peccare*; tertium, timor grauioris pænæ: *ne tibi deterius aliquid contingat*. Chrysost. hom. in hoc Euangel. duo ex his tetigit; *beneficij*, ait, *memoria, & futurorum malorum metu, in sanitate confirmat*. In hac autem admonitione animaduertit Rupert. quod, optimo ordine, primum Saluator blande alloquitur paralyticum, dicens, *iam sanus factus es*; postea, etiam minas addit, *ne tibi deterius aliquid contingat:* quia correctio, in principio lenis, sed in fine, debet esse seuera.

Bernard.

Tria contra peccata remedia numerantur.

Chrysost.

Rupert.

32 *Abijt homo ille, & nunciauit Iudæis, quia Iesus est, qui fecit eum sanum.* Ex diuino alloquio, & benigna Iesu Saluatoris admonitione, non solum festinus, ad benefactoris prædicandam virtutem, sed etiam charitate plenus, digreditur, ad Euangelizandum beneficium. præsefert enim charitatis viuidum affectum, vt obseruat Cyrill. dum alijs, sui similibus peccatoribus, animorum medicum ostendit. In hunc siquidem finem ille annunciauit Iudæis suæ salutis auctorem, non vt illum Iudæis proderet, vt quidam arbitrati sunt: quos refellit Sanct. Chrysost. verba D. Cyrill. sunt. *Nunciat Iudæis, manifestatque medicum; non vt mali quidpiam in eum cogitantes, impietatis se crimine coinquinent: sed, vt non ignorarent medicum, si quis illorum curari desideraret.* Charitas autem adegit illum, vt languentibus, & medico indigentibus, sanatorem suum ostenderet, cuius ope sanari possent. Fuit etiam erga benefactorem gratus; non enim dixit, quis esset, qui iusserat, vt tolleret onus, sed quis fecisset eum sanum; vt id prædicaret, & propalaret, quod Christi laudem augere; & id reticeret, quod inuidas Iudæorum calumnias, aduersus illum, conflare potuisset; quod expendens Theophyl. *Vide*, inquit, *quanta gratitudine, eum Iudæis prædicet: non enim dicit Iesus est, qui dixit mihi tolle grabatum, id quod illi audire volebant: sed is, qui ipsum sanum fecit, id, quod audire non ferebant, pro crimine babentes sabbati violationem*; quod etiam animaduertit Sanct. Thom. in Caten. Cyrill. & alij. Non commemorat Euangelista gratias, quas domino pro gratissimo sanitatis munere egerit; sed verè simile est, vt sicut eximium istud beneficium coram alijs non tacuit, ita etiam eiusdem gratitudinem, apud auctorem professus fuerit.

Languidi affectus charitatis

Cyrill.

Chrysost.

Prudens languidi gratitudo

Theophyl.

S. Thom. Cyrill.

Sacer text.

Est Ierosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida, quinque porticus habens.

CAP. II.

Crux, & Passio Christi, nobis præsidium, diabolo exitium.

1 
PRælusit, hac languidi ad probaticam piscinam sanatione, Saluator, auspicatissimæ totius humani generis saluti, quam, in turbida sacratissimæ Passionis suæ piscina, peregit: in qua, *nō Angelus*, vt ait Chrysost. hom. 35. in Ioann. *aquam mouit: sed Angelorum* Dominus *totum perfecit*. Et, quia probatica, fuit quidā Domicæ passionis typus, ideo in hac verè impleuit omnia, quæ in ea fuerant typice præfigurata, quando, vt dicit Paul. ad Hebr. 10. ℣. 12. *celebrauit Pascha, & sanguinis effusionem*. Quid enim est, quod Angelus descendebat, & mouebatur aqua, & sanabatur vnus nisi *quia*, inquit Augustin. tract. 17. in Ioan. *venit vnus Christus ad populum Iudæorum, & faciendo magna, docendo vtilia, turbauit peccatores, turbauit aquam præsentia sua, & excitauit ad passionem suam?* Fuit enim Christus verè Angelus, idest, *Paternæ voluntatis nuncius*, vt illum in hoc proposito nostro, appellauerunt Beda, & Ericus: *Ille, inquam, magni consilij Angelus*, ait Incert. sub nomin. Emyss. *de quo scriptum est, & statim veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis*. Hic fuit, qui descendit, & turbauit aquam, commouens benefactis, erga se inuidorum odia, quibus accēsa Iudæorum corda, illum in turbulentam passionis aquam dimiserunt; ex quo mirabiliter, totum humanum genus languidum, sanatum fuit. dixit hoc apertè Beda. *motus ergo aquæ*, inquit, *Passionem Domini, quæ mota turbataque Iudæorum gente facta est, insinuat. & quia per eandem Passionem, redempti sunt credentes à maledicto legis, quasi descendentes in aquam, piscina turbata, sanabantur, qui eatenus iacebāt in porticibus ægroti*. Aderant enim plurimi, qui, instar languentium, de quibus in Euangelio, expectabant aquæ motum, idest effusionē Dominici sanguinis, in redemptionem, & lauacrum animarum, de quibus Gloss. ordin. *expectabant*, inquit, *aquæ motum, in quo sanitas fiebat per Angelum, quia lege coniuncti, gratiam redemptionis desiderabant*. & sicut erant in probatica, quinque porticus, languentium sedes; ita patent, in Dominicæ Passionis piscina, quinque vulnera, peccatoribus omnibus obuia. & quia, adueniente veritate, figuræ, & vmbræ cessant, ideo, post mortem Saluatoris, desijt fieri miraculum hoc, ad piscinam; vt dictum fuit in expositione litterali. Hoc vnum Dominica piscina habet singulare, quod omnibus æquè sufficit, non huius, vel illius tantum sanitati reseruata. Salmer. tom. 6. tract. 18. *Christi piscina*, inquit, *non est vt illa Iudeorum, quæ vnum tantum sanat: sed omnes, qui sub porticibus vulnerum Christi proteguntur*. igitur fuit intētio Christi Redemptoris nostri, in struenda mirabili, & mirifica passionis suę piscina, parare scilicet languentium animarum saluti lauacrum, in quo mundatæ, sanitatem recipiant sempiternam; in qua struenda multum expendit; nullis enim impensis parcens, proprij etiam sanguinis profusione munificus, nihil, quod ad nostrā salutem facere posset, omittens, aut insuper habens; plurima fecit

Chrysost.

Non Angelus aliquid, sed Christus omnia perficit, in hoc miraculo.

Hebr.

S. Aug.

Vgo. Eric.

Incert.

Dominus hic fuit, Angelus turbans aquam.

Aqua turbata typus Dominicę passionis. Beda.

Gloss.

Quinque piscinæ porticus, quinque Saluatoris sunt plagæ

Omnibus sufficiens figurata piscina Dominicæ Passionis.

Salmer.

tamquam insensatus, & contemptor. Qui enim peccata semel dimissa iterat sicuti dupliciter peccat, & repetiti criminis,& ingratitudinis culpa, reus; ita non potest simplici tãtum pœna multiplicata peccata luere. Ideo, cũ quis, speciali Dei fauore, obtinuit, vt ab eo exierit spiritus immundus, si eidem negligenter aditum iterum dederit, non vni,sed pluribus locum facit. appositè D.Bernard. serm.3. in Cantic. damna reincidentiæ recensens;*si dixerit mihi Iesus,* inquit, *dimittuntur tibi peccata tua; nisi ego peccare desiero, quid prodierit? exui tunicam meam, si reinduero eam, quantum profeci? si rursus pedes meos, quos lauerã, inquinauero, nũquid aliquid lauisse valebit? sordens omni genere vitiorum, iacui diù in luto fæcis: sed erit sine dubio reincidenti, quam iacenti deterius.* Sed redeamus ad benignam illam Saluatoris correctionem, ex qua excipitur, tria posse esse remedia, quibus adhibitis, homo præseruetur à lapsu, & infirmitatibus animæ. primum est memoria beneficiorum: *iam sanus factus es*; alterum, fuga peccatorum, *noli amplius peccare*; tertium, timor grauioris pœnæ: *ne tibi deterius aliquid contingat.* Chrysost. hom. in hoc Euangel. duo ex his tetigit; *beneficij*, ait, *memoria, & futurorum malorum metu, in sanitate confirmat.* In hac autem admonitione animaduertit Rupert. quod, optimo ordine, primum Saluator blande alloquitur paralyticum, dicens, *iam sanus factus es*; postea, etiam minas addit, *ne tibi deterius aliquid contingat:* quia correctio, in principio lenis, sed in fine, debet esse seuera.

Duplici pœna dignus qui peccata iterat. — *Bernard.* — *Tria contra peccata remedia numerantur.* — *Chrysost.* — *Ruperi.*

32 *Abijt homo ille, & nunciauit Iudæis, quia Iesus est, qui fecit eum sanum.* Ex diuino alloquio, & benigna Iesu Saluatoris admonitione, non solum festinus, ad benefactoris prædicandam virtutem, sed etiam charitate plenus, digreditur, ad Euangelizandum beneficium. præsefert enim charitatis viuidum affectum, vt obseruat Cyrill. dum alijs, sui similibus peccatoribus, animorum medicum ostendit. In hunc siquidem finem ille annunciauit Iudæis suæ salutis auctorem, non vt illum Iudæis proderet, vt quidam arbitrati sunt: quos refellit Sanct. Chrysost. verba D.Cyrill. sunt. *Nunciat Iudæis, manifestatque medicum; non vt mali quidpiam in eum cogitantes, impietatis se crimine coinquinent: sed, vt non ignorarent medicum, si quis illorum curari desideraret.* Charitas autem adegit illum, vt languentibus, & medico indigentibus, sanatorem suum ostenderet, cuius ope sanari possent. Fuit etiam erga benefactorem gratus; non enim dixit, quis esset, qui iusserat, vt tolleret onus, sed quis fecisset eum sanum; vt id prædicaret, & propalaret, quod Christi laudem augere; & id reticeret, quod inuidas Iudæorum calumnias, aduersus illum, conflare potuisset; quod expendens Theophyl. *Vide*, inquit, *quanta gratitudine, eum Iudæis prædicet: non enim dicit Iesus est, qui dixit mihi tolle grabatum, id quod illi audire volebant: sed is, qui ipsum sanum fecit, id, quod audire non ferebant, pro crimine habentes sabbati violationem*; quod etiam animaduertit Sanct. Thom. in Caten. Cyrill. & alij. Non commemorat Euangelista gratias, quas domino pro gratissimo sanitatis munere egerit; sed vere simile est, vt sicut eximium istud beneficium coram alijs non tacuit, ita etiam eiusdem gratitudinem, apud auctorem professus fuerit.

Languidi affectus charitatis — *Cyrill.* — *Chrysost.* — *Prudens languidi gratitudo* — *Theophyl.* — *S. Thom. Cyrill.*

Est

Sacer text.

Est Ierosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida, quinque porticus habens.

CAP. II.

Crux, & Passio Christi, nobis præsidium, diabolo exitium.

1 

Rælusit, hac languidi ad probaticam piscinam sanatione, Saluator, auspicatissimæ totius humani generis saluti, quam, in turbida sacratissimæ Passionis suæ piscina, peregit: in qua, *nō Angelus*, vt ait Chrysost.hom.35.in Ioann. *aquam mouit: sed Angelorum Dominus totum perfecit*. Et, quia probatica, fuit quidā Domicæ passionis typus, ideo in hac verè impleuit omnia, quæ in ea fuerant typice præfigurata, quando, vt dicit Paul.ad Hebr.10.℣.12. *celebrauit Pascha, & sanguinis effusionem*. Quid enim est, quod Angelus descendebat, & mouebatur aqua, & sanabatur vnus nisi *quia*, inquit Augustin.tract.17. in Ioan. *venit vnus Christus ad populum Iudæorum, & faciendo magna, docendo vtilia, turbauit peccatores, turbauit aquam præsentia sua, & excitauit ad passionem suam?* Fuit enim Christus verè Angelus, idest, *Paternæ voluntatis nuncius*, vt illum in hoc proposito nostro, appellauerunt Beda, & Ericus: *Ille, inquam, magni consilij Angelus*, ait Incert. sub nomin. Emyss. *de quo scriptum est, & statim veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis.* Hic fuit, qui descendit, & turbauit aquam, commouens benefactis, erga se inuidorum odia, quibus accēsa Iudæorum corda, illum in turbulentam passionis aquam dimiserunt; ex quo mirabiliter, totum humanum genus languidum, sanatum fuit.dixit hoc apertè Beda. *motus ergo aquæ*, inquit, *Passionem Domini, quæ mota turbataque Iudæorum gente facta est, insinuat. & quia per eandem Passionem, redempti sunt credentes à maledicto legis, quasi descendentes in aquam, piscina turbata, sanabantur, qui eatenus iacebāt in porticibus ægroti*. Aderant enim plurimi, qui, instar languentium, de quibus in Euangelio, expectabant aquæ motum, idest effusionē Dominici sanguinis, in redemptionem, & lauacrum animarum, de quibus Gloss. ordin. *expectabant*, inquit, *aquæ motum, in quo sanitas fiebat per Angelum, quia lege coniuncti, gratiam redemptionis desiderabant.* & sicut erant in probatica, quinque porticus, languentium sedes; ita patent, in Dominicæ Passionis piscina, quinque vulnera, peccatoribus omnibus obuia. & quia, adueniente veritate, figuræ, & vmbræ cessant, ideo, post mortem Saluatoris, desijt fieri miraculum hoc, ad piscinam; vt dictum fuit in expositione litterali. Hoc vnum Dominica piscina habet singulare, quod omnibus æquè sufficit, non huius, vel illius tantum sanitati reseruata. Salmer.tom.6. tract.18. *Christi piscina*, inquit, *non est vt illa Iudeorum, quæ vnum tantum sanat: sed omnes, qui sub porticibus vulnerum Christi proteguntur*. igitur fuit intētio Christi Redemptoris nostri, in struenda mirabili, & mirifica passionis suę piscina, parare scilicet languentium animarum saluti lauacrum, in quo mundatæ, sanitatem recipiant sempiternam; in qua struenda multum expendit; nullis enim impensis parcens, proprij etiam sanguinis profusione munificus, nihil, quod ad nostrā salutem facere posset, omittens, aut insuper habens; plurima fecit

Chrysost. — *Non Angelus aliquid, sed Christus omnia perficit, in hoc miraculo.* — Hebr. — S. Aug. — Vgo. Eric. — Incert.

Dominus hic fuit, Angelus turbans aquam. — *Aqua turbata typus Dominicę passionis.* Beda. — Gloss. — *Quinque piscinæ porticus, quinque Saluatoris sunt plagæ* — *Omnibus sufficient figurata piscina Dominicæ Passionis.* — Salmer.

ex largitatis suæ abundantia. vnde inde Salmer. loco alleg. *Christo*, inquit, *magno constitit turbare hanc piscinam; nam turbatus est spiritu, sanguineum emittens sudorem: denique in Cruce, factus est piscina quadam sanguinis, & aquæ, & quinque vulneribus, quasi porticibus, corpus suum voluit configi, vt morbis animarum nostrarum curandis, medecinam conficeret.* Nullum nō malum in anima, nullus est vel desperatus morbus, qui, per merita Dominicæ passionis non conualescat; per quæ, claudi, ad diuina mādata, gressum expediunt; è quibus cæci mente, visū; aridi, & bonorum spiritualium membris mutilati, reintegrantur; & demum, omnes sanantur à quacumq; detinentur infirmitate. His enim omnibus remedium attulit Crux sacrosācta, quam apposite Chrysost. hom. de Cruce Domini (præter alia nomina) appellauit etiam; *Ducem Cæcorum, & baculum claudorum, & sustentationem inopum, inualidorum virtutem, ægrotantium medicum, paralyticorum requiem,* & D. Andr. Archiepisc. Cæsariens. in Apocal. tom. 1. Bibliot. *illum*, inquit, *decet honor gloria, & Imperium, qui, ardenti charitate incensus, sua morte genus nostrum, a mortis vinculis, liberauit; sanguinisq; viuifici, & aquæ effusione, à peccatorum sordibus nos abluit.* fuit enim saluberrimus Christi Redemptoris sanguis, non solum, vt piscinæ aqua depulsor malorum, sed etiam *viuificus*, & dator vitæ.

Salmer.

Omnia peccatorum cura genera, Dominicæ passionis lauacro curantur.

Chrysost.

Varia sancta Crucis encomia.

D. Andr. Cæsar.

2 Neque minus hæc mystica, quā illa Ierosolymitana piscina, cognominari pōt *Bethesda*, quæ vox interpretatur, *domus effusionis*; cuius effectum, quis non videt, in sacrosancta Passione adimpletum, in qua Dominicum Saluatoris nostri corpus, verè domus effusionis factum, postquam, toto cruoris fonte, manare desijt, ad extremum, etiam vndam effudit? significat etiam *Bethesda* domum misericordiæ, nullus autem in toto orbe locus, nullum, a mundo condito, tempus, tam peculiare fuit diuinæ misericordiæ, eo passionis momento, quo hanc piscinam ingressus Christus, propter nimiam charitatem, & misericordiam suam, suscepit nos, *& lauit nos à peccatis nostris, in sanguine suo*; vt dicitur Apoc. 1. ℣. 5. & quoniam miserationes eius super omnia opera eius, ideo in hac domo misericordiæ magna operatus, & admiranda, virtutem aquis illius, ad cunctas nostras indigentias submouendas, præstitit. Quod melius etiam declarabimus, si, iuxta vulgatam latinam editionem, dixerimus, quod hæc piscina *cognominabatur, Hebraice, Bethsaida*; quæ ex D. Hieron. de nomin. Hebraic. *domus frugum*, interpretatur; omnes enim fruges, gratiæ, gloriæ; donorum temporalium, atque spiritualium, ex Christi morte, & passione proueniunt, & huius piscinæ salubribus aquis irrigantur. Cuius perennes, & vberrimi fructus, mirabiliter Ioan. Apoc. 22. ℣. 2. 3. ostensi fuerunt: *& ostendit mihi*, inquit, *fluuium aquæ viuæ, splendidū, tamquam crystallum, procedentem de sede Dei & Agni, in medio plateæ eius.* Fuit hic fluuius, expressa imago passionis Saluatoris, in qua sacrosancta eius viscera, sanguine, & aqua manantia, piscinam constituerunt, sed, instar fluuij, per vniuersum orbem fluentis *de sede Agni* immaculati, qui occisus est, propter peccata nostra; ideo hunc Apocalipseos locum exponens S. Andr. Archiepisc. Cæsariens. *per fluuium*, inquit, *qui in mortali hac vita, ex Ecclesia procedit, regenerationis lauacrum adumbratur, hoc enim, per spiritum sanctum motum, omnes, quot quot in eo abluuntur, niue, ac crystallo puriores, nitidioresq; reddit.* huius fluminis aquis irrigantur fidelium animæ, & in vberrimos virtutum, ac meritorum omnium fructus, progerminant: quod clarè excipitur ex sequentibus; *& ex vtraque parte fluminis*, inquit, *lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per singulos menses, reddens fructum suum.* Certum est, quod hoc lignum vitæ vel est sacro

Bethesda domus misericordiæ

Apoc.

Hieron. Omnia tū spiritualia tum temporalia bona ex Christi morte proueniūt.

Ioan.

Fluuius Apocal. typus Dominicæ passionis.

S. Andr. Cæsar.

Sacrosanctā Crucē, vel Christi Dñi corpus, lignū vitæ significat.

sancta

sancta Crux, vt pluribus SS. Patribus visum est eam appellare; vel ipsum venerabile Christi Domini corpus, & sanguis pretiosissimus, vt vult Gloss. ord. *lignum vitæ*, inquit, *idest, corpus, & sanguinem Christi, quibus reficimur*; hac vberrimorum fructuum copia, abundat, *afferens fructus duodecim*; apponitur enim numerus certus, pro incerto; additur verò, *per singulos menses*; quia, omni tempore frugum vbertate, & fructificatione fœcundatur; & ideo, in dominica hac nostra piscina, ea adsunt omnia remedia, quibus, *per singulos menses*, idest *semper*; perfecta sanatio, & curatio fieri possit. Ad quã sanitatem, vt intelligas, quã proficuum nobis sit, sanctissimæ Crucis lignum. & sacrosancti sanguinis ablutio, subditur: *& folia ligni, ad sanitatem gentium*; omnia enim in hac piscina, non solum aqua, idest, sanguis Saluatoris; sed etiam folia, idest, minima quæque, nostræ saluti deseruiunt. neque solum, huius arboris fructus nutriunt nos, & reficiunt, qui in hac domo frugum asseruantur, sed etiam folia, *ad sanitatem gentium*, saluberrima sunt, & applicantur. Quæ omnia, multo pridem, diuino spiritu illustrante, prædixerat Ezech. cap. 47. ℣. 12. *Non deficiet*, inquit, *fructus eius; per singulos menses afferet primitiua, quia aqua eius de sanctuario egredientur; Et erunt fructus eius in cibum, & folia eius ad medecinam*. Hæc itaque est domus frugum; ex fœcundissima Dominicæ passionis piscina, prodeuntium aquarum copia, irrigua. Solent prophani Scriptores; cum vel rusticos, vel vrbanas villas, atq; hortos, maximè commendare volunt; illis arbores semper vernantes, & renascentium fructuum copia fæcundas, tribuere; vt constat ex Homer. odyss. lib. 7. in descriptione hortorum Alcinoi. sed, his multo copiosiores fructus, hac nostra frugum domo, continentur; quarum fœcundissima arbor, nullo nõ tempore est feracissima; *cuius fructus non deficiunt*; sed per singulos menses, primitiua producunt. Hæc nimirum est vis sanguinis Christi Saluatoris, & Passionis eius: quia aquæ piscinæ, de qua loquimur, egrediuntur de *sanctuario*, idest, è sacratissimo Christi Saluatoris corpore.

Gloss. — *Numerus determinatus pro indeterminato.* — *Sãctæ Crucis signũ quam proficuum.* — *Ezechiel* — *Homer. Crux Christi omni tẽpore fructifera.*

3 Hos tamen fructus, & hæc Dominicæ passionis opera, deprædari conatur aper de sylua, & singularis ferus, eiusmodi semper frugibus inhiat, vt eas conculcet. Sed ea dominici sanguinis vis est, vt illum, neque intueri possit diabolus; & quemadmodum Leonem, ferocissimum animal, parua ignis scintilla sollicitat, & terret; ita Dæmonem, non solum sanguis ipse Saluatoris; sed eius sola recordatio, & quicquid eius memoriam renouat, expauefactum consternat; quod mirabiliter expressit S. Chrysost. loquens de cruore SS. Martyrum. *Vidit*, inquit, *hunc sanguinem, horruitq; diabolus*. Quid horret in martyrum sanguine, quem tantopere sitit, antiquus noster, & iuratus hostis? quid illi timorem incutit, pro Christo occisorũ, cruor, quos, tamquam victimas mansuetos, & lenes, non repugnantes, non recusantes, videt secutibus intrepidè succedere? si ergo, Tyrannos, & tortores, contra Martyres armat, quid horret in eorum sanguine? cur, inquam, si vidit spectaculum, sibi gratissimum, horruit? Naturæ instinctu fieri videmus, vt quæ, rerum inuisarum, & ipso horrore nos consternantium, memoriam nobis renouant, ea, vel solo aspectui exposita, tamquam horrida auersemur; ita Hecuba apud Senec. Troad. ex solo conspectu Achillei tumuli, filiorum, & ciuium, ab eo occisorum, clades animo reuoluens, illud abominata est, ac, tamquam adhuc viueret, & suis infensus esset, sic loquitur.

Adhuc Achilles viuit, in pœnas Phrygum:
Adhuc rebellat.

ita diabolus, ex solo adspectu cruoris SS. Martyrum, ingentem cladem memoria repetit, qua, à Christo, per san-

Christi sãguinem, nec intueri potest diabolus. — *Chrysost.* — *Horrebat diabolus martyrum sanguinẽ* — *Senec.* — *Chrysost.*

Ex Dominici sanguinis memoria, martyrũ sanguinis diabolo inuisus.

guinem prostratus fuit; hoc enim significat idem Chrysost. sequentibus verbis. *horruit*, inquit, *recordatus est quippe alterius sanguinis Dominici*. Neque mirum videri debet, quod, post Dominicam passionem, occisorum pro Christi gloria, martyrum sanguinem, tantopere horreat, cum ob eandem causam cicurum, & mansuetissimorum animalium brutorum sanguis, fuerit illi, multo pridem, horribilis, quatenus, Dominici pretiosissimi sanguinis typum gerebat, & Dominicam illi passionem præfiguratam, repræsentabat. Nam, quod Angelus malus fuerit is, qui primogenitos Aegyptorum noctu, percussit tenere visus est Vgo Cardin. in cap. 11. epist. ad Hebr. & Tostat. in cap. 12. Exod. quæst. 48. quia non vocatur *Angelus Domini*; sed *exterminator, percussor, vastator*; idque etiam, in propria disputatione de hac re, concludit Ludouicus Tæna Comment. in epist. ad Hebr. c. 11. difficult. 17. sect. 2. motus maximè Psalm. 77. auctoritate; Dauid enim recensens idem Aegyptiorum flagellum, appellat illud, *immissiones per Angelos malos*. Dæmone itaque percutiente Aegyptiorum primogenita, iussit Deus, vt Israelitæ Agni immolati sanguine domorum suarum postes inungerent; quo malus Angelus Dominici sanguinis typico illo signo conspecto, abstineret à cędibus Iudæorum, perterritus solummodo, Agni ab Israelitis occisi sanguine, qui Agni immaculati Christi, Redemptoris nostri, post tot Annos occidendi, vmbram gerebat. *celebrauit*, ait Paul. ad Hebr. de Moyse cap. 11. ℣. 28. *Pascha, & sanguinis effusionem; ne qui vastabat primogenita, tangeret eos*. quæ verba exponens idem Chrysost. orat. 27. in epistol. ad Hebr. quasi, sibi ipsi correspondens, & memor eorum; quæ dixerat in sermon. de Martyrib. loquens de Angelo illo vastatore; *Timuit*, inquit, *sanguinem Angelus*; quæ est hæc Angeli formido; qui tot millia hominum, & iumentorum vna nocte accidit, modici sanguinis inunctione potest deterreri? non sanguinem timebat illum; sed eum cuius ille erat figura; addit Chrysost. *sciebat enim cuius esset typus: horrebat, mortem Domini cogitans*.

Animalium sanguis quia Dominicũ figurabat diabolo horribilis.

Vgo. Tostat.

Angelus malus primogenitorũ Aegypti interfector.

Ludou. Tæna.

Paul.

Chrysost.

Sãguis occisi ab Israeliticis agni, qui Dominici typus diabolo inuisus.

4 Hæc illi recordatio, ex tunc, timorem incutiebat; quemadmodum illi, qui iam mortis sententiam acceperunt, cuncta eiusdem instrumenta, mente reuoluentes, inhorrescunt; ita Dæmon, cui statim post Adæ peccatum, hoc reparationis nostræ decretũ, ipsi exitiale denunciatum fuerat; etiam mortem Domini cogitans, horrebat; quod nunc, multo magis verificatur, sicut dixit Arnold. Abb. Bonæuall. to. 1. Biblioth. *nec dubium*, inquit, *quin omnino formident Dæmones passionis formam; terroremq; eis, characteris huius inspectio ipsa incutiat*; etiam character, ac signum est illis formidabile, quanto magis res ipsa? D. Cyprian. sermon. de Natiuit. Christi. *Agni sanguis*, inquit, *Israelitarum postibus illitus, exterminatorem Angelum repellit, & abigit; nec timetur mortis periculum, vbi tanta reuerentia conspicitur signum; non figuræ, sed veritatis Christi, nos omnes liberantis*; & ideo eos etiam, qui salutari hoc signo sunt muniti timet: quod, in eiusdem Angeli vastatoris proposito, dixit Vgo Cardin. vbi de illa vnctione sanguinis, ab Hæbræis facta, vt præterirentur ab Angelo, sic loquitur. *in hoc notatur, quod qui retineret signum passionis Christi, qui est Agnus immaculatus euadet à percussione, & à læsione diaboli*. mira, & efficax Crucis potentia, in præseruandis fidelibus à diabolicis insultibus; qui venerabile hoc signũ formidans, fugit ab ijs, quos eo notatos, videt; optima est enim Chrysost. illatio hom. 61. ad popul. *si verò figura ipsius* (loquitur de sanguine Christi) *tantam habuit virtutem, & in Hebræorum templo, & in Aegypti medio, superliminaribus inunctis; multo magis veritas*. Vel hunc sanguinem Dominicum, in Hebræorum postibus horruit: quia, sicut

Etiam instrumenta passionis formidat dæmon.

Arnold. Abb.

Cypr.

Crucis signo muniti dæmonibus horribiles. Vgo.

Chrysost.

Leo

Leo naturaliter horret ignem; ita Infernalis iste Leo, hunc domini sanguinem: qui vt in eadem homil. dicebat Chrysost. ignis est, qui *animam inflammat*; sed Dæmonem cruciat, & fugat.

Chrysost.

Christi mortẽ vt sibi inuisã diabolus impedire cupit.

5 Et ad confirmandum id, quod diximus, quod Dæmon, multo ante Dominicæ Passionis tempus, Crucem, & sanguinem Saluatoris abominatus fuit, considerandum est; quod, quamuis ad struendam Christo necem, omnes neruos intenderit, vt hominem, sibi inuisum, & animatum, quas ille deuorare cupit, sibi prædas præripientem, de medio tolleret, tamen postquam aduentare iam passionis tempus sensit, postquam instare redemptori, paratam suis artibus mortem, vidit: eoque Iudæorum malitiam, & inuidiam, progressam fuisse, vt iam, nulla Christo euadendi, humanitus, spes superesse videretur; ex tunc, Crucis contemplatione vexatus, impedire aliquatenus, paratam iam mortem, conatus est. Hoc declarabitur ex solutione cuiusdam dubitationis. Diabolus certè, post buccellam intrans in Iudam, illum possedit, ideo cuncta, quæ ab eo tempore fecit Iudas, diabolo suadente fecit. Cur itaque feram illi persuasit pænitentiam? Matth. 27. ℣. 3. *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, pænitentia ductus retulit triginta argenteos Principibus sacerdotum, & senioribus, dicens; peccaui, tradens sanguinem iustum.* num illum per veram pænitentiam optabat saluari? nequaquam; imo, vt ad desperationem adigeret, ait Chrysost. vt quid igitur ad impediendam, si qua ratione fieri posset, Dominicam passionem, induxit illum ad restituendos triginta argenteos; quasi proditionem suam irritans, & si fieri potuisset, reuocans, peccasse se fateatur? cupiuit enim pecuniam referens, pacta, quod in se esset, rescindere, & infectam reddere suam cum Principibus conuentionem; *nam in pecuniarijs causis*, ait Ambros. lib. 10. in Luc. *refuso pretio, ius solui consueuit*. Quin in eiusdem etiam pænitentiæ experimentum, eidem suspendium persuasit, vt eius exẽplo territi Scribæ, desinerent in Saluatorem sæuire, videntes quam miserè eius proditor perijsset. Præterea quare Pilati vxorem, in somnis, varijs ostentis, territauit, adeo vt, in ipso causæ dijudicandæ momento hũc, quasi obicem, menti in domini exitium iniustitiæ, opposuerit? Matth. 27. ℣. 19. *sedente autem eo pro tribunali, misit ad eum vxor eius dicens: nihil tibi, & iusto illi, multa enim passa sum hodie per visum, propter eum.* Iudicem terrebat in coniuge, &, ne præberet in iudicio consensum, in vxore affligitur; vt sententiam vel protollat, vel neget. Quæ hæc fuit diaboli ars, aut quid prætendebat, his technis? num facta, infecta reddere voluisset; & textas à se improbè telas retexere? Videbat iam, excisam, ingentibus ramis iacere arborem, quæ formaretur in Crucem, audiebat percutientium malleorum sonitus, diros clauos præparantium; virgas ad flagellandum expediri, spineam coronam adaptandam diuino capiti; hæc illum Crux, iam tunc, cruciabat, hi claui configebant, hæc flagella torquebant, hæ spinæ animitus, & medullitus vellicabant; deniq; ipse eum, instantis passionis apparatus, ex tunc, cæpit terrere & propterea, tardus damnorum suorum prouisor, impedire contẽdit, passionem, & remouere impendentem iam ceruicibus suis gladium, quoquo modo liceret; quod in hac, per somnũ, illusione Pilati vxori facta, egregiè aperit S. Thom. in Caten. Matth. 27 exponens illud; *sedente autem eo &c.* ex Hilar. *Nunc demum*, inquit, *diabolus, intelligens, per Christum se spolia sua amissurum; sicut primum, per mulierem mortem intulerat; ita per mulierem, vult Christum de manibus Iudæorum liberare: ne per eius mortem, mortis amittat imperium.* meminerat, fortasse illorum verborum Saluatoris, qui prædixerat, per suam passionem diabolum de possessione sua exturbandum. Ioan.

Pulcra dubitatio. — *Matth.* — *Chrysost.* — *Ambr.* — *Matth.* — *Crucis signum adhuc informe diabolum ferebat.* — *Tardè Domini passionem impedire, diabolus conatus est.* — *S. Thom.* — *Ioan.*

12. ℣. 31. *Nunc Princeps huius mundi eijcietur foras.* propterea impedire volebat passionem. Fuit hæc sententia, & expositio S. Ignati. Martyr. epist. 8. ad Philipp. qui, omnem hanc dubitationem, de diabolicis istis artificijs, aperiens, sic elegantissimè loquitur. *Antequam fabricaretur Crux, studebat, vt fabricaretur, & operabatur in filijs inobedientiæ; operabatur in Iuda, in Pharisæis, in Saducæis, in senibus, in iuuenibus, in sacerdotibus. Cum autem paranda esset Crux, tumultuabatur, & pænitentiam immisit proditori, & laqueum illi cõmonstrauit, & suspendium, quo strangularetur edocuit. Terrebat, & mulierculam, turbans eandem in somnijs, &, vt à crucifigendo cessarent, moliebatur. Qui prius, omnem rudentem mouerat, vt eadem Crux pararetur. non, quod pænitudine duceretur, ob tantum malum (hac enim parte, minus fuisset sceleratus) sed sentiebat suam ipsius perniciem. Crux enim Christi, prima fuit ipsi condemnationis causa.* Cum parari incæpit Crux, ex tunc, cæpit Diabolus sentire, quantum sibi ab ea damni, & perniciei instaret; ex tunc sensit ruinam suam, quando Crucis lignum cæsum ruit, quo cadente, cecidit etiam omnis eius arrogantia, & fastus. Quæ securis auspicatissimam nobis arborem succedit, simul etiam diabolicos conatus fregit; tunc cæpit, illũ torquere, & angere, cum non dum nostra absoluta fuisset futura redemptio, tunc sentiebat perniciem suam. Sed quæret quis; vnde tantam sibi ruinam imminere intellexerit? Responderi potest, quod Romani Consules, & Magistratus, ius necis habentes, cum in aliquem sontem, pæna capitis volebant animaduerti, iubebant primum expediri virgas, ijsque reum cedi: damnandi itaque, actum de se intelligebant, quando virgas præparari videbant. Ita prorsus Dæmon instare sibi exitium, & vltimam perniciem intellexit, quando contra se, virgam Crucis vidit expediri; hæc enim virga illa est, de qua dicitur Psalm. 2. ℣. 9. *Reges eos in virga ferrea*; hoc enim de Cruce dictum, referente etiam P. Agell. nostro, interpretatur D. Hieron. *Virga Dei, ait, eius imperium est, & sumpta de contumacibus vltio, in virga, idest, in Cruce*, nam eius, licet è ligno sit materia, vis tamen est ferrea.

Ign. Mar.

Exciso crucis ligno, cecidit diaboli superbia.

Pulcrum simile.

Vnde sibi ruinã præparari diabolus intellexerit.

Psalm. P. Agell. Hieron.

Vis Crucis non lignea, sed ferrea.

6 Et quemadmodum virgis, succedebant secures, apud Romanos; ita, non cæsus tantum fuit, ferrea hac virga, diabolus, sed eadem, etiam iugulatus; quæ fortasse est ratio, cur à SS. Patribus, *Gladius*, appelletur Crux. ita Sanct. Ambr. lib. de Obit. Theodos. *Crux, inquit, dicitur gladius, quo peremptus est diabolus.* Cui non absimile est, quod eidem imposuit Sanct. Chrysost. hom. 55. in Matth. appellans Crucem *mucronem, quo, vires diaboli Christus dissoluit.* Quo præsupposito, resolui facile potest ambigua quædam dubitatio; An videlicet, & quare Dæmones, non solum post, sed etiam multo ante passionem, gladios formidauerint; quod affirmare videtur Virg. 6. Aeneid. apud quem, Sybilla, Aeneã per obscurum antrum ad inferos deducens, ad tutelam contra spectra, iubet illum educere gladium.

Tuq; inuade viam, vaginaque eripe ferrum.

ad quem locum, aliqui Expositores, compertum esse dicunt, Dęmones ferri aciem formidare, inter quos est Lãbert. Hortẽs. & Petr. Crinit. de honest. disciplin. lib. 7. cap. 4. Quod, quamuis alijs superstitiosum videatur; si qua tamen, probabilis huius rei ratio reddi potest, illa vna esse videtur, quia nouerat, hunc Dominicæ Crucis *gladium*, illi quondam exitio futurum; & eius iugulo, hunc mucronem adigendum. Neque est inconueniens, fortasse, hoc inde confirmare, quia in gladiorum capulis, etiam antiquitùs, ad ornatum, vel tutelam, Cruces apponebantur; vt in antiquis lapidibus apparet, & ex ijs veterum militum figuris, quas ex columna Antonini, in suis, ad militiam

Ambr. Crux gladius appellatur.

Chrysost.

Gladij dæmonibus terribilis, & quare.

Virg.

Lambert. Hortens. Petrus Crinit.

Veterum mucrones & enses Crucis signo insigniti.

Roma-

I ipſ. Romanam, analectis, producit Lipſ. Quod ſi venerabile Crucis ſignum, in ethnicorum armis exhorruit diabolus, multo magis in manibus *Chriſtianorum*, quorũ *arma Crucem* vocat Chryſoſt. hom. 8. in epiſt. ad Coloſſenſ. neque enim Dominus tantum, per hæc arma Crucis, Dæmonem ſuperauit, ſed etiam, nobis facultatem dedit, qua eundem, facili negotio, ſuperare poſſimus. *Crucem* ait idem Chryſoſt. in Pſalm. 123. *tibi, tamquam lanceam, tradidit, lanceam, quæ numquam inflectitur*; qua, inimici vires poſſumus perfringere.

Chryſoſt.

Chriſtianorum arma

Chryſoſt.

7 Et hinc eſt, quod eos etiam ſummopere formidat, quos huius ſacroſancti ſigni confeſſione, nouit eſſe ſecuros; quemadmodum ea, quæ ſemel exitialia nobis experti ſumus, poſtmodum horremus, quare, cùm Crux, non tam fuerit Chriſto inſtrumentum mortis propriæ, quàm, quo diabolum crucifixit, ideo, ſicut eam Chriſtus, deuicto per ipſam diabolo, veluti trophęũ ſtatuit; ita diabolus, tamquam patibulum, horret. de hac verò, diaboli crucifixione, audi aperta verba Sancti Petri Damian. ſerm. 1. in exalt. Sanctæ Crucis, *ex altera parte*, inquit, *crucifixus eſt Redemptor noſter; ex altera ſummus ille præuaricator:* quod etiam volens Origen. hom. 8. in Ioſue; *Viſibiliter*, ait, *Filius Dei, in carne, crucifixus eſt; inuiſibiliter in ea Cruce Diabolus, cum principatibus, & poteſtatibus affixus eſt*. & propterea in eo maximè laborat, vt confeſſionem, & venerationem Crucis, imminuat, & tollat. quod ſenſit Sanct. Ignat. Martyr. epiſt. 8. ad Philipp. *Princeps*, inquit, *mundi huius, gaudet, cùm quis Crucem negarit; cognoſcit enim Crucis confeſſionem, ſuum eſſe ipſius exitium*; vide quantam illi allatura ſit perniciem Crux ipſa, quem ſola eius confeſſio torquet; hinc eos, qui ſola Crucis veneratione, & confeſſione ſe muniunt, inuictos fore contra Dæmonum inſidias, dicebat Chryſoſt. homil. 55. in Matth. *Nullus*, ait, *ſceleratorum Dæmonum, cum haſtam videat, qua lethale vulnus ſuſcepit, congredi tecum audebit: nam, ſi cum ſolummodo loca, in quibus damnati pœnas perſoluunt, videmus, ingenti horrore concutimur, quid paſſurum putas diabolum, ſi mucronem tenere te viderit, quo vires eius Chriſtus diſſoluit?* hic idem, caput illius conterit, & penitus illum debellat.

Diabolus tamquam patibulum Crucem horret.

Petr. Da.

Orig.

In eadem Cruce ſimul cum Domino diabolus crucifixus

Ign. Mar.

Chryſoſt.

8 Neque ſola confeſſione concutitur, ſed etiam ſolo auditu, & viſu illius; hinc, idem Sanct. Ignat. ibidem *Crucis trophæum*, opponendum eſſe dixit, *contra diaboli potentiam; quod vbi viderit horret, & audiens timet*. Refert Q. Curtius lib. 5. quod Nomen Alexandri, & fama, inimicos in fugam conuertit; ita ſola Crux, auditu percepta, diabolo eſt timenda. & quemadmodum, Epaminondæ, Ducis fortiſſimi, cadauer, in prælijs eam vim habuit, vt hoſtibus coſternatis, ſuis animum faceret; ita Dominicæ hoc Crucis trophæum, etiam ſi mortuus in ea fuerit Redemptor, ob ſolam memoriam acceptæ per eam cladis, ita Dæmonem conſternat, vt neque ipſius adſpectum ſuſtineat, & audiens timeat: quaſi pudeat illum, tã turpis ignominiæ, quam per Crucem accepit. de qua S. Petr. Damian. ſerm. de Inuent. Sanct. Crucis. *Poſt inuentam Crucem diabolus erubeſcit, quia vbique titulum diuinæ victoriæ cernit erectum. vbicumque enim ſignum Crucis erigitur, proculdubio, & Chriſti victoria, & diaboli captiuitas denotatur*. & propterea *audiens timet*, quia victoriæ Dominicæ ſuæque ignominiæ pudore, deijcitur. Et hinc fortaſſe factum fuit, vt poſt Chriſti mortem, & Crucis exaltationem, celeberrima illa oracula, quibus diabolus tamdiù Ethnicis, per vana, & ſubdola reſponſa illuſerat, deſierint; quaſi iam victus, non auſus fuerit amplius diabolus, coram triumphatore ſuo, hiſcere. adeo ouis naturaliter Lupum horret, vt ſi ex Lupina pelle, tympanum conficiatur, tympana ex pelle ouilla, corã

Ignat.

Q. Curt.

Crucis ſonus, & nomen diabolo formidandũ.

Peo. Dam.

Cur poſt Chriſti mortem diaboli reſponſa dexerint.

Alciat. eo obmutescant, vnde Alciat. Embl. 171.

Cætera mutescent, coriumque silebit ouillum,
Si confecta Lupi tympanu pelle sonēt;
Hanc membrana ouium sic exhorrescit, vt hostem
Exanimis quamuis, non ferat exanimem.

Similis horror cæpit Dæmonem, post Crucis victoriam; ideoque cum ingens huius sonitus, in omnem terram exiuit, obmutuerunt oracula Prudent. in Apotheos. *Prudent.*

torquetur Apollo,
Nomine percussus Christi, nec fulmina verbi
Ferre potest.

quare Chrysost. homil. 4. de laudib. D. Pauli, vnius Crucis sono, factum fuisse affirmat, vt loquacia pridem oracula obmutuerint, neque aliunde vult, ortum fuisse oraculorū defectum, & abolitionem superstitionum. *Vnde quaeso, inquit, omnium Deorum templa extincta sunt, & Dodoneus, & Clarius, & omnes prophantatis officina silent? vnde etiam, non solum crucifixum, sed etiā pro illo occisorum fauillas, Dæmones contremiscunt? cuius rei gratia nomen audientes Crucis, in fugam resiliunt.* hinc Sanctorum reliquias, sanguinem, & ipsum etiam nomen formidant, quia pro Christi Cruce occisi fuerunt. ideo corā ijs etiam, qui Cruce signati sunt, vires amittunt, & vilescunt. S. Athanas. orat. contra Idola. *Post Crucis aduentum, omnis simulacbrorum cultus submotus est, omniaque Dæmonum præstigia, hoc signo propelluntur;* & clarius Lactantius de Ver. Sapient. lib. 4. cap. 27. *Cum dijs suis immolant, si assistat aliquis signatam frontem gerens, sacra nullomodo litant: nec responsa potest, consultus, reddere vates.* si enim diabolus, iam obmutuit, multo magis illius ministri.

Chryost.

Crucis sonitu vbiq; terrarum resonante, oracula Dæmonū obmutescunt.

SS. quia pro cruce occisi, dæmonibus horribiles

S. Athan.

Lactant.

9 Sed vt ad propositū redeamus, efficacia Dominicæ Passionis, & piscinæ huius mirabilis, ad sanandos morbos, & terrendum Dæmonem virtus adumbrata fuit Apocal. 5. ℣. 6. In quo describitur Christus sub figura Agni, cuiusmodi verè se se exhibuit in passione. *& vidi*, inquit, *& ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum, Agnum stantem, tamquam occisum.* Turbantur his verbis interpretes; occisi enim non stant, imo in vulnus ipsum procumbunt; si itaque *occisum* vidit, quomodo *stantem*? si stabat, quo pacto occisus dicitur? vt euaderet hanc ambagem Alcaz. exponit, *stantem*, idest, *iacentem*. sed dura videtur hæc interpretatio, quia, *stare*, apud Latinos, est pedibus inniti, & opponitur illi *iacere*; tum etiam, quia græcum ἑστηκὸς propriè significat *stantem*, non *iacentem*. sed, si huius loci mysteria perscrutemur, non poterat melius exprimi efficacia mortis huius Agni immaculati, & institutæ ab eo piscinæ; qui *occisus stetit*. *stare* adiuuantis est, & patrocinantis, quo munere, pro vobis egregiè fungitur Agnus iste occisus; quare, hanc eandem vocem ita glossant Ansbertus, & Vgo Cardin. *stantem*, ait, *ad opitulandum*; quam expositionem egregiè confirmat, ad propositum nostrum, dictum Augustin. in quæstion. noui Testament. quæst. 88. *Christus*, ait, *stat coram throno Dei, quasi aduocatus noster, pro nobis interpellans.* Quod autem additur, *tāquam occisum*, denotat terrorem, quem incutit diabolis; mortuorum enim, & præsertim occisorum cadauera, si adhuc confossa starent, terrori essent aspicientibus. stat ergo, Christus, etiam extinctus, vt adhuc appareat hostibus suis terrificus, & terribilis.

Apocal.

Pulchra Dominicæ Passionis, ac piscinæ figura.

Pulchra dubitandi ratio.

Alcaz.

Stare idē est ac adiuuare.

Ansbert. Vgo

S. August

Christus occisus adhuc hostibus terribilis.

10 Ziscas Dux fuit bellicosissimus de quo Aeneas Syluius, 3. Comm. & Cochlæus lib. 5. hunc, morti proximū, referunt, interrogatum vbi vellet sepeliri, iussisse, ex corio suo tympanum fieri, eoque duce bella geri, indeque arrepturos fugam hostes; adijcit Crontzius, non omisisse amicos, dictis eius obtemperare, & reperisse, euentu ipso,

Aen. Syl. Cochla.

Crantz.

com-

comprobatum, quod promiserat, vt mortuus iste, terribilis fuit hostibus; ita etiam Saluatoris sanguine perfusum Crucis trophæum, in fugam vertit Dæmones, adeo est illis terribilis, etiam occisi agni memoria. Vel dicamus, quod illa verba, *tamquam occisum*, denotant, Christum, etiam post mortem, signa Passionis suæ seruare, mirabiles videlicet cicatrices, quæ, tamquam adhuc recentes, denotant illum fuisse occisum; hæc fuit expositio S. Andr. Archiepisc. Cæsar. tom. 1. Bibl. *Quod autem*, ait, *Agnus ille cernitur, veluti occisus, vitam, ac speciem ipsius post mortem, & immolationem exprimit. in illa namque tamquam verè occisus, manifesta per Passionis suæ signa, ostendit, quæ post suam quoque è mortuis resurrectionem, in corpore suo reliqua esse voluit.* quid verò hæc vulnera, & cicatrices seruat Iesus; nisi ad maiorem formidinem, & terrorem, infernali hosti incutiendum? imò non cicatrices solum vulnerum, in cælo superesse; sed etiam fixuras concludit Tostat. paradox. 5. cap. 25. & sequentib. & Expositores in illud Apocal. 1. ℣. 7. *& qui eum pupugerunt*. quod sumptum est ex Ezech. 12. ℣. 10. ex quo infertur, quod in Christo iudicante, apparebunt crucifixionis insignia, & vulnera; vt etiam dicunt sanct. Ignat. Episc. ad Smxmens. Sanct. Cyprian. de Ascēsion. & alij; quæ, sicuti Beatis erunt exultationis, & gaudij causa: ita reprobis, & Dæmonibus, confusionis, & horroris spectra. Qui horror, & timor hostium Saluatoris, colligitur ex sequētibus verbis in adducto loco Apocal. 5. de agno enim subditur; *habentem cornua septem*, per quæ, maximum eius dominium, & fortitudo significantur. cornua enim primo, accipiuntur pro regia potestate, vnde Apocal. 17. ℣. 12. *& ecce decem cornua quæ vidisti; decem Reges sunt*; & coronam, à cornu dictam, testatur Pier. lib. 41. est etiam præterea, cornu, typus fortitudinis, vt accipitur Psalm. 43. ℣. 5. *in te*, inquit, *inimicos nostros ventilabimus cornu*, quibus verbis, vt exponit Pater Agell. significatur, quod, *Dei nos fortitudine muniti, acies inimicorum fundere, ac dissipare possumus*. Vnum autem ex istis Agni occisi cornibus, fuit Crux. de qua intelligit Tertull. lib. aduers. Iudæos illud Deutor. 33. ℣. 27. *Cornua Rhinocerotis, cornua illius; in illis ventilabit gentes. sic*, inquit, *Christi hic cornua significantur, hac enim virtute Crucis, vniuersas gentes nunc ventilat*, vt rebelles prosternens, suos in piscinæ sanguine lauatos, sanet.

Quid significet tamquam occisum. — *Andr. Cæsar.* — *Ad quid cicatrices Iesus gloriosus seruet, & fixuras.* — *Tost.* — *Ezech.* — *S. Ignat.* — *S. Cypr.* — *Cristi cicatrices in Iudicio Beatis exultatio, reprobis cōfusio.* — *Apoc.* — *Quid cornua significent.* — *Apoc.* — *Pier.* — *Cornu fortitudinis typus.* — *Psalm.* — *P. Agell.* — *Cornu. i. Crux.* — *Tert.* — *Deutor.*

Angelus autem Domini secundum tempus descendebat in piscinam.

Sacer text.

CAP. III.

Angelorum erga homines diligens, & vtilis tutela.

1 
Anc particulam, *secundū tēpus* diuersissimodis explicatam inuenio; quoniā enim cōcisis istis verbis, Euangelista, tempus descensus Angeli exprimit; ideo diuersis opinionibus locum fecit. placuit aliquibus hoc tempus in quo Angelus descendebat certum, & determinatum fuisse, adeo vt singulis annis, eodem die Pentecostes contingeret; vt voluit S. Cyrill. Alexand. lib. 2. in Ioann. cap. 125. quo tantum die motam fuisse aquam, & restitutam languido, in eam descendenti sanitatem affirmat. alij sæpius in anno, sed incerto, & vario tempore, hoc factum volunt; ita Euthym. *non semper*, inquit, *fiebat miraculum; sed certis temporibus, hominibus quidem incognitis, verum frequenter, vt opinor*

Tempus quo descēdebat Angelus erat dies Pentec. — *S. Cyrill.* — *Euthym.* — *Sæpius in anno sanabantur lāguidi.*

Ianf.

in anno; Iansen.cap.36. Concord.huic expositioni inhærens; illud *secundum tempus*, perinde esse dicit, ac *aliquando*. Alij demum semel in anno, & incerto tempore hoc existimant contigisse; ita visus est Sanct. Ambros. lib. de ijs, qui

S. Ambr.

initiãtur myster. Quicquid sit de vno, vel multiplici descensu communiter in hoc videntur conuenire, quod per hãc additam particulam *secundum tempus*, denotetur opportunitas illa temporis in qua beneplacitum erat Deo, potentiam suam, hoc miraculo manifestare. Hinc tamen licet colligere promptitudinem, & alacritatem, quà Angelici spiritus ad auxilia nobis tribuenda, & opem ferendam; qui *secundum tempus*, idest, captata opportunitate diuini beneplaciti, & nostræ indigentiæ, non differtur, non procrastinantur, sed statim descendunt; cum enim dicitur: *secundum tempus descendebat Angelus*, perinde est, ac si diceretur: velociter, & ardenter festinabat descendere, vt *sanaretur vnus*.

Festinant Angeli ad nostrã salutem.

Rationabiliter autem quæritur hic à plerisque visibilis ne, an inuisibilis Angelus iste descenderet? & communior opinio inuisibilem fuisse asserit: alioquin enim, non aquæ motum, sed aduentum Angeli præstolati fuissent languidi; & in eius descensu intenti, non in cõmotione aquæ fuissent: cùm tamen Euangelista contradicat, quod *expectabant aquæ motum*. Si igitur inuisibilis Angelus descendebat; vnde, & quomodo sciri potuit, ꝙ hic Dei minister, qui aquam commouebat, esset Angelus? Rab. Moses relatus à Maldon. putat hic nomẽ *Angeli*, non pertinere ad officium, & ministerium: sed esse nomen commune; & per Angelum significari virtutes Dei, quibus aliquid supra naturam fit. sed exploditur hæc expositio, cùm tutius dicere possimus, & debeamus, ꝙ vnus ex Angelicis spiritibus descenderit. sed si fuit inuisibilis, quis illum agnouit, pro Angelo? probabile fit aliquibus, hoc Deo specialiter reuelante innotuisse. Maldon. *ex communi*, inquit,

Inuisibilis Angelus descendebat.

Rab. Mos.

Maldon.

traditione; qua quicquid præter naturã fiebat, per Angelos fieri credebatur. addimus, cùm omnia supernaturalia, tum ea præsertim, quæ ad humanam salutẽ, vtilitatem, & commoditatem quoquomodo pertinent, ad Angelicum pertinere ministerium; ita Tobiæ sanitatem; populi à Babylonica captiuitate liberationem; & alia multa mirabilia, per Angelos, ad humanam vtilitatem operatus est; & Christo pro nobis omnibus passuro in agonia constituto Luc. 22. ℣. 43. *apparuit Angelus de cælo confortans eum*; ideo etiam si Angelus inuisibilis descenderet, hoc tamen, quia pro hominum sanitate, & emolumẽto erat, nullius alterius spiritus, vel virtutis munus esse potuit. & hinc fortasse visum fuit plerisque hunc Angelum eundem Raphaelem fuisse, qui ad sanandum Tobiã iuit; quod ex nomine ipso conijciunt, *Raphael* enim *medecina* Dei interpretatur, cui humanæ valetudinis curam demandatam fuisse, opinantur.

Luc.

Angelus, qui descendebat in piscinam, fuit Raphael.

Sed melius, & diuinæ maiestati conuenientius videmur affirmare posse, non vni tantum, sed pluribus Angelis nostram à Deo sanitatem commissam, quorum aduentu, piscina, sanantiuam virtutem recipiebat; probat dictum S. Patris Anastasij Sinaitæ, lib. 1. in Hexam. *Angeli*, inquit, *sunt Saluatores spiritus, & per se in ipsos* (infirmos iã plene deploratos) *Deus operatur viuificationem*. secundum quod dixit Isidor. de Summ. Bon. *Angeli ad ministerium humanæ salutis deputati sunt*; & est etiam doctrina S. Gregor. in Pastoral. quod *Angeli in ministerium pro nostra salute semper mittuntur*. pendet igitur ab Angelico ministerio nostra salus, & incolumitas in hac vita; cum plurium bonorum cumulo, quæ nobis, Angelica manu administrãte, Deus liberalissime confert; quorum in eo, erga homines suspicienda est Charitas, quod vt eis citius deseruiant, pennas assumunt; & vt *secundum tempus* adsint nostris necessitatibus, semper paratissimi inueniuntur, quod in

Pluribus Angelis fuit commissa sanatio languẽtium.

S. Anast. Sin.

S. Isid.

S. Greg.

hoc

hoc capite adstruemus.

2 Velocitatem, & promptitudinem (cum summa charitate coniunctam) in captanda opportunitate, pro humana salute, in Angelis, clarè aperuit S. Isaacus præsbyter lib. de Contempt. Mund. in Biblioth. SS. Patr. tom. 5. pluribus ostendens, quàm frequenter, in hominum præsidium, diuinorum spirituum purissima agmina descēderint, & auxilium eis præstitura, & ex eorundem Sanctorum virorum cōsortio recreationem receptura: *Quid necesse esse* (inquit inter cætera) *dicere de Monachis peregrinis, & Anachoretis, qui desertum inhabitabant, & fecerunt illud habitabile hospitium Angelorum; ad quos sancti Angeli sæpè accedebant propter conuersationis suæ suauitatem, & vt sub vnius domini protectione constituti, conueniebant ad tempus.* Quasi eiusdem Principis aulici, & eiusdem Regis subditi, se inuicem agnoscunt, & inuicem præstant sibi obsequia Angeli, & viri iusti; congaudent mutuo conuictu, vt mutuo de rebus Regni cælestis, & de adimplenda Regis sui voluntate colloquantur, subdit: *Vnde sicut qui terrena reliquerunt, cælestia dilexerunt, Angelorum imitatores facti sunt; ita iure Angeli suam eis voluntatem non absconderunt: sed ad tempus apparebant eis, qualiter oportebat eos conuersari, docentes, & aliquando quidem eis ambigua exponebant, & quandoque Sanctos per deuia errantes, dirigebant, aliquando verò in tentationibus incidentes, liberabant; & se illis visibiliter ostendebant &c.* & enumeratis adhuc pluribus beneficijs, quæ ex Angelico consortio consecuti fuerūt, addit: *vt quid ergo multa narramus, charitatem exprimendo, quam gratia nostri, & curam, quam gratia iustorum sancti Angeli gesserint, & gerunt?* Hæc ille vir sanctus, ex quibus instruimur verissimum esse id quod dicebamus, Angelos nimirum secundum tempus, in opportunitatibus, nobis, & fidelibus cunctis occurrere, & dubios instruere, ac erudire; errantes dirigere: tentatos tueri; ad extremum in omni necessitate præsto nobis esse. nam quod ignorantibus sint pro doctoribus, & pædagogis, asseruit etiam Sanct. Bernard. serm. 12. in Psalm. *Qui habitat* vbi sic Deum alloquitur: *Beatos illos spiritus propter nos remittis in ministerium; custodiæ nostræ deputas; nostros fieri iubes pædagogus.* De auxilijs vero quibus nos in periculis tuentur euidenter nos docuit Iudith mulier honestissima, & fortissima, quæ sic ad suos (illæsa reuersa) locuta est cap. 13. ℣. 20. *Viuit Dominus, quoniam custodiuit me Angelus eius, & non permisit me dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati, reuocauit me gaudentem in victoria sua.* difficile, & mulieri vix tentandum facinus aggressa, absq; Angelica ope, neque illud perficere, neque præseruari absque peccato potuisset, ideo Deus misit Angelum, qui presto illi adstitit.

3 Neque minor apparuit Angelica promptitudo in Angelo Tobiæ; qui cùm decreuisset filium procul ablegare, ad repetendam pecuniam sibi debitam; tamen quia iuuentuti eius, adhuc inexpertæ, aliquid mali euenire posse, suspicabatur; consuluit ei, vt fidū aliquem socium sibi adsciseeret; cuius consuetudine adiutus, & tutius commeare, & alacrius posset: cap. 5. ℣. 5. *perge nunc*, ait pater ad filium, *& inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum:* nemo enim nescit, quàm periculosum sit, longinquas peregrinationes, absque comite, suscipere; in quibus & grassatorum auiditas pecunijs, & viatorum etiam libertas innocētiæ, & puerili ætati insidias struit. subdit itaque sacer textus: *Tunc egressus Tobias, inuenit iuuenem splendidum, stantem, præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum.* non diù vagari, & laborare debuit in eo conquirendo, sed *egressus*, statim illum *inuenit*; & nota, quòd omnia per quæ Angelus iste describitur, mirificè exprimunt prompti-

Marginalia: S. Isaac. — Recreantur Angeli consortio hominum. — Angeli nos custodiunt, docent, & erigunt. — Angeli pædagogi nostri. — S. Bernar. — Iudith. — Angelorum erga nos patrocinium. — Tob. — Angelus fidelis, & paratus ad ambulandum.

tudinem eius,& alacritatem ad præstandum Tobiæ Iuniori comitatum; dum & *præcinctus* dicitur, quod est paratorum opus; & *stans, & paratus ad ambulandum.* & clarius adhuc eadem alacritas exprimitur in lectione Arabica, in qua pro, *paratum ad ambulandum,* habetur: *tamquam hominem facientem iter*; quasi nulla per ipsum mora esset, quin statim viam inirent: nam particula *quasi*, quæ non realem, sed similitudinariam promptitudinem, prima facie, videtur exprimere, ad veritatem magis, quam similitudinem exprimendam fuit adiecta, quemadmodum etiã Ioan. 1. *vidimus gloriam eius; gloriam quasi vnigeniti à Patre,* significat *verè vnigeniti* ex sententia D. Hieronym. Quòd autem *præcinctus* apparuerit hic Angelus, concordat cum eo Apocalyps. 5. ℣. 6. in quo Angeli egressuri de templo inducuntur *vestiti lino mundo, & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis.* in quibus zonis, & auri pretium, & præcingendi officium, quia non carent mysterio, sunt obseruanda: significatur enim nobile munus, quo expediti ad nostra omnia obsequia Angeli è templi cælestis foribus egrediuntur; ad quam mẽtem optimè scripsit in eum locum Sanct. Andr. Archiepisc. Cæsar. Cappad. *dicuntur*, ait, *Angeli præcincti lumbos circa pectora zonis aureis; vt intelligas in obeundis iniunctis ministerijs ita expeditos esse, vt impediri non facile queant.* quòd ex alis, eisdem attributis, colligit Sanct. Dion. Areopag. Cælest. Hierar. cap. 15. *pennatos Sanctorum spirituum pedes Theologia figurauit, quippe alis signatur celeritas.* His addo quod ait Scriptura: *inuenit iuuenem splendidum stantem.* Et præterquã quod *stare*, adiuuantis est, & ad tutelam, præsidiumque parati; Insuper quòd Tobias *splendidũ* illum viderit; ostenditur summa Angelorum erga nos beneuolentia, protectio, & optatorum consecutio. sensum hunc colligo ex illo Psalm. 4. ℣. 6. *signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo,* quæ verba responsiua sunt immediatè præcedentibus: *multi dicunt, quis ostendit nobis bona?* quasi improperantes obiurgantesque eos, qui in domino suam omnem spem collocarunt, vanũque præstolarentur auxilium. his respõdet Propheta: *signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, idest, vt exponit P. Agell. noster) *leuatum est super nos lumen vultus tui Domine*, *quod est gratiæ tuæ, & beneuolentiæ signũ.* vnde est etiam illud Psal. 30. ℣. 20. *illustra faciem tuam super seruum tuum, saluum me fac in misericordia tua.* & illud Prouerb. 16. ℣. 15. *in lumine vultus Regis, vita, & clementia eius quasi imber serotinus*; ergo *splendida* facies Angeli parati ad tutelam Tobiæ, illius erga nos pietatem, amorem, & præsidium ostendit.

4 Eadem sanctorum Angelorum promptitudo, mirificè denotata fuit 2. Paralip. 3. ℣. 11. vbi describit sacer textus Cherubim, quos Salomon in sancta sanctorum cõstituit. *alæ Cherubim*, inquit, *viginti cubitis extendebantur; ita vt vna ala haberet cubitos quinque & tangeret parietem domus &c.* per hanc alarum latè patentium extensionem, promptitudinem, & dispositionẽ ad volandum pro hominum vtilitate, & adimplendis diuinis mandatis intelligit Raban. admodũ apposito ad propositum nostrum sensu: *extendunt*, inquit, *alas quasi ad volandum; quia Angeli semper habent animum obsequio diuinæ voluntatis paratum.* sed in quo maximè desiderant obsequi Deo? ostẽditur ex sequentibus, cùm dicitur, quòd vtriusque Cherubim alæ ad vtrũque parietem domus, vtrimque pertingebant; ideo subdit Raban. *Quod ala vna tangebat parietem, & ala Cherub secundi alterum parietem, pertinet ad illam Charitatis administrationem, quam nobis Angeli exhibent*; quos vndique circum septos, munimine suo tuentur; adeoque ad hoc munus sunt prompti, vt non pedibus ire, sed expã-

Ioan.

Promptitudo Angelorum in obsequium hominum

S. Andr. Cæs.

S. Dion.

Stat Angelus, vt adiuuet.

Angelorũ protectio ex splendore ostenditur.

Psalm.

P. Agell.

Psalm.

Prou.

2. Paral.

Angelorum promptitudo ad patrocinium per alas denotantur. Raban.

sis alis volare videantur; & sicut apud Tobiam, *Angelus erat quasi paratus ad ambulandum*; ita de istis Cherubim, in templo constitutis, dicitur: *stabant erectis pedibus*, idest, vt exponunt aliqui, habebant vnum pedem magis eleuatum altero, quasi dispositi ad ambulandum, quam expositionem auctori Histor. Sholastic. tribuit Abulens. quæst. 13. in cap. 3. lib. 2. Paralip. Vel *stant erectis pedibus*, seù *parati ad ambulandum*, imò *volandum*, vt illorum agnoscamus studium quo flagrant, vt nos è lachrymarum valle ereptos, ad perennem ducant gloriam, quod voluit ibi Interlin. *Quia nos ab huius peregrinationis ærumna ereptos, ad suum desiderant venire consortium*. properant, & *erectis stant pedibus*, nos libentissimè ad cælestes sedes deducturi. Nec caret mysterio, quod additur ℣. 13. *& facies eorum versa erat ad exteriorem domum*. Cur non potius interiorem domum prospectabant, vbi erat sancta sanctorum, & maiestas diuina apparebat? In exteriori domo morabantur adorantes; hos respicere, & adspectu suo recreare, & ad cælestium gaudiorum desiderium excitare, summopere gaudent; & quasi magis lætantur, dum intenti sunt curæ hominum, quàm sint de diuina visione solliciti. visus est huc respicere idem Raban. *alas*, inquit, *tectas auro, ad oraculi parietes extendũt, sicuti habent facies versas ad exteriorem domum. Quia Angeli, sicut suam innocentiam conseruant; sic de Sanctorum beatitudine gaudent; vt eis, quos adhuc in terris conspiciunt, opem ferant, donec illos ad cælestem patriam perducant*; in qua vltima nostra beatitudo reposita est.

Abul.

Exoptant Angeli hinc nos ad cælorũ gloriam ducere. Interl.

Quasi magis solliciti Angeli de nostra salute quàm de sua Beatitudine.

Raban.

5 Ob hanc eandem promptitudinem, & continuam vigilantiam, qua pro nobis assiduè excubant, sæpissimè inuenimus, Angelos, excubitorum nomine significari, qui non dormitabunt, neque dormient dum custodiunt ciuitatem; de his excubijs interpretatur D. Bernard. illud Cantic. 4. ℣. 3. *Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt Ciuitatem*; in quo præterea ego obseruo, quod ipsi nos adeunt, & *inueniunt*, non autem nos ipsos adimus; quasi ipsi magis sint de nostra salute solliciti: ipsi enim descendunt ad commouendam aquam pro sanatione nostra. Vigiles, alijs quiescentibus, excubant, & ab incursibus, externisque offensionibus tuentur, quod Angelica nobis præstat tutela; Sanct. Petr. Chrysol. in princip. serm. 69. multa enumerans Dei, in humanum genus beneficia, hoc non postremum censet, quod *nobis principatus cælorum nobis ætheriæ potestates; nobis supernæ dominationes; nobis Angelorum officia excubijs militant indefessis*, & quoniam appetente morte (quæ verus somnus est, sicuti somnus est imago mortis) maiores, & sæuiores contra nos inimicorum insidiæ surgunt; ideo tunc maximè auxiliares nostræ excubiæ vigilant. Sanct. Iulian. Episc. Toletan. de orig. human. mort. lib. 1. cap. 10. hoc voluit, cum dixit. *Verissimè confirmamur, quòd in separatione sanctarum animarum, & egressu à corpore, Angelorum semper habeantur excubiæ*. inualescente nimirum, & aditus omnes, tunc maximè, ad nostram perniciem tentante Dæmone, fideles excubitores, creditas sibi animas circũsistunt, & obuallant; sicut diù seruauerunt Israeliticum populum, de quo Procop. explicans illud Isai. 1. ℣. 8. *& derelinquetur &c. Angelicis*, inquit, *virtutibus tamquam vallo cingebatur*, vt non solum pro excubijs, sed pro castris etiam, & vallo esse Angelicam custodiam, intelligas: ac quod de excubijs dicimus, facilius erit intelligere, si in memoriam reuocauerimus, quod ex Veget. adducit. Lipsius Milit. Roman. lib. 5. cap. 9. *excubias*, videlicet, *si qui significare debuissent, per diem fumo, per noctem flammis hoc fecisse*. huius militaris disciplinæ specimen clarissimum habetur Exod. 13. ℣. 22. vbi de Angelo pro Hebræis excubias agente dicitur: *numquam defuit colum-*

Angeli excubitores nostri

S. Bern.

S. Chrys.

Excubias agunt Angeli in hora mortis nostræ.

S. Iulian.

Procop.

Lyps.

Excubiæ per fumũ, & flãmas significatæ Exod.

na nubis per diem; neque columna ignis per noctem coram populo expēde illud *numquam*, & assiduam Angeli excubantis curam, atque custodiam intelliges.

6 Neque minus amorem erga nos ostendunt in celeritate; ex quo factum est, vt, *equi*, sæpissimè in scripturis, & Sanctis Patribus nominentur; de quibus Sophron. Archiepis. Constantin. de Angelorum excellent. orat. 6. *Angeli*, inquit, *sunt Principes, & equi* &c. quod epitheton, illis, ob celeritatem conuenire voluit D. Dion. Areopag. de Cælesti Hierar. *Equorum figura*, ait, *in sanctis Angelis, significat, quia diuinis obtemperant iussis*. Quare in hunc sensum interpretatur illud Abac. 3. ℣. 8. *ascendes super equos tuos, & quadriga tua saluatio*; S. Andre. Archiepisc. Cęsar. Cappad. Comment. in Apocalyps. cap. 43. ait: *& bene dicitur quod quadrigæ istæ Angelicæ sunt saluatio, enimuero pro nostra saluatione, & tutela diuina beneficia circumferunt*; Eadem celeritas pro nostra salute vt vult idem Sanct. Andr. significata fuit Cantic. 1. ℣. 8. iuxta sept. versionem: *equa mea in curribus Pharaonis assimilaui te*. insignis illa equorum in cursu pernicitas, vix referre potest velocitatem Angelorū pro hominum salubritate currentium, & tamen non incongrue dicuntur equi; vt enim adnotat Eustat. in 5. Iliad. ἵππος, idest, *equus*, græcè dicitur παρὰ τὸ ἵπτασθαι ποσί, hoc est, *quod pedibus volet potius, quàm currat*; quod Angelis nos etiam supra accomodauimus, & ideò erectis pedibus stantes, & alatos, supra, adnotauimus; illorum enim tanta est celeritas, vt pro nostra salute, secundum tempus, nulla interposita mora, descendant quàm celerrimè: dicente Euangelista: *Angelus autem* Domini *secundum tempus descendebat, & mouebatur aqua, & sanabatur vnus*. in quo mirificam, cęlestium erga nos spirituum pietatem, velim expendas, qui non dedignantur è cælestibus sedibus in terras descendere, tantummodò *vt sanetur vnus*; quid igitur verosimile est illos facturos, pro multorum salute?

Angeli per equos denotati propter celeritatē Sophro.

S. Dion.

Abac.

S. Andr. Cæs.

Dei beneficia circumferūt Angeli. Cant.

7 Sed quid vnum miramur pro vnius salute descendisse; cùm innumeræ etiam Angelorum legiones, pro vnius tantum custodia, in terra visæ fuerint? Notabilis est pro hac re locus 4. Reg. 6. ℣. 17. ex quo duo eruemus, & quod Angeli sūt celeres equi, & quam soleant conferti confluere ad vnius tantum hominis periclitantis præsidium. Obsidebatur seruus Dei Elisæus à regio exercitu, adeo vt nulla; humanitus, euadendi spes, relicta esse videretur; sed non illi opem suam Angeli denegarunt; nec celeres equi moras duxerūt, quos sensit sibi adesse defensores; *cumq; orasset Elisæus*, ait tex. *vidit, & ecce mons plenus equorū, & curruum igneorum in circuitu Elisæi; isti autem*, ait Abulens. in expositione eius loci *erāt Angeli, qui formauerant de aere corpora talis figuræ*. innumera Angelorum multitudo, pro vnius Elisæi custodia, totum montem compleuerat, & ideo Propheta puero in aduentu hostilis exercitus consternato, dixit ℣. 16. *noli timere; plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis*; nouerat enim diuinus vates cælestes equos properasse ad suam custodiam; ad quam expositionem accedens Lyran. *sciebat*, inquit, *per Spiritum sanctum, protectionem Angelicam, in sui auxilium aduenisse*. sciunt viri iusti, quàm pernices alas induant cælestes illi tutelares spiritus, & quàm velociter properent, cùm, suo aduentu, se nobis profuturos cognoscunt; quod in eodem Elisæi facto obseruauit S. Ambros. serm. 1. de Elisæo, qui est 86. citatus in gloss. DD. Duacens. *ò fides*, inquit, *Sancti Prophetæ; non timet aduersarios, quos conspicit, quoniam scit secum Angelos esse, quos credit: non metuit terrenas insidias, quia cælestia sibi adesse nouit auxilia*. Quòd si quis quærat, vt quid multo plures ex An-

Angeli sub equorum forma veloces ad presidium nostrum.

4. Reg.

Lyran.

S. Amb.

gelicis

gelicis spiritibus in auxilium Elisæi descenderint, quàm qui illi insidiaban tur, adeo vt plures cum Elisæo Angeli essent, quàm cõtra eum homines; cùm vnus tantum Angelus, possit sua virtute potẽtissimos exercitus prosternere; vt de eo, dicitur qui vna nocte cẽtum octuaginta quinq; millia Assyriorum cecidit. satis igitur illum vnus tueri poterat à regijs. Respondere possumus, adeo esse nostri amantes beatos illos spiritus, & adeo, nobis, gaudent in opportunitatibus famulari, vt non ad necessitatem tantum; sed etiam ad redundantiam velint, & properent nobis assistere; & ijs præsertim quos magis deo suo charos esse norunt. Vel potius contentiosum Angelorum famulatum, hinc, erga nos colligimus, dum certatim quisque, & non requisitus, nec ad opus necessarius, conuenire tamen contendit, & ambit. S. Ambros. hoc dixit expendens hũc Angelorum Elisæo adstantium frequentiam lib. de Virgin. *Quo sanctior quisque est, eo munitior; sic Elisæus Propheta, exercitus Angelorum sibi adesse monstrauit.* in quib. verbis hærere aliquis posset: si enim qui est sanctior necessario etiã est fortior, minus certè externi erit auxilij indigus; non igitur qui sanctior munitior, sed qui infirmior, & imbecillior, fit ergo munitior nimio Angelorum concursu ex amore erga nos properantium. Vel fortasse, alio etiam sensu, dicit hoc Ambr. quia Dæmon sæuius impugnat sanctos, occultius ad eos irrepit, & gloriosius illos vincit; ideo fortiori indigent munimine. Vel quia sãctos inter res pretiosas seruat, ea autem quæ in prætio apud nos sunt, diligẽtius custodimus, & centum clauibus seruamus, & obseramus; ideo quo quisque sanctior, & Deo charior, eo Angelico præsidio, & tutela munitior est.

Angelorum erga nos contẽtiosus famulatus.

S. Ambr.

Sanctiores, maiori indigẽt præsidio.

8 Idem Angelicum præsidium sub equorum figura, significatum fuit, Abac. 3. ℣. 15. *Viam fecisti in mari equis tuis*; eiusmodi Equi, Angeli fuerunt, qui in mari rubro, Israelitis, præiuerunt; qui nobis etiam inter angustias, & tribulationes citissimi occurrunt; vt ex sequentibus verbis colligitur. *in luto*, inquit, *aquarum multarum* aqua, & præsertim marina, angustias & necessitates significat, vnde Propheta summore afflictus dicebat Psal. 68. ℣. 3. *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me*; & multo magis exaggeratur calamitas quando aquæ lutum efficiunt; vt idem psaltes significaturus liberaturus tum se se diuino auxilio è summis, maximisque periculis, dixit Psalm. 39. ℣. 2. *eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis.* Cùm ergo in *mari, & luto equis suis*, idest, *Angelis* viam facit; ad quæcumque euadenda, & superanda pericula, Angelica erga nos adhibet ministeria. Cuius rei experimentum habemus Zach. 1. ℣. 8. *vidi*, inquit, *per noctem, & ecce vir ascendẽs super equum rufum, & ipse stabat inter myrteta, quæ erant in profundo.* per hunc *equum*, *Angelum* denotari, volunt Hieron. Theodor. & alij, qui descenderat ad liberãdos Hebræos à Babylonica seruitute; & quoniam regio illa palustris est, & aquosa; ideo dicitur: quòd *erat in profundo*; nobis tamen significare potest, etiam in rebus omninò desperatis, & deploratis, auxiliares Angelorum manus, posse esse præsidio; etiam è profundo, & imò angustiarum pelago, fore ab ijs eripiendos. Sed quare inter myrteta, & loca vmbrosis arboribus consita, apparet Angelus, cùm ad liberandos captiuos venit? *& ipse*, inquit, *stabat inter myrteta.* nulla enim videtur esse conuenientia, cum myrtus fuerit hilaritatis indicium, qua in mensis coronabantur; quare, Veneri, gaudiorum numini, dicata fuit. Angelo itaque qui ad liberandos afflictos venerat, ad mostrandam commiserationem infelicitatis eorum, conueniebat locus spinosus, & senticosus, non deliciosus, & myrtæus. sed respondere possumus, quòd nullus non locus,

Abac.

Angeli, equi sal[...]us.

Psalm.

Zach.

Angelus in equi forma descendit ad tutelam Hebræorum.

Hieron. Theod.

è malorũ profundo liberant Angeli.

Angelorum consortio, tribulationes in delicias cõmutantur

quantumuis aquosus, & calamitosus, Angelo adstante, fit deliciosus. nescit Angelus nisi inter myrteta commorari. Vel apparuit. *inter myrteta*, quia ex myrto parantur munimenta, & sepes, quibus hortos, & villas vallamus, vt ab externis injurijs tueamur; ideo Martial. lib. 3. epigr. 57. myrtum buxo coniunxit, cum vtraque sit sepiendis villis idonea.

Angeli, hominum munimenta.

Mart.

Non otiosis ordinata myrtetis,
Viduaque platano, tonsiliq; buxo.

significaturus itaque Angelus, se, sua custodia, instar sepis munire oppressos *inter myrteta* apparuit. nam hanc eandem Angelicam custodiam sepis nomine designauit Saluator in parabola vineæ Matth. 21. ℣. 33. *Et sepem circumdedit ei.* Vel demum *inter myrteta* emicuit, ad denotandam fortitudinem quam pro defensione nostra Angeli ostendũt; fuit enim *myrtus* symbolum *fortitudinis*, vt adstruit doctissimè Carol. Paschal. de Coron. lib. 7. cap. 20. qua redimiri solitos, milites, tradit Tertull. de Coron. mil. qui, scilicet, fortitudinis specimen ediderint; sic Hercules apud Euripid. in Alcest. ob fortitudinem, relatus inter Deos, ramis myrti coronatus incedit. Angelorum verò, pro nobis præliantium, inuicta fortitudo significata fuit, Exod. 13. ℣. 16. *in manu forti eduxit nos Dominus de Aegypto*, & per *manum fortem, Angelica custodia* intelligi debet. quia verò certi sunt Angeli de victoria, dæmonumque triumpho; cùm pugnaturi descendunt, priusquam in campum veniant coronantur, ideo inter myrteta degunt.

Matth.

Angeli sunt fortes, vt nos tueãtur.

Paschal.

Tertull.

Myrto coronantur fortes.

Exod.

Angelorum secura victoria.

9 Quin tantus est Angelorum, erga nos amor; vt quando Deus peccata punire decreuit; soleat plerumq; Angelorum conspectum declinare, perinde ac si vereatur, ne impedimentum ab eorum intercessione, & patrocinio, diuinæ vindictæ objiciatur; Vel quia ijs præsentibus aliquantum de rigore, & seueritate iustitiæ remittere cogeretur; ne eos, quos nostrum nouit esse amantissimos, supra modum affligeret. quod obseruatum inuenio apud Ezech. cap. 10. missurus enim Deus ministros suos ad comburendam, & perdendam Hierusalem vt ibi dicitur ℣. 2. secessit ad declinandam præsentiam cælestium spirituum; ideo dicitur ℣. 4. *& eleuata est gloria Domini desuper Cherub ad limen domus.* diceremus commodè Italicè; *vscì di casa.* Cur sedem illam sibi conuenietissimam reliquit Deus? cur à Cherubim recedit? Agebatur de castigandis hominibus, graues, illis, ruinæ præparabantur à diuina iustitia: neque modicum erat malum, quod miseræ vrbi impendebat, cùm dixisset ℣. 2. *imple manum tuam prunis, & effunde super ciuitatem.* quo igitur tempore horrendam sententiam Deus erat pronunciaturus, secessit à Cherubim, ne corã eis disceptatio, & iudicium de puniendis hominibus fieret, & aliquo pacto innotesceret Angelis, qui in Deum sunt potentissimi, & in nos amantissimi, atque eorum precibus flecteretur, & parcere cogeretur.

Declinat Deus Angelorum conspectũ vt punire peccatores possit.

Ezech.

10 Et adhuc ad confirmandam eandem doctrinam de amore, & patrocinio singulari, quo humanum genus Angeli tuentur, non est omittenda alia eiusdem loci Ezech. pulcherrima ponderatio. Inuenio plerumque in sacris litteris: *manum* esse *protectionis* symbolum, ita Isai. 33. ℣. 2. *esto brachium nostrum in mane; & salus nostra in tempore tribulationis:* & Exod. 13. ℣. 16. vt paulo supra diximus: *in manu forti*, ponitur pro valido patrocinio: sicut quando dicitur Luc. 1. ℣. 67. *manus Domini erat cum illo.* postquam igitur iussu Domini paratum fuerat Hierusalem incendium, & ruina Exod. 10. ℣. 2. *ingredere in medio rotarum quæ sunt subtus Cherubim, & imple manum tuam prunis ignis, & effunde super ciuitatem:* cùm iam vastator diuinæ vltionis, ignis, paratus esset, & cuncta, humanam perniciem viderentur minari: vnicũ Angelorum

Manus protectionis typus.

Isai.

Exod.

Luc.

Patrocinium Angelorum adest auxilio destitutis.

patro

patrocinium, miseris supererat; ideo subditur ℣. 8. *& apparuit in Cherubim manus hominis, subtus pennas eorum.* apparuit manus illa salutaris, symbolum protectionis, vt in destitutis rebus, tempestiuum remedium, Angelica protectione afferri scias, ad temperandam, ac coercendam sæuientem diuinam vltionem. tunc, cùm nullis viribus, nulla ope videretur ira Dei posse cohiberi, tūc inquàm Angelus manum admouet, deploratis rebus, præsens remedium allaturus. sed in hoc facto mirari satis non possum, cur hæc, quæ *apparuit; manus hominis* fuisse dicatur; nam si fuit qui apparuit Angelus, cur *hominis manum* habuisse dicitur? Denotabatur leuior pœna; nam Angelica manus fortis est, & in puniendo grauis, ideo vt pœnam citra condignum, & leuiorem culpa futuram significaret, humanam manum ostendit. Vel *hominis manus* apparuit, quia ita hominum commiserebatur, vt quod de summopere amantibus dicitur, quasi in hominem conuersus videretur. Aut probabilius, quia ipsemet homo suis malis operibus, & peccatis flagellum illud promeruerat; ideo humanam (ad emendationem eiusdem) manum assumpsit: nam Angelica manus nescit quasi punire, cùm nesciat delinquere; significatur itaque quòd ab ipsomet homine peccatore manū mutuatur, vt fiat illud quod dicitur Isai. 74. ℣. 7. *allisisti nos in manu iniquitatis nostræ*; quasi enim suis manibus Angelus punire hominem non potest, ob nimium amorem, quo illum prosequitur. Vel demum vt multum remitteret, & mitigaret diuina supplicia, seque lentum, ignauumque ostenderet ad inferenda contra nos Dei supplicia. hoc inde colligo, quia *manū* hanc posuit Cherub *sub pennis*, quod est signum non rigidæ, & acceleratæ; sed lenis, & lentæ percussionis. nam ita Prouer. 19. ℣. 24. dicitur: *abscondit piger manum suam sub axilla*, qua loquendi formula tarditas, & segnities in agendo summa exprimitur; nam etiam apud Pier. lib. 35. sicuti *expedita manus, & in propatulum prolata, opus, auctoritatem, atque potestatem indicabat; ita nihili hominem, ignauum, & otio desidiaque torpescentem significare si vellent, manus eius in sinum consertas effingebant.* cùm ergo audis de Angelis: *manus hominis sub pennis eorum* scias hanc segnitiem, & tarditatē in percutiēdo adhibendam ab ipsis eo gestu significatā, & quòd in flagellandis hominibus, Angelica velocitas torpescit; & igneus ille ardor refrigescit: Quid plura? manus Angelica, quę exerta esse solet, & negotiosa; facta languidior ociatur; ideo apparet *sub pennis* latens; non expedita ad puniendum, sed torpida, & deses. Et hinc est quod Sophonius Archiepisc. Constantinop. de Angel. excellent. orat. 6 hāc in die iudicij, & seuero illo examine ab ijsdem lenitatem humillimis verbis deprecatur. *Vos ait, ò Angeli actiones meas trutina expensuri estis; cunctaq; quæ vel palam, vel clam designaui, calculaturi: vel placidos clementesque vos mihi exhibeatis; bilancemque quam prauis meis operibus perditè grauaui, dexterè subleuetis; eandemque tamquàm solius clementis Dei ministri, quauis ratione, & arte exonerare studeatis*, hoc est non exertam, & patulam, sed latentem manum in puniendo adhibete; quæ vt vulgo dicitur: *può dare il tratto alla statera*. & huc fortasse pertinebat illa Saluatoris nostri hortatio Luc. 16. ℣. 9. in parabola Villici. *Et ego vobis dico facite vobis amicos de mammona*; idest, deuotionibus, & eleemosynis in gratiam Sanctorum Angelorum, eorundem vobis fauorabile patrocinium conciliate; ita exposuit hoc Sanct. Ambr. *ideo*, inquit, *ait; facite vobis amicos de mammona; vt largiendo pauperibus, angelorum nobis, cæterorumque sanctorum gratiam comparemus.* isti enim sunt, qui cùm defecerimus, & in trutina expensi, inuenti fuerimus minus habētes, possunt, pec-

Angelus manum habet hominis, quia mitis in puniendo.

Angelus amore, in homine commutatur.

Sua, non Angeli manu punitur homo.

Isai.

Piger Angelus vt nos puniat.

Prou.

Pier.

Sophro.

Bilanx nostro peccato exoner. cautè Angeli.

Luc.

S. A.

catorum nostrorum grauantia onera sublevantes nos in æterna tabernacula recipere.

11 Videtur enim proprium illorum munus esse diuinam vltionem mitigare, & coercere. quod optimè intelligemus, si memoratum sæpius à nobis Ezech. currum in mentem reuocauerimus, de quo apud Proph. cap. 1. cuius descriptio, quamuis mysteriorum copia sit refertissima, alijs tamen in alium locum reseruatis; satis erit nunc perquirere, quid sibi velit multitudo illa oculorum in rotis, de quibus dicitur ℣. 18. *statura quoque erat in rotis, & altitudo, & horribilis aspectus; & totum corpus oculis plenũ, in circuitu ipsarũ quatuor*. refert Maldon. Expositionem quorundam, quæ neque ipsi videtur improbabilis, per hos *oculos* significari *Principes*, & *Consiliarios* regnorum, qui frustra consilium ineunt, ad conseruandum Regnum, cùm Deus illud perdere decreuit. Congrua tamen textui videtur litteralis eiusdem Maldon. expositio, qui curru illo, diuinã indignationem significatam fuisse putat contra Hierusalem; exprimitur enim summa, & minax indignatio, per illum ignem, qui in hoc curru fuisse dicitur; quatuor verò animalia, quatuor fuerunt Reges nimirum Chaldæorum, Assyriorum, Aegyptiorum, & Tyriorum, quorum opera, Hierusalem afflixit, & vastauit Deus. igitur *oculi*, qui *in circuitu rotarum* illius currus apparuerunt; Principes, & Consiliarij erãt, qui quasi impedientes, & retardantes rotas illas, Hierusalem incendium, & Regnorum deuastationẽ remorari contendebant, dùm discurrentibus rotis se opponebant. Nec mirum quòd isti quatuor Reges, cùm ad inuadendum Israeliticum Regnum properarent, tot Principum, & Consiliariorum multitudine stipati fuerint quot oculi dicuntur fuisse in rotis *totum corpus oculis plenum*, cùm numquam desint comites ijs, qui ad Regnorum accipiendã possessionem proficiscuntur. vulgatum est enim illud cùm Dominus Hierosolymam ascensurum se dixit, crediderunt audientes, illum temporaliter regnaturum ideo Matth. 20. ℣. 20. *tunc accessit mater filiorum Zebedæi cum filijs suis, adorans, & petens, dic vt sedeant &c.* isti tamen *oculi*, rectè vocantur, quia intenti sunt non vt Regi, Regisque negotijs inuigilent, sed vt sibi prospiciant, & prouideant. pro qua re obserua, quòd vbi erant oculi, manus apparuit ℣. 12. *& omne corpus earum, & colla; & manus, & pennæ, & circuli plena erant oculis* in circuitu *quatuor rotarum*; cur inquam manus, & oculi? nisi quia quod oculus videt, manus rapit; & ad hoc vigilant aulici, vt diripiant. Facit tamen ad rem nostram pro solutione huius dubij doctrina Pier. Valer. lib. 33. §. *quatenus vero* &c. asserentis oculos accipi posse pro Angelorum hieroglyphyco; non solum quia à Deo lumen, & irradiationem accipiũt vt a sole stellæ; sed etiam quia *oculus* est symbolum *custodiæ*, quam nobis semper Angeli impendunt. hinc habes Apocal. 5. ℣. 6. *& vidi &c. agnum stantem tamquam occisum habentem cornua septem, & oculos septem, qui sũt semptem spiritus Dei missi in omnem terram*: neque tamen adhuc expedita videtur hæsitatio: quo enim pertinet cõferta hæc Angelorum in rotis multitudo? certe locus multo congruentior illorum dignitati potuisset assignari, cum rotarum sedes, videatur Angelica excellentia indigna. sed considerare oportet; quod nihil facilius sistere, & remorari potest impetum currus velocissimè currentis, quàm si ab obice aliquo sufflaminetur; ideo sicut ex interpretatione relata à Maldon. *oculi in rotis, Principes sunt, & Consiliarij*, qui Regnorum conseruationi studentes currus illius cursum, rotis affixi, impedire conabantur, ne ad exitium, & deuastationem concitè pergeret: ita nos multo congruentius per hos oculos Angelos accipientes; dicere possumus

Ezech.

Maldon.

Illustratur Ezech.

Principes & Consiliarij intuitu Dei se opponunt ordinationi

Regnantibus non deest comitatus.

Matth.

Aulici vigilant nõ Dominis, sed sibi vt rapiãt

Pier.

Oculus custodiæ symbolũ, Angelos figurat.

Apoc.

Angeli remorantur diuinam contra nos indignationem.

mus, quòd in rotis contisterunt, vt diuinā indignationē aliquatenus remorentur; & hunc currū velocissimè ruētē patrocinij sui sufflamine inhibeant, & sistāt flagella Dei effuso cursu in peccatores præcipitātia. cuius rei, nō leuis confirmatio sumi indidem potest cap. 10. ℣. 5. in quo cùm iam mandatum fuisset, vt Hierusalem destrueretur, & cùm iam diuina maiestas recessisset à templo, vt cædes, & exterminium Ciuitatis compleri posset, ait tex. *& sonitus alarum Cherubim audiebatur vsque ad atrium exterius*. iste sonitus alarum, erant preces cum commiseratione, & manuum complosione, qua Cherubim interpellabant, & clamabāt pro salute, & incolumitate Hierusalem; imò peccatorum omnium. Et obserua quòd *sonitus*, seù *vox* illa Angelorum alis tribuitur: *& sonitus alarum*, vt ex illorum protectione voces illas proficisci nosceremus, sunt enim *ala protectionis* typus; *audiebatur* autem *vox ista vsque ad atrium exterius*, illo enim diuerterat Deus vt dicitur ℣. 4. *& eleuata est gloria Domini desuper Cherub ad limen domus*, vt inquam ibi sententiam mortis pronuntiaret (vt supra adnotauimus) vt ergo audirentur, & exaudirentur Angeli pro nobis precatores, ita clamant, vt vsque ad atrium exterius, illorum pertingant voces. Nec prætereundum quòd *sonitus*, seù *vox* Angelorum, erat *quasi vox omnipotentis Dei loquentis*, vt inde non solum vigorem, & ardorem Angelorum acriter, & alacriter pro nobis precantium, & clamātium colligas, sed etiam efficaciam, & vim veluti infinitam apud Deum impetrandi pro nobis intelligas, quorum vox aliquid omnipotentiæ habet: ideo dicitur *quasi vox Dei omnipotentis*, qui omnia suo omnipotenti verbo potest, & facit.

Angelorum preces pro nobis efficaces, & quasi omnipotentes

12 Et ob hunc amorem, quo homines prosequuntur, fit; vt sicuti pro eorum salute, & incolumitate sunt vigilantissimi, & laboriosi; ita ægrè, & lentè ea exequantur, quæ illis noxia forè præuident; adeo vt ijs manum admouere detrectent. Notatur hoc Apocalyps. 11. ℣. 1. Quo loco ait de se Ioannes: ℣. 1. *& datus est mihi calamus similis virga, & dictum est mihi; surge, & metire templum Dei, & altare &c.* At verò eiusdem Apocalyps. cap. 21. ℣. 15. cùm metienda esset Ciuitas sancta, ad hoc munus non delegatur Ioannes; sed ipsemet Angelus mensus fuit: *& qui loquebatur mecum habebat mensuram arundineam auream, & metiebatur Ciuitatem, & portas eius, & murum*. cur non vtrobique metitur Ioannes, vel Angelus, sed primum Ioannes, deinde Angelus? Magna differentia erat rerum metiendarum; nam *calamus ille similis virga*, de quo cap. 11. erat mensura tribulationum, & afflictionum, quibus peccatores plectendi erant; vt alibi ex sententia Alcazar notabamus. Sed cap. 21. per *Ciuitatem sanctam*, eiusque ambitum, æterna gloria, & beatitudo electis suis à Deo præparata, eiusque immensa infinitas significatur. bona, commoda, fælicitatem, & gaudia hominum metiri, designare, & considerare gaudet Angelus, vt nobis illa tribuat, ideo nemini hoc munus adscribit: è contra verò tribulationes, flagella, & calamitates eorundem fastidiosè tractat; ideo ad hoc opus elegit Ioannem; cui *datus est calamus virga similis*, vt miserias venturas consideraret. Hinc collige quantum apud Deū pro nobis possit Angelus; & quantum nos eius fauore indigeamus, in cuius manu est mensura nostræ fælicitatis; & de cuius manu mensuram bonam, confertam, & superfluentem recepturos nos esse speramus.

Angeli ægrè, & lentè exequuntur quæ nobis sūt noxia

Apoc.

Apoc.

Nobis vtilia amplectuntur Angeli, noxia renuunt ne exequantur.

13 Imo ipsos etiam homines tardos, plerumque ad annuncianda bona, stimulant, & incitant Angelici spiritus, quo velociores sint pro afflictorum consolatione. detinebantur filij Israel sub duro, & diuturno Babylonicæ seruitutis iugo; misit Dominus

Ezech.

ad ijs annunciandam voluntatem suam Ezechielem, vt ipsemet narrat cap. 3. ℣. 11. *fili hominis, vade ingredere ad transmigrationem, ad filios populi mei, & loqueris ad eos &c.* ad hanc legationem destinatus Propheta, quasi cunctabundus hærebat; cùm illum Angelicus spiritus correptum ad diuina exequenda munia, in hominum captiuorum vtilitatem, & consolationem, quasi coegit: *& assumpsit* (subdit ℣. 12.) *me spiritus*. per hunc *spiritum* Sanctius intelligit *Angelum*; quam expositionem tenuerunt etiam alij quos ipse citat; & præsertim Polichron. adductus à Villalp. dicens: *Quoniam viderat illum cunctantem, rapuit quasi per vim ab eo loco, vbi erat; & per aera sublatum traduxit in mediam captiuitatem*; quemadmodum etiam Loth ab Angelis, cùm pigritaret, exire de Sodomis eductus est, & positus extra ciuitatem Genes. cap. 19. ℣. 16. *dissimulante eo*, ait Scriptura, *apprehenderunt* (Angeli qui descenderant ad incendendas, & perdendas infames Ciuitates) *manum eius, & manum vxoris &c.* & paulo infra ℣. 21. dixit ei Angelus. *non subuertam Vrbem pro qua locutus es; festina & saluare ibi.* procrastinantes, & salutem suam differentes Angeli stimulant, & compellunt; qualis etiam fuit cura illa, & sollicitudo, quam adhibuit spiritus dum Ezechielem assumpsit, adduxitque, vt afflictos captiuos consolaretur. sic etiã apud Danielem.

Angeli excitant cunctabundos homines ad annunciandum bona

Sanct.

Polichr. Villalp.

Genes.

Procrastinantes propriam saluationem, Angeli stimulant.

14 Vnum tamen videtur omnibus hactenus dictis obstare; & curam Angelorum erga nos obscurare: si enim tot, tantaque in humanum genus conferunt beneficia, si sẽper præparati sunt, & prompti ad tutelam, & custodiam nostram, quibus excubant, pro quibus Deum precantur, à quibus diuina flagella amoliri satagunt; Quare tantundem nobis detrimenti afferunt, subministratis opibus? quas nemo nescit in humanam perniciem inuentas esse, quibus illiberaliter abutimur, & Creatorem Deum peccando irritamus? vt de damnis diuitiarum diximus ad Dominic. 1. Quadr. cap. 7. & tamen Angelorum (præ cæteris) munus est diuitias dispensare; quos sic alloquitur Sophron. supracitatus. *Vos*, inquit, *opum estis datores*. diximus etiã alibi; quod qui nocere alicui vult maximè potest datis illi opibus; quia vt dicebat Chilon, *opes thesaurum sunt malorum*, & Saluator noster Luc. 8. ℣. 14. spinis comparauit, in parabola eius qui seminauit semen: *Quod autem in spinas cecidit*, inquit, *hi sunt qui audierunt, & à sollicitudinibus, & diuitijs, & voluptatibus vitæ euntes, suffocantur*; comites diuitiarum sunt sollicitudines, & brutales voluptates, & pungentes spinæ; Quomodo igitur de hominibus benemerẽtur Angeli, dum sunt *opum datores*? Imo si rem ipsam benè consideremus, hoc est maximum beneficiorum omnium, quæ ab Angelis accipimus; & multo magis in hoc de nobis, quàm in plerisq; alijs fauoribus curã se gerere profitentur, quòd ministerium istud (opes distribuendi) pro nostra vtilitate exercere non dedignãtur; ex quarum nimia copia, quoniam innumera mala oriuntur, ideo optimè de nobis merẽtur Angeli, cùm opes, pro singulorũ captu, ita dispensant, vt quàm minimum fieri potest, ab eorum vsu detrimentum capiamus, & multa commoda, quæ ex ijsdem rectè administratis prouenient, percipere possimus. Pythagoras apud Stob. serm. 92. dicebat: *neque equum sine fræno, neque diuitias sine prudentia gubernari possunt*: hãc moderationem, & hunc modum in regendis opibus qui seruat, ad multas vtilitates, ijs, tãquam equo vtitur; ideo Prouer. 30. ℣. 8. dicitur *mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria*: ergo Angelorũ summæ prudentiæ committẽdæ erant diuitiæ; de Angelis enim dicit S. Bern. in serm. in Psalm. qui habitat: *fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt*,

Angeli, opum datores.

Sophro.

Opes, thesaurum malorum. Luc.

Ad nostram vtilitatem, Angeli, opes nobis ministrant.

Pythag. Prudentia, diuitiarum frænum.

Prou.

Angeli prudenter fideles t, potentes.

eorum

eorum ergo Angelorum admirabilis apparet erga nos cura, qui necessarias tantum opes suppeditant; nam vt ait idem S. Bernard. *deuotio diuitias parit, sed filiæ suffocant matrem*; quando videlicet nimium crescunt. Quare cùm B. Pater, & Fundator noster Caietanus Thienæus in maxima esset necessitate, sicut Angelicum ministerium expertus est, e cuius manu pecunias accepit; ita prouidam Angeli sui curam sensit, à quo ea pecuniarum summa allata sibi fuerat, qua instantibus, & vrgentibus tantum indigentijs, occurrere posset; & in hoc apparet singularis Angelorum erga nos cura.

B. P. nostro Caietano Angeli necessarias pecunias ministrant.

15 Tradit Lil. Girald. sintag. 17. & Pausan. lib. 6. *apud Eleos, Plutonis, diuitiarum præsidis templum semel tãtum in Anno patefactum fuisse, & quamuis patens esset nulli tamen introire licuisse*. è contra refert Alexan. ab Alexan. lib. 1. cap. 14. *Corinthi necessitatis, & violentiæ Phanum fuisse, à cuius limine arceantur omnes*. Hinc colligimus rem per molestam, & intolerabilem videri hominibus necessitatem, & paupertatem, cuius proinde limen omnes declinant, nemine ad litandum ingredi tẽtante. sed templum præsidis diuitiarum, adeo omnes frequentant, vt præ nimia multitudine, aditum illius tentantium clausum seruare illud oporteat; sumus enim omnes ad opes nimium propensi, ideo harum dispensatorem Angelum constituere oportuit, ab earum desiderio penitus alienum, & pro cuiusque necessitatibus eas distributurum. Cùm enim in alijs plerisque, tum præsertim in hoc, dandi opes, munere, conueniũt Angeli cum Mercurio, quem veteres inter sua falsa numina venerati sunt (si fas est prophanis sacra componere) fuit Mercurius nuncius interpresque Deorum qui teste Phornuto Ἄγγελος θεῶν dicebatur, cuius hymnum sic exorsus est Orpheus. *Audi me Mercuri Iouis Angele:* ideo talaria habebat. sunt etiam cælestes spiritus aligeri, & nuncij, vota hominum Deo, & beneficia diuina hominibus nunciantes, hinc Apocal. 8. ℣. 3. dicitur. *& alius Angelus venit, & stetit ante altare, habens thuribulum aureum; & data sunt ei incensa multa, vt daret de orationibus Sanctorum &c. & ascendit fumus de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo*. Appellabatur Mercurius *promachus*, idest, *propugnator*, referente Pausan. & *eubodius* quasi bonam viam parans. Angeli etiam sunt nostri propugnatores, & apud eundem Sophron. in eadem orat. 6. appellantur *Conductores, & via duces*, & paulo infra. *ô sancte Angele animarum propugnator, corporum conseruator*; qualis fuit Azarias, qui Tob. 5. ℣. 15. dixit: *ego ducam, & reducam eum ad te*. Mercurius, *Camillus*, à veteribus dictus fuit, ex Seru. apud Virg. & Plut. in Numa; ex quo obseruat Girald. sintagm. 9. ex Esichio, eundem διάκονον, idest, *Ministrum* Græcè appellatum; erant enim *Camilli*, maiorum sacerdotum Ministri; quod etiam nomen Angelis tribuit idem Sophron. *sacrorum*, inquit, *ministri, & diaconi dicimini*; & ideo fortasse *Angelus, forcipe, de altari sumpsit ignem*, ad purganda labia Isaiæ cap. 3. ℣. 6. neque enim timere poterat ignis ardorẽ, cùm apud Ezechielem 10. ℣. 7. *manus impleuerit prunis*. Sed quia hic non erat ignis sacer, nec sumebatur de altari; ille vero, de quo refert Isaias de altari sumptus, fuit typus sanctissimi corporis Christi (vt voluit Theodor. & pluribus probat Leo de Castro in cap. 3. Isai. *adumbrat*, ait Theodor. *hic calculus Christum Dominum, maximè autem in Eucharistia, neque enim sine causa sumptus est de altari*) ideo hunc accepturus Angelus, qui est *Diaconus*, & minister, *forcipe* vtitur; Angeli enim, perinde ac diaconi sacerdotibus inseruientes, pixidem, & vasa sacra tangunt; ipsum sacrosanctum, & venerabile Christi Domini corpus non tangunt. & hinc obiter sacerdotum præ-

Sil. Gir. Pausf. Plutonis templum semper obseratum. Alex. ab Alex. Templum necessitatis, & violentiæ nemo ingreditur.

Diuitias sectantur mẽdecitatem deuitant oẽs.

Angelus nuncius, & interpres Dei.

Apoc.

Angelus propugnator, & ductor.

Sophron.

Tob.

Angeli ministri, & diaconi.

Sophr.

Isai.

Leo de Castro. Theodo.

Sacerdo. dignitas supra Angelos.

claram dignitatē pende, quibus Deus voluit Angelos pro diaconis, & ministris inseruire in sacris rebus obeundis; & quibus datū est augustissimum Sacramentum manibus tāgere; ex quo deberent inflammari ad æmulandam Angelicam puritatem, & charitatem; cum præsertim quotidie in missæ sacrificio, labia sua ignito hoc diuini verbi calculo purgēt. Ad extremum, Mercurius, etiam κερδῷος, idest, *lucri dator* appellatus fuit, vt refert Lambin. ad Plaut. Amphitr. & meminit etiam Plutar. de tranquill. per illum enim pecuniæ à Dijs dispensabantur hominibus; hinc ipse apud Lucian. in Timō. cæcū Plutū dirigit. eundē Mercuriū precabantur, quæstuosū aliquod negociū aggressuri, eidem pro quæstu gratias agebant; Comicus in Stich. *Neptuno gratias habeo, & tempestatibus; & simul Mercurio, qui me in mercimonijs iuuit*; quod munus multo congruentius Angelis nos adscribimus, quos *opum datores* appellatos fuisse diximus.

Sacerdotes sancti esse debēt

Lambin. Plutar.

Angeli, opum datores.

16 Sed maxima in hoc cautio adhibenda est, quòd Dæmon, cùm sæpè alias transmutat se in Angelum lucis; tum præcipuè vt oblatis ab eo intempestiuè superfluis diuitijs, abutamur ad nostram perniciem; nam etiam sāctissimo Dei seruo, & summo opum contemptori Sancto Francisco iter facienti, crumenam nūmis plenam, in via iacentem, obtulit; vt refert in illius vita S. Bonauent. sed necquicquam opibus Francisci animum sollicitare studuit, qui fraude veteratoris cognita (ex eo maximè, quod si Angelica manu allatæ fuissent pecuniæ, non redundantes, sed necessariæ tātum fuissent) hostis artem, contemptis opibus, elusit: neque diu astus latuit: nā vix dū Francisco prætergresso, horribilis ex crumena Draco prosiluit: qui absque dubio diabolus fuit. ex quo facto confirmatur, quod diximus, Angelos ideo opum esse datores, vt eas pro necessitatibus seruis Dei distribuant: diabolus vero etiam abundantes suppeditat, quibus delitiosè, & quandoque luxuriosè absumptis, animas sibi lucrifaciat. Quam Angelorū in distribuendis opibus curam, & singulare studiū confirmabimus, ponderando duo alia Epitheta, quibus illos describit idem Sophronius. *Angeli*, inquit, *sunt Principes, & equi, & diaconi, & libripēdes, & calculatores*; cur enim appellantur *libripendes, & calculatores?* ex Plin. lib. 33. Nat. Hist. cap. 3. discimus; *libripendes* dictos à veteribus Romanis, *stipis*, idest, militarium stipendiorum pensatores; nam ante Pyrrhum deuictum, aes signatum, Romæ non fuit in vsu; sed asses librales appendebantur, & qui libram tenebat, *libripens* dicebatur. Qui nam sunt autem nisi Angeli, qui exactis difficilis huius militię stipendijs, nobis stipem, & præmium pendunt? Imo in hac etiam vita dum opes nobis subministrant, illas prius expendunt; atque ita sunt *opum datores*, vt prius sint *calculatores, & libripendes*; quia prius cuiusque necessitatem ad calculos redigunt, & pro necessitate opes pendūt. vult enim Deus ita pecunias inter homines per Angelica ministeria distribui, vt vnicuique conueniens sibi portio assignetur; ne in diuitiarum copia obijci iustis possit illud Euangelicum: *receperunt mercedem suam*; & Luc. 16. ℣. 25. *fili recordare, quia recepisti bona in vita tua.* adeo vt, in hac vita, sanctis opes pro operum mercede assignentur; ideo Angelus, æqua lance, cuncta librans, dat in hac vita necessarias; vt redundantes, in futura reseruet; & ita est vere *libripens*. quantum enim à Diuina voluntate aberrent, tum qui non egentes accipiunt, tum qui abundantibus erogant, præclarè explicat S. Chrysost. homil. 1. in epist. ad Philipp. *si quis*, ait, *Sanctus quidem fuerit, sed non egeat, nihil illi date, non enim hoc lucrum est, nō enim hoc Christus præcepit, quinimmo, ne sanctus quidem ille fuerit, qui cum abundet, accipit tamen*. recte igitur

Opes superfluas ministrat dæmon.

S. Francisci exemplum ex S. Bonau.

Sopron.

Plin.

Angeli præmium nobis pendunt.

Ad necessitatem Angelus opes ministrat.

Luc.

S. Chrys.

tur hac libra expensas opes, de manu Angeli, accepit B.Pater noster Caietanus, ijs tantum adiutus pecunijs, quibus ab instantibus pressuris euadere posset; & tanti Patris, ac Fundatoris vestigia secutus B.Andreas Auellinus noster, oblatam à munificentissima sancti Caroli Borromæi manu grandem eleemosynam, modestè recusauit; nullam sibi tunc impẽdere necessitatatem dicens. & pecunias illas in aliorũ pauperũ leuamẽ posse oportunius erogari. quæ prudens, & sancta responsio, ab Angelo hoc libripende illi dictata fuit, qui noluit Beatum virum superfluas illas diuitias acceptare. Pondera (ad enarratorum veritatem) quod dicitur Tob.4.℣.21.ait Tobias filio suo: *indico tibi fili mi, dedisse me decem talenta argenti, dum adhuc infantulus esse Gobelo &c. & chirographum eius apud me habeo: & ideò perquire quo modo ad eum peruenias, & recipias ab eo supramemoratum pondus argenti &c. noli timere fili mi: pauperem vitã gerimus; sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum.* Cui respõdit filius cap.5.℣.2. *quomodo pecuniam hanc requiram ignoro;* ℣.3. *tunc pater suus respondit illi: Chirographum illius penes me habeo, quod dum illi ostenderis, statim restituet. sed perge nunc, & inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum. tunc egressus Tobias inuenit iuuenem splendidum, stantem præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum.* benè *fidelem virum* filio associari præcipit; agebatur enim de recuperanda pecunia, quæ quamplurimos efficit infideles. sed ad rem nostram; inuenit Tobias Angelum paratum ad perquirendam pecuniam, quia ipse non quæstuosus, aut pecuniæ auidus; vnde & dicebat: *quomodo pecuniam hanc requiram, ignoro.* Et pecunia non superflua, sed necessitati tantum sufficiens erat; ait namque: *perquire quomodo recipias memoratum pondus argenti; pauperem vitam gerimus &c.* quid ergo mirum si huic, sicut etiam & Beato Patri nostro Caietano, prestò, & paratus fit Angelus; propterea meæ Religioni (in summa paupertate fundatæ) congaudeo de sanctorum Angelorum patrocinio, & speciali diuinæ prouidentiæ tutela.

Fideli pecunia committitur.

Comes fit Angelus pecuniarũ contemptori.

17 Sed quemadmodum diuitias dant Angeli; ita etiam earũdem rationem reposcunt; cùm ad eos præsertim pertineat, in extremo examine, processus totius humanæ vitæ coram Deo referre; & hinc crediderim, *relatores, & defensores* fuisse ab eodẽ Sophron. nuncupatos. Vsus plerisque in aulis obtinuit, vt non Iudices ipsi, qui pronunciare sententiam debent: causam, & processum perlegant; sed ij, qui ab iniuncto hoc munere, *relatores* appellantur apud Hispanos, & *Referendarij* in Romana Curia, quorum cùm omninò plurimum ad flectendũ in vtrãq; partem iudicum animos, intercessio possit: ideo, qui parum causæ suæ fidũt, hos sibi in primis quàm maximè possunt, vel precibus, vel muneribus conciliant. sunt Angeli non solum *Referendarij* cælestis curiæ; sed etiam *defensores*, & patroni. ad eos pertinet totius vitæ nostræ acta coram Deo referre; quorũ si nobis studium, & amorem conciliauerimus; bene rebus nostris (quæ alioquin periclitantur) spectare possumus; cùm non solum vocibus, & oratione, sed etiam lachrymis iudicem ad commiserationem mouere conantur; sicuti dicitur Isai.33.℣.7. *Angeli pacis amare flebunt &c.* Oleaster ad hunc locum, *Angeli*, inquit, *isti flent, videntes violari pacem, & induci bellum super homines.* Neque referendi solum, & defendendi, sed coercendi etiam, & puniendi facultatem Angelis à Deo tributam, idem sanctus vir videtur existimasse; *regiam quandã*, ait, *dignitatem præ vobis geritis; quod & sceptra, & virgas, & hastas defertis;* quæ omnia gestamina, summi honoris, & iurisdictionis fuisse insignia docet Pier. lib.42. & alibi. & clarè id explicat Sophro. *per hæc enim*, subdẽs,

Angeli relatores, & defensores. Sophro.

Oratione, & lachrymis intercedũt pro nobis Angeli. Isai. Oleast.

Sophr.

Angelorũ honor, & iurisdictio.

coercendi, & puniendi vim, qua polletis euidenter ostenditis. Vel *hastas* habēt, quia hæ Dijs tutelaribus tribuebantur, eodem Pier. auctore ibidem tit. *Dij Tutelares.* Quòd si quos Deos tutelares nobis assumere, Christiana pietas permittit; isti profectò Angelici spiritus sunt malorum populsatores, & veræ nostrę libertatis assertores; quorum fortitudo nos ab infestis hostibus tuetur; dicitur enim Isai. 33. ℣. 3. *à voce Angeli fugerunt populi.* hebraicè legitur *à voce Arel*, quæ vox non solum *nuncium.* sed etiam *fortem* significat, quòd autem fortitudo Angelo competat probatur Apoc. 5. ℣. 2. *& vidi Angelū fortem, prædicantem &c.* & cap. 10. ℣. 1. *vidi alium Angelum fortem descendentem de cælo* &c. & sæpè alibi. quare cū seuiùs punire vult nos Deus, tunc Angelicam custodiam submouet, quod minatur eiusdem Isai. 3. ℣. 1. *ecce Dominator Dominus exercituum; auferet à Hierusalem, & à Iuda validum, & fortem &c.* & per *fortem*, Angelum intelligimus, qui *ariel*, idest, *fortis* interpretatur. hos tutelares, & defensores Angelos Deus aufert in pœnam peccatorū; vnde voces illas Ioan. 14. ℣. 31. *surgite, eamus hinc*, Angelorum fuisse testantur S. Hieronym. in adducta verba cap. 12. Matth. aitque Ioseph. Hebr. sacerdotes, post Christi mortem, nocte in templo audiuisse strepitum, deinde voces dicentium: *transeamus ab his sedibus*, quæ est maxima Dei indignatio, Angeli enim forti sua manu, nos defendere semper satagunt.

Angeli sunt tutelares, & fortes.

Isai.

18 Quòd si plerumque (exigente diuina iustitia) manum ad peccatoris punitionem admouere Angeli debeant: lentè, & remisse hoc faciunt; & quo mitius possunt, maximum etiam in tali actu præseferentes dolorem. ponderemus pro hac re visionē Ezech. 10. relatam, quam etiam supra ad aliud propositum adduximus. Debebat iussu Dei Angelus properare ad ruinam Hierusalem *ingressus*, ait sacer textus ℣. 6. *ille, stetit iuxta rotas*; cur non statim fecit quod imperatum fuerat ℣. eodem: *sume ignem de medio rotarum*, sed *ingressus stetit iuxta rotas?* quamuis diuinum mādatum vrgeret, tamen illud lentè exequitur contra homines; & pondera ly *stetit*, quod est hæsitantis; sicut etiam apud Poetam.

Cunctabundus hæret Angelus in punitione peccatorum.

Ezech.

Stat, & incertus; qua sit sibi nescit eundum,

Cū videt ex omni parte viator iter.

Vel, *stetit iuxta rotas*; mœrorem, & tristitiam summam præseferens; quem sensum secutus D. Hieronym. *stetit iuxta rotam*, ait, *& vel ob tristitiam puniendæ Hierusalem; vel ob gloriæ magnitudinem stupens*; quasi incertus, hinc diuinæ maiestatis gloria commotus, inde incēdendæ ciuitatis commiseratione tactus. Et adhuc idem melius intelligitur ex sequentibus verbis; adhuc enim accepto igne in eadem hæsitatione permansit; *qui accipiens*, ait scriptura, (idest ignem) *egressus est*; ponderat hæc subtiliter Hieronymus, admiratus, Cur scriptura non exprimat, quid ille fecerit accepto igne; sed sensum concisum relinquens, tantum dicat: *qui accipiens egressus est.* Quid facturus egreditur? præ tristitia, qua premebatur, dum hominibus nocere debebat, adeo quasi à se alienatus erat, vt ignoraret quid facturus esset; sicuti summus dolor, solet nos plerumque stupidos reddere. Hieronym. *non dicit*, inquit, *quid egressurus fecerit, quia tristis rei narrationem maluit nobis intelligendam relinquere, quàm oculis subijcere*; quasi præ mœrore esset ad narrandum impotens.

Mærens fit Angelus de hominum pænis.
S. Hier.

Quasi alienatur à se Angelus cū nos punit

S. Hier.

19 Neque omittendum est ad confirmandum studium, & curam Angelorum erga nos: cælestes spiritus, in ministerijs nobis exhibendis, dignitatem, & nobilitatem suam maximè collocare: adeo vt, sicut homines maiorum stemmata, & nobilitatem iactant, & æstimant: ita etiam Angeli, in ministerio hominibus exhibendo, nobilitatem suam ostendere soleant. exhi-

Nobilitari se putat Angelus nostri custodia.

buerat

Tob. Comest. Lyran.

buerat se Angelus ducem, & directorem Tobiæ filio, & ita promiserat Patri; à quo interrogatus in hæc verba cap. 5. ℣. 16. *rogo te indica mihi de qua domo, aut de qua Tribu es tu?* Cui Raphael Angelus dixit ℣. 18. *Ego sum Azarias Ananiæ magni filius*; de domo, & progenie sua rogatus, nomen suum profert; cur non potius Tribum, aut familiam suam manifestauit, vt eius nobilitas innotesceret? ex hac responsione, figuratè conijcere possumus, in quo sitam existimet nobilitatem suam; ideo Comestor. *figuratè*, inquit, *respondit; quoniam Azarias adiutor interpretatur, quod Angelis competit, qui sunt administratorij spiritus*, hoc autem ministerium maximè pertinere ad humanam salutem, non tacuit Lyran. *verum*, inquit, *dixit Angelus, quia sicut dictum est, locutio eius erat figurata, Azarias autem interpretatur adiutor Dei; Angeli autem sunt adiutores Dei, inquantum per eorum ministerium, electi diriguntur ad salutem.* Quare in ministerio humanæ salutis, nobilitatem suam reponebat Raphael; Et hinc est, quod Angelus pro humana salute *descendebat in piscinam*; qui erat *Azarias*, idest, adiutorium, quo Deus vtebatur ad sanitatem languidis restituendam. Et ideo in signum nobilitatis cap. 5. ℣. 5. describitur præcinctus, & paratus ad ambulandum; similis ijs, quos vidit Ioann. Apocalyps. cap. 15. ℣. 6. de quibus dicitur, quòd *erant præcincti circa pectora zonis aureis*; quòd enim præcincti apparent, significant, quòd suam nobilitatem in celeriter ministrando hominibus reponunt; sicuti discincti, viles & plebeij antiquitus incedebant; vnde Sanct. Andr. Archiepisc. Cæsar. Cappad. in hunc Apocalyps. locum; *dicuntur*, inquit, *Angeli præcincti lumbos circa pectora zonis aureis, ad designandam illorum potentiam, castitatem, & nobilitatem.* & hæc nostra intentio euidentius confirmatur ex sequentibus in historia Tobiæ: nã dicente Tobia ℣. 19.

Apoc.

Angeli nobiles quia cincti.

Disc ncti ignobiles.

S. Andr. Cæsar.

Tob.

ex magno genere es tu; sed peto ne irascaris, quòd voluerim cognoscere genus tuum. Angelus respondet ostendendo in quo generis sui nobilitatem repositam esse glorietur: *ego sanum ducam & sanum tibi reducam filium tuum*; in deducẽdo filio incolumi, genus suum statuit; dum enim dixit: *ego sanum ducam &c.* perinde est, ac si dixisset; si vis adhuc melius cognoscere genus meum, noueris me ex eorum nobilissimo genere, quibus summæ curæ est humana salus, ideo creditum custodiæ, & patrocinio meo filium tuum, ego deducam, & propediem tibi saluum, & incolumem sistam, quod perinde valet ac quod dicitur: *descendebat Angelus, mouebatur aqua, & sanabatur vnus*; hoc enim Angelorum opus est, hæc illorum dignitas, & genus.

Angelorum genus, curare infirmos.

20 Præterea etiam in orationibus, maximè nos Angelica custodia iuuat. in quibus, quoniã eleuamur ad Deum, & infinito bono coniungimur; ideo nostrum in oratione profectum impedire modis omnibus nititur diabolus; sed eius conatus impediunt auxiliares Angeli. inter cætera quæ diuino spiritu, mentem illius illustrante, fecit, Salomon in Ierosolymitano templo, narratur 3. Reg. 6. ℣. 23. quòd *in oraculo*, idest, ex Lyrano, in interiori templi parte, in loco orationis (in quo arcam reposuerat) *fecit duos Cherubim de lignis oliuarum*; vt istis imaginibus admonerẽtur orantes; tota in Deũ intenta mente, in conspectu Angelorum, esse orandum; & vt intelligerent vere sanctos Angelos preces nostras Deo offerre. Bernard. serm. 50. *Credimus Angelos sanctos adstare orantibus; offerre Deo vota, & preces hominum; si sine deceptione leuari puras manus prospexerint*; offerunt Deo vota, sed pura, & syncera; quod confirmatur ex illo Tob. 12. ℣. 12. *Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo*

Preces nostras Angeli Deo offerunt.

3. Reg.

S. Bernar.

Tob.

tua,

tua, & nocte sepeliebas eos; ego obtuli orationem tuam Domino. Quod si *oraculum* in templo Salomonis, Sancta Sanctorum appellatum intelligas; non ab orando, sed ab oraculis,& responsis, quæ inde à Deo peterentur; quo pacto hanc vocem exponit Hierony. in epist. 2. ad Ephes. appellans *oraculum*, siue *responsum*; siue *locutorium*, cui subscribit Abulēs. in 25.cap. Exod. quæst. 22. & alibi; Bene ibi Angelicæ figuræ constituuntur, quorum ore diuina nobis responsa reuelantur. Sed quod magis ad rem nostram facit, illud est, quòd Cherubim erant *de lignis oliuarum*, quod vt notat idem Abulens. quęst. 18. in cap. 6. lib. 3. Reg. *fuit speciale in istis duobus Cherubim* &c. nam Salomon in reliquo ornatu, pretiosa Cedrina ligna adhibuerat, & pretiosos lapides; quod multo magis facere debuisset in ornatu interioris illius domus, in qua Dei arca erat collocanda,& tamen Cherubim *ex lignis oliuarum* vilibus fecit. fuit olea signū pacis, vt Virgilianum illud docet.

Oraculum dicitur responsum siue locutorium.

S. Hier.

Abul.

Abul.

Virg.

Paciferaq; manu ramum prætendit oliuæ;

& pluribus probat Pier. lib. 53. ideo in Mercurij manu ponebatur, *quod ille*, inquit, *rerum internuncius, pacem feratur conciliare.* Angeli etiam quoniam internuncij pacis sunt inter Deū, & homines; & ideo *Angeli Pacis* appellantur Isai. 33. ℣. 7. propterea ex lignis oliuarum fecit illos Salomon. Vel quia condonationis,& indulgentiæ hieroglyphycum fuit *oleum*; vt idē Pier. ibid. S. *in diuinis* adstruit; ideo quia peccatorum indulgentiam, Angelico maximè ministerio, consequimur, ex hoc ligno fuit Cherubim. nam exploratum esse docet idem Pier. *oleo, contra furorem, tantam inesse vim, vt effusum, in perturbatos vesanientis maris fluctus, tempestatem efficacissime tranquillet.* Angelica verò intercessio, sæuientem Dei contra peccatores irā, sedat, & lenit; vt supra ostensum fuit. nam exploratum esse.

Pier.

Angeli Pacē, & indulgentiam nobis obtinent.

Pier.

21 In cuius rei confirmationem obseruo quod dicitur Apocal. 5. ℣. 5. *vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum, & soluere septem signacula eius.* subdit statim ℣. 6. *& vidi &c. agnum stantem tamquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus* Dei *missi in omnem terram, & venit, & accepit de dextera sedentis in throno librum.* mira mutatio: qui vicit, librum accepit, illumque aperuit, fuit leo: *vicit leo &c.* moxque idem non leo, sed agnus apparet: *agnum stantem &c.* quod commune leonis ferociæ, & agni mansuetudini? agnus tener, & imbellis: leo bestiarum fortissimus, qui nullius pauet occursum. loci huius mysterium, illud est. Saluator noster vtraque figura exprimitur, ferocissimus, & ad necem aptus vt leo; idemq; mitis, ac mansuetus vt agnus. prius apparuit leo, quia rationabiliter in peccatores indignatus, illorum præstolabatur exitium. at mitis, & misericors factus est, & in agnum mutatus, cùm primùm Angelis se sociauit; Angeli ad illum accesserunt pro nobis precaturi. ait enim tex. *habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram.* sūt hi septem spiritus, septem Angeli, qui, ex quo Leoni, seù indignato iustè Deo adhæserunt, ex leone vindice: misericordem, mitemq. agnū reddiderunt, factumq est, vt qui prius rugiebat, vt vlcisceretur, quasi leo; velut agnus mansuetus, nec aperuit os suum, ne contristaret quidem peccatores. Hinc factum, vt siqua bona opera, & ad Deum nobis conciliandum apta, in nobis existūt; illa Angeli Deo, & mundo aperiunt ad nostram salutem,& honorem; quæ, quoniam fer. 4. Ciner. cap. 6. etiam tacta sunt; non sunt hoc loco adducenda.

Apoc.

Angeli, Deū iratum, in misericordem mutant.

Qui

Sacer text.

Qui prior descendisset in piscinam sanus fiebat &c.
Dum venio ego, alius ante me descendit.

CAP. IV.

Præpopera nostra opera exoptat Deus.

1 VI mysticæ piscinæ huius probaticæ significata, omnia vellet prosequi breui compendio, minimè ea comprehenderet, quæ Sancti Patres, & diuinarum litterarum interpretes congerunt. nobis morum emẽdationi studentibus, hæc posthabenda in præsentia, & quemadmodum huius languidi sanatio, nostræ etiam proficere possit vtilitati, inuestigandum. Enimuero iacemus, quot quot viuimus, in peccatorum ægritudinibus lãguentes; & quia Christiana pietas, quã profitemur, nos admonet, à Deo bona omnia expetenda, Angeli cuiuspiã, illi ministrantis, salutaria præstolamur ministeria; idest, cælestis inspirantis spiritus internas admonitiones, quæ, aquam diuinæ benignitatis, & perennium gratiarum, promptas esse ad nostram vtilitatem, commonefaciant. Sed, cum Euangelicæ legis Sacramenta, eo sint veteris legis cæremonijs, & priuilegijs potiora, quod hæc vni tantum afferebant sanitatem, *vnus* enim erat, qui *sanus fiebat, à quacumque detinebatur infirmitate*, illa verò omniũ saluti sufficiant, quia Dominus, piscinæ auctor, pro saluandis omnibus venit; Cur, inquam, cum ad omniũ salutem fuerint instituta, plerique tamen, perinde ac languidus iste Euangelicus, triginta octo annos habent in infirmitate? cum, neque multis voluntas bene agendi desit, neque piscinæ iuuandi facultas? Laudat in primis Euangelista eorum sedulitatem, & celeritatẽ, qui maturè properabant in piscinam descendere; *qui prior*, inquit, *descendisset, sanus fiebat, à quacumque detinebatur infirmitate*; adeo vt statim audita aquæ cõmotione, contentio inter adiacentes languidos orietur, quis prior descendere posset. Nunc verò, cùm Ecclesiæ Sacramenta nullo non tempore opportuna sint, & ad conferendam gratiam efficacia, lenti tamen, & cunctabundi ad ea, pro animarum remedijs, accedunt Christiani: nõ ergo mirum, si ij tantum, qui, in recuperanda animæ sanitate, languidos Euangelicos properantes descendere imitantur, sani fiant: qui verò lentè, & ignauiter torpentes, moras ducunt, bono exitu frustrentur: ijs enim illud contingit, quod, diuturnæ expectationis sibi causam fuisse, hic languidus asseruit: *dum enim ego venio*, inquit, *alius ante me descendit*.

Angeli nostras curant infirmitates

Celeritas in descendendo in piscinam.

Curantur peccatores properantes.

2 Brauium felicitatis æternæ proposuit Deus bene agentibus, quod multo, & promptius, & certius consequuntur, qui celeritatẽ in bonis præseferunt; adeo vt tamquam regula Christianæ vitæ, ritè, recteq; instituendę, esse possit propositio illa: *Qui prior descendit in piscinam* (vitæ spiritualis) *sanus fit à quacumque detinetur infirmitate*. Quæ verba exponẽs Maldon. quærit, cur vnus tantum sanaretur, & vnus quidem is, qui primus in commotam aquam descendisset? & respondet, commendare hoc exemplo voluisse Deum diligentiam, & festinationem hominum in cura salutis animæ; & in aggrediendis bonis operibus. *Voluit*, inquit Maldon. *opinor, Deus ea re docere, etiam in percipiendis diuinis donis, quæ gratis nobis, & sine vllo merito nostro dantur, multum valere diligentiam*; quod veteri prouerbio dicitur. *Cum Minerua, & manum moue*;

Commendatur hominum diligentia in causa salutis.

Maldon.

quo significatur diuinam opem, non cessantibus, sed industrijs, & pro sua virili conantibus, auxilio esse; quare nemo fiducia diuinæ opis, industriam, & diligentiam suam remittere debet. *Sic enim* subdit Maldon. *beneficium illud sanitatis, non, nisi diligentissimus quisq; præripiebat*. Proposita erat, tamquam in stadio currentibus, sanitas, quam, qui primus ad metam peruenisset, præripiebat.

3 Quod, ēt ad moralē hunc sensū, ac comodari posse, obseruauit Luc. Brug. *Videtur*, inquit, *diligentiam hominum Deus, etiam in percipiēdis donis ipsius, commendare*. Vnde ēt hunc languidū plurimum commendant Patres, quod audita voce Domini, iubentis surgere, non hæsitauerit, non cunctabundus distulerit, sed statim surgere properauerit, ex qua etiam pronptitudine meruit sanus fieri; quia Deus, qui summopere amat celeritatem in bonis operibus, multo vberius, & citius eorū properatum studium compensat. S. Ambros. lib. 1. de Abraham cap. 5. *Non satis est*, inquit, *recte facere, nisi etiam maturate quid facias; maiores enim fructus habet accelerata deuotio*. Ideo festinabant languidi descendere in piscinam. Huc, ego puto, referri posse illa verba Malach. 4. ℣. 2. *sanitas*, inquit, *in pennis eius*. Nemo nescit pennam esse velocitatis, & celeritatis indicium, vnde Poeta summam celeritatem significaturus, dixit.

Anxia præcipiti venisset epistola penna.

est igitur perinde ac si dixisset Propheta: sanitas in celeritate sita est, & tunc anima conualescit, quando impigrè optimis operibus manus admouet.

4 Hanc eandem celeritatem in bonis operibus, mirificè commendauit Saluator Matth. 26. ℣. 13. & Marc. 14. ℣. 9. Recumbebat Iesus, paucis, ante acerbissimam suam passionem, diebus (quasi tanto se agoni præparans) Bethaniæ, in domo Simonis, cum ad illum ingressa, peccatorum iam pænitens, Magdalena, vnguento caput eius vnxit, vt sacra narrat historia. Hoc sedulum vnctionis opportunæ officium, adeo Christo Saluatori gratum fuisse, memorant Euangelistæ, vt pro eo, maximum se Magdalenæ præmium redditurum, illico promiserit; æternamq; apud posteros, laudabilis huius facti famam, perennaturam spoponderit: *Amen dico vobis* (dixit adstantibus, & propter hoc factum, secreto murmurantibus) *vbicumque prædicatum fuerit Euangelium istud in vniuerso mundo, & quod fecit hæc narrabitur in memoriam eius*. marmorea, & sumptuosa sepulchra ædificant homines, vt memoriam sui ad posteros transmittant; Maria hæc, modico vnguento effuso, æternā meruit, Dominico ore, famam comparare; sed dū hoc recolo, simul etiam memoria repeto, quod alias, maiora, & laudabiliora pietatis, & pænitentiæ opera Christo exhibuerat Maria, non parum commoueor, cur eo tempore, modico effuso vnguento, tantam, tamque vberem gratiam reportauerit. Maiorem certè apud Christū, qui venit saluum facere, quod perierat, meriti gradum tenuit, tunc, cum ante actam in luxu, & delicijs vitam damnans; pompis omnibus sæculi, & vanitatibus renuncians, non erubuit inter conuiuas in domo Pharisæi recumbentes cum Christo peccata sua coram Domino suppliciter confiteri, & humiliter pro ijs veniam deprecari, vt narratur Luc. cap. 7. ℣. 38. & seq. quo etiam tempore vnguentum adhibuit, cùm *lachrymis cæpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat*; neq; tamen hæc illius pietas tantopere commendata est, sicuti, cùm biduum ante Pascha, & habetur Matth. 26. iterum vnguentum effudit super caput eius. Quin summopere etiam commendabilis fuit illius obedientia, & sedulitas, cui cū Martha dixisset Ioann. 11. ℣. 28. & 29. *Magister*

Brug. | Celeritas in bonis operibus vberiores fructus habet. | S. Amb. | Malach. | Ouid. | Matth. | Marc. | Cura [de] vnguenti effusio per Magdalenam, a Christo Commendatur. | Pulchra dubitandi ratio proponitur. | Luc. | Ioan.

adest,

adest, & vocat te. illa, vt audiuit, surgit cito, & venit ad eum; An non etiã summum affectum, & ardens desiderium diuini amoris prætulit, cum Luc. 10. ℣. 39. *sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius*, vnde optimam partem elegisse dicta est. ℣. 42. *Maria optimam partem elegit, quæ nõ auferetur ab ea*: & tamen, neque animosæ pænitentiæ, neque sedulæ obedientiæ, neque assiduæ contemplationi eiusmodi præmium promittitur, quod vnctioni assignatur. Opinari fortasse quispiam posset, propterea vberem remunerationem postremo huic officio repensam, quia multum sustinuerit, dum, ob illud bonum opus ab adstantibus cõuiuis conuitiata, tacuit: quo enim difficilius, eo etiam magis meritorium est, cùm quis, ob bonum opus, sustinet improperium. Aut videbitur cuipiam tantopere fuisse celebrata, quia fregit alabastrum, in signũ veræ, & firmæ conuersionis, omnium vanitatum, quibus hactenus indulserat occasionem remouens; atque ipsum etiam vas, in quo vnguenta ad ornatum, & cultum corporis seruauerat, abdicans, *& fracto alabastro*, ait Marc. cap. 14. ℣. 3. *effudit super caput eius*.

Luc.

Patientia in aduersis Deo grata.

Peccati occasio auferenda.

Marc.

5 Cæterum, istas rationes, scias, insuperhaberi posse, quamquam sint verosimiles, quando veram, & germanam tam profusæ remunerationis causam, ipsemet Dominus, & Saluator aperuit, & nos docuit; ostendens enim cur tanti apud diuinam suam maiestatem fuerit hæc vnctio, vt eam, tã vberi præmio compensandam, iudicauerit, ait Marc. 14. ℣. 10. *præuenit vngere corpus meum in sepulturam* inde subdit: *Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit &c.* mos Hebræorum fuit, cadauera ante sepulturam vngere varijs aromatibus, quod etiam apud alias nationes increbuisse non est dubium; sed hoc nõ fiebat nisi post mortem, vt colligitur Marc. 16. ℣. 1. vbi dicitur, quòd mulieres *emerunt aromata, vt venientes, vngerent Iesum*. & Ioan. 19. ℣. 40. vbi de Ioseph ab Arimathia, & Nicodemo, Christo Domino funebri hoc officio parentaturis, sic loquitur: *acceperunt ergo corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis, cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire.* Maria autem hoc munus, festinata diligentia, præoccupauit implere, quia inter officia, & grati animi significationes, illa primum locum tenent, quæ exhibemus, etiam expectationem accipientis præuenientes. *Primum*, ait Senec. lib. 2. de benef. cap. 1. *est antecedere desiderium cuiusque, proximum sequi; illud melius occupare ante quam rogemur*: quia ergo Maria, non solum vnxit defuncti Domini corpus; sed *præuenit vngere*, maturatam, & triduo præoccupatam hanc vnctionem, supra reliqua Magdalenæ opera, Christo acceptissima fuit. Qui, quoniam magis acquiescit propensæ dantis voluntati; quam datorum largitate locupletetur, ideo triduanam hanc præoccupationem, insigni illo æternæ memoriæ præmio dignari voluit; non tã ob nardi effusi munus, quàm erga pænitentis peccatricis celeritatem munificus; non æstimans, quod expẽsum fuerat, sed in animum profundentis introspiciens, promptam eius voluntatem admiratus, grande illi, exigui licet muneris, maturatè tamẽ exhibiti gratiam retulit, vt, quo citius præuenit vngere eò cumulatius compensaretur.

Soluitur dubitatio

Mos Iudæorum, & aliarũ nationum

Senec.

Exhibenda beneficia antequam rogemur.

Accelerata vnctio Christo acceptissima.

6 Est & alius in nouo testamento locus, ad eiusdem rei confirmationem. Non solum apud Hebræos calumniam, sed apud omnes, factum ipsum æquo iudicio pensare volentes, admirationem excitat, si non scandalum, quod de Saluatore Luc. 19. narratur; quòd scilicet, non æstimata publicanorum (qui pro peccatoribus communiter apud Iudæos habebantur) Principis personà; Zaccheo, non solum congredi, quod mali exẽpli esse poterat sustinuit: sed in illius domum admitti vltro petierit; quo, si ab illo inuitatus, diuertisset, vtique minus miraremur;

Luc.

sed, quod ipsemet Zaccheo, publicanorum Principi, ad prandium condicat, ℣. 5. *Zacchee festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere*; neque peccatoris hominis consortium vitauerit, nisi tanti Præceptoris exemplo factum fuisset, non leuem in hanc actionem inquirendi occasionem suppeditasset. Sed mihi non videtur hoc diutius inuestigandum, neque multum laborandum esse, vt sciamus, cur Iesus particulari quodam fauore honorare hunc voluerit, cùm Euangelista, miram in Zaccheo promptitudinem ad fidem Christi suscipiendam significaturus, illum festinum, & properantem descripserit, ℣. 4. *præcurrens ascendit in arborem sycomorum, vt videret eum*. vides, quod nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia? & quod, videndi Domini stimulo percitus, non currit solum, sed præcurrit, neque solum festinat currendo; sed properat præcurrendo; moras rumpens maturitate; & impedimenta superans diligentia. ℣. 3. *quia statura pusillus erat*, ideo *ascendit in arborem*. Merito itaque hūc Deus tam sedulum, tam celerem, consortio, & congressu suo dignatur, maiora illi, quam quæ expectabat retribuens. August. serm. de verb. Apost. *Qui magnum*, inquit, *& ineffabile beneficium putabat transeuntem videre, subito meruit in domo habere*. & pondera mihi, quæso, in textu illo Euangelico duo Saluatoris verba. primum ait, *oportet*, idest, necesse est, quasi cogatur Deus, præsentia sua præmia retribuere ijs, qui celeritatem in diuino obsequio præseferunt, nec possit illis vberem compensationem denegare, vt verissimè impleatur quod in nostro Euangelio dicitur, eum qui festinus in piscinam ingreditur, sanum fieri. Secūdo, obserua ly *hodie*; non *cras* dicit, non perendie, quia statim Deus cum præmijs ingreditur ad illos; neque ingreditur solū, sed etiam *manet*, apud eos; qui celeriter in viam mandatorum eius currunt. neque gratiam suam in crastinum, aut perendinum diem talibus conferre differt. &, vt clarius cognoscas, quam necessaria sit in vita spirituali hæc festinatio, audi Dominum vocantem Zacchæum ℣. 5. *Zacchae festinans descende*; cui vocationi non reluctatus, *festinans descendit*. Quid igitur mirum, si promptam, & celerem, quantumuis publicani hominis sollicitudinem, & curam in diuinis suscipiendis mandatis, *veloci remuneratione donauit*; ait Sanct. Ambros. lib. de Abel, & Cain cap. 8. *dicens, quia hodie salus Domui huic facta est*? Considera hic beneuolā inter Zacchæum, & Saluatorem nostrum cōtentionem; festinauit, præcucurrit, vt in arborem ascenderet Zacchæus; Iesus ex aduerso festinauit, huius festinationis præcox illi præmium retribuere; ideo non dicit, *hodie domui huic salus fieri debet*, sed, *facta est*: quia ita ante fecit quàm promisisset, quemadmodum Zacchæus ante præcucurrerat, quàm opus fuisset, vt videret illum, & quoniam celeritatem operū celeritate præmiorum anteuertit diuina compensatio, ideo non dicit *hodie*, idest, quamprimū *fiet*, sed *hodie facta est*. subdit Ambros. *festinauit enim Dominus ad beneficiū, & non expectauit, vt promitteret, & postea impleret, sed ante fecit, quàm declarauit; dixit enim facta est salus, quod vtique præuenientis fuit, non promittentis*. præuenientes Deus præueniendo extollit.

Festinè se querenti obuiumse præbet Dominus

S. Ambr.

Maturata opera, maiora, quàm expectabant accipiunt S. Aug.

Emula celeris laboris retributio.

S. Ambr.

Celeritas vim infert Saluatori.

Festinati laboris festina retributio.

7 Non nesciuit hoc amata Deo sponsa, quæ gratū sponso bonorū operum poculum propinatura, sic loquitur Cantic. 8. ℣. 2. *dedi tibi poculum, ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum*; per *vinum conditum* interpretatur Delrio, quemcūq; poculum, dulcis, & amabilis saporis potione plenum; appellabant enim veteres *vinum conditum*, mixtum cum alijs liquoribus, & succis; poculum itaque ex vino condito est ex pigmentato vino, vel aromatico, vel vnguentato, cuiusmodi erant vina myrrhata,

Cant.

Delrio.

Vinum conditum est dulcis saporis.

cynna-

Plin.

cynnamea mulsa, de quibus Plin. lib. 74. cap. 17. lib. 22. cap. 24. explicans igitur sponsa, cuiusmodi futurum sit eiusmodi mulsum, pollicetur, se illud ex musto præparaturam: *& mustum malorum granatorum meorum*. Sed quid hoc rei est? poculum suauissimi vini conditi polliceri, & insuaue mustum exhibere? vetera enim, quàm recentia vina longe sunt commendatiora, vnde Horat. hoc poematibus applicans, dixit, epist. 1. lib. 2.

Vinum vetustum optimum Horat.

Si meliora dies (idest diuturnitas temporis; & vetustas) *vt vinum, poemata reddit &c.* & Senec. deliciosum hominem ita increpat. *Cur apud te vinum ætate tua vetustius bibitur?* quare narrat Plutar. in Cic. Quod Damasippus conuiuator, cùm mediocre vinum apposuisset, idque à vetustate cuperet commendare, dixit: *Bibite, Falernum hoc quadraginta annorum est*. Si igitur vinis vetustate prætium, & bonitas accedit, annosum potius, quàm recens, & hornum mustum propinaturam se se, sponso promittere debuisset sponsa. Sed non ignorabat probari Deo bonorum nostrorum operum vinum, idest, propositum bene agendi, non diù dilatum, & in mente tantum seruatum, ac post longum tempus depromptum; sed *mustum*, quod quàm primum exprimitur; ipsaque celeritate, suauius sibi videri, quã generosum quantumlibet vinum, pigra tarditate vetustum. Nam, sicut vina, longa vetustate, austeritatem quandam contrahere solent, & acescere, vnde illis vitam humanam comparabat Alexis apud Stob. serm. 20.

Senec.

Plutarch

Recens vinum Domino offerendum sponsa docet.

Alexis.

Est nostra vino vita quàm simillima
Acescit est cum reliqua parua portio.

Ita studia, & sanctæ operationes, nimium dilatæ, & quasi senescentes, viuidum illum saporem, qui in sanctis operibus est Deo gratissimus, quasi euanidum habent, & acida, atque insuauia eiusmodi senescentis æui opera, diuinis faucibus offeruntur. Refert Eusth. in 2. odyss. crudum, & acerbum vinum, ex vuis acerbis, & immaturis (quæ, ὀμφάκες, vocantur) conflatum, temporis diuturnitate, vires acquirere; vt discant ij, qui suauem hanc, & festinatam musti promulsidem exhibere Deo maturauerunt, quotidie magis, se in diuino seruitio, viribus additis, roborandos.

Eusth.

8 Et ne longius à Canticis abeamus, quantopere hac celeritate capiatur cælestis sponsus, ipsiusmet verbis audiamus: ita enim sponsam suam ad bona opera hortatur cap. 2. ℣. 10. *En dilectus meus loquitur mihi. surge propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.* audis voces excitãtis torpentem animam, & ad salutem, ac æternam requiem promerendam inuitantis, neque *surgere* tantummodo, sed etiam *properare* iubentis. Surgere est ad bona opera præparari; sed ne tempus frustra conteras, & moras nectas properare iuberis, & operibus implere, quod animo destinaueris, vt mane inueniat te sponsus operi suo intentum, cuius ipsemet vult esse inspector, & diligens inquisitor; ideo eorundem Cantic. 7. ℣. 12. *mane*, inquit, *surgamus ad vineas, videamus si flores fructus parturiunt, & floruerunt mala punica.* mane surgit, idest festinus inquirit, & circumit vineas; & mane, ac primo quoque tempore in ijs non solum flores, sed fructus videre gestit. *si flores fructus parturiunt*. Qui ergo mane non surrexerit, sed in lectulo vitiorum stertens, obdormierit, non inuenietur à sponso, opera seruorum suorum reuisente; cum etiam Prouer. 8. ℣. 17. dicatur: *Qui mane vigilant ad me, inuenient me*, idest, *mature* inuenit Dominus, & inuenitur. odit desidiam; denique, qui *primus descendit in piscinam, sanus fit.*

Cant.

Non surgere tantum, sed etiam properare sponsa iubetur.

Cant.

Prouer.

9 In quo, morem gerens dilecto sponso anima fidelis, non sustinet longiores moras, neque matutinum tempus expectare patiens, antelucana euigilare festinat, cap. 3. ℣. 2. *surgam & circuibo ciuitatem*, & quia nocte inuem

Cant.

pesta

pesta, surgere festinauerat, ideo subdit ℣.3. *Inuenerunt me vigiles, qui custodiant ciuitatem.* mira celeritas, quā neque nocturnæ tenebræ impedire, neque custodum timor remorari potest. imitabatur hoc Dauid, qui Psalm. 1. ℣.62. dixit. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* & Psalm. 15. ℣.4. *anticipauerunt vigilias oculi mei.* neq; sedulæ celeritatis præmio frustratum iri se dixit Psalm. 118. ℣.147. *praeueni in maturitate, & clamaui. in maturitate*, idest, *mature*, & propere explicat Genebr. quo sensu dixit etiam Poeta 1. Aeneid. *maturate fugam*; & bene Lorin. præter alias huius loci expositiones, ait; his verbis denotari, diuina negocia alijs omnibus anteponenda, neque in ijs, temporalium rerum occupationibus vacando, procrastinandum, sed pia vota maturè Deo reddenda, quem sensum illustrat Chaldæus, qui vertit, *in aurora*, & LXX. *adhuc in tenebris*: sed quid hinc emolumenti proueniet? *Quia in verba tua supersperaui*, inquit; certa quædam, & indubitata spes (quæ significatur per illud verbum *supersperaui*) vt præueniens in maturitate, promissa præmia, Deo munifice retribuente, percipiat. *supersperaui*, inquit, idest plusquam speraui; firmiorem spem habui; plura expectaui, & maiora, quam reliqui, qui differunt cōuersionem ad Dominum, & non properant ingredi in piscinam.

Psalm. *Psalm.* *Genebr.* *Virg.* *Chald.* *Spes operum celeritate succrescit.*

10 Laudatur hæc eadem celeritas, & festinatio in peragendis diuinis, eorundem Cantic. cap. 1. ℣.8. qui locus, quia apposite rem, de qua agimus attingit, non fuit hic omittendus. commendat sponsam Dominus, & laudes illius his verbis exponit. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te, amica mea*; pro quo legunt L X X. & S. Ambros. in Psalm. 118. *Equa mea in curribus Pharaonis assimilaui te, proxima mea.* Comparatur fidelis anima, & mandatis diuinis intenta *equæ*, cuius virtus in cursus pernicitate sita est, celeritatis enim hieroglyphicum fuisse equinum genus, habes apud Pier. lib. 4 adeo vt Cic. summam festinationem significaturus, *corrigam* dixerit ad Q. Fratrem, *tarditatem tuam, cum equis, tum velis*; mira certe pernicitate pollebant equi Salamonis, qui, vt testis est Ioseph. lib. 3. Antiquit. cap. 1. & 7. velocissimos equos, & egregios currus, sibi ex Aegypto comparauerat. Huic generi cōparatur Christi amica anima, quæ, impigre diuinorū mandatorum stadium ingressa, indefesso cursu ad metas properat. S. Ambr. lib. de Isaac cap. 4. ad hunc Cantic. locum respiciens; *Virtutis labor*, inquit, *quærit Victoriam, vt possit equæ illi, que Salomonis est, comparari, velox ad cursum, habilis ad partum.* duo maximè commendantur in equabus, pernix cursus, prolifica fœcunditas: vtrumque ij Deo reddunt, qui diligentem celeritatem, fœcunditati Sanctorum operum adiungunt; vt sic, inter electas equas censeri mereātur, & leue dominici currus iugum subire. neq; enim solum equæ, sed equæ curuli assimilatur, *In curribus*, quia istæ assueuerunt in cursu cōpares præuertere, & miro studio, atq; ardore ad palmam contendere; quas Poetæ extollendo, sic laudant, vt non tam currere illas, quam volare dicant *rapida velocius aura*; & hinc Psellus, huic insistens similitudini, in huius loci expositione: *Cum sponsam*, inquit, *amoris stimulo percitam, & ad se currere festinantem, attingentemque metam cerneret, equæ æripedi, per æthera suo cursu volanti, similem esse dixit.*

Cant. *S. Amb.* *Pier.* *Cic.* *Equus celeritatis hieroglyphicum.* *Ioseph.* *S. Amb.* *Equæ curruli sponsa assimilatur.* *Psellus.*

11 Hinc etiam factum credidetim, vt spiritualem vitam Circensi aurigationi Apostolus comparauerit, in qua præmium virtutis idem erat, atq; celeritatis, neque satis habens hortari suos ad ineundam mandatorum viam; ad cursum, & properatū cursum eosdem stimulat, iniecta spe præmij, 1. Cor. cap. 9. num. 24. *Currite, vt comprehendatis*. Quod, ne ipse alijs frustra prædicare videretur, factis ipsis à se impletum fuisse significat, & gloria-

Idem in circensibus ludis virtutis, ac velocitatis præmium. *Corint.*

tur

tur eodem cap.26. *Cursum consummaui, fidem seruaui*. In quibus verbis obseruo, quod duo maxime difficilia, sibi peracta dicit Paulus, Cursum nimirum consummatum, absque detrimento fidei: sunt enim plerique, qui in medio cursu fidem amittunt, idest diabolo instigante, fræna diuini timoris excutiunt, & in peccata prolapsi, aurigam deijciunt. Sed Paulus in velocitate cursus, etiã diuini timoris fræna retinuit in quo similis fuit equæ Phidolæ Corinthij; de qua Pausan. in Eliac. narrat; quod sessore ab ipso cursus initio elapso, inceptum cursum perinde, ac si rectorem haberet, retinuit; & ad metam se conuertit: audito verò tubarum sonitu, vehementius est concitata; cumque ad ludorum præfectos anteuertisset, iam se victoriæ penè compotem sentiens, consistit. Hanc imitabatur Paulus, excusso Hebræismo, à quo prius regebatur, Christianæ fidei cursum indefessus inijt, quo fæliciter peracto, palmam sibi iure debitam poscit. *in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus iudex*. sunt autem alij, qui collapso, siue è viuis sublato parente, à quo in iuuentute dirigebantur ad bona opera; siue collapso sessore, idest per iniuriam ratione plerumque sensui submissa, tamē Deo specialiter adiuuante cursum seruant, quia eorum voluntas celeriter, & prompte Deo cooperatur.

Pauſ.

12 Et hinc factum fuit, vt Deus primitias sibi frugum, & fructuum omnium offerri præciperet, quia, quę mature proueniunt illius summæ maiestati retribui debent; & præcoces fructus sunt typus operum festinatè factorum. Hinc Ieremias Israeliticum populum deuotum Deo, propterea sanctum appellat, quia ijs, quasi primitijs recreatus fuerit; cap.2.℣.3. *Sanctus Israel* Domino, *primitiæ frugum eius*. vt autem has primitias ad maturatam, & anticipato conatu facta opera, referenda esse constet, ponderemus alium eiusdem Prophetæ locum cap. 24. ℣. 1. & 2. *& ecce duo calathi pleni ficis, positi ante templum Domini &c. calathus vnus, ficus bonas habebat nimis, vt solent ficus esse primi temporis; & calathus vnus ficus malas habebat nimis*. si per *ficus* interpretemur fructus operum, & suaues mores, vt ex veterum doctrina colligit Pier. lib.53. tit. *Dulcedo*, id, quod etiam infra sæpius repetit: & præsertim tit. *suauitas sublata*, vbi per fructus quibus carebat arbor fici (de qua Matth. 21. ℣. 19.) quam Dominus deuouit, fructus operis adstruit significatos fuisse, quos nullos habebat Synagoga, quæ ex Gregor. *folia legis habuit, sed fructum, operis non habebat, de qua*, subdit Pier. *dictum ait Euthym. ab Abachunto ficum fructum non allaturam*. quo etiã pacto accipitur Micchææ. cap.7. ℣. 1. *præcoquos ficus desiderauit anima mea*; isti ita suaues sunt Deo, sicuti diuinæ eius maiestati summopere probantur, *purioris mãsuetiorisq; vitæ duces*, quos φιλοσύκους, idest, *ficũ amatores* appellari docet idē Pier. ibid. Hæc opera *ante tēplum*, idest, in diuino cōspectu præsentãtur, ex quibus quædã bona sũt, quædam mala; illa appellãtur opera bona, quę similia sunt *ficubus primi temporis*, præcocibus nimirum, & alios fructus præcedentibus; vnde etiam Oseæ 9. ℣. 10. explicaturus Dominus, quantopere delectatus fuerit operibus bonis veterum Patriarcharum, qui in simplicitate, & animi promptitudine diuina mandata exequebantur, eandem præcocum ficuum metaphoram retinens, ait *Quasi prima poma ficulnea, vidi Patres eorum. patres* erant, & grandæui ætate, sed similes *primis ficulneæ pomis* in maturitate, qua vnus alium anteuertere, & celeriter diuina mandata exequi properabat. sed quare potius *ficulnea*, quam alterius arboris fructibus primis comparantur sancti Patres, cum alij plures fructus multo, & pulchriores visui, & suauiores gustui inueniantur? ex fructuum arbo-

Præcoces fructus opera sũt festinata. Ierem.

Pier. Math. S.Greg. Mich. Pier. Osee.

Cur potius ficulneæ quã alterius arboris præcocib. fructibus sancti cōparantur.

ribus

ribus obseruatum est, quod ficus absq; flore fructus producit, quare, significare hæc arbor potest eos, qui tempus, in emittenda florum vanitate, nõ frustra consumunt, eoque maturius fructificant; atq; hæ sunt primitiæ Deo gratissimæ, *fructus boni nimis*, vt dicebat Propheta, qui absque flore tarditatis proueniunt. hinc puto, hũc Osee locum referendum esse ad illa verba populi, Exod. 24. ℣. 3. Deo promptam mandatorum obedientiam promittẽtis. *Omnia verba Domini, quæ locutus est*, inquiunt, *faciemus*; addunt LXX. *& audiemus*. admiratur Philo præposterum hunc verborum ordinẽ, prius enim audire debuit populus, inde facere. sed erant poma ficulneæ, &, vt promptitudinem, & celeritatem ad diuinum obsequium præseferrent, fructibus operum flores auditionis, & cogitationis, quasi anteuertere volebant. denique non mirum, quod Deo prima hæc poma ficulneæ gratissima fuerint; quia, vt ait Cyrill. lib. 3. contr. Iulian. *in ficubus dulcissimus fructus, qui præ alijs maturescit*; sic in operibus, suauissima sunt maturata, & accelerata. sicut contra *ficus mala nimis*, sunt fructus caprifici, qui, quoniam nũquam maturescunt, immites appellantur, & acerbi, de qua arbore Plin. lib. 15. cap. 19. eiusmodi sunt quorundã fidelium sanctæ deliberationes, quæ, ob insitam desidiam, nunquam maturescunt; & quemadmodum de fructibus Caprifici dixit Alciat. Embl. 73.

Exod. *Philo.* *Sancti instar ficulneæ fructibus operũ flores auditionis, & cogitationis præire nituntur.* *Cyrill.* *Sera opera fructus caprifici.* *Plin.* *Alciat.*

Rupibus aërijs; summique crepidine saxi
Immites fructus, ficus acerba parit.
Quos Corui comedunt, quos deuorat improba cornix.

Ita de immitibus eiusmodi fidelium fructibus nos dicere possumus; quos esse Infernalium coruorum escam, nõ incongrue affirmauerimus.

13 Sed redeamus iam ad propositam nobis in hoc cap. celeritatem. Duos, præ cæteris discipulis maxime charos, habuit Iesus, Ioannem, quem diligebat, & Petrũ, à quo mutui amoris vices repetens, ter petijt Ioan. cap. 21. ℣. 17. *Petre amas me?* hos gloriosæ suæ transfigurationis testes, hos in horto comites adhibuit; horum alteri Matrem, alteri Ecclesiam commendauit, & credidit. isti igitur, tantopere diuinis illius fauoribus, & affectu exaltati, quas reddiderunt tãto, tamque munifico benefactori grates? profecto sicut cæteris prælati Apostolis fuerunt, ita beneuola quadam, & amica contentione certarũt, vter celerior in reddendis Præceptori gratijs esset; vter alterum, in exhibẽdis amoris mutui argumentis, præuerteret. &, cum Christus semel Ioann. 21. ℣. 21. & 22. conuersus, vidisset post se Petrum, eique dixisset, *sequere me*, idest festina bonis operibus obsequium mihi præstare; conuersus Petrus, videns Ioannem, dixit, *Hic autem quid?* quasi non singularis incedere, sed cum illo contendere de sequela Christi gestiret. Et ideo, cum alibi Ioann. 20. de Magistri resurrectione summopere solliciti, ad mouimentum properarent, ℣. 5. *ille discipulus quẽ diligebat Iesus præcucurrit citius Petro*: si præcucurrit, ergo vterque summa animi contentione festinabat Saluatori accurrere: nouerant enim quantum illi festinata celeritas probaretur. ò mirum celeris affectus studium, etiam tardigradis Petri senescentis gressibus alas addens, & pietatis stimulis, ad impigrum cursum lenta vestigia incitantem; de quo S. Paulin. epist. 5. ad Amandum. *Beata celeritas illa, quæ Petrum affectu parem, sed maioris æui pondere tardiorem ad sepulchrum* Domini *præuenit*. enim uero meminerant amata Christo capita verborum Domini Matth. 11. ℣. 12. *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*; ideo ad Dominum properantes, violenter ferebantur. *vim patitur*, inquit, quia celeres in hoc cursu tardiores anteuertentes cœlestes illis sedes præripiunt, quasi vi quadam adhibita. vnde, de Abraham,

Ioan. *Ioan.* *Affectus celeritatis vel senectutis gressibus alas addit.* *Paulin.* *Matth.*

cur-

Genes. S. Chryst.

currente in occursum trium Angelorum, de quibus Genes. 18 ℣. 2. dixit S. Chrysost. *Currit, & volat senex centenarius, occursu promptitudinem declarans, ne subterfugeret eum spirituale lucrum.* Addit Dominus, quod *violenti rapiunt illud*, idest, Celeres. Cursus enim est motus violentus, ideo velociter currentibus præmium est repositum in cælesti patria, pro cuius desiderio, currebant perciti Petrus, & Ioannes, neuter enim volebat præueniri.

Violenti, idest celeres rapiūt regnum Dei.

14 Mirabilis etiam in hac præseferenda celeritate fuit Abraham, qui sciens, vt ait Senec. lib. 2. de benef. cap. 5. quod *proprium est libenter facientis, cito facere*, excepturus hospitio Regem Regum, omnia sedulo præparauit, & ad eius occursum festinus progressus est, non cunctabundus distulit. Genes. 18. ℣. 6. non solum pluribus verbis exprimitur, sed etiam exaggeratur, hæc Patriarchæ properantis cura. *festinauit*, inquit sac. tex. *in tabernaculum ad Saram, & dixit ei accelera, & cucurrit ad armentum, & puer festinauit*. Vide senis patrisfamilias celeritatem, & totius familiæ, ad bona opera, sollicitam, & expeditam illi operam nauantis, diligentiam; vt intelligas, quod omnibus animæ viribus, similem Deo seruitutem, & obsequium exhibere debemus, sicuti hoc factum expendens Origenes, præproperæ celeritatis amore captus; *ipse*, inquit, *currit, vxor festinat, puer accelerat, nullus piger est in domo sapientis.* Alexander Macedo, qui summam ex celeritate, & gloriam, & potentiam consecutus fuit. referente Plut. pedites suos ita assuefecerat, vt, pari cum equitibus gradu, incedere possent, sicque ipse, magnis plerumque itineribus, ingentia terrarum spatia emensus, inimicorum expectationem, inopinato aduentu præuenit. non secus Abraham, sicut ipse cuncta Domini negocia properabat; ita etiam domesticos assuefecerat, in obsequijs Deo celeriter exhibendis, quod in eo laudat Ambros. lib. 1. de Abel, & Cain. cap 8. *Cognosce*, inquit, *celeris studia deuotionis, cucurrit inquit, & accepit vitulum, vbique impigra deuotio, & ideo fuit munus eius acceptum*. Est enim celeritas in operibus bonis manifestum indicium diuinæ mouentis, & assistentis virtutis, iuxta propositionem illam physicam, quam habet D. Thom. in 7. phys. text. 35. lect. 9. *velocitas motus, est victoria mouentis super mobile*; quando Deus iam possidet sic animam, vt eam, quasi victam, sui iuris fecerit; tunc fit motus eiusdem animæ, ad diuina peragenda pernicissimus; ideo Abraham, & omnes eius domestici festinabant, &, vt dicebat D. Ambr. Deo propterea eius munus acceptum fuit.

Senec.

Genes.

Origen.

Plutarch

Sancti homines à domesticis etiam celeritatē bonorum exigunt.

S. Ambr.

Diuinæ gratiæ indiciū est celeritas.
S. Thom.

S. Ambr.

15 Quæ verba S. Ambrosij, pulcherrimum ex veteri testamento locum ad hoc propositum redigunt in memoriam. Genes. 4. narrat sacer scriptor duorum Adami filiorum natalia, nam Eua, primum, vt dicitur ℣. 1. *Peperit Cain, dicens, possedi hominem per Deum: rursumque peperit fratrem eius Abel.* paulo post, explicaturus eorundem viuendi genus, præpostero ordine vsus ℣. 2. *fuit autem*, inquit. *Abel pastor ouium, & Cain agricola.* rationabiliter quærit S. Ambros. lib. de Abel, & Cain. cap. 3. quorsum, inuerso natalium ordine, cum antegenitum fuisse Cain retulisset, præponat nihilominus illi Abel? *nec idem sit ordo nominum, qui est ordo naturæ? Quid sibi vult*, subdit, *mutatio ordinis vt prius iunioris meminerit, vbi scribit vitæ status, operisque vsus?* Respondet primum Ambr. explicans mystice exercitia, & instituta, quibus addicti fuerunt. sed alia responsio magis accedit ad rem nostram, & præpositum fuisse Abel adstruit; *quia, & si tēpore iunior*, inquit, *virtute præstantior*. Qua virtute? Celeritate in obsequijs Deo præstandis, & in diuino cultu, in quo fratrem antecessit. Quod ne temerè assertum quis putet, ex alia eiusdem loci

Genes.

S. Ambr.

Pulchra dubitandi ratio.

ponderatione liquere potest. Obtulerunt duo isti fratres munera Domino; Cain quidem agricola, *de fructibus terræ*; Abel vero pastor, *de primogenitis gregis sui*; Cæterum, oblata à fratribus munera, non æquè accepta Deo fuerunt, quare, eodem cap. 4. ℣. 4. dicitur, quod *respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, ad Cain vero, & ad munera eius non respexit*. Quid hoc rei est? vterque frater Deo cultum exhibuit, vterque munera obtulit, & ex laboribus suis sacrificium Domino præparauit; & tamen dispari exitu, nam non respexit Deus, imò, despexit munera Cain; Huius disparitatis causam assequemur, si sacrum textum expenderimus; ex quo excipitur, quod Abel quamuis ætate iunior, præuenit Cain, in exhibendo Deo huiusmodi officio; nam de Cain ait tex. ℣. 3. *Factum est autē post multos dies, vt offerret Cain, de fructibus terræ, munera Domino.* obserua ly. *post multos dies*, & audi Senec. lib. 2. de benef. cap. 1. *Ingratum est beneficium, quod diù inter manus dantis hæsit, quod quis ægre dimittere visus est, & sic, tanquam sibi praripere*, qua tarditate, damnatum fuit sacrificium Cain; lenta enim illa cunctatio minuit muneris pretium, quia vt dicere solebat Fabius; *plerumque sera pro nullis sunt*. Sed Abel simplex, & rectus, cito obtulit, & maturauit, munificus coram Deo apparere, nouerat enim, eum, qui cito dat, bis dare, & tantum gratiæ demi, quantum moræ adijcitur, dicente Senec. quod *tarde velle, nolentis est*. Sed vnde, quæret quis, colligimus, tãtam in Abel celeritatem? pōdera mihi verba illa ℣. 4. *Abel quoq; obtulit de primogenitis gregis sui*; adeo festinus fuit, vt ipsa primogenita, statim ab ortu, obtulerit Domino; quæ etiã mens fuit S. Ambros. loco citato cap. 7. quem etiam adducit gloss. DD. Duacens. expendens enim verba illa, *factum est autem post multos dies &c.* & vtriusque fratris oblationem considerans, de Caino sic loquitur. *Duplex culpa, vna, quod post dies obtulit, altera, quod ex fructibus: sacrificium autem, celeritate commendatur, & gratia, vnde præceptum est, si votum voueris; ne moram facias reddere illud.* & hanc doctrinam, ex eodem veteri testamento confirmat. *Abraham*, subdens *iussus offerre filium, non post dies, vt Cain, sed exurgens, mane strauit Asinam &c.* Ex qua etiam sanctissimi Patriarchæ celeritate, in obedientia diuinis mandatis præstanda, mirifice nostra intentio cōprobatur, & apertè ostenditur, quod munera celeriter Deo oblata sunt magis accepta, ac meritoria, ideoque, facilius ab eo beneficia, & compensationes diuinæ largitatis expromunt: ideo Abrahami promptitudine sibi satisfactum, putans Deus, exemit filium eius ab imminenti morte; Contra verò, quia, vt narratur Iudic. 11. filia Iephte bimestre spatium petijt, antequam immolaretur. ℣. 37. *dimitte me vt duobus mensibus circumeam montes, & plangam virginitatem meam &c.* nec pater, in reddendo voto, fuit celer, ideo hæc non fuit exempta à morte. Nihil magis in Alexandro Magno laudat Q. Curtius lib. 5. quam celeritatem, qua in peragēdis rebus pollebat. Quare, cum audisset captum fuisse à suis Darium, *in hoc*, inquit, *corpore posita est victoria, & tanta res, celeritatis est præmium*. existimet sibi, quilibet Christianus, hoc dictum, & his verbis, stimulos additos ad explendam diuinam legem; *tanta res* (*æterna fælicitas*, victoria de hostibus, diuina gratia) *celeritatis est præmium*. His emolumentis, ex aduerso respondent damna procrastinationis, cuius hieroglyphycum fuisse echinum, seu erinaceum parientem, testis est Pier. lib. 8. in fine. *aluo stimulata*, inquit, *quandiu potest partum differt quo fit, vt fætus, magis insolescens, maiorem post modum, in pariūdo, dolorem afferat.* ita, qui, vel in emitendis peccatorum spinosis fætibus, vel in edendis pænitentiæ aculeatis operibus cun-

Marginalia: Benef. — Senec. — Fabius. — Senec. — Festinam Abel oblationem Deus respicit. — S. Amb. — Gloss. — Iudic. — Curt. — Pier.

Sera opera quantum moræ tantũ habeat laboris.
Luc.

ctantur, quantum adijciunt moræ, tantundem addunt doloris, ideo, inter cætera Domini præcepta, illud fuit præcipuum: Luc. cap. 12. *sint lumbi vestri præcincti &c.* remoratur nos plerumque caro grauitate sua, à celeri cursu ad Deum, ideo iubet Dominus, carnẽ, quæ per lumbos significatur, & vestes, pręcingi; vt sicut, qui talares vestes portant, si celeriter velint incedere, illas præcingunt, ita nos, carnis hæc impedimenta, per spiritus cingulum remoueamus, vt velocius currere possimus, alludit ad hunc sensum S. Chrysol. serm. 24. *totum*, inquit, *carnis nostræ pendulum, fluidum, resolutum, constringi mandat, continua zona virtutis: vt carne succincta, ad domini occursum liber, velox expeditus, nostra mentis reddatur incessus.* hæc ille.

Chrysol.

16 Fuit cunctantium typus, Pharao, qui tot flagellis à Deo mulctatus, in cordis duritie diutissime maluit perseuerare. Quin, cum molestissima illa ranarum, de Aegypti fluuio ascendentium, pæna vexaretur, accersitis Aarone, & Moyse, postulauit quidem ab eis, vt Deum deprecarentur, quo, eorum precibus placatus, noxiam iram suam remittens, Aegyptum, sub immani pæna laborantem, liberaret: sed, data illi à Moyse optione, quãdo vellet pro se preces offerri: cum, statim, & nulla interposita mora, debuisset oblatum à Moyse officium acceptare, fatue distulit vsque ad sequentem diem, Exod. 8. ℣. 9. *dixitque Moyse ad Pharaonem, constitue mihi quando deprecer pro te, &c. vt abigantur ranæ à te, & à domo tua; & à seruis tuis, & à populo tuo. & tantum in flumine remaneant. Qui respondit, Cras.* si infestissima illa ranarum multitudo, Aegyptum torquebat, & illico poterat, orante Moyse, illi flagello, se suosque subducere, vt quid stolide, vsque in sequentem diem eligit differre liberationem? miser imminenti clade vrgetur, & tempus liberationis, quod intra momentum corripere debuit, producit in crastinum. Placet plerisque hoc factum ab eo; vt certior fieret, num ranæ illæ magicis Moysis artibus, an vero Dei voluntate Aegyptum vexarent; quod vt experiretur, sustinuit in sequentem diem differre; sperans fore, vt etiam Moyse non orante, deficerent præstigiosa animalia, ita Abulens. quæst. 7. in Exod. & Lyran. ibi. *dicendũ*, inquit, *quod credebat, quod, si arte magica fuissent adducta ranæ, maleficium illud per se deficeret, & ideo hoc aliquantum experiri voluit*; hoc in sensu litteræ: sed moralem sensum cunctabundæ huius dilationis eruens D. Ambr. lib. 1. de Abel, & Cain, cap. 9. ostendit, procrastinationem illam indurati cordis indicium, non caruisse debita pæna: *Pharao*, inquit, *qui opinionibus vanis, & inanibus studium impendebat suũ (ranis repleta Aegypto, sonũ inanẽ rerum, & strepitum vanum reddentibus) dicenti Moysi, constitue mihi &c. cum debuerit, in tanta positus necessitate, rogare, vt iam oraret, nec differret; respondit, crastina die: otiosus, & negligens, moræ pænam, Aegypti soluturus excidio.* ipsam negligentiam, & procrastinationem grauissima vexantium ranarum pæna comitabatur; nec aduertebat miser, quod dilatum tempus, damna moræ, cum subditorum pernicie augebat. Eiusmodi sunt pertinaces, & cunctabundi homines, qui, etiam si diuinæ miserationis *aquam commotam* videãt, & voces seruorum Dei, operam suam pollicentium, audiant, negligunt nihilominus, properando, in piscinam ingredi, neque curant diuinæ iustitiæ flagellis interim conteri; donec tandem vltimam, & irreuocabilem sententiam damnationis incurrunt.

Exod.

Abulens. Lyran.

S. Amb.

Seras operationes comitatur pæna.

17 In quo sunt similes Archiæ, Polemarcho Atheniensi, de quo Plut. in Pelopida, cui, inter ludicra seria distulisse, exitiale fuit: acceptis enim ab amico Archelao litteris, quibus mouebatur, vt proximum sibi, ab inimicis impendentem interitum caueret, eas

Plutar.

Miser casus pereũtantis. sub puluino vinolentus subijciens; dixit: *Res serias ad crastinum differamus.* Sed factum est, vt interim, insidiarum contra se paratarum inscius, improuiso ab inimicis deprehensus, inter epulas, & pocula trucidatus fuerit. Christiani verò non vnius amici, sed plurium sanctorum virorum vocibus admoniti, & ipso etiam Christo Iesu inculcante, vt vigilent, & ignorantes diem, & horam, maturent bene operari; ne sæcularibus, & mundanis negocijs implicati, spiritualia negligentes, inopinato deprehensi, audiant illud Luc. 12. ℣. 20. *Stulte hac nocte repetam animam tuam à te*; adeo, vt nõ possint diem illum, quem saluti animæ destinauerant attingere: nam, seria hæc monita, in crastinum assiduo differentes, inter epulas, & voluptates, ab infernalibus hostibus, qui nostris semper damnis intenti, excubant, trucidantur. *Luc.* Quod cum exitio suo expertus est etiam Baltassar Rex, de quo Daniel 5. *Dan.* qui, cum extremum sibi, per diuinam iustitiam, vitę diem imminere sciuisset, neglexit sua curare; & ad Deum conuerti: sed alijs rebus intentus, iussit Danielem indui purpura, & magnificari in Regno suo: sed, vt dicitur ℣. 30 *eadem nocte interfectus est Baltaßar Rex chaldaus.* vtinam multi istum non imitarentur, qui, dum transitoria cogitant, amittunt æterna, & dum salutis negocium differunt, damnationis æternæ pænam incurrunt.

18 Sunt plerique rerum suarum, & salutis adeo negligentes, vt etiam internis Dei vocibus excitati ad bona peragenda, renuant nihilominus, & differant; & quamuis se languidos esse sciant, & in grabato iaceant, etiam si mora fuerit aqua, non properant descendere in piscinam, & etiam, dicente Domino, *vis sanus fieri?* nihil respondent, sed diem de die ducunt, donec improuiso illis, nec opinantibus, senectus, & mors obrepat: Hos, si cælestis Regni acquirendi vlla cupido tangit, non alia, quam generosa Alexandri Macedonis responsione, ad summouendam tarditatem, hortari possem; qui, referente Homerico scholiaste, in 2. Iliad. interrogatus, quo pacto Græciam subegisset, & tot illustres victorias de hostibus potentissimis reportasset: *μηδὲν ἀναβαλλόμενος*, respondit, idest nihil procrastinans, seu nihil differens in aliud tempus. *Homer.* Eiusmodi sibi sensum animis imprimant ij, qui cæleste Regnum lucrifacere contendunt, quod facile sibi fore sciant, summota ignauia; alioquin audiant Bernard. in declamat. exponẽtem illa Matth. 19. ℣. 27. *Ecce nos reliquimus omnia &c. Quantos, mundi sapientia maledicta supplantat? noli, inquit, præcipitanter agere, diu considera; diligentius intuere: magnum est quod proponis, & opus habens multa deliberatione; experire quid possis amicos consule, ne post factum pœnitere contingat.* *Bernard. Matth.* Sed quam stulta hæc sapientia, quam noxia prudentia sit, idem sanctus explicat qui in eam his verbis inuehitur: *Hæc, sapientia mundi, terrena, maledicta, animalis, diabolica, inimica salutis, suffocatrix vitæ, mater tepiditatis, quæ solet Deo vomitum prouocare.* *Bernard.*

19 Quod si adeo in terrenis peragendis impiger fuit Alexander, pudeat Christianos, ab ethnico, & terrenis addicto superari; adeo enim animo Alexandri hærebat, celeritatem sibi ad quæcumque negocia fæliciter perficienda obstetricaturam, vt, cum illi adhuc iuueni, grandia tamen molienti, diceret Arist. expectandam esse robustiorem ætatẽ, quo melius, & opportunius rebus bellicis vacaret, responderit: *at metuendum est, ne dum firmiores annos opperior, iuuentus interim per incuriam prætereat.* *Laudabilis Alexandri metus.* ex quo factum est, vt breui vitæ tempore, eam sit nominis gloriam consecutus, quam plerique Duces fortissimi, ne in senectute quidem acquisiuerunt: adeo, vt Iulius Cæsar illius famam æmulatus, lachrymatus fuisse dicatur, quod, quo

ætatis

Cæsaris digna æmulatio.

ætatis tempore, ille adhuc inglorius viuebat, Alexander totum penè Orbē subegisset. ò vtinā salubris hæc æmulatio Christianos tangeret; qui multos habent, quorum exemplis incitentur; Paulus enim primus Eremita, quindecēnis in solitudinem secessit; Thomas Aquinas, infans purioris vitæ fundamenta iecit; Stephanus, Laurentius, aliique Christianæ militiæ duces, adhuc iuuenes, cæleste Regnum occuparunt; sed ea nunc sunt iuuentutis studia, ac vota, vt, qui hoc persuadere conaretur, is absurda, & inaudita loqui videretur; &, hoc maxime tempore, Salomonis parabolas circumferre putaretur. denotatur enim nomine parabolæ, ex Chrysost. sententia, cuius sensus abscōditus est, & ænigmaticus, seù propositio inuoluta, & vix perceptibilis. quid autem eiusmodi parabolis docetur? cap. 1. ℣. 8. dicitur. *audi fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.* hæc, atque alia his similia, qui hoc tempore iuuētuti persuapere conaretur, perinde esset derisui, atque ille, qui *parabolas*, idest dicta quædam admiranda, & obscura circumferunt qui explodi, & exsibilari solent. sicut etiam, tanquam ridicula exploderentur, quæ habentur eodem cap. 8. ℣. 10. *fili mi si lactauerint te peccatores, ne acquiescas eis*, & infra ℣. 15. *ne ambules cum eis &c.* adolescentibus prostitutæ licētiæ non congredi, mundanis, & voluptuosis non inhiare, à ludicris, & obscænis abstinere, adeo insuetum nunc est, vt videatur mundo parabola, & ænigmate abscurius loqui, qui secus persuadere nititur. quod, si ad Regnum cælorum adspiraret iuuentus, properaret quamprimum *ingredi in piscinam*, idest, vacare saluti animæ; potest enim hic etiā sensus istis verbis accomodari, vt isti intelligantur, qui *primi*, idest, primo ætatis tempore, ad dominum, sanitatem petituri, properant, qui sani fiunt ab infirmitatibus.

Misera nostræ tēpestatis conditio.

Sap.

Alius euangelij sensus.

20 Hinc enim factum existimo, vt ea sibi studia, & vota semper Deus gratiora esse ostenderit, quæ à teneris annis illi fuerint exhibita: quia illis, in ipsa ætatis immaturitate maturis fructibus, summopere oblectatur, ideo Thren. 3. ℣. 7. dicitur, quod; *bonum est viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua.* Sanct. Ambros in Psal. 118. serm. 2 ad hoc propositum: *non solum*, inquit *tollere iugum verbi, sed in iuuentute debemus tollere: si enim serò tollimus, incipimus, pænitentiam superiorum magis habere, quam tenere gratiam; præueniamus ergo iuuentutis annos, correctione congrua &c.* Hoc nomine, summopere probatum Deo, Samuelis seruitium nouimus ex 1. Reg. quia, statim ablactatus, oblatus fuit Domino. cap. 1. ℣. 24. *& duxit eum secum* (Anna, pia illius mater) *post quam ablactauerat*; & ℣. 25. *puer autem erat adhuc infantulus, & immolauerunt vitulum, & obtulerunt puerum Heli.* impleuerunt nimirum parentes eius præceptum Domini, Leuit. 1. ℣. 14. iubentis, offerri sibi pullos columbarum, nec columbas dixit; *quia*, ait Theodor. ibi quæst. 1. *detestabatur in adultis columbis lasciuiam; in paruis pullis inocentiā amplectebatur*; Videntur, qui in senectute Deo se vouent, similes illis, qui magno alicui viro, eximij muneris loco, senescentis vini fæcem, quæ iam in vappam abierit, mittunt: ita isti, consūpto inter mundi delicias iuuenili robore, senectutis acidas quasdam reliquias Deo offerunt; nam, etiam supra diximus, quod vitalis vini dolium, in fundo acescit; & Sanct. Chrysost. in tit. Psalm. 14. egregijs verbis huic similitudini insistens; *ne quis*, inquit, *cum iuuentutem peccato exhauserit: languidam, & eneruatam senectutem virtuti reseruet, & vita facem, temperet sapientia.* longe secus fecerat Dauid, qui Psalm. 70. ℣. 2. 3. ita Deum alloquebatur. *inclina ad me aurem tuam, & salua me.* salutem, & sanitatē animæ deprecatur: *esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitū, & saluum*

Thren.

S. Amb.

Reg.

Leuit.

Theodor.

Pulcrum simile.

Psalm.

me

me facias. eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis, & iniqui. vide quam audacter, tot tantaq; petat sanctus vates, nihil enim nō sperabat se consecuturum, cuius fiduciæ causam statim subdit ℣. 5. *quoniam tu es patientia mea Domine; Domine spes mea, à iuuentute mea.* nihil magni dixisset si Dominum, sibi in angustijs constituto tantum, præsto fore indicasset, propterea addidit, *spes mea à iuuentute mea:* non recens hæc mea est seruitus, sed antiqua, & perinde ac Samuel, à primis adolescentiæ annis, omne tibi obsequium meum dicaui; consonat huic nostræ, expositio P. Agell. *Statim atque*, inquit, *sapere cæpi, spem omnem meam in te collocaui, teque mihi patronum adoptaui; vt non recentem, sed veterem tuum clientem defendas; cum, ex eo tempore me tibi dederim, cum proni sunt sensus hominū ad malum.* Imo Genebr. ex Hebræo, dro, *à iuuentute*, legit, *à pueritia*, quasi, ab ipso rationis vsu; ideo enim fortasse subditur; *In te confirmatus sum ex vtero, de ventre matris meæ tu es protector meus*; quod, eidem Patri Agell. placet, accipi debere de eo humanæ vitæ tempore, in quo primum incipimus, bona à malis, per rationis discursum, internoscere; quo etiam sensu, particula illa, *ex vtero*, accipitur Iob 31. ℣. 18. *si non, ex vtero matris meæ deducebam illos, vt pater.* Quas vero vtilitates, & vberrima emolumenta consecutus fuerit Dauid, in præmium primordiorum vitæ, Deo dicatorum; subdit ℣. 7. *tanquam prodigium factus sum multis, & tu adiutor fortis*, idest, tanquam munimentum, in quo elucet tua erga me beneficia.

Nihil nō sperat festinata celeritas.

Agell.

Genebr.

Agell.

Iob

21 Solet etiam Deus senectutis tempore, deficientibus viribus, tunc maximè compensare, impensum pro sui honore, tempus adolescentiæ; vnde ℣. 9. eiusdem Psal. *ne proijcias*, inquit, *me in tempore senectutis, cum defecerit virtus, ne derelinquas me.* quasi teneatur Deus eos protegere & conseruare in senectute, qui in adolescentia, omne suum studium diuino eius cultui dicarunt; quos, non solum in rebus temporalibus, sed multo magis in spiritualibus reficit: nam Euseb. & Dydimus, per *tempus senectutis, cum defecerit virtus*; multitudinem peccatorum intelligunt, & est sensus, cum me graue onus, & multiplex peccatorū, à me cōmissorum, turba premet, ne me proijcias, & tunc mihi, laborum quos ad tui honorem in robore iuuentutis pertuli, compēsationē reserues, ac retribuas.

Psalm.

Impensū adolescentiæ tēpus senectutis tempore compensatur.
Euseb.
Dydimus

22 Dictum fuerat sponsæ à sodalibus suis, Cantic. 5. ℣. 17. *Quo abijt dilectus tuus, ò pulcherrima mulierum? Quo declinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecum?* Quibus respondit cap. 6. ℣. 1. *dilectus meus descendit in hortum suum, ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis.* vtique vt ijs fructibus pasceretur, optimis, & maturis, quos in horto, ex arboribus pendulos propria manu legisset. sed paulo infra, ipsemet sponsus narrans, vt quid in hortum descenderit ℣. 10. *descendi*, inquit, *in hortum meum; vt viderem poma conuallium, & inspicerem, si floruisset vinea, & germinassent mala punica.* quō hæc cohærent? sponsa ait, *vt pascatur in hortis*; sponsus verò, ingressum se in hortum, inspecturum *poma conuallium*, vineæ flores, & germina malorum punicorum. ergo ne immitibus his, vix dum florentibus, & adhuc germinantibus pomis pascitur? Ita certè; consueuit enim cælestis sponsus ijs delectari fructibus, qui, vix dum erumpentibus floribus, proueniunt, hos pro delicijs habet, ideo descendit in hortum humani cordis, vt inspiciat; num primi flores, & fructus in eo appareant, totius namque vitæ florum, & fructuum germina apparent in adolescentia, & prima illa ætate. Quod, si adolescentiam floribus comparemur, cuius typum fuerunt, teste Pier. lib. 51 cum etiam Sapient. 2. ℣. 7. dicatur: *non prætereat nos flos temporis*; rectè etiam Deum adolescentiæ operibus delecta-

Cant.

Cant.

Opera florentis adolescentiæ Deo gratissima.

Pier.
Sapient.

ri, affir mabimus; ideo enim dicitur, *pasci inter lilia*, idest, inter iucundas sibi adolescentiæ operum epulas, recreari. sed, si pascitur pomis, non vtiq; lilijs, quæ flores sunt sunt recreabitur. Respondemus, lilia esse hieroglyphicum iuuentutis, & bonæ spei prænuncia, Pier. lib. 51. tit. de Amygdala. pascitur igitur Deus primis adolescentiæ germinibus, quæ insuper sunt inter lilia, bonæ spei fiduciam exhibentia; quam spem, operum fructus consequuntur; cum secundum Cyprian. de 12. abusib. *sicuti fructus non inuenitur in arbore, in quo flos prius non apparuit; ita in senectute honorem legitimũ consequi non poterit, qui in adolescentia, disciplina alicuius exercitatione, non laborauit*. Vel dic, id accidisse sponso, quod illi contingit, qui in hortum, ad legendos fructus, descendit; qui cum in aliquem incidit, cæteris longè pulchriorem, illius pulchritudine recreatus, nihil prætere arequirit. adeo gratum apparet Deo bonum opus, in iuuentute proueniens, vt illud pluribus alijs fructibus, postmodum, in suaueolenti animæ horto, prouenientibus, tanquã pulchriorem, præferat: ideo sponsam, ad hos fructus exhibendos, inuitat cap. 2. ℣. 13. *surge*, inquit, *propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni &c.* sed, quæ sit hæc amica, explicatur cap. 8 ℣. 8. *soror nostra parua est, & vbera non habet*. Qui ergo possunt in illius horto fructus maturescere, cum adeo sit tenellæ ætatis, vt non habeat vbera? Scias, adeo amare Deum fructus iuuentutis, vt ijs, quantumuis immites, & immaturi videantur, summopere delectetur; ideo Dauid, allegato à nobis supra Psalm. 118. ℣. 147 *præueni*, inquit, *in maturitate, & clamaui*, legit Ribera in cap. 5. epist. ad Hebr. *præueni in immaturitate*; quasi dicat, in immatura ætate, hoc est tam cito, vt adhuc immaturum tempus videretur. sed nullum est, adeo immaturum, humanæ vitæ tẽpus, quod fructus, Deo suauissimos, non possit producere; *præcurrit enim*, ait Sanct. Ambr. serm. 19. *ætatis maturitatem, quisquis, in adolescentia positus, senilem grauitatem induit &c.* ideo sponso in immaturitate oblati fructus, & maturi, & tempestiui videntur.

Pier. — Cypr. — Celerata iuuẽtutis opera cæteris proferuntur. — Cant. — Psalm. — Ribera. — S. Amb.

23 Maximum verò emolumentum, quod ex adolescẽtia, Deo quam primum dicata, prouenit; &, quod ij consequuntur, qui quamprimum in piscinam descendunt, est sanitas, idest condonatio delictorum, quæ forsitan in decursu ætatis, per humanam fragilitatem, & imbecillitatem committuntur; quorum Deus facilius reatum remittit ijs, qui ab adolescentia, eius se se cultui dicarunt; ideo Ier. c. 2. ℣. 2. ad populũ Hebræum. *miserans*, inquit, *adolescentiam tuam*. idest misericordia erga te motus, ob adolescentiam tuam, & ob egregia opera, à te in adolescẽtia patrata. significatur his verbis, quod Deus, quasi conniuet ad quædam delicta, ob laudabilia opera iuuẽtutis; benignius, & mitius ea plectit; eiusmodi peccatores, suauius ad pænitentiam adducit, quos, à primoribus annis sibi addictos fuisse, nouit; vnde Vatabl. exprimens hunc sensum, legit. *miseratus bonitates adolescentiæ tuæ*; idest, ijs bonis, quæ in iuuentute operatus es, perspectis, de rigore multum remitto, quinimo misereor, & ignosco & hoc idem promittitur Prouerb. 1. in quo, cum sæpius cum istis fuisset sermo, qui, iuuenes, addicũt se diuinis, quos ℣. 6. hortabatur. *audi fili mi disciplinam &c.* & sæpius ibi passim; præsertim ℣. 31. hæc habet, de eiusmodi hominibus verba faciens. *Comedent ergo fructus viæ suæ*. Hebraice pro *viæ suæ*, legitur, *vitæ suæ*, & pro, *fructus*, hebraizantes legunt, *pheri*, à radice *pharah*, & significat, non quoscumque, sed priores tantum illos fructus, quos arbor tenella producit, cum non dum adoleuit. sensus ergo est, adolescentes, cum ad virilem ætatem peruenerint, ijs tantum fructibus alendos, quos in pri-

Facile miseratur Deus delictis ob celerata iuuentutis opera. — Vatabl. — Prouerb. — Bona sen ctus adolescen[tiæ e]x fructibus alitur.

mis annis vitæ protulerint, & quos in prima iuuenta recondere sategerint. declarare potest hunc locum, dictum quoddam Democriti, qui, conspicatus industrium, & sedulum adolescentulum, non puerilibus, & voluptuosis, sed honestis, & laudabilibus negocijs implicitum, *optimum*, inquit, *condit senectuti obsonium*. comparauit Philosophus iste præcoces, & iuueniles labores hominum, fructibus cõdititijs, qui in hyemem reseruantur. Eiusmodi sunt bona opera adolescentiæ, quæ animo, etiam ingrauescente ætate, & in vitæ hyeme, alimenta subministrãt. sicut, è contra, dedecus afferunt in senecta, crimina, per iuuentutis licentiã, perpetrata. Cassiod. in epist. *Indignè transacta adolescentia, odiosam efficit senectutem: & honestè acta superior ætas, fructus capit, auctoritatis: quid enim senectus corripere valet, in quo iuuentus reprehensibilis fuit?* hos ergo fructus, quilibet in iuuentute congerere à primis annis enitatur, quibus in senectute sustentari possit, & vitæ errores redimere.

Democriti dictum

Cassiod.

24 Duo huius, maturè in vita redditi Deo obsequij, mira præ cæteris, exempla habemus in nouo testamento: alterum Beatissimæ Virginis Mariç Dei Matris; alterum Ioannis Baptistæ, Præcursoris. de Virgine Deipara testantur Gregor. Nyssen. Homil. de Humana Christi Generat. Niceph. lib. 1. Histor. Ecclesiast. cap. 7. Metaphrastes Centur. 8. cap. 10. quam, triennem, affirmãt, in templo præsentatam fuisse; in cuius insignis actionis memoriam, Ecclesia, quotannis, præsentationis illius diem, solemni festo recolit, &, additis cereis facibus, puritatis eius candorem, Christianis æmulandum, proponit. Lex fuit Lycurgi, vt refert Laert. vt pueri impuberes; non in foro, & inter vrbanas delicias, sed in agris, inter agriculturæ labores educarentur; vt etiam, reliquo vitæ tempore, industrij, & laborum tolerantes euaderent. Hãc legem videtur impleuisse, adhuc infans, Virgo sanctissima: quæ Deum, cui se totam dicauerat, sic alloquitur Cantic. 7. ℣. 11. *veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis*. nam, statim atque cæpit esse particeps rationis, cuius vsus fuit illi à Deo specialiter in instanti conceptionis donatus, amorem omnẽ suum, & affectum Deo obtulit; ideoque verba illa Cantic. 8. ℣. 24. *dabo tibi poculum ex vino condito; & mustum malorum granatorum meorum*; quæ paulo supra, de omnibus, vitę suę primordia Deo offerentibus, interpretati fuimus, multo specialius, & congruentius de eadem sanctissima Matre possumus explanare. quæ poculum *vini conditi*, idest, ex charitatiui affectus, & infantilis puritatis saporibus mixtum, Deo obtulit, & addidit *mustum malorum granatorum*, ob sinceram suam, illibatamque puritatem. *mustum* enim plerumque accipitur pro tenero, & simplici; ita Plaut. *mustam iuuencam* dixit, pro tenera, & adhuc lactente, quo etiã sensu hanc vocem vsurpauit Næuius in Gymnastico. *vtrum est melius*, inquit, *Virginem an viduam vxorem ducere? Virginem, si musta est*. idest pura, & illibata. eiusmodi fuit sincerũ adolescentiæ, totiusque vitæ mustum, quod sanctissima Virgo Deo propinauit. Cum enim mustum, in vas aliquod tætri odoris infusum, male oleat; ideo Beatissima Virgo, ne infantiæ, & vitæ suæ puritas, aliunde mundanorum negociorum odoribus inficeretur, illam à diuitiarum, deliciarum, & aliarum quarumcumque mundanarum rerum desiderio illibatam, Deo seruauit; cuius mundissimum cor, nihil vnquam humanum sensit, nullam vel minimam labem in tota vita contraxit. eius vero infantili, & musto amore, Deum recreatum fuisse, asserit ipsemet in illis verbis Cantic. 5. ℣. 1. *Bibi vinũ meum, cum lacte meo*. non vinum hoc materiale intelligit, quod, lacti cõmixtum, iniucundum est potui; sed amorem illũ, & obsequium significat, quo, cum

Nyssen. Niceph.

Metaph.

Lycurgi lex. Laert.

Cant.

Mustum, teneræ ætatis, ac puritatis typus.

Plaut.

Næuius.

Cantic.

ipso

ipso lacte infantiæ, Deo dicatus fuit. quod adeo æstimat, & tanti facit, vt non iam alienum, sed suum vocet. *bibi vinum cum lacte meo*, inquit.

25 Iterum hoc ipsum, de eadem Virgine sanctissima, sponsus in Canticis expressit cap.4.℣.11.*Fauus distillans labia tua sponsa: mel, & lac sub lingua tua; & odor vestimẽtorum tuorum, sicut odor thuris.* Quæ, si ad Beatissimã Virginem Dei sponsam, pertinere dicamus; oportet meminisse, ex Pier. lib. 26.tit.*Grata eloquentia*, mel in ore habere, dici de eo, cuius grata, & suauis eloquentia commendatur. vnde veteres, quemcumque volebant ab eloquentiæ suauitate laudare; illum ab apibus, in os melle congesto, nutritum dicebant: vt de Pindaro refert Pausan. & Theocritus Comatam beatissimum prædicat, quod apes in illius ore mellificauerint. eiusmodi eloquentiam in Maria Virgine fuisse, allatis verbis significatum fuit; quæ etiam commendatur eorundem Cantic. 4. ℣. 3. *sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce*. LXX. reddunt. *loquela tua, speciosa, decora, ac gratiosa.* Sed quomodo *mel* linguæ Virginis, idest eloquẽtia, & suauitas persuasionis tribuitur; cum eiusmodi *mel* dicatur, lacti commixtũ, quod infantium est cibus? certum est enim; infantes, nedum eloquentiam, sed nullum prorsus linguæ vsum habere. Excessit in hoc, propter singulare Dei priuilegium, reliquos mortales Beatissima Virgo; quæ, vt plurium SS. Patrum doctrina comprobatur, ex primo instanti suæ immaculatæ Conceptionis, actualem vsum rationis habuit, quem, toto vitæ spatio, optimè conseruauit, ita S. Bernardin. Senens. serm. 51. de B. Virg. cap. 2. art. 1. Viguera in institut. cap. 5. §. 3. ℣. 9. & alij. Quæ prærogatiua, etiam Præcursori Ioanni Baptistæ communicata fuit tunc, cum B. Virgo, sacro grauidata fœtu, iuit salutatum Elisabeth. Luc. 2. quam deinceps retinuit, vt plures Doctores docent 3. par. quæst. 27. art. 3. referente ibi Suarez. Insuper habuit Beatissima Virgo, ex speciali ipsius Spiritus sancti munere, dona scientiæ, & sapientiæ, etiam supernaturalis, & infusæ; cum cognitione diuinorum mysteriorum, vt ait Sãct. Bernardin. tract. de B. Virg. serm. 4. art. 1. cap. 4. his verbis. *In prima sanctificatione, quantum ad rationem, & intellectum, tanta ei sapiẽtiæ claritas à Deo superinfusa est, quod perfectè intelligebat creaturas, & creatorem, & spiritus: & omnia bona amplectenda, & mala fugienda.* idem docet Albert. Magn. lib. de Beat. Virg. cap. 71. & 96. addens, Beatam Virginem habuisse cognitionem supra fidẽ, & supra cognitionem puræ Creaturæ in via: & simul cum habitu fidei, habuisse habitum, quo, perfectius quam Adam in sopore, & Ioannes Euangelista, supra pectus Domini recumbens; & Paulus in raptu, cognouerunt arcana Dei. & cap. 132. & 149. ait Beatam Virginem, sine medio, ex speciali Dei fauore, & priuilegio, cognouisse mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & incarnationis. quod confirmat Dionys. Richelius Cantic. 5. Martin. de Busto in Manal. serm. 2. & 9. & alij. adeo vt, ex his omnibus, liqueat, in ea mirifice lac infantiæ, suauissimo cęlestis sapientiæ melle minime destitutum, & possimus affirmare. *mel, & lac sub lingua mea*, Virgo Maria. hinc suauissimum Deo poculum exhibuit, à primis vsq; ineuntis ætatis annis, actualiter etiam illius obsequijs addicta.

26 Sed ponderemus iam alia eiusdem ℣. verba, in quo, non solum laudatur spõsa, ob mellis, & lactis dulcedinem, & admirabilem commixtionem, sed etiam à fragranti vestium odore, dum additur: *& odor vestimẽtorum tuorũ sicut odor thuris.* Nulli dubium esse potest, *thus* in sacris litteris, Deo dicatum fuisse; quin etiam apud ethnicos hoc increbuit, teste Plin. lib. 12. cap. 14. ideo in Leuit. cap. 8. ℣. 7. præcipitur; *coques ex ea duodecim panes &c. & pones super eos thus lucidissimum*

Cant. Pier. Mel in ore grata eloquẽtia. Pauf. Theocr. Cant. S. Bernardin. Viguer. Luc. Suar. Bernardin. Albert. Mira Virginis prærogatiua Richel. Martin. de Busto. Plin. Leuit.

simum, vt sit panis in monimentum oblationis Domini. & eiusdem thuris vsus, in sacrificijs præscribitur Exod. 30. ℣. 34. gratissima itaque, & instar purissimi sacrificij, summopere accepta Deo fuit Beatæ Mariæ Virg. oblatio, quæ, vix dũ à maternis vberibus auulsa, obtulit se in templo præsentandam; ideo *odor thuris*, idest, sacrificij, & oblationis Deo gratissimæ ex ea manabat. Quin etiam ante lactis haustum, ab ipso inquam immaculatæ suæ conceptionis instanti, & simulatq; accepit esse, Deo se se vouit: nec vnum elapsum est instans, in quo fuerit, & Dei obsequijs addicta non extiterit. Pro qua re clarius manifestanda, noto, quod non ipsa Virginis anima, sed illius vestimenta, thus redolere dicuntur: *odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris*. per vestes denotatur caro nostra, quibus anima veluti amicitur. Ita Iob 10. ℣. 11. *pelle, & carnibus vestisti me*; & eodem sensu Paul. 2. Corinth. 5. ℣. 4. *nolumus*, inquit, *spoliari, sed superstiri, vt absorbeatur, quod mortale est, à vita*. vnde Anaxarchus iussu Nicocreantis tyranni pistilis in mortario contusus, dixit: *tundite tundite Anaxarchi vestes, Anaxarchum ipsum tundere non potestis*. Hæc Beatissimæ Virginis vestimenta, sacra Deo, & dicata semper fuerunt, quorum virtutes, & dotes tales fuerũt, vt suauissime redolerint, vt propterea dicitur, quod illorum odor est, sicut *odor thuris*, idest; gratus.

Exod. — Iob. — Corinth. — Anaxarchi memorabile dictum.

27 Alterum exẽplum votæ Deo adololescentiæ, fuit Ioannis Baptistæ, qui teneris sub annis antra deserti petens, eam obtinere meruit vitæ puritatem, quam, ne leui quidem verbo, maculauit; adeo, vt ob festinatum studium currendi in via diuinorum mandatorum; hoc etiam nomine, mereatur πρόδρομος, siue *Præcursor* dici; quemadmodum præcox ficus, de qua supra diximus πρόδρομοσύκον appellatur ab Athenæo. neque præcucurrit tantum, sed præparauit viam Domino, de quo scriptum fuit Malach. cap. 3. ℣. 1. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam tuam ante te*. de quo interpretari possumus illud Zachar. 9. ℣. 16. *Lapides sancti eleuabũtur super terram eius*. LXX. quos sequitur Hieronym. legunt *voluentur*, quo verbo, expressius significatur festinatio, & celeritas iustorum ad diuinum obsequium; quibus exemplo præiuit Baptista, in ipsa infantia; ex illo autem verbo *voluentur* duo colligo primum celeritatem, motus enim circularis est omnium velocissimus; significatur igitur, quod sancti, obliti tarditatis, quam illis natiua grauitas, & corporea moles impartitur, feruntur citissime eo, quo ab impellente diuino spiritu diriguntur. secũdo colligitur ex eodem verbo, alienatio à rebus mundanis, quæ enim circulariter super terram mouentur, & voluuntur, instar rotarum in vno tantum puncto terram attingunt, ita isti, quamuis in terris viuant, cum Paulo Philip. 3. ℣. 20 dicere possunt, *nostra autem conuersatio in Cælis est*; ad quem sensum accessit D. Hieronym. in cap. 28. Ezech. *Lapides recti*, ait, *voluuntur super terram, instar rotarum, paululum tangentes humum, & volubilitate sua, ad cælestia festinantes*. eiusmodi fuit Baptista, quem, neque parentum amor, neque diuitiarum cupiditas, neque honorum ambitio, à veloci cursu inhibuit; quin ab ineunte ætate, totum se cælestibus cogitationibus addiceret. nouerat .n. quam grata sint Deo, hæc iuuenilia studia, sanctæ cogitationes, austera ieiunia, quorum parcitate quantum corpus atteritur, & extenuatur; tantundem spiritus crescit, & vigoratur; & ideo, his ieiunijs Deo oblatis, quodammodo etiam Deus reficitur: Sanct. Petr. Damian. epist. 105. quæ est lib 6. 17. de præcursore verba faciens, ideo ab eo, carnem ieiunijs attritam, affirmat; *vt eo Dominus, velut epulo suauis edulij, delectabiliter saginetur*. qui igitur in iuuentute per abstinentiam, & mortificationẽ carnis macilẽtus fit, hic Deum saginat: qui vero debilem senectam eidem

Io. Baptista alte[?] vota Deo adolescentiæ exemplum. — Athen. — Malach. — Zacchar. — Hieron. — Philipp. — Hieron. — S. Petr. Dam. — Veluti saginatur Dominus floridæ iuuẽtutis operibus.

Vgo. dem reseruant, minus grata Deo, obsonia exhibent. Luculenter hoc dixit Vgo Cardin. lib. de Claustr. Animæ, de eodem præcursore verba faciens. *In illa, inquit, ætate, quando crines flauescunt, caro nitescit eburnea, oculorum gemmis facies rosea decoratur, valetudo corpori subministrat, & ætas iuuenalis longioris vitæ spatium repromittit. Quando viget ratio, vigent etiã corporis sensus, visus acutior, auditus promptior, incessus rectior, vultus iucundior. Qui in hac ætate se domant, & Deo se sociant, præmium Ioannis Baptistæ expectant. Tales enim offerunt hostiam viuentẽ, Deo placentem, & immaculatam, non aure, non pede, non lingua carentem. audiat hoc senum sera conuersio, quibus, ex defectu senectutis, aures obturãtur, oculi turbantur, vt breuiter cuncta perstringã, ipsi in se, per se deficiunt. Hi non offerunt Agnũ immaculatum sed (vt ita dicam) porcum cruentatum, sicut enim porcus in immunditijs, sic senex in vitijs, &, sicut porcus aliquis pascitur, sic senes, fabulis, & rumoribus delectantur.* offenditur potius, lutulentæ huius hostiæ nidore, Deus, quam odore recreetur.

Sacer text. *Erat ibi homo triginta octo annos habens in infirmitate, &c. Hunc cùm vidisset Iesus &c.*

CAP. V.

Deus, suos, paulatim ducit ad perfectionem.

1 I qui voluerit diligenti examine singula, quæ in hac Euangelica narratione à Christo dicta, vel facta memorantur, librare, magnum poterit diuinæ prouidentiæ documentum ex præsenti historia eruere. Quærit D. Thom. in Caten. ex Chrysost. circa verba illa Euangelistæ, *erat autem ibi homo &c.* Cur non statim hũc languidũ Dñs sanauerit; nõ ne poterat breuiter illi dicere, sanus esto, surge, vel quid simile? cur ergo illũ primo interrogauit, num vellet sanus fieri? & respondet Sanctus Doctor: obseruatum hoc à Saluatore, quia difficile erat, vt homo in peccatorum cœno tamdiù volutatus, illico reduceretur ad gratiam; nisi paulatim incepisset à prauitate deflectere, & in viã virtutis redire; ideo voluit illum prius per alloquium sibi quasi familiarem reddere, & sic disponere ad recipiendum beneficium sanitatis: *Non autem confestim, ait, eum à principio sanauit, sed primùm eum familiarem sibi facit, per interrogationem, futuræ fidei faciẽs viam.* Inuenit istum habituatum, & inueteratum in peccato; de quo Beda: *Homo, inquit, iste multorum infirmitate detentus annorum, significat peccatorem quemlibet, enormi peccatorũ, & scelerum magnitudine, vel numerositate depressum;* cuius oculi immenso diuinæ claritatis iubare, si improuiso fuissent perculsi, profecto instar vespertilionis, ad eiusmodi fulgorem penitus caligasset; neque proter peccatorum magnitudinem ad tantum recipiendum beneficium forsitan conuersus fuisset; ideo paulatim in eo diuinitatis suæ fidem tamquam facem accendit; & hinc, vt adnotat idem S.Thom. ibidem paulo infra: *non dixit ei, vis? te curabo;* quia non erat adhuc capax diuinitatis, quam dominus sub hominis figura celabat, præ suæ imbecillitate non poterat tantam claritatem intentis oculis intueri; nam non minus mente cœcus erat, quàm membris debilis; *non dum,* ait Sanct. Thom. *aliquid magnum imaginabatur ille de Christo.* sed cùm ad simplex Iesu præcipientis mandatum, restitutam sibi sanitatem vidit, illico cæpit illius virtuti confidere, ex tunc vitia

Non statim Iesus languidũ sanat vt paulatim ducat ad perfectionem.

S.Thom.

Beda.

S.Thom.

Progressus in via virtutis suadetur.

abiecit, dum illi dixit Saluator surge, quod non tantum corpore fecit, sed etiam animo; Beda, *surge enim*, inquit, *dicitur, idest, vitiorum torporem, in quibus diu languebas, excute, & ad exercitium virtutum, quibus perpetuò salueris, erigere*. Sed neque satis est ad perfectionem tendenti vitia deserere, & à noxijs declinare; sed etiam opus est, bona sectari (hoc est) declinare à malo, & facere bonum; ideo benignius dominus addidit *ambula*; idest, *progredere*, *profice*; vel vt dicit Beda; *vide ne in hoc sæculo mentem figas; sed ad videndam faciē tui festines redemptoris*: & discrete tria illi præcipit, ordinatim in via spirituali agenda; *surge*, ait idem Beda, *bona operando, porta grabatum, diligendo proximum; & ambula expectando beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei*. Ita iste paulo ante languidus iam curatus, abdicatis languoris, & diuturnæ infirmitatis suæ sarcinis, Deo deuotus, in tēplum secedit, bonis operibus vacat, & animæ culturæ; *postea inuenit eum Iesus in templo*; Chrysost. homil. 35. *neque curatus, secessit ad nundinas, neque ad voluptates vanæ gloriæ dedit se ipsum; sed in templo conuersabatur, quod maximum religionis est signum*. iam locum mutauerat, sed & mores; & vile grabatū in quo tādiu iacuerat exosus, Dei templum elegerat in quo versaretur: vides paulatim in eo mutationem; nunc enim incolatum perfectionis, & sedem deuotionis occupauerat, iam profectus sui signa dabat inuentus in templo: Neque hic constitit, sed diuina præeunte bonitate, & gratia, perfectiora molitur; nam post beneuolam Saluatoris correctionem libenter susceptam *Vade, & noli amplius peccare, &c.* iam aliorum etiam euasit doctor, ex paralytico factus prædicator, & glorificator diuinorum beneficiorū; ex grabato ad suggestum ascendit, cum *abijt homo ille, & nunciauit Iudæis, quia Iesus est, qui fecit eum sanum*; in quo officium prædicatoris exercuit: *medicum*, ait Chrysost. homil. 37. *profitetur, & prædicat; vt populum ad eius cognitionem, & familiaritatem alliciat*: & D. Augustin. Tract. 17. in Ioann. *postquam*, inquit, *vidit Iesum, & cognouit Iesum auctorem sanitatis suæ, nō fuit piger in euangelizando*; ex peccatore factus Euangelista. In hoc progressu, admirabilis apparet diuinæ bonitatis prouidentia, quæ imperscrutabili sapientiæ suæ, sed regulari ordine ita solet suos paulatim ducere, quasi per gradus quosdam ad perfectionē, vt memor imbecillitatis nostræ, & fragilitatis, non statim à peccatis ad perfectionem, sed sensim producat. Et quia perfectionis ordo postulat, vt prius carnis impetus cohibeātur, ideo primum voluit, vt languidus tolleret grabatum, idest, inciperet seruire Deo per mortificationem carnis. *Tolle grabatum*; ait Incert. sub nomin. Emissen. *& continue in seruitutem redige carnē tuam; lectus enim animæ corpus est; in quo si vitiosum fuerit, tota infirma & languida iacet anima*; deinde deuicta carne, spiritu debemus ambulare, idest animam in bonis operibus exercere *ambula*, ait idem Incert. *non sis otiosus, otiositas enim, animæ inimica est; quæ & vitia nutrit, & virtutes necat*; ita iste diuinis obediendo mandatis, ex pessimo peccatore, factus est studiosus, & sollicitus animæ suæ curator.

2 Aliud eiusdem diuinæ prouidentiæ in prouehendis suis exemplum habēmus Matth. 8. ℣. 14. cum Iesus tentaturus & exploraturus fiduciam discipulorum in tempestate, primo simul cum eis ascendit in nauim: *ascendente autem eo nauiculam, secuti sunt eū discipuli eius: & ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus*; iterum autem cum periclitarentur discipuli, aberat Iesus, & cum solus remansisset (Matth. 14. ℣. 24. *vespere autem facto, solus erat ibi; nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus*,) coegerat discipulos in nauim ascendere; nam Marci 6. ℣. 45.

Beda. — Beda. — Glos. — S. Chrys. — Curatus à peccato aliorū fit doctor. — S. Chrys. — S. Aug. — Initium perfectionis carnis impet. cohibere. — Incert. — Otium fugiendum. — Matth. — Idem — Marc.

℣.45.dicitur: *coegit discipulos ascendere nauim*: qui vt ait Sanct.Thom. Matth. 14.in Caten.ex Hieronym. *quasi inuiti, & retractantes à Domino recesserant, ne illo absente naufragia sustinerent*, voluit ipse primum interesse procellæ, & periculorum esse comes, vt paulatim assuescerent Apostoli, etiam ipsius absentis, auxilium implorare, & in eo confidere; ideo cùm primùm illos assuefecisset procellæ iterum solos periclitari permisit, vt sensim discerent confirmari, & stabiliri in fide; egregiè hunc sensum expressit Sanct.Chrysost. in Matth. *Rursum autem*, ait, *discipuli tempestatem sustinent, sicut & prius: sed tunc quidem habentes eum in nauigio, hoc passi sunt; nunc autem soli existentes; paulatim enim ad maiora eos ducit, & ad ferendum omnia viriliter instruit*; neque enim maioribus tribulationibus sustinendis pares esse possunt, qui leuioribus non fuerint assueti. atq; in hoc seruorum suorum progressu videtur Dominus nutrices imitari, qualem se esse dicit Osee, cap. 11. ℣. 3. *ego tamquam nutricius Ephraim, portabam illum in manibus meis*; cùm itaque educaturus sit seruos, & filios suos, de quibus dicit Isai. 1. ℣.2. *filios genui, & educaui*; illos præsertim instruit ad ambulandum in diuinis mandatis, vt dicitur eiusdem Isai.cap.2.℣.3 *docebit nos vias suas; & ambulabimus in semitis eius*, Solent autem nutrices, teneros infantes, cùm primùm instabili pede vestigia figere incipiunt, vtrinque manibus sustinere, neque ab illis recedere, ne cadant; tum extrema tantum vestis lacinia eos apprehendunt, quòd si paululum eos deserant, adsistunt nihilominus, & gressus obseruant, necubi impingant, & corruant, & cernuos, ac lapsabundos erigunt; ita prorsus Christus Apostolis primo periclitantibus erat in naui eos sustinens, postmodum solis illis aliquãtisper relictis perambulabat littus, quasi diligenter obseruans, num illa tempestas illorum fidem concuteret; plerumque etiam legimus, illum, orta tempestate, dormiuisse; vt ad tempus eos deseruisse videretur; ita enim paulatim in fide confirmare volebat, donec tandem adultos dimitteret dicens illis, Marc.16.℣.15. *euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium*, quia iam minoribus tribulationibus assueti, etiam persecutiones tyrannorum, verbera, & mortem pro diuina gloria tolerare poterant, cùm illos, sedulus magister, paulatim ad perfectionem eduxisset.

S.Thom. — *Discipuli paulatim ediscunt spiritum.* — *S Chrys.* — *Paulatim ad maiora ducuntur Apostoli.* — *Osee.* — *Deus nutrices imitatur.* — *Isai.* — *Idem.* — *Paulatim suos, in fide confirmat Deus* — *Marc.*

3 Atque hoc natura comparatum est, quæ fructus paulatim ducit ad maturitatem, qui verò præcoques sunt: aut insipidi, aut minimè diuturni; & arbores sensim adolescunt, & prouidè natura inter noctem, & diem, auroram interposuit, quæ lucis confinio, vtrumque seiungendo, coniungeret; ita cùm peccator ad Deum conuertendus in tenebris volutaretur, & indigeret luce, propterea venit Redemptor Luc.2.℣. 79. *Illuminare his, qui in tenebris, & vmbra mortis sedent*. Hinc ait Sanct. Chrysol. serm.87. *Sicut longo dolore, & infirmitate longa, luminibus obscuratis, nisi sensim refusa fuerit, fit inimica lux; certe cùm solis sit condita lux oculis, solis sit oculis lux amica, per quos vtique reliquo corpori, vel traditur, vel negatur. Ita diuturno perfidiæ morbo contenebratis mentibus, nisi paulatim fuerit fidei claritas restituta, subito ipso fidei splendore, magis perfidiæ crassescit caligo*. Possumus hoc in Hebræis animaduertere, ad quos cum venisset is qui verè dixit *Ego sum lux mundi*, tamen immensa huius lucis claritate potius caligantes, *dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem*; quia in tenebris peccatorum ob nostram mortalitatem inuoluimur, nisi paulatim ad solis iustitiæ iubar caput extollamus; ad cuius adspectum vt nos quasi disponeret præmisit Ioannem Baptista Præcursorem, de quo dicitur Ioan.5.℣.35 *Ille erat lucerna ardens, & lucens ante Dominum*. misit lucernam obtenebratis oculis, vt facilius paulo post orituri

Natura paulatim fructus perficit. — *Luc.* — *S.Chrys.* — *Fides paulatim infunditur, ne fiat perfidia.*

solis

solis idest Christi lumen adspicerent Sanct. Chrysol. serm. 87. *In Ioanne Dominus accendit sui luminis, & præmisit lucernam, vt deguſtato lumine in se iã diuini solis iubar ipsum perferrent, ipsam Deitatis caperent claritatem, iuxta illud quod dictum est de Ioanne, Ille erat lucerna ardens, & lucens: vt ille densas noctis placido lumine aperiret tenebras, ipse noctis nesciũ diem iam desiderãtibus ad lucem perpetem redonaret.* Sanct. Basil. in cap. in 2. Esai. explicans cur primo Propheta dicat; *ascendamus in montem Domini,* deinde addat, *& ambulemus in lumine Domini: beneficij* inquit, *affectos inuitat ad consectanda perfectiora; vt animo quis ascendit in montem Domini, & istis terrestribus euasit superior; huic conceditur veluti iam participi purioris radij, diuinum assequi lumen, oculos animæ illustrans ad intelligentiam intellectualium, ac diuinarum contemplationum.* prius ascendendum monet per contemptum mundi, tum ambulandum per progressum ad Cælum; quod in nostro etiã Euangelio diximus obseruatum, dũ prius lãguidus jubetur surgere, deinde ambulare.

S.Chryſ. — S.Basil. — Paulatim diuino illustramur lumine.

4 De Christo nasciturο dicitur Malach. 1. ℣. 4. *orietur vobis timentibus nomen meum sol Iustitiæ;* quem solem cum venerabundi odoratum, & visum peregrè venturi essent Magi, stella iter dirigens eos præcessit. Sanct. Chrysol. eodem sermon. 87. *Hinc est quod & Magos adhuc noctis incolas, & totis obstupescentes oculis tenuiter micans stella assuefecit ad lucem, & gradatim pertrahit ad ipsum fontem luminis & dierum:* caligassent enim improuiso illis apparente immensa solis luce, hebetata, & tenebris asſueta Magorum lumina, quemadmodum etiam omnium fidelium corda non subito perfectionis sunt capacia, ideo sensim submotis humanis imperfectionibus, & præeunte stella Domino cum muneribus occurrunt. D. Basil. reddẽs rationem cur Esaias cum in principio

Malach. — S.Chryſ. — Gradatim ad lucis fontẽ ducuntur Magi — S.Basil.

Cap. 2. bis domus Dei meminerit, primum quidem simpliciter Domum Dei nominat, secundo vero addit Iacob. *ascendamus ad domum Dei Iacob* hoc factũ putat. Quia *bisqui introducũtur primũ ad Dei cognitionẽ, dictum est vt cumque domus Dei, eis vero qui deinceps sunt eruditi de Deo, adijcitur nomen hoc Iacob, qui gratiosus fuit Deo, & apprime familiaris;* ad quod exemplum Saluator, primo à languido adhuc imperfecto, & inchoanti appellatur *homo* deinde vero *Iesus*, quia iam erat eruditus.

Esai. — Parua incipientibus, magna profectis, Dei ingeritur cognitio.

5 Mirificè hanc Domini nostri consuetudinem, paulatim eos quos diligit ad maiora eleuantis expressit Sanct. Iustin. Martyr quæst. 48. obseruans verba illa, quibus Christus post Resurrectionem Magdalenam allocutus est. *Illud* inquit, *noli me tangere, Maria à conseruatore dictum est, hoc sensu; noli me sequi, ita vt mecum semper versere, ea ratione, qua ante quam in Crucem ageret. volebat enim sensim ac pedetentim discipulos à consuetudine adspectus præsentiaque corporis sui abducere: itaque neque semper visus est discipulis ijs diebus, quibus cum eis in terra post resurrectionem versatus est, nec omninò inaspectabilem se eis præbuit, sed vtrumque interuallo spatiorum adhibito faciebat, vt & videretur ipsis, & non videretur.* Ita enim duces, qui commissos disciplinæ suæ milites erudiunt, postquam diù illos instituerunt, ab illis recedentes, permittunt eos militaria munia quorum præcepta hauserunt solos obire, ipsi vel immutato habitu, vel assumpta persona, inter spectatores incogniti singulorum industriam obseruant. Vnde Sanct. Thom. in Caten. in illud Ioan. 10. ℣. 14. *Hæc cum dixisset conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem, & non cognouit quia Iesus est,* inquit, ex Sanct. Ioann. Chrysost. *Angelis enim vt Dominator apparuit, mulieri verò non ita, ne eam ex prima visione stupefaceret, non enim oporte-*

S.Iustin. Mart. — Non tota simul spiritualis subtrahitur consolatio. — S.Thom. Ioan. — Per gradus ad excelsa peruenitur.

bat

bat eam ad excelsa reducere, sed pautim;. Hinc in forma hortulani ei apparuit. ℣. 15. *ipsa existimans quia hortulanus esset dicit ei &c.* alijs sub forma peregrini; vt paulatim ab illius consuetudine desuescerent, & perfectionem etiam eo absente sectarētur; quæ etiam fortasse fuit ratio cur Christus sanato languido secesserit, & latuerit, vt dicitur in Euangelio; *ipse recesserat turba constituta in loco*; vt scilicet magis desiderijũ sui in eo, quē sanauerat absens accenderet: & ille ad diligentius perquirēdum sanitatis auctorem intentus magis in merito fidei proficeret. solent enim quæ appetuntur dũ absunt studiosius quæri, & flagrantius amari.

6 Hanc Iustorum ad perfectum statum progressionē obseruare etiam possumus in Euangelio Lucæ cap. 1. vbi de Zacharia, & Elisabeth dicitur, *erant iusti ambo, ante Dominum incedentes, in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini, sine querela.* vbi primo illud considerandum occurrit, quod appellantur iusti, quia incedebant in omnibus mādatis, errant enim, qui vbi mandata adimpleuerint, consistunt existimantes se ad metam peruenisse, cum in via Domini semper incedendum sit, in qua non progredi est retrogredi; ideo languido dictum audiuimus *ambula* Sanct. Chrysol. serm. 89. *Incedit qui non stat in triuijs peccatorum qui peregrinum se hic sentit in saeculo, qui asperas virtutum intrat intrepidus mansiones qui montes iustificationum, mandatorum colles indefessus viator ascendit, vt praesentia parentis Dei Patris cælestis beatitudine perfruatur.* Vel alio modo dicamus quod iusti erāt ambo ante Dominum incedentes, quasi significetur, quod non quia iusti ideo non incedebant, semper enim vlteriori merito studebant, & nouis virtum gradibus locupletati proficiebant, iuxta illud Apocalypſ. 22. ℣. 11. *Qui iustus est iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc.* Quem sensum præferunt verba Sanct. Chrysol. serm. 91. *Incedentes dixit, vt eos ostenderet cucurrisse virtutibus non stetisse, & ambulasse in via iustitiæ, non sedisse, nec remansisse in itinere mandatorum; sed ad mandatorum plenitudinem peruenisse.* Idem prorsus sensit, & dixit D. Ambros. in tractat. XXXXII. filiorum Israel mansionibus, mans. 31. *Iustus quãuis in hac vita ad bonitatem perfectam peruenerit, haud tamen animo sistit, nec præsenti contentantur statu quin potius cuncta pertransiens, flagranti etiam desiderio ad meliora contendit.* & paulo post. *In hac vita non quies, sed perennis est transitus; Quare sponsus in Canticis, ob cursus pernicitatem Capreæ hinnuloq. ceruorum assimilatur, unde & salit super montes, & transilit super colles;* Hoc nos docet mansio ista, *quoniam ebrona transitus est, vt quamuis ad bonitatem per superiorem mansionem perueneris, omnia tamen sunt prætereunda: oportet tamen te ad meliora transire.* & propter incessantem istam ad meliora contentionem, dictum crediderim de iustis, quod erant incedentes ante Dominum. Additur præterea *in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini.* non in aliquibus tantum, sed in omnibus; idem S. Chrysol. *Hi in omnibus; in quibus nemo vel pauci:* & ideo sumopere conmendantur, & in senecta præclara præcursoris Dominici prole fœcundantur.

7 In hoc spirituali profectu per assiduum studium comparato, iusti similes videntur agricolis, qui in continuo labore versantur; dum aut semen promunt ad seminandum, aut seminatum & vixdum natum curant, aut adultum purgant, aut maturum metunt, quod deinde iterum terræ committant. Ex quibus verò arboribus fructus expectant, circa eas fodiunt, plantant alias, quasdam inserunt. Hinc Luc. 15. in Historia de duobus filijs frugi, & prodigo dicitur; *erat autem filius eius senior in agro.* S. Thom. in Caten. ex Tito, maior

Non sistendum quamuis videaris perfectionis metā attigisse.

Chrysol.

Iustus sēper nouis virtutũ gradibus locupletari studet. Apoc.

maior igitur filius sicut agricola insi stebat agricultura, non terrestrem sed animæ agrũ fodiens, & salutis arbores inserens, scilicet virtutes. Quibus operibus occupatus, tantopere profecit, vt nunquam mandatum Patris prę terierit. Hunc qui imitari cupiunt, nunquam se ita animæ agrum credent repurgasse, quin & vitia tamquam zizania inter bona opera nasci posse dubitent, & quasi sentes ac spinas passionum repullulare: assiduo itaque pęnitentia, & mortificationibus runcandus, atque purgandus, vt ex inculto fiat paradisus digna Deo habitatio.

S. Chrysol.

Nunquã Iustus de sua iustitia securus.

8 Et hinc fit vt iusti de suo progressu semper dubitent: & S. Chrysol. serm. 90. *ambit. fidei fulcire verticem, ardet cælum suam penetrare virtute: sed æthereas in vias vbi incedere humanis gressibus incboat, & cum suam deorsum respicit ad naturam, non tantum fidit de præteritis, quantum trepidat de ruina. Sic B. Petrus, dum per æquora diuinos imitatur incessus, & nouus viator molle iter duris gressibus calcat, ante de lapsu supplicat, quam gaudeat de donato.* Si ergo meminerimus ambulare nos super aquas, & vndequaque instare ventorum impetus, assiduè ad Deum seruatorem intenta mente, eius in hoc nostro spirituali cursu auxilium implorabimus.

S. Bern.

9 Postremo ad ostendendum quod paulatim in via Domini pertingere possumus ad perfectionem, oportet pulcherrimam D. Bernardi sententiam proponere; qui serm. 3. & 4. In Cantic. per triplex osculum ducit animam in hac spirituali via ambulantem. *Non temere,* inquit, *assurgat ad os serenissimi sponsi, sed ad pedes seuerissimi Domini mecum pauida iaceat, & cum publicano terram tremens non cælum adspiciat, ne confusa in luminaribus cæli facies assueta tenebris opprimatur à gloria, atq; insolitis reuerberata splendoribus maiestatis, densioris rursus densitate caliginis obuoluatur.* & paulo post *sumpto ad pedes primo osculo, ne sic quidem statim præsumes ad osculum oris assuegere sed erit tibi gradus ad ipsum medium quoddam osculum, quod secundo loco ad manum accipies. longus saltus est de pede ad os, sed nec accessus conueniens, per manus tibi transitus sit. &c.* Hi sunt gradus, hi passus quibus in via spirituali fideles & iusti ab infimis ad summa progrediuntur; neque statim peccatis pollutum os, potest diuinis recreari osculis, nisi & prostratus anteacta lácrymis damnet atq. tergat, & paulatim assurgens manum osculetur idest operum bonorum frequentiã incipiat; inde ad perfecta gaudia, & oris diuini oscula eleuandus.

10 Hunc in regendis subditis, Dei morẽ imitandum sibi proponant Principes, & Superiores quiuis illi sint. nõ statim ac violenter ad omnem legis, ac constitutionum plenam, & exactam obseruantiam ab illis exigant, compatiãtur infirmitati carnis, metiantur fragilitatem, & ita regant, vt dum relaxationem iuste non patiuntur, austeritate nimia corda, timeant, ne frangãt infirmorum. Eleganti sane similitudine docuit hoc Plutar. in moralib. *Musicus,* inquit, *chordas dissonantes non statim abijcit, atque incidit: sed sensim intendens, aut remittens, ad concentum adducit. ita Princeps leniter debet emẽdare peccantes, non protinus tollere.* Conuentus enim multorum subditorum veluti instrumẽtũ musicum est varijs chordis compactum, quod ad legis obseruantiam, tanquam ad harmoniã, concorditer adducendum est. Chordis non permittenda relaxatio est, ne diffusæ inutiles sint ad concentum. neque plusquam æquum est attellendæ sunt, aut impetu erigendæ, sed paulatim nunc erigendo, nunc flectendo, audito interim semper chordæ sonu, porrectis auribus clamori, & inclamationi subditorũ, ad concentũ, harmoniam, et vnanimem concordiam adducendi sunt. Hoc certe docuit Spiritus Sanctus. Eccli. 44. quo loco instituit Superiores in regimine. ℣. 1. 2. 3. 4.

Quasi Cytharædus Princeps suorũ subditorum chordas moderetur affectum.

Eccli.

laude.

laudemus, inquit, *viros gloriosos, & parentes nostros &c. dominantes in potestatibus suis, homines magni virtute, & prudentia sua praediti. imperantes in praesenti populo, & virtute prudentiae populis sanctissima verba*. summā prudentiam necessariam dicit, quam per similitudinem ad concentum explicat ℣. 5. *in peritia sua requirentes modos musicos*, idest, eam artem, & modum vt exposuimus.

Sacer text.

Vis sanus fieri? Domine hominem non habeo &c.

CAP. VI.

Regium est benefacere, & si insuetum hoc sit Principibus huius temporis.

1 IRVM sanè, & fortasse non ab omnibus in hoc Euangelio, expensū videtur, quod interroganti Domino huius piscinae languidum: *vis sanus fieri?* ille responderit: *Domine hominem non habeo*, non adhuc Iesum viderat, non miracula intellexerat, non seruorum comitantium, vel, praefulgidarum vestium aspexerat pōpam, quin, serui potius formam praeseferebat tunc Dominus Dominantium. Quid ergo languidus hic Euangelicus, quem pauperem videt, ac humilem, sic obsequitur? Quid *Dominum* appellat, cui serui inerat forma? Sed, si Euangelica historia bene expendatur, non obscuro Dominationis, ac Regiae dignitatis argumento ductum, hunc lāguidum intelligemus ad Dominum confitendum, quem pauperem aspiciebat. Dixerat illi Dominus, *vis sanus fieri?* libens obtulerat infirmitati remedium, egestati subsidiū, ac verbo vere regio, *vis*, largum se, ac profusum beneficiorum collatorem ostenderat? Quid mirum, si tanto argumento victus, obsequendo respōdeat languidus, *Domine hominem non habeo*. nullum tam efficax Principatus, ac Dominationis argumentum, quam libens beneficentia, ac liberalitas, nullum Regiae prorsus dignitatis euidentius signum hoc verbo *vis*, Vtinam hominibus, ac nostri temporis Principibus, non adeo insuetum esset hoc verbum, plerumque enim volo proferūt, plerumque accipere quaerunt, & contra Principum, ac Regum munus emēdicant ipsi, quod alijs elargiri tenerentur. sed haec omnia ex hoc Euangelio moraliter eruisse non displiceat, vt liberalitatem, & beneficentiam, Principibus, ac superioribus, vt necessariam, ita propriam esse astruamus.

Pulchra dubitandi ratio.

Principis propria munificētia.

2 Quod certè non obscurè colligi potest, ex illo Apoc. cap. 5. vbi Ioannes, praeclaram illam visionem describēs, postquam caetera recensuisset; Dominum scilicet in excelso solio constitutum, vigintiquatuor seniores, & quatuor animalia circa thronum, *post haec*, subdit, *vidi in dextera sedentis supra thronum librum scriptum, signatum sigillis septem, & nemo poterat aperire librum, & flebam multum*, angebatur dilectus discipulus, ac vehementer dolebat, neminem inuentum esse, neque in caelo, neque in terra, neque subtus terram, dignum aperire librum, & soluere signacula eius, atqui, cum aspexisset, lachrymas miseratus vnus ex senioribus, *ne fleueris*, inquit, *ecce, vicit leo de tribu Iuda, aperire librum, & soluere signacula eius:* sed cur vnus ex senioribus, quaeso, non alius maerorem Ioannis solatus est? cur non animal illud humano vultu conspicuum? Millia millium, ac septena millia Deo, in excelso solio constituto, ministrātium viderat Daniel cap. 7. ℣. 10. cur vnus tantum ex senioribus miserans Ioan-

Io an visio.

Apoc.

Dan.

Cur vnus ex senioribus Ioãnem consolatus.

nis lacrymas, hoc pietatis officio illum prosequutus est? Verum si senioris huius conditionem, ac circumstantias consideremus, facile huius dubitationis solutio patefiet, *ante thronum*, subdit, *erant viginti quatuor seniores*, *& in capitibus eorum corona aurea*, ergo Reges erant hi seniores, necessario vni ipsorum, non alijs, hoc beneficentiæ munus debuit obtingere; regium enim est solari merentes, ac miseris benefacere, idcirco recte, *vnus ex senioribus dixit mihi, ne fleueris &c.* hinc, regios honores cum alias Dominus repulisset, in Cruce tamen noluit respuere, quin Principi populorum linguis, ac elementis, grecè, hebraicè, latinè, regio nomine voluit honestari; ac nequid regio decori deesset, sanguine purpuratus, & spinis coronatus est. sed, qua ratione id factum sit, facile inueniemus, si tot, tantaque gratiarum monimenta in Cruce à Domino, patrata, consideremus. omnibus omnia, ac seipsum obtulit, matrem discipulo, regnum latroni, inimicis eum veniam, tum vestimenta, vel dispertienda, vel ductis sortibus, possidenda largitus est. Quid mirum, si adhæc beneficentiæ, ac summæ liberalitatis signa regiũ nomen regiumque decus secutum sit, inuicem se inferunt regium nomen, & munificentia; dominium, & liberalitas; celsitudo, & larga bonorum distributio; Pusillus antea Zacchæus plus animo, quam statura multos defraudauerat, ac beneficentiam omninò ignorauerat, sed statim atque recipit Dominum hospitio insueto fatur ore Luc. 19. *Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum* sed vnde tam subita mutatio? pulcrè Venerabilis Beda notat, sycomorum, in quã ascendit Zachæus, vt dominum aspiceret; celsitudinis typum fuisse, lib. 5. cap. 77. in 19. Luc. *Sycomorus*, ait, *est arbor folijs, moro similis, seu altitudine præstans, vnde & à latinis celsa nuncupatur*, celsitudinem itaque

In Cruce Dominus regiũ nomen non respuit, & quare

Dominus in Cruce munificẽtissimus.

Zachæus animo plusquam statura pusillus.

Luc.

Sycomorus celsitudinis typus.

Beda.

ascenderat Zacch. & in celsa arbore Principis personam induerat, at principatus, & celsitudo, inferat necesse est munificentiam, & liberalitatem, non ergo mirum, si diuerso, ac insueto modo loquatur. *ecce dimidium bonorum meorum &c.*

3 Quod etiam indicat in vniuersali Dei iudicio describendo Matth. cap. 25. Iustorum, Iniquorumq; Iudex constitutus Christus Dominus, pro cuiusque qualitate factorum, & præmia, & supplicia decernet, certamque proferet sententiam. ad iustos quidem, & electos dicit: *venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis Regnum &c.* Ad reprobos verò, & peccatores: *Discedite à me maledicti in ignem æternum &c.* Obseruabit, ingeniosus lector, hoc loco, modum loquẽdi diuersũ dum iustis dans præmia, & peccatoribus infligens pœnas inducitur. sententiam dicturus in fauorem Electorum, Regis personam, statum, conditionem induit: *Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt: venite benedicti patris mei &c.* Et is qui ad iudicandum veniens, filium hominis apertè se nominauit: *Cùm venerit filius hominis &c.* Et in separatione electorum à reprobis, pastorem se appellauit: *separabit eos abinuicem sicut pastor segregat oues ab hædis.* Postmodum ad dicendum sententiam damnationis æternæ contra reprobos, nec filium hominis, neque pastorem se nuncupat, imò Regiam Maiestatem, & decus veluti abscondit, & qui in fauorabili illa, & misericordissima sententia electorum ad Regnum cælorum, Rex videri, & dici voluit: *Tunc dicet Rex &c.* in damnatione reproborum Regia persona deponitur, nomen Iudicis reticetur: *Tũc dicet, & his qui à sinistris eius erunt, &c.* Non *Rex dicet*; Non *filius hominis* qui *in Maiestate* venit; Non *pastor* ille æternus: sed *tunc dicet*; innominatam, & veluti occultam reliquens, & silentio cælans personam, quæ crudelem illam, exitialemque sententiam

Matth.

In elargiẽdo præmio, & pœna infligenda diuersa sortitur nomina.

In damnatione decernenda, regiũ nomẽ supprimitur.

pro-

In gratiarum exhibitione Rex, ac Princeps manifestatur.

proferet, *Discedite à me maledicti in ignem æternum &c.* Huius rei, & mysterij elucidationem inde eruo, quòd Dei mos est (quem imitandum Principibus sæculi huius mandauit) in beneficiorum collatione, & misericordiæ exhibitione, gloriosum, Regem, & Deũ se ostendere, & manifestare; At verò in pænarum inflictione, & vindicatione peccatorum, & si iustè, tamen quasi veretur Deus nosci, in Maiestate apparere, & suæ gloriæ spectaculum facere; ideo Iustos eligens ad gloriam, ait: *Tunc dicet Rex &c.* peccatores damnans suppresso nomine, & dignitate dicitur: *Tunc dicet & his, qui à sinistris &c.*

Isai.

4 Simile quid ex ijs, quæ diximus enarratum legimus Isai. 6. ℣. 1. *vidi*, inquit, *Dominum sedẽtem super solium excelsum, & eleuatum, & plena erat omnis terra maiestate eius, & ea, quæ sub ipso erant replebant templum. Seraphim stabant super illud &c. plena est omnis terra gloria eius.* Summa Dei Maiestas, & gloria (quantum fas est homini in hac vita cernere) Prophetæ conspicienda aperitur. quanta autem Maiestate, & decore clarus apparuerit, exponere opus non est, cum littera ipsa sacri textus per se pateat. potius ponderanda est, & expẽdenda causa ob quam sic gloriosum conspiciendum, se obtulerit. Eam existimo, quod Verbi Diuini Incarnatio, eo loco, figurata est. sic exponit Sanct. Hieronym. in Comment. & epist. ad Damasum, in expositione huius visionis. Euseb. lib. 7. de demonstrat. cap. 1. & alij. imò est interpretatio Euangelistæ Ioannis qui loquens de Christo Domino in quem Iudæi non credebant, ait cap. 12. ℣. 40. 41. *excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum: vt non videant oculis, & non intelligant corde, & non conuertantur, & sanem eos. Hæc dixit Esaias, quando vidit gloriã eius, & locutus est de eo.* Quia verò ad delenda peccata, purgãdosq; peccatores veniebat, vt ait Apost. ad Hebræos

Dominus in Maiestate.

Hieron.
Euseb.

Ioan.

Hebr.

1. ℣. 3. *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius; portansque omnia verbo virtutis suæ purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram Maiestatis in excelsis &c.* ipsum Isaiam Prophetam maculatum, & sordidum ob prauorum hominum consortium, se confitentem. ℣. 5. *Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labijs ego sũ, & in medio populi polluta labia habẽtis ego habito*; purgat, eique parcit, in typum, & figuram. ℣. 6. *& volauit ad me vnus de Seraphim. & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari. & tetigit os meum, & dixit. ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* tantum ergo, & tam maximum ostendens opus pietatis, & misericordiæ, Incarnationis videlicet, & Redemptionis, quo maius excogitari non potest, non humilis, qualis in carne apparere oportebat, sed gloriosus, & sublimis in Maiestate cerni voluit. E cõtra dum vindex, aliquãdo, & vltor peccatorum venit, non Regio splendore coruscans apparet, sed quasi abiectus, imò veluti in occulto, ac si conspici vereatur. sic habes Ierem. 1. quo loco ad litteram de Deo vindice esse sermonem luce clarius, ex littera patet manifestè, Expositores omnes consonant, & ipsemet Ieremias pronuntiat ibi. ℣. 6. *& dixi A. a. a. Domine Deus: ecce nescio loqui &c.* quo loco paraphrasis Chaldaica sic habet: *Ecce nescio prophetare, quia puer ego sum, & à principio meo tribulationem, & captiuitatem ego prophetizo contra populum hunc.* Quomodo autem vltor Deus, Prophetæ Ieremiæ appareat, inspice, nõ dicit vt Isaias: *vidi Dominum &c.* sed per auditum suscepit prophetiam. ℣. 4. *factum est verbum Domini ad me dicens &c.* & si aliquo modo apparere voluit, audi quid sequitur. ℣. 11. *quid tu vides Ieremia? & dixi: virgam vigilantem ego video. & dixit Dominus ad me: bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo vt faciam illud.* igitur sub

forma baculi, seù virgæ cernendus obijcitur. Nec non etiam sub figura ollæ succensæ, vnde subditur. ℣. 13. *& factum est verbum Domini secundò ad me, dicens: quid tu vides? & dixi ollã succensam ego video &c.* maximamq; Dei in se gratiam existimauit vix Dei manum tantum ad se videre, vt sic Dei eloquia susciperet, & prophetiæ spiritu imbueretur. ℣. 9. *& misit Dominus manum suam, & tetigit os meum, & dixit* Dominus *ad me: ecce dedi verba mea in ore tuo &c,* Conferat nunc lector quæ vidit Ieremias de Deo vindice, cum ijs quæ vidit Isaias de Deo misericorde, & non mirabitur quòd Regnum cæleste electis daturus, Rex, & in Maiestate videri velit: *Tunc dicet Rex his qui à dextris &c.* Reprobris verò pænas illaturus, suppresso nomine persona, & dignitate: *Tunc dicet & his, qui à sinistris &c.*

Natiuitas Domini quam gloriosa.

5 Ad id quod dicimus confirmãdum, pondero Christi Domini in carne Natiuitatem, & eiusdem post Resurrectionem ascensum in Cęlum; & considero quod alij quoque scrutati sunt, sed non ad rem de qua modo agimus; quam inquam gloriosus fuerit descensus eius in mundum, & quam vulgaris Ascensio ad cœlos. Natiuitatem, noua Stella, Cęli Terra, tres Reges Magi adoratores illustrem reddiderunt; & inter cętera præcipuè multitudo quam maxima innumerabilium Angelorum, cælesti charitate conspicuorũ, Luc. 2. ℣. 9. *Ecce Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos &c. & subito facta est cum Angelo multitudo militiæ calestis laudantium Deum &c.* & hoc quidem mirabile fuit, vt enim ait Beda in homil. *Nusquam in tota veteris testamenti serie, reperimus Angelos, qui tã sedulo apparuere Patribus, cum luce apparuisse*, imò neque in tam maximo numero. Quando vero idem Christus ad cælos ascendit, mirum est quàm humiliter hoc faciat; Act. 1. ℣. 9. *videntibus illis*, 53. discipulis, *eleuatus est: & nubes suscepit eum ab oculis eorum, cumque intuerẽtur in cælum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis.* vbi splendor, vbi gloria triumphantis? vbi Angelorum exercitus Regi suo obsequens, qui deuicto triumphatoq. mundo, morte, & inferno, victor Cælum ingreditur æternaliter permansurus? vix nubes illum sessurum suscipit, neque lucens ac splendida describitur: *nubes suscepit eum &c.* duo tantum astiterunt Angeli, qui nec Angeli dicti sunt, neque gloria, & fulgore clari apparuerunt, sed albis tantum vestibus induti: *Ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis*. humilitas, & deiectio tanta in Ascensione, cui omnis gloria debebatur; tantaque maiestas in Natiuit. ... quæ ad ignominias, Cruce, & mortem dirigebatur? rationem existimo, ideò Christi Natiuitatem Angelorum multitudine comitatam, splendoribus illustratam, quia de Deo misericorde, & peccatorum liberatore agebatur; hinc ait Lucas 2. ℣. 10. *Et dixit illis Angelus: nolite timere: ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus &c.* quibus dictis, & iam diuulgatis, subdit Euangelia: *Et subito facta est cum Angelo multitudo militia calestis &c.* quasi accurentium, & properantium ad felicissimum proclamatum nuntium redemptionis, & misericordiæ in humanum generis. Notatque S. Thom. in Catena ex Græco Auctore, tempore Natiuitatis minimè locum relictum fuisse tristitiæ: expendens enim verba illa: *& timuerunt timore magno,* (scilicet pastores) *& dixit illis Angelus: nolite timere,* inquit: *Angelus cùm pauor increuerit, fugat ipsum, non solum sedat terrorem, sed etiã alacritatem infundit &c.* imò se Dominum appellari tunc voluit, qui serui se induerat personam. *quia natus est nobis hodie saluator, qui est Christus Dominus*. quo loco idem S. Thom. subdit: *quorum primum idest saluator*

Beda.

Act.

Ascensio in cælum vulgaris.

Angeli dicti viri nec splendidi clari.

Pulcra dubitatio.

Solutio.

S. Thom.

In natiuitate, nullus tristitiæ locus.

tor

tor, *est actionis; tertium autem*, *idest Dominus*, *Maiestatis*. & Origen. in illa verba Matth. 18. ℣. 23. *Ideò assimilatum est Regnum Cælorum homini Regi &c.* inquit *filius Dei*, *quando factus est in similitudinem carnis peccati*, *tunc similis factus est homini Regi vniens hominem sibi*. In ipsa vero Christi Ascensione, duo illi viri, nequaquam pietatem, & misericordiam, sed vindictã prædicabant: *duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis*, *qui & dixerunt: Viri Galilæi quid statis aspicientes in cælum? hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum*, *sic veniet quemadmodum vidistis eum eũtem in cælum.* prædicũt igitur Iudicij diem, & extremum peccatorũ exitium, ideò & hinc nihis, & quasi inglorius Deus ascendit, & duo Angeli, apparuere, q nec Angeli, sed *viri* appellari voluerunt, & nõ multitudine sociati, sed quantum opus erat vt veritas astueretur, in ore duorum testium.

Orig.

6 Inspice Christum id Cruce, & videbis super caput illius Regis titulũ, & nomen Matth. 27. ℣. 37. *& imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam: Hic est Iesus Rex Iudeorum.* libenter, & gratè titulum hunc Regis, Christus in Cruce pendens suscepit, licet de eo Iudæi indignati fuerunt, vnde dicitur Ioann. 19. ℣. 21. *dicebant Pilato Pontifices Iudæorum: noli scribere Rex Iudeorum*, *sed quia ipse dixit: Rex sum Iudeorum*. quia verò de titulo illo Regis complacuit sibi Christus, non est passus auferi, sed Pilato inspirauit vt in scripto persisteret, vnde *Respondit Pilatus: quod scripsi*, *scripsi*. Hinc S. Thom. in Catena ex Chrysost. inquit: *ò in effabilem vim diuinæ operationis*, *et in cordibus ignorantiũ: nõne occulta vox quadam Pilato intus quodam (si dici potest.) clamoso silentio personabat*, *quod tanto ante in Psalmorum libro prophetatum est, ne corrumpas tituli inscriptionẽ*, *sed quid loquimini insani Pontifices*, *nunquid enim propterea non erit verum quia Iesus ait: Rex sũ Iudæorum? si corrumpi non potest quid Pilatus scripsit*, *corrumpi potest quod veritas dixit? Ideo enim Pilatus quod scripsit*, *scripsit: quia Dominus quod dixit dixit.* Et si Regiæ Maiestatis & decoris auidus erat Christus, quid est, quod cùm turbæ in Regem vellent illũ eligere, turbas ipsas, & Regiam potestatem declinauit? dicitur enim Ioan. 6. ℣. 15. *Iesus ergo cum cognouisset quia venturi essent*, *vt raperent eum*, *& facerent eum Regem*, *fugit iterum in monte ipse solus*. Perpulchra, & suauis responsio est; libentissime Regis nomen, & titulum in cruce nõ solum sustinuisse, sed etiam exoptasse, ibi enim non de sua dignitate, et honore, sed de paradiso nobis dando, et de sempiterna electorum gloria agebatur; vnde S. Leo Papa in Serm. de Passione Domini inquit: *passio igitur Christi salutis nostræ continet sacramentum*, *& de instrumento quod iniquitas Iudeorum parauit ad pœnam*, *potentia Redemptoris gradum fecit ad gloriam.* Quando verò oblatam Regis vltrò dignitatem recusauit, quia non ad nostram salutem, et comodum illa dirigebatur, sed ad solam temporalem Christi dignitatem quã vitare, et fugere venerat nos docere, fugit, vnde ait S. Tho. in Catena ex Chrysost. in adduta verba: *Regem eum intronizare volebant. Christus autem fugit*, *erudiens nos mundanas contenere dignitates:* non ergo nimirum est, si, Languidum interrogatus *vis sanus fieri*, ac beneficus apparens, Domini titulo honestetur, *Domini hominum non habeo*.

Matth.

Titulus Crucii.

Ioan.

Cur Pilatus quid scripsit, scripsit.

S. Thom. Chrysost.

Pulcra dubitandi ratio.

Ioan.

Responsio

7 Attẽdamus ipsam mundi creationem, quam Spiritus sanctus in lib. Genesis describit, eritque obseruandum, in omnium rerum creatione hoc nomen *Deus*, Creatori tribui. cap. 1. ℣. 2. *Dixitque Deus: fiat lux &c.* ℣. 6. Dixit *quoque Deus: fiat firmamentum &c.* & similiter deinceps. Ait verò cap. 2. ℣. 8. *plantauerat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio: in quo posuit hominem*, *quem formauerat.* Fuit hic terrestris Paradi-

Gen.

Modus loquendi in creationis narratione.

sus,

Terrestris Paradisus typus cælestis. *Interlin.* *S. Aug.*

sus, typus, & figura cælestis, vnde Interlin. vbi nos legimus, *Paradisum* vertit: *vitam beatam*. de qua re meminit etiam S. Augustin. lib. 8. de Genes. ad litter. cap. 1. Cur autem in cæterarum rerum creatione, vtatur hoc nomine, *Deus*; in creatione verò Paradisi adiecerit *Dominus*, eam existimo causam, quòd cætera creata comunia sunt omnibus creaturis, sicut & hominibus, similiterque reprobis, atq; electis. Ideò suffecisse videtur nomen, *Deus*, Ipse autem Paradisus propter homines cōditus est, vnde ait: *possidete paratum vobis Regnum &c.* Et quia Electis tantum tribuitur, neque vllum est opus iustitiæ vindicatiuæ, sed extrema, & sola supereminens misericordia in cælesti gloria elargienda, idcircò Regis personam, & titulum induit, dicens: *plantauerat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem. Dominum* se nominans, dum Paradisum homini tribuit.

In Paradisi conditione Deus etiā Dominus

8 Et hoc est, quod dicere intendebat Dauid Psalm. 43. ℣. 7. *Tu es ipse Rex meus, & Deus meus, qui mandas salutem Iacob.* particula illa *Deus meus* vocantis est, quasi dicat: *ò Deus meus, tu es ipse Rex meus &c.* Regis titulum Deo tribuit, vt illum ad misericordiā prouocet. ita commentatur N. Agell. *hoc igitur*, inquit, *argumento flectere Deum studet ad opem sibi ferendam.* dum enim opem expostulat, Regem inuocare opus est; complacet enim sibi maximè Deus, tunc Rex vocari, cum suis benefacit. vnde Sanct. Hieronym. legit: *præcipe pro salutaribus Iacob.* vel vt alij: *præcipe salutes*. vel vt Symmachus: *præcipe de salute Iacob*, idest, vt populus tuus, cui Iacob dominatur, seruetur, & à tantis periculis eruatur; & in hoc sensu Iacob erit datiui casus. vel etiam genitiui, vt placet Genebrado: *qui mandas saluari populum Iacob.* Alia interpretatione dicendum, dùm Psalmista enumerat *salutes* quas Deus præstitit *Iacob* Patriarchæ, nimirum tutelam contra persequentem

Psalm. *Agell.* *Propriū Regis opē ferre.* *S. Hieron. Symmac.* *Genebr.*

fratrem suum Esau; fæcunditatem mulierum, & filiorum prolem copiosam; inconcussum robur in lucta cum Angelo; donū reuelationis scalæ per quā vidit Angelos ascendentes, & descendentes, imò ipsum Dominū innixum scalæ, & alia. Imò & beneficia collata populo, qui à Iacob denominabatur: non qualicumque nomine prænotatur Dominus, sed Rex dicitur: *Tu es ipse Rex meus, qui mandas salutes Iacob.* Genebr. *qui mandas Angelis, vt saluent Iacob. qui celeriter facis salutes Iacob. nam mandare, non semper est, faciendum curare, sed etiam celeriter, promptè.* Deus ergo Rex est, idest, vt Rex se habet, Regem se gerit. *la fa da Rè.* dum beneficia confert, & celeriter exequitur. Est & alius verborum Psalmistæ sensus, quem adducit Agell. *sūt*, inquit, *quibus alia figura placeat, & ea quidem pulcherrima, vt sit sensus: manda hoc est, constitue, præfice salutes Iacob, vt salutes tamquam custodes, & vigiles intelligatur, quibus cura Iacob demandetur à Deo. qua figura dixit Isaias. 60. ponam visitationem tuam pacem, & præfectos tuos iustitiā. quem sensum probauit ille, qui in Chaldæum sermonem Psalmos conuertit.* ergo nō solum Deus salutes, & beneficia confert, sed tamquam præfectos, & vigiles constituit, & iurisdictionem, ac dominium tribuit, vt omnem propellat insultantem molestiam, aut malum; & hoc hoc vt Rex facit: *Rex meus, qui præficis salutes tamquam custodes, ac vigiles &c.* possumus pressius per *salutes*, eam misericordiæ partem intelligere, quæ vindictæ, & flagellis opponitur: benè dùm Deus non punit, sed miseretur, & indulget, & pænas, & culpas condonat, *Rex* dicitur. eo modo quo dicebat afflictus Iob. 5. ℣. 4. *Longè fient filij eius à salute, & conterentur in porta, & non erit qui eruat.* & cap. 30. ℣. 14. 15. *quasi rupto muro, & aperta ianua irruerunt super me, & ad meas miserias deuoluti sunt, redactus sum in nihilum; abstulisti quasi ventus*

Genebr. *Agell.* *Vt regem se gerit dum omne malum à nobis expelli curat.* *Iob.*

defide-

desiderium meum, & velut nubes pertransijt salus mea. Et in hoc sensu, bene cùm Deus nō flagellat non punit, sed indulget, miseretur, culpas, & pœnas condonat, *Rex* dicitur: *Rex meus, qui mandas salutes &c.* quapropter (vt initio huius capitis obseruauimus) dum sanitatem liberaliter offert dum molestias propulsurum se promittit, rectè à languido Dominus appellatur *Domine hominem non habeo.*

9 Hinc Solē Principis hieroglyphicum miro sanè cōsilio à veteribus, Persis præsertim, constitutum fuisse, nulli dubium est: vnde extincto Cæsare, solem etiam nubibus obuolutum dixit Virgilius, vt Vrbis, orbisq; solem, Imperatorem inquam, obscuratum iam designaret, Georg. 1.

Sol superioris hieroglyphicum.

Virg.

Ille etiam extincto miseratus Cæsare Romam.
Tunc caput obscura nitidum ferrugine texit.

Et apud Aegyptios, hominem solem manu gestantem, Principem denotare, testis est Pierius Valerianus lib. 44. in quo quidem illud, meo iudicio, latet arcanum, quòd quemadmodum sol nisi suis radijs illustraret vniuersa, à nemine desideraretur, imò fortasse contemneretur, & non verè sol, sed solis ficta imago dicendus esset: ita & Princeps, Seù Superior quisquis sit, non verè superior, sed superioris quædam adumbrata effigies, & ficta dicendus est, si subditorum bona non curat, & de suo non elargiatur, suæq; beneficentiæ radios supprimit: *Nè sol quidem*, inquit Pachymer. lib. 3. histor. *desideraretur, nisi radios suos & terræ & hominibus, & omnibus animantibus impertiat, neq; Princeps verè imperabit, nisi subditis suis benefecerit: qui verò Rex tenax est, & strictus ad largiendum, simulacrum Regni, non regnū tractat.* Hinc Iacobus Apostolus in sua Canonica Epist. cap. 1. ℣. 17. Deū donorum omnium auctorem, ac elargitorem munificum (quod Principis proprium est) solis, Patrisq; luminum nomine appellauit, inquiens: *Omne datum optimum, & omne datum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum*; vt innotescat Patrem quidem subditorum debere esse Principem, propter paternum erga illos affectum; sed *Patrem* dixit *luminum*, vt quemadmodum sol luminum Pater, sua indiscriminatim lumina, radiosque in omnes effundit abūdè: sic Princeps, suæ radios beneficentiæ, absque exceptione, largiterq; omnibus impertiat.

Pier. Val

Pachim.

Princeps illiberalis non verè Princeps

Iacob. 1.

10 Hæc Principis munificentia, atq; erga subditos liberalitas significatur in celebri illa quatuor animalium visione apud Ezechielem cap. 1. ℣. 5. *Et in medio eius*, inquit, *similitudo quatuor animaliū &c.* Quo in loco Ioannes Maldonat. quatuor hæc animalia, quatuor Reges designare dicit, videlicet Chaldæorum, Assyriorum, Aegyptiorum, & Tyriorum. Commemorauit autem Propheta hæc animalia habere alas, & pennas: *Quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni: & facies, & pennas per quatuor partes habebant.* Et quidem iure optimo; nam per *pennas*, seu *alas*, protectio denotatur, iuxta illud Psalm. 15. ℣. 8. *Sub vmbra alarum tuarum protege me*, & alibi passim: proprium autem Regum est, ac superiorum omnium, eos protegere, qui suę subiacent ditioni, eosque in sui tutelam suscipere, qui suo parent imperio. Sed obseruandum ad rem nostram est, quod subdit Ezechiel: *Et manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus*; hoc est in quatuor partibus eorum animalium erant manus, respōdentes quatuor eorum vultibus: ita vt vni vultui, duæ subijcerentur manus, & vnumquodq; animal octo haberet manus. Ecquid quæso hoc exprimit, nisi supremam Principis curam, & munificentiam erga subditos? Enim verò manus hieroglyphicum sūt eius, qui opem fert; hinc apud Virgilium Aeneid. 6. Palinurus alieni indigus auxilij ad Aeneam clamat.

Ezech.

Maldon.

Quatuor animalia Ezechielis. 4. Regum typus.

Psalm.

Alæ, protectionis symbolū.

Manus, auxiliatoris hieroglyphicū.

Virg.

Da dextram misero, & tecum me

tolle per vndas.

Psalm. Et in Psalmo 143. ℣.7. id ipsum videre est: *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis,* & Psalmo 88. ℣.22. *manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum.* Et in vetustis aliquibus nũmis cernere est, teste Pierio lib.35. tit. *manus, §. eadem dextera,* Deam quandam, cui nomen Opis (ita dictam ex eo, quod opem ferat) manibus ad ferendam opem accomodatis. Et in Antonini nũmo cernitur Pietas, quæ extensam, expensamque porrigit dexteram: sinistra donarium in subiectam aram porrigẽs. Idem videre est in nũmo L. Aelij Cæsaris; cum inscriptione *Pietas.* Ex quibus liquidò cõstat, quatuor manus, quas Reges hi habebant, quatuor eorum vultibus correspondentes, Principum munificentiam, liberalitatem, ac pietatem designare, quam an citati quatuor Reges habuerint opereque compleuerint, redibit tractatio alibi. Inter hos meritò annumerandus est Euangelicus ille Centurio, alas quippè habebat protectionis, manusque multas ad opem ferendam paratas, quibus præsto esset indigentibus: neque enim suum modo seruum, quem ad domesticos vsus domi tenebat, paterno diligebat affectu, vnde & puerum nominauit, & pro ipsius salute misit primùm seniores, & ipsemet postmodum accessit ad Dominũ; sed & populum vniuersum adeo diligebat, vt Ecclesiam illi ædificarit; proprium enim Principum, ac Dominorum est munificentia, & larga liberalitas.

Pier Val.

Superior manus ad sumuentẽ dampar... tas habeat

11 Sed deploranda profectò est infelix, atque miserrima nostrorum temporum conditio, in quibus Principes, Christi Domini exemplo, doctrinaque instructi, alas videntur habere, & manus, ad quos tamen dum confugis, manus quidem reperis, sed non quibus iuueris, verùm quibus exuaris, discerparis, ac deuasteris; sunt enim manus etiam rapacitatis hieroglyphicum ex Pierio lib.35. Hinc Thebis (vt auctor est Plutarchus) Iudicum, ac Principum statuæ absque manibus effomabantur, vt inde notum fieret, eum, qui præest, à diripiendis aliorum bonis omninò immunem esse debere. obseruo propterea in Canticis Canticorum, extolli Deum ab anima (humano modo loquens) ob eximiam pulchritudinem: recensensque concinnam totius corporis structuram etiam à manibus laudat cap.5. ℣. 14. *manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.* habet enim Deus (vt nostro captui accomodemus dicta) manus, quibus nostris succurrat indigentijs, & curam nostri gerat, iuxta illud, Psal.44 ℣. 16. *oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore oportuno; aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione,* idest, largiter tribuis quæ expetũt: hoc enim importat *aperire manus;* vnde est illud Deuter.15.℣.11. *non deerũt pauperes in terra habitationis tuæ, idcircò ego præcipio tibi, vt aperias manum fratri tuo egeno, & pauperi, qui tecum versetur in terra.* Repẽdit vices Deus sponsæ, quam de pulchritudine laudat, & singularum corporis partium celebrat encomia cap.4. Canticorum; numquam tamen, nec ibi, nec alibi manus sponsæ laudari conspicies, quasi simulacrum sponsæ, illiusque pulchritudinis absq; manibus effinxisse, summa sit laudatio; ne manus ad diripiendum habeat, vt Principes, & Superiores huius temporis. Hos ego nõ Principes, sed Tyrannos iure optimo dixerim, quorum Hieroglyphicum esse Noctuam, Aegyptij voluere; eo quòd dum ad illam confugiunt auiculæ, vt aucupis insidias, manusque effugiant sub illius patrocinio, ibi intercipiũtur, vbi tutum sibi adesse opinabãtur profugiũ: quapropter hieroglyphico fuit ijs, qui opem frustra impetratam exprimere vellent. Huius rei exemplum (Noctuæ accomodatum) satis perspicuum habemus in Canticis Canticorum,

Principes manus ... bent, vt rapiant.

Pier Val. Plut.

Superiorũ statuæ absque manibus.

Cant.

Psalm.

Deuter.

Principes prædones per Noctuam denotari.

Cant.

rum 5. ℣. 7. Spósa quæ de nocte quærebat sponsum, ait: *Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem:* me inquam quæ sponsum de nocte quærebam, illi adinuenere quorũ tutelæ, ac patrocinio non solùm ego, sed & ciuitas vniuersa erat commissa: at vbi tutamen expectabam, & protectionem, ibi furũ diripientiũ manus inueni, *Percusserunt me, vulnerauerunt me, abstulerũt pallium meum mihi custodes murorum.*

12 Querebatur olim Deus, ac satis elimanatum à Principibus hoc verbum *vis*, & frigidum illud volo, frequenti ore proferri, dolebat vehementer, apud Mich. 7. *Princeps postulat &c.* sed proh dolor, ad eam nunc deuenit impudentiam, Principum effrenis cupiditas, vt non solum postulent, ac quęrant à subditis diuitias, sed vt dicit D. Hieronym. super hæc verba Mich. *Principes, non expectant, vt munera offerantur, sed cogunt subiectos dare:* si ergo tam Deo displicebant Principes, qui spontè oblata, & vix postulata accipiebant. quanto magis inuisi, ac odibiles illi erunt, qui à subditis munera, ac bona non exquirunt solum, sed extorquentur? Ita sanè se res habet, vt quidam Principes, tãtùm abest, vt subditorum bona tueantur; vt potius cum ingenti illorum iactura diuitias sibi comparent; & qui ad regimen, custodiam, & refugium dati sũt, ad destructionem, & interitum subditorum positi videantur. Ezech. 9. ℣. 1. *Appropinquauerunt visitationes Vrbis, & vnusquisque vas interfectionis habet in manu sua:* sed Hebræa lectio habet, *Appropinquauerunt Præfecti Vrbis* vel vt alij, *Visitatores.* Præfecti sunt Principes, vel Ministri, quibus populi cura demãdatur. Visitatores verò ij sũt, qui ad instaurandũ, si quid mali in Republica est, mittũtur; & si q.d mali à ministris actũ sit, dijudicẽt, vt oppressos, calumniamque, & iniustitiam passos subleuent. Sed longè diuersum, imò oppositum sensum facit Versio Septuaginta, legentium: *appropinquauit vindicta vrbis,* vbi *vindictam* dixere, quod alij *Præfecti,* seu *Visitatores:* quę quidem lectio cum vulgata cohærere non potest, nisi dicas Præfectos, Principes, Prælatos, Visitatores, eosq; omnes, qui peruersi cũ sint, nihilominus aliorum regimini præficiuntur Dei esse vindictam, ita vt qui curæ, ac iuuamini esse debeban t, ruinam, ac deuastationem inferant; propterea subdit Propheta: *Vnusquisque vas interfectionis habet in manu;* Ideo, *vas interfectionis,* seu iuxta Septuaginta *securim habent in manu sua,* quia de illis sunt Pastoribus, de quibus dicitur Ioan. 10 ℣. 10. *Fur non venit nisi vt furetur, mactet, & perdat;* non sunt similes ei, de quo subditur: *Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant:* Optimi enim Principis est vitam, ac bona subditorum, quoad fieri potest, custodire, non autem illorum bonis ditari.

Mich.

S. Hier.

Quantum Deo odibilis illiberalitas.

Ezech.

Visitatores qui sint.

13 Id quod alia, & quidem satis apta similitudine expressit Iob 27. ℣. 18. inquiens. *Aedificauit sicut tinea domum suam: & sicut custos fecit vmbraculum:* sermo est de Principibus mundi, & diuitibus huius sæculi, qui rerum temporalium copiam coaceruant, vnde ℣. præcedenti dixerat: *si comportauerit quasi arenam argentum, & sicut lutum præparauerit vestimenta: præparabit quidem, sed iustus vestietur illis: & argentum innocens diuidet.* volens postea explicare quonam modò tot bona congregauerit, subdit: *ædificauit sicut tinea domum suam, & sicut custos fecit vmbraculum,* vbi per *ædificationem domus* non solùm intelligenda est parietum physica, & materialis structura, sed moralis, qua se, suosque, familiamq; prouexit, exaltauit, ditauit. Sed quonam modò, & artificio id perficiant Principes, Magistratus, Prælati, vel si qui sunt Superiores, innuit Iob, cùm dicit: *sicut tinea:* verè quidem *sicut tinea:* hæc enim inquit Lyranus, *rodendo vestem, facit ibi domunculam suam:* pannum corrodit, lacerat, excauat dentibus, sicque domunculam sibi

Diuitias aliorum qui corrodit, vt domum sibi struat.

aptat. non dispari ratione magnates, Principes suas extollũt familias, filios &c. quàm subditorum diuitias corrodendo; diuitias, honores, dignitates, coronas, sceptra ille adeptus est, certè *domum suam ædificauit*, sed quonam pacto? corrosit, exedit, deglutiuit aliorum diuitias, & bona: hæcque partim reposuit, partim elargitus est aulicis, ministris &c. quibus ad honores, & dignitates viam sterneret: alios depauperauit, quasi tinea, quæ panni pilos corrodit, vt domum sibi strueret. Addit Iob: *Et sicut custos fecit vmbraculũ*; Princeps, Superior quisque custos est, iuxta illud Isai. 21. ℣. 11. *Custos quid de nocte?* sed notat Lyranus hic tunc tantummodo vmbraculum visui esse, *cùm tempus adest maturationis fructuum*; neque enim alio tempore custoditur vinea, nisi quãdo fructus iam maturescunt; ita vt verum sit dicere, quod non vineam, sed fructus custodiunt: sic nonnulli Principes, ac Prælati, non subditos custodiunt, sed eorum bona, propriæ indulgentes vtilitati, de subditorum salute minimè soliciti. Sed fortassè melius sic exponi potest: *sicut custos fecit vmbraculum*, idest, locum ad habitandum. vmbraculum ita fit, præciduntur à diuersis arboribus rami; qui simul iungũtur, vt ex illis coalescat vmbraculum. Et Superiores, ministrique rapaces multorum diuitias, & bona surripiunt, vt sibi, suisque domus, & prædia conquirant.

Isai.

Lyran. Superior malus de fructibus tantum curã habet.

Prædicẽdo de aliorũ bonis, domus ædificamus

14 Non sic se gerant Christiani Principes, verùm summa diligentia subditorum bona vitamq; custodiant, tueantur, & protegant; id quod adeo proprium Regis, ac Principis est, vt ex consuetudine Sacræ scripturę pro eodem sumatur Rex, & Protector. Ita P. Agellius in Psalm. 88. ℣. 12. *Depone eos Protector noster Domine*, hoc est, Agellio Interprete, *Rex noster.* Hinc etiam illud Psal. 88. ℣. 19. *Quia Domini est assumptio nostra*, ad regnũ, scilicet, euectio à Deo est, alij ex Hebræo; *Protectio nostra, & sancti Israel* *Regis nostri*: vnde patet *assumptionem* quæ dignitatem, & euectionẽ ad culmem honoris denotat, *protectionem* verti, & Regis cuiusque qui regimini præficitur, maximè interesse, suos protegere subditos. Quamobrem etiam Pelles appellantur Reges Habacuc. 3. ℣. 7 *Turbabuntur pelles terræ Madian* vbi P. Agellius legit: *Turbantur Reges.* Si litteræ sensum inspectes, ideò Reges pelles dicebãtur, quia sub pellibus habitabant, eorumque tentoria ex pellibus confici consuetum erat; ideò dixit Tullius, *Vt non multum Imperatori sub ipsis pellibus otij relinquatur.* Sed iuxta moralem sensum, ideò pelles dicuntur Reges, quia sicut pellis à pellendo dicitur, eo quòd omnes extrinsecas molestias pluuiæ, frigoris &c. pellat, & animalis corpus tueatur; sic Princeps aduersantia cuncta à subditis pellat, eosque tueatur, idque etiam cum sui dispendio si necessitas postularit.

Rex, & Protector pro eodem sumitur. Psalm. P. Agell.

Psalm.

Habacuc

Reges, pelles dicuntur, quia sub pellibus habitant. Tull.

Rex, pellis dicitur à pellendo mala, & à custodiẽdo.

15 Habemus hac de re Scripturã satis accomodatam 3. Reg. 11. ℣. 35. *auferam autem* (dixit Deus per Abiam Prophetam ad Ieroboam) *Regnum de manu filij eius, & dabo tibi decem tribus: filio autem eius dabo tribum vnã, vt remaneat lucerna Dauid seruo meo cunctis diebus coram me in Hierusalẽ:* ergo partem illam Regni, seù tribum, quam filio Dauid dare Deus decreuerat, *lucerna* vocatur. Sic quoque habemus 4. Reg 8. ℣. 19. *noluit autem Dominus disperdere Iudam, propter Dauid seruum suum, sicut promiserat ei, vt daret illi lucernam, & filijs eius cunctis diebus:* neq; nouum est Regna, Principatus, & dominia per lucernas denotari: fuit enim (vt refert Pier. Valer. lib. 46.) lucerna, augustale insigne: vnde Dauid Psalm. 131. ℣. 18. *illuc*, inquit, *producam cornu Dauid parauí lucernam Christo meo*, idest, in Sion erit, *cornu*, idest, Regnum, Regiaque Maiestas, quæ per *cornu* exprimitur, (vt pluries diximus) idemque per *lucernam*, alia similitudine tradit; vnde Genebrard. *regnũ*, inquit, *paraui splen-*

3. Reg.

Regnum, regimen, lucernæ comparatum.

Pier. Val. Psalm.

Genebr.

didum

Regimina possessores illustrant.

didum, & illustre Christo. Verùm cur Regnum, & Principatus hieroglyphicè per *lucernam* exprimatur, vidẽdum est. benè Regnum, Ciuitatesq; quibus principamur, per *lucernas* denotantur: est enim lucernæ munus illos illuminare, qui in tenebris sunt; & Regna splendorem adducunt, coronas tribuunt suis dominis, qui prius incogniti, inuisi per humilitatem familiarũ, aut personarum, in obscuro latebant: illustres postmodum dignitatibus, & honoribus effecti. Numquam tamen experti sumus oleum è lucernis emũgere, & lucernarum lumine velle nos, domumq; nostrã illustrari: sed potius vt lucerna splendorem emittat, oleum nos illi infundimus vt ardeat, & splendeat. Oppositum autem huius sæculi Principes, & Superiores agunt; splendorem, & gloriam ex ijs, quæ possidẽt Regna, & Ciuitates, & regimina quærunt: sed suis subditis tm̃ abest, vt oleũ beneficentiæ tribuant, quin potius illorum diuitias, & bona auferunt, & quasi vsque ad succum emungunt. Nõ ita agendum est, sed si qui sunt superiores, præcipuè Ecclesiastici, suis infundant lucernis oleum beneficentiæ; tribuant subditis, & elergiantur bona, vt in se impleant, quod in figura dictũ est, gestumque Apocal. 2. ℣. 1. *hæc dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem Candelabrorum aureorum.* Christus Dominus est hic, *qui ambulat in medio septem candelabrorum*; ipsa verò septem candelabra, septem sunt Ecclesiæ, quibus præfectus est Christus. inter ea verò ambulat, vt illa concinnet, lychnos accomodet, oleũ, cùm opus est, infundat: hoc enim est Præsulum munus, qui Ecclesijs præficiuntur tamquam lucernis; vnde eodem cap. 2. Apocal. dicitur Episcopo Ephesiorum. ℣. 5. *Memor esto vnde excideris; & age pænitentiã, & prima opera fac; sin autem, venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo.* quo loco ait Richard. Sanct. Vict. *mouebo candelabrum, idest, auferam Ecclesiam tibi commissam de manu tua, ne eam amplius manu teneas, nec custodias, sed alteri gubernandam tradam.* sunt ergo Ecclesiæ, Regna &c. quasi lucernæ. ipsi Præsules, ac Principes lucernarum ministri, qui à lucernis illustrantur; decorem, honoremque accipiunt. infundant ergo (vt æquum est) illis oleum beneficentiæ, non absumant quod in illis est: de suo tribuant, non rapiant aliena.

Beneficentia exhibẽda subditis, vt illustremur.

Apocal.

Candelabra sunt Ecclesiæ.

Apoc.

16 Principes qui subditorum bona diripiunt, leonibus comparat Dauid Psalm. 21. ℣. 14. *aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, & rugiẽs,* metaphora apertionis oris, non ad loquelam, sed ad deuorationem vsurpatur, vt benè notat P. Agell. noster. addit verò: *rapiens, & rugiens,* cætera namque alia vt rapiant, & prædentur, se abscondunt, silent. Leo verò dum rapit, rugit, quia enim cæterorum aliorum Rex est, & Dominus, nullum veretur, nec timet, quod inferiores ministri faciunt, & ideo occultè furantur. dicebat propterea Seneca epist. 87. *quàm multi furto non erubescunt, quàm multi adulterio gloriantur: nam sacrilegia minuta puniũtur, magna in triumphis feruntur.* vocat *minuta* mala, quæ subditi committunt, *magna in triumphis,* scelera Principum, quæ publicè absque verecundia perpetrantur.

17 Morem hunc Principum huius sæculi, qui non sua largiuntur, sed aliena rapiunt: neque, *vis,* dicunt; sed *volo* semper ore, opereq; conclamant; expressit Isai. 7. ℣. 18. *Sibilabit Dominus Muscæ, quæ est in extremo fluminum Aegypti, & Api, quæ est in terra Assur, & venient, & requiescent omnes in torrentibus vallium.* Per hæc verba intelliguntur Principes, seù Reges Aegypti, & Assyriorum, qui deuastaturi erant populos multos. Vnde subdit Isai. ℣. 20. *In die illa radet Dominus in nouacula conducta, in his qui trans flumen sunt in Rege Assyriorum caput, & pilos pedum, & barbam vniuersam.* Rectè verò Principes huius

temporis *Musca* comparantur, & *Api*. Muscæ quidem: sicut enim Muscæ hominibus sunt semper infestæ, quouè pluries arceantur, eò frequentius pertinaciori redeunt conatu, dumuè vna deturbaueris parte, statim nullo temporis interuallo, aliam petunt, vt notat hìc Basilius, & experientia docet: vnde apud Aegyptios, importunitatis, impudentiæ, & pertinaciæ hieroglyphicum fuit musca, teste Pier. lib. 26. tit. *de musca*. Ita Principem, qui subditis non sit semper offensus, quique semel, & iterum, imò pluries oneribus grauatis, noua non addat pondera; dumuè semel pecunijs dimiseris onustum, statim maiori auiditate (emendicato prætextu) iterùm non redeat onerandus, non inuenies. Non est cibus, & si vilis, cui non insideant Muscæ: Non est subditus, & si pauper, cuius crumenæ non insidietur Princeps. Quis non miretur locupletissimum Mexici Regem Matezumam à subditis, quibus præ nimia egestate nullus suppetebat rerum vsus, vel pediculos tributi loco exegisse? Quid ni? Musca erat. Sed hæc à suauioribus, vt quæ lacte, melle, adipe condiuntur, rapitur ferculis: Et ditiores, auroque pinguiores, preciosisque rebus opulentiores insequitur Princeps. Illa ita inflicto vulneri carni inhæret vt vix possit auelli: Hunc à te nunquā potes abigere. Non desunt demum Muscæ, quæ *iumentis infesta* (vt Arias Montan. adnotauit) *ad sanguinem vsque exugendum nocent*. Et fallor si credam deesse Principes, qui post quam omnes subditorum deuorauerint facultates, sanguini parcant, & vitæ.

Princeps infestus subditis, vt musca.

Pier.

Arias Mont.

18 Nec minus appositè horum Principum naturam, *Apum* explicat comparatio. Sicut enim hæ ex olentibus quibusque floribus, & sibi, & alijs lectissimos sugunt humores: Ita Principes, non qualiacumque, sed selecta, & præter argentum, & aurum pretiosissimas gemmas, titulos, gradus præcipuos, & vrbes innumeras sibi suisque reponunt, & à subditis mirabili artificio exugunt, & expilcantur. Ad sonitum æris conuocantur Apes, vnde cecinit Ouidius lib. 7. de faust.

Princeps vt apis, selecta quæque exugit.

Ecce noua coeunt volucres tintinnibus acta,
Quosque mouent sonitus æra, sequuntur Apes.

Ouid.

Ad sonitum auri, & argenti, & æris etiam aduolant Principes. Sugunt, & pungunt illæ: Et ò vtinam facultatibus subditorum hi tantum contenti, linguæ aculeo famam, & ferro vitam non auferrent. Omnia hæc comprobat Isaias, nouaculæ similitudinem subtexens *in die illa* (quando scilicet) *sibilabit Dominus muscæ, & api: radet Dominus in nouacula conducta, in Rege Assyriorum caput & pilos pedum, & barbam vniuersam.* velut enim *Nouaculæ*, omnia radunt; Ita Principes, quæcunque inuenerint, absque distinctione rapiunt; Cum hoc tamen discrimine, quòd nouacula, non nisi superflua, Principes verò etiam ipsis subditis necessaria auferre, omni studio, nituntur; Et nouacula resecat, non eradicat pilos; Principes tamen aliqui ita bona auferunt, vt prorsus exterminent, & radicitus euellant.

Ad sonitum auri aduolant Principes

Aculeo pungunt Principes

Principes omnia vsque ad radicē euellunt.

Hominem non habeo, vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam.

Sacer text.

CAP. VII.

Dei flagella in hac vita salutem nobis ministrant.

1 
QVòd Dominus Deus in sanādis languēguentibus ad piscinam, turbata potius, & commota, quàm pura, & trā-

quilla aqua vti voluerit, magnum existimandum est diuinæ prouidentiæ secretum, in quò inuestigando animarum saluti consulere poterimus. *Mouebatur*, inquit sac. text. *aqua, & sanabatur vnus*; Certum est, quòd hæc eadem sanatiua virtus, multo congruentius, immotæ aquæ tribui potuisset; cur ergo Deus aqua turbida vti maluit? *vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam*; ad quæ verba Sanct. Thom. in Caten. *Angelus*, inquit, *turbabat aquam, & sanatiuã imponebat virtutem*. eo nimirò, vt naturaliter loquendo, quidam Expositores existimant, immota, & quieta aqua longè aptior est ad sanatiuam facultatem recipiendam; & propterea Medici ijs, qui calidas balnearum aquas ingrediuntur, consulunt, vt caueant ne aqua moueatur. Quòd si mota aqua non curat, multo minus turbida, & cænosa; quæ per se exitiosa esse potest. Cæterum humana cessant documenta, vbi cælestis nos instruit doctrina, & mirabilia Dei opera non sunt humana regula æstimanda, nec metienda; in quibus quanto Deus à quotidiano, & consueto naturæ agendi modo recedit, tanto admirabilior apparet; ideo in expositione litterali (ex communiori patrum sententia) diximus, maluisse Deum per aquam turbidam restituere sanitatem, vt euidentius appareret, à diuina, non ab humana ope sanitatem prouenire. sed si altius huius mysterij arcana perscrutemur, possumus memoria repetere, quod nomen *turbationis, & commotionis*, in sacris litteris, *tribulationibus*, quas ad nostram salutem Deus immittit accommodatur; aduersus quas diuinum præsidium sibi firmissimum non defore cùm dixisset Dauid Psalm. 49. ℣. 1. *Deus refugium nostrum, & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerũt nos nimis*. ab hac fiducia diuini auxilij ostendit firmitatem suam, & intrepiditatem in tribulationibus, cùm subdit: *propterea non timebimus dum turbabitur terra*; idest, ingruentibus in me è terra turbationibus; tutum me fore spero, quia dominum adiutorem habeo in tribulatione. ad hanc planè mentẽ Theodor. in Caten. Patr. Græc. *Cùm Deum*, inquit, *circa nos habemus nullas quantumlibet molestas, & graues tribulationes sentimus, propterea non timebimus dum turbabitur terra*. eadem etiam verba, de turbationibus tribulationũ explicat Hesych. ibidem. & clarius Psal. 59. ℣. 4. commotionis, & turbationis significata, ad exprimendas tribulationes apponuntur. sic etiã Psalm. 59 ℣. 4. *commouisti*, ait Dauid, *terram & conturbasti eam*; ex qua commotione, & conturbatione, non secus ac ex commotione aquæ in piscina, sequitur sanitas: *sana* (subdit vates) *contritiones eius, quoniam commota est*. quæ verba exponens Berengos. Abbas serm. de Martyrib. in Biblioth. Sanctorum Patr. tom. 2. hanc commotionem, & tribulationes, atque persecutiones adstruit à Deo pro nostra salute ordinari. *Commouentur*, ait, *quidam non in ruinam; sed in resurrectionem; de quibus Propheta: apprehendite disciplinam, ne quando irascatur* Dominus; *vnde quia fidelis anima sanari digna non est, nisi per hanc commotionẽ diabolo incognita, & Deo nota est. ideirco Propheta subinferens, sana*, inquit, *contritiones eius, quoniam commota est*. ad quod propositum hoc de piscina à Ioanne, relatum applicans, subdit: quod Dauid dum illa scripsit, *pro exemplo languidum istum Euangelicum ante oculos mentis fortasse habebat, qui post motionem aquæ, sanus fiebat*. quod melius colligitur ex sequenti ℣. 5. eiusdem Psalm. in quo dicitur *ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis* Demum, quod per commotiones, & turbationes significentur tribulationes, fuit doctrina Sanct. August. 18. de Ciuit. Dei cap. 32. explicantis illud Abacuc. 3. ℣. 15. *Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum*; vel vt legit

S. Thom.

Turbidis, & motis Deus sanat, vt diuina virtus appareat.

Turbatio, & commotio pro tribulatione.

Psalm.

S. Aug. git Aug. *immisisti in mari equos tuos, turbantes aquas multas; quæ sunt populi; non enim* (subdit) *alij timore conuerterentur, alij furore persequerentur; nisi omnes turbarentur*, & clarius eiusdem cap. ℣. 16. *contremuerunt labia mea*: legit Augustin. *subtus me turbata est habitudo mea. turbatis*, ait, *populis multis, vidit Ecclesia tribulationes.* ex quibus apparet, *turbationem*, pro *tribulatione* accipi.

2 Et hinc est, quòd quemadmodum supra humanum captum, esse videtur, quod aqua turbata sanitatem operari possit, ita etiam admirabile est hominibus, quòd tribulationes exhilarent, & tristitiæ lætificent; & commotiones sanent. voluit igitur ostendere Dominus, non in aqua illa vim sanatiuam esse: sed in diuina assistente virtute; vt sic è perturbata tribulationum aqua, diuino nos præsidio, euadere posse certo sciamus. *Dominus*, inquit Salmer. *per mortem operatur vitam; per tristitiam gaudium, libertatem per captiuitatem*; Quia ergo plerumque prosperis abutimur; ideo Deus mouet & conturbat aquam, aduersa immittendo, vt hæc *turbatio, & commotio* tribulationum; quæ nos (humano more loquendo) lædere videtur, verè sanet. Imò hæc vna *commotio* est, per quam multi sanantur; neque enim in piscina sanabatur quispiam, nisi turbata fuisset; quemadmodum etiam regulariter, nemo sine tribulationibus sanus fit. Quam expositionem adiuuat obseruatio Luc. Brug. asserentis quòd particula *autem*, ibi, *Angelus autem Domini &c.* est redditiua rationis, & stat pro, *nam*: vt sit sensus: ideo *vnus sanabatur, quia Angelus Domini turbabat aquam.* Pariter, ideo humana mala, & languores animi cessant, quia Dominus alios languores, & tribulationes immittit; adeo vt multum periclitentur illi, quibus in hac vita nihil accidit aduersi, videanturque tamquam in aqua penitus immota, & limpida hærere. Quare etiam Senec. epist. 77. ad hoc propositum egregie scripsit, vitam hanc nullis aduersitatibus turbatam, esse comparandam morti: *Demetrius noster*, inquit, *vitam securam, & sine vllis fortunæ incursionibus, mare mortuum vocat*. excitatis itaque tribulationum vndis, ad sanitatem, & vitam, diuina benignitate perducimur.

Virtus sanatiua in tribulatione.

Salm.

Brug.

Senec. Vita sine tribulatione, mors est.

3 Neque nouum est, quod per aquam turbatam, & commotam, præcipuè tribulationes significari dixerimus: sicuti paulo ante per commotionis nomen quamcunque aduersitatem interpretati fuimus; nam etiam apud Pier. Valer. lib. 38. Hieroglyph. titul. *ærumnæ*; per fluctuantes, & commotas aquas tribulationes accipiuntur iuxta illud Psalm. 87. ℣. 8. *omnes fluctus tuos induxisti super me. Interpretes*, inquit, *per fluctus, perturbationes, & ærumnas omnes intelligunt*; quod ex ipsius etiam verbi notione deducitur; *fluctuare autem verbum*, subdit, *sæpè pro perturbari ponitur*; & plura ad eiusdem rei confirmationem ibidem congesta leguntur; cùm paulò infra de Abysso, & fossa loquitur; per quæ omnia aquarum congregationes, piscinæ huic Euangelicæ similes intelliguntur; quarum aquæ, præsertim si sint turbidæ, calamitates significant. Et commotis etiam, atque æstuātibus aquis comparauit tribulationes Gerson serm. de omnibus sanctis part. 2. *Vt arca Noe*, inquit, *quo magis abundauerunt aquæ diluuij, tanto altius ferebatur: sic mansuetus animus, quo maiores erunt tribulationis aquæ, tanto erit excelsior.* idque in humanis etiam litteris licet obseruare, nam Alciat. Embl. 89. artē illorum, qui vt lucrum ex ciuium bonis faciant, seditiones ciuiles excitant; ijs comparat, qui vt anguillas capiant, aquam prius puram, & pacatam commouent, & perturbant, ex doctrina Aristot. 8. de natur. animal. cap. 2. Hos imitari videtur Deus, qui quo vberius animarum nostrarum lucrum faciat, quoniam in rerum omnium pro-

Turbata aqua tribulationis typus.

Pier.

Psalm.

Gerson.

Alciat.

Piscationes in aqua turbata.

Arist.

Tribulatione piscatur nos Deus.

speri-

speritate, & affluentia plerosque desides, in limo vitiorum videt iacere, perturbat aquam, immissis tribulationibus, atque ita magnam animarum, ad se conuersarum, capturam facit.

4 His tamen, id vnum obstare videtur, quòd Angelus dicitur fuisse, qui descendebat, & turbabat aquam. nonne Angeli ad nostram custodiam, patrocinium, & salutem à Deo sunt destinati? qui & morbos animi, & corporis quandoque curant? Quare ergo Angelus est, qui tribulat, atque calamitates immittit? Sed hinc collige quanta sint tribulationum emolumenta quarum ministros, Deus, super nos Angelicos spiritus constituit, pro sanatione animarum; hoc enim adeo Deo nostro cordi est, vt si in terra deficerent aduersarij & alij nos tribulantes, ipse Angelus Domini descenderet ad exercitium nostrum, vt diuinis flagellis castigati, sanaremur; sic enim plerique interpretantur illud Cant. 5. ℣. 7. *Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem: percusserunt me & vulnerauerunt me &c.* in quæ verba S. Ambr. lib. 3. de virginibus, ait, percussores sponsæ, fuisse Angelos quod his verbis repetit lib. de Isaac cap. 5. *Angeli percußerunt eam, vt amplius probaretur, exercentur enim animæ tentationibus.* Verum est ergo quod dicimus; nimirum si homines desint, qui tentationes, & tribulationes nobis immittere negligunt; tunc Angeli diriguntur, & descendũt, vt aquas turbent, nosq; tribulationibus exerceant. vide in Euangelio, quærebatur languidus, dicens: *hominem nõ habeo, vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam*; cui homo est deest, qui aquam turbet, tribulationes immittat: Angelus destinatur, ideò *Angelus Domini descendebat secundum tempus in piscinam, & mouebatur aqua*; isque aquam turbabat: *vt cum turbata fuerit aqua mittat me in piscinam*. deerat illi, homo, qui in turbatas aquas immitteret, ideo languidus iacens, sanari non poterat; sanant enim nos tribulationes, porrò, ministros tribulationum, extitisse Angelos, penè omnes Sacrarum scripturarum paginæ refertæ sunt. Illud obseruo, quia *in turbatam* non descendunt homines aquam, ideò iacet in mundo multitudo magna cæcorum, claudorum, aridorũ; quòd si descenderent, & tribulationibus vexarentur à quacunque detinentur infirmitate, vtique sanarentur.

Angeli, ad emendationem nos tribulant.

Cant.

S. Amb.

5 Hæc fuit mens Dauid Psalm. 6. ℣. 4. *anima mea turbata est valde; sed tu Domine vsquequo?* turbatam animam suam clamat, idest, cõmotam iam à diuina prouidentia tribulationum aqua: hinc sperat proximã fore, nec diutius differendam salutem; ideo dicit: *sed tu Domine vsquequo?* quasi dixerit: vsquequo Domine produces sanationem, cùm iam anima mea in turbatam hanc tribulationum aquam descenderit, vt sanaretur? sed iam scio presto mihi esse sanitatem: *sana animam meam, quoniam conturbata sunt ossa mea*; quia ex hac turbatione tu soles Domine sanitatem educere; ideo audacter ad te conuersus, audeo dicere: *Domine vsquequo, idest quamdiù differes sanare?* ait Sanct. Gregor. & Iansen. *vsquequo*, ait, *quasi dicat; Cum ergo sic mecum agitur, quamdiù Domine differes consolationem?* videtur quasi exprobrare Deo, quod illius iam sit medicina inefficax, cum immissæ tribulationes non dum sanitatem in eo peperissent; sed potius sunt hæc verba summopere confidentis, non defore subsidium in aquam tribulationũ iam ingresso; iuxta illud, quod etiã Paul. Apost. dicebat 2. Corint. 7 ℣. 10. *quæ secundum Deum tristitia est, pænitentiam in salutem stabilem operatur*; vbi clarè habes quòd tristitia, & tribulatio à Deo immissa, est causa salutis; quasi dixisset; dum Angelus Dei minister turbat aquam, & tristitiæ, atque afflictionis fluctus commouet: tunc Deus in anima illa operatur salutem, & languidus fit sanus; & hæc salus, & sanitas

Psalm.

Turbatã animam sanat Deus.

S. Greg.

2. Corint.

est

est *stabilis*; per ipsam enim commotionem Deus stabilitatem, per tristitiã gaudium, & summam alacritatem in animam introducit. Vel appellatur *stabilis salus* quia confirmat, & consolidat animæ vires; & ideo apposite Idiota vir sanctus tom. 5. Bibliot. Sãctorum Patr. lib. 2. de vera patient. appellat tribulationem subsidiariam, siue adiutricem virtutis. *adiutrix*, inquit, *virtutis est tribulatio*. Quasi imbecilla sit virtus, nec sine tribulationis auxilio consistere, aut incedere possit; sed omne suum robur, & stabilitatem à tribulatione acquirat; per quam Deus sanitatem, vires, ac dotes omnes animi cõfirmat; eiusque omnibus indigentijs occurrat.

Tribulatio animæ vires consolidat.

Idiota vir sãctus

6 Ideò Ezech. 9. ℣. 1. tribulatio visitationi comparatur. *appropinquauerunt visitationes Orbis*. *visitare*. & *visitatio* in vtramque partem vsurpari inuenimus, in scriptura: plerumque enim *visitatio* sumitur pro effectu beneficentiæ, vt Iob 10. ℣. 12. *vitam, & misericordiam tribuisti mihi, & visitatio tua custodiuit spiritum meum*; & Isai. 60. ℣. 17. *ponam visitationem tuã pacem*; Ita, *visitare* est *consolari*, & *saluare*, Luc. 1. ℣. 68. *visitauit, & fecit redemptionẽ plebis suæ*; quando scilicet eod. cap. ℣. 78. *visitauit nos oriens ex alto*. Aliquando vero, *visitare*, est *punire*, & *tribulare*, vt in adducto Ezech. loco, & Amos. 3. ℣. 2. *visitabo super vos omnes iniquitates vestras*; similis itaque est hic modus loquendi quo vtitur Ezech. dicens: *appropinquauerũt visitationes orbis*, illi quo vtimur, dum aliquem afflictum consolari volentes, dicimus etiam italicè: *Iddio hà voluto visitarui con questa infirmità*. sed quare *afflictiones* appellantur *visitatores* Dei? Quia ijs Deus vtitur loco visitatorum; qui eliguntur, vt in communi consulant, & circumeuntes, diligenter inquirãt necessitates subditorum quo facilius, ijs cognitis, possit Princeps, vel Prælatus ijs occurrere, & necessaria prouidere; & malis, atque delictis medeti; praue facta corrigere, & si quæ opportuno remedio indigere videantur, ea emendare: *appropinquant*, igitur, *visitationes diuinæ*, idest, *tribulationes*, per quas Deus nos affligit, vt opem ferat, vt si quid prauum incidit, emẽdet, & malis medeatur. Quod etiam ad visitationes medicorum referri posset, secundum mentem D. Hieronym. Isai. cap. 24. ℣. 21. asserentis *visitare* idem esse, ac *ægrotantem, & cauterijs egentem tractare*. & adductum Ezech. locum sic interpretatur idem Hieronym. *omnis vltio, visitatio est, quasi ægrotum medicum expectantis*. & sicut æger, absque visitatione medici, non conualescit, ita neq. languentes animi, absque tribulationibus sanantur, idest, nisi ingrediantur piscinam turbatam. vnde Psalm. 88. ℣. 33. *visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum*. quandò in virga visitat Deus, tunc tribulatio, & flagellũ, ac vulnera sunt visitatores illius: hos quasi ministros ad hoc munus delegauit: tunc itaque (instar optimi medici) affert sanitatem, quando visitat in virga. sed vt obseruat ad hũc psal. locum Lorin. videtur hoc *visitandi* verbum, tametsi de pænis dicatur, summam includere punientis Dei beneuolentiam, volentis honorare, quos ita visitat, vt σύμμετρος, idest, proportionatè, & moderatè increpitos, ad salutaria denuò impellat; atque ita benigni visitatoris munere funguntur tribulationes.

Ezech.

Visitatio pro effectu beneficentiæ.

Iob.

Isai.

Luc.

Visitare, pro punire & tribulare.

Ezech.

Tribulatio est Dei visitator, & quare

D. Hier.

Tribulatio, anim est medicus.

Psalm.

Lorin.

Moderatè Deus Tribulat.

7 Sunt (tribulationes) medicamenta animorum, adeo vt dum Deus commouet aquam, perinde nobiscum agat, ac si morbis nostris opportunam propinaret potionẽ, *vt sanetur vnus*; idque ea maximè ratione; quia tam medici in exhibendis pharmacis, quã Deus in immittendis tribulationibus summopere caueat, ne medicamentorum qualitas, ægrotantis vires excedat; sed omnia proportionatè faciat. Præcipua est medicorum cautio in præparandis medicamentis, vt seruetur

dosis,

Proportionata viribus adhibet Deus medicamenta tribulationum

dosis, & propotio inter quantitatem, & facultatem medicamenti; ac vires, & constitutionem corporis ipsius ægroti; quæ vtraq; ita oportet expendere & librare; vt vnum alteri seruata analogia respondeat; neque medicamenti viribus succumbat oppressus infirmus; & languorem remouere valeat pharmacũ. Quemadmodum enim ex proportionata humorum temperie constat, ita ex ijsdem conseruatis permanet, & restitutis redit in humanum corpus sanitas, quam proinde, proportionatis medicamentis, necesse est reparare, si vacillet. Ita prorsus Deus nobiscum in animorum medela agit; ita nos visitat, vt proportionatè affligat. volens enim nobis salubre tribulationis pharmacum exhibere, quo ex ijs infirmitatibus, quas per humanam imbecillitatem contraximus, conualescamus, & roboremur, ita eas temperat, vt cuique pro virium robore, sufficienter dispenset. docuit hoc Apost. 1 Corinth. 10 ℣ 13. *tentatio vos non apprehendat nisi humana*, idest, lenis, & mitis: *fidelis autem Deus est, qui nõ patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.* sensit hoc etiã mirifice Dauid, qui hoc spirituali pharmaco reficiendus, dosim illius maximè à Deo expendi optabat, & precabatur Psalm. 79. ℣. 6. *potum dabis nobis in lachrymis in mensura:* quæ verba Latini aliquot patres, & Origen. deprecatiue prolata affirmantes, de hac proportionata dosi, quam Deus seruat in tribulando, exponunt, vt *in mensura* petat Propheta dari sibi *potum*, idest, medicamentum tribulationis; ne si mẽsuram excedat, vires nostræ, quæ ferendo non sunt, deficiant; sic Sanct. Ambr. in Psalm. 118 docet, *potum dari in lachrymis in mensura, ne sine moderatione mensuræ pænæ cumulo grauemur, & sustinere non possimus*; & propterea etiam si indignatus Deus vas impleat, tamen, quia quantumuis iratus, miserationis suæ est memor; ideò cùm Psal.

1. Corint.

Psalm.

S. Amb.

74. ℣. 9. propinasset exuberantem potionem ad purganda peccata: *calix in manu Domini vini meri, plenus mixto;* non tamen amarum hoc pharmacum penitus euacuauit, *verumtamen fæx eius non est exinanita:* non totum bibendum, & vsque ad fæces exhaurien dum propinauit: ne nimia medicamenti copia, ægroti opprimerentur; ex hac turbata tribulationum aqua (tãquã ex perfecta medicina) salus oritur. Psalm. 118. ℣. 71. *bonum mihi quia humiliasti me*, idest, *tribulasti, vt*, inquam, *discam iustificationes tuas.* Theod. *gratias*, inquit, *agit vates ob seuera remedia, hinc discens, sanitatem, quam consecutus erat, processisse: quapropter non dolendum in tribulationibus, & si grauibus, cùm ex illis sit salus*; vnde etiã Senec. 1. de Ira cap. 5. *nulla videtur dura curatio, cuius effectus salutaris est:* quis ergo libenter turbatas hasce aquas nõ ingrediat? nouerat hoc Flauius Theodosius Tertius Imperator, qui dicebat: *qui patitur se sanat homo, patientia sanat.* benè ergo, qui in turbatam piscinæ aquam descendebat, sanabatur à quacumque detinebatur infirmitate.

Psalm.

Psalm.

Theod.

Ex tribulatione salus.

Senec.

Fl. Theod

8 In cuius rei cõfirmationẽ occurrit locus ex Apoc. cap. 6. ℣. 5. *Et ecce*, inquit, *Equus niger, & qui sedebat super eum, habebat stateram in manu sua.* non errare videbimur, si per hunc Equũ nigrum, Angelum percussorem, & tribulantem intelligamus; nam pullus color, vt nemo non ignorat, afflictionis est signum, de quo Alciat. Emblemat. 118.

Index mæstitiæ est pullus color: vtimur omnes
Hoc habitu, tumulis, cum damus Inferias

Sed etiã si aliunde hoc non exciperetur, in hoc tamẽ Apocal. loco, *Equum nigrum, tribulationem* significare ostẽdunt verba illa, quæ adduntur ℣. 6. dũ eidem Angelo præcipitur vt affligat; sed tantummodo vino, & oleo parcat: *vinum, & oleum ne læseris*; si enim his tantum parcere iubetur, certè ad alia

Apoc.

Alciat.

Sanat nos Deus per tribulationes.

omnia percutienda missus fuerat; ideo Aureol.& Lyran.magis litteraliter per hunc equum accipiunt exercitum Romanorum;& per sessorem Titum percussorem,& Dei ministrum. Deus ergo,& illius ministri,etiam sedentes super nigrum Equum, idest, etiam dum tribulãt,saluant nos,& sanãt, vt Abac. cap. 3. ℣.8. *ascendes super equos tuos, & quadriga tua saluatio*: quia huic equo insidens, *habet stateram in manu sua*; equitare igitur Dei, & percutere est, & saluare; sed quis vsus stateræ equitanti? dicet quis;fræno regun tur equi, virga, & calcaribus incitantur. Cur itaque pro virga stateram assumpsit? melius accepisset hastam, qua ad necem percuteret. Sed cessabit admiratio, & apparebit summa Dei in tribulando benignitas, qui pharmacum proportionatum nobis exhibet, ideo *habet stateram*, quia equo nigro insidebat, tribulabat, percutiebat; in quo actu ad nostram vtilitatem, ita vtitur Deus virga, vt hæc vix appareat, sed benè apparet statera, & hæc est illi in tribulando pro virga, quia tribulationes expendit,& librat.aut si hastam illi assignatam velimus,certè *Achillis hasta* fuit,quæ in prouerbium abijt;eo quòd sauciet, & sanet, *vulnus, opemq; ferat* cui consonum est quod dicitur Osee 6.℣.1.2. *in tribulatione sua mane consurgent ad me: venite, & reuertamur ad Dominum; quia ipse cepit, & sanabit nos:percutiet, & curabit nos*, quod in proposito nobis themate contingebat, dum languidi descendentes in piscinam, commota aqua, sanabantur.

Aureol. Lyran. | *Abac.* | *Ad mensuram, & salutem tribulamur.* | *Achillis hasta vulnus,& opẽ fert.* | *Osee.*

9 Eadem tribulantis Dei moderatio colligitur Zach. 5. ℣. 1. *& vidi*, inquit, *& ecce volumen volans*. Hoc volumen typus erat pęnæ infligendæ, quod apparet in textu paulo infra ℣. 3. in quo, Deo reuelãte, certior fit Propheta quid esset hoc volumẽ, & quid per illud significaretur: *Hæc*, inquit, *est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ*. quæ verba exponens Lyran. *maledictio*, inquit, *idest pœna pro peccatis inflicta; sicut Ezech. 2. vidit librum, in quo erant scriptæ lamentationes & væ*. approbat,& confirmat hanc expositionem versio LXX. Interpr. & tex. Arabicus in quibus habetur: *falx volans*; est autem *falx*, symbolum afflictionis, & tribulationis, quia recidit, & secat; vt hunc eundem Zachar. locũ citans,& exponens,docet Pier.lib.42. Hierogl. tit. *castigatio*. Sed vt huiusmodi tribulationes,non vt cumque immitti à Deo intelligas, sed instar salubris medicamẽti expensas primum, & mensuratas, ideo diligenter subdit Propheta huius *voluminis* siue *falcis* mensuram, expressa ipsius longitudine,& latitudine. *longitudo*, inquit, *eius viginti cubitorum, & latitudo eius decem cubitorum*. examina thos numeros Hierony. lib.1. Comment. in Zachar. & partim tristia aduersitatum, & tribulationum; partim læta prosperitatum, ijs fuisse mystice denotata explicat, quia tribulationum amaritiem, tẽperat Deus dulcedine sanitatis acquisitæ, & concludit, quòd cum mensura aduersitates à Deo immittuntur, vt læta retribuantur: *In viginti*, inquit, *qui ex duabus decadibus efficitur, austera, & tristia nunciantur, in decem, idest, vna decade, meliora, & prospera; in his igitur omnibus numeris, prius tristia, & postea læta dicuntur, quia ad hoc corripit Deus, vt emendet, & per omnia supplicia eruditur Israel*. neque mirari quis, aut terreri debet, quòd maior videatùr tristium vicenarius, quàm iucũdorum denarius numerus; nã hic perfectionem, & complementum denotat, vt docet Pier. lib. 39. *de metafinis*, ideo perfectæ, & cumulatæ fælicitatis præmium ijs promittitur, qui tribulationibus erudiuntur. Vel dicamus, quòd quamuis maior videatur,& appareat, prima fronte, multitudo tribulationum; tamen eas benignissime Deus, quantum fieri potest corripit,& abbreuiat; quod ostendit Symmach. lectio, in qua pro eo, quod in vulgata

Zach. | *Lyran.* | *Sept.* | *Tribulationes dantur in mensura ad salutem.* | *S.Hier.* | *Pier. Denarius numerus perfectionẽ denotat.* | *Symmach. Breuiat Deus nr̃as tribulationes.*

est

est *volumen volans*, habetur κεφάλην idest,*Capitulum*, seu summa, ac compendium; quia in dimittendis tribulationibus,Deus easdem compendifacit vide in compendium redactas tribulationes;de libro dicitur in vulgata*: longitudo eius, vinginti cubitorum, & latitudo eius decem cubitorum* in tot,tantasque paginas diffusa erat tribulationum, ærumnarumq; historia; quomodo ergo traducit Symmach.*capitulū*? nisi quia recapitulauit Deus breui cōpendio minasomnes; vnico capitulo comprendit plura, & leui flagello, innumera compensauit.

10 Ad quod appositum est id, ꝙ habetur Apoc.11.℣.1.ex quo loco duo colliguntur ad hoc propositum: tum quod Deus illos iubet descendere in turbatam hanc piscinam,qui sunt sanandi,idest, illos tribulari permittit, quos vult saluare,tum hanc eandem tribulationis proportionē in hac animæ curatione illi summopere curæ esse*: & datus est mihi*, inquit Ioann. *calamus similis virgæ; & dictum est mihi surge, & metire templum Dei,& altare, & adorantes in eo*. Calamus iste, vt contendit in hoc loco Alcaz. quem sequitur Corn.à Lapid.non calamum scriptorium significat, sed *mensorium*; vt apertè colligitur ex vsu cui destinatus fuerat;cogebatur enim Ioānes *metiri templum,altare, & adorantes*; & quoniam hic *calamus erat similis virgæ*, quæ est typus afflictionis, & tribulationis, vt Psalm.88. ℣.33. *visitabo in virga &c.*& alibi passim; ideo iuxta hanc expositionem, sensus horum verborum est; datam fuisse potestatem affligendi (*metiri* enim hic est affligere, & percutere, cum instrumentum mensorium sit simile virgæ percutienti) *templum*,non tam illud,& materiale, quam spirituale; de quo dicebat Paul. 1. Corint.3. ℣. 17. *templum Dei sāctū est, quod estis vos*;nā impii, & nefarij inter istos non comprehenduntur; qui significantur dum subdit Ioannes ℣. 2. *atrium autem quod est foris templum,eijce foras,& non metiaris illud*.nam per *atrium,quod foris est* reprobi, & exleges, accipi debent; quod videtur significasse idem Angelus,dum reddens rationem cur atrium metiendum non esset addit; *quoniam datum est gentibus &c.* quicumque igitur extra Ecclesiam proijciendi sūt, & reprobi omnes cum gentilibus dānandi, indigni sunt, vt illos mensura tribulationis metiri debeat. Et quòd per *atrium* reprobi intelligantur; præter dicta, apertè docuit Richardus: *atrium*, inquit, *sunt falsi Christiani:isti non veniunt sub mensura calami*.& animaduerte, quòd percussurus, iubetur surgere:*& dictum est mihi surge*; quia si sedendo metiretur,idest,percuteret, nunquam fatigaretur: sedere enim quiescentis est: sed quia Deus breui nos tribulat: ideo iubet Ioannem *surgere*, vt stando, quantocius fatigatus, quamprimū desinat tribulare.& quod ad iustorum tribulatorum maximam consolationem facit,vbi vulg.text. habet*: similis virgæ*: Interlinearis explicat*: similis sceptro*; quasi tribulatio reges constituat,ac si monere velit Spiritus sanctus, patienter tolerandas tribulationes, per quas Regiam dignitatem consequimur: quæ nos enim percutit virga, ad nostrum honorem fit sceptrum; id quod confirmat factum quod narrat Alexand.ab Alexand. genial.dier.lib.1.cap.28. *Alexander*, inquit, *memoratur: cùm desiliens equo, casu Lysimachum vulnerasset medendi vulneris causa, diadema sibi detraxisse (nam candida fascia erat) illoque Lysimachi vulnus alligasse, quod omen, illum futurum regem designauit, sicut euentus docuit.* hoc & Deus nobiscum agit dum tribulat, & vulnerat, quos etiam medetur post plagas, quas sua misericordia alligat, vt nos eleuet, & extollat;dixit hoc perpulchrè Isai. 30. ℣ 26.*& erit lux lunæ sicut lux solis,& lux solis erit semptimpliciter sicut lux septem dierum in die, qua alligauerit*

Apoc.

Alcas. Corn.à Lap.

Illustratur Ioannes.

1.Corint.

Sāctiores à Deo tribulantur.

Reprobi non tribulantur Richard.

Breuī tribulamur.

Tribulatio nos reges facit.

Interl.

Alex. ab Alex.

Regia fascia vulnerari applicata omen gloriæ.

Tribulatio reges facit.

Isai.

Dominus vulnus populi ſui, & percuſſuram plagæ eius ſanauerit. vnit Propheta vulneris alligationem, & lumina ſolis, & lunæ, eaque clariora: ſunt enim hęc regia inſignia, vt alibi diximus. hoc eſt quod dicitur Pſalm. 90. ℣. 14. *cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum*. quo loco P. Agell. noſter: *neque*, inquit, *ſolùm eripiam, ſed etiam glorioſum faciam* ſed hæc obiter: ad Ioannis virgam reuertamur.

Pſalm.

P. Agell.

11 Nota, quòd hæc *virga*, appellatur *calamus*, qui eſt menſura in palmos diſtincta, quà ad ædificia, & agros metiendos, Geometræ vtuntur: ita ergo Deus metitur, ideſt tribulat, vt calamum, atque menſuram adhibeat ad tribulandum, quaſi nolit excedere menſuram virium, ita enim etiam Italicè ſolemus dicere de eo, qui plectit pro virium, ac facultatum modulo; *piglia la miſura del giubone*. hoc obſeruat Deus, qui ſic percutit, vt menſurā non tranſgrediatur; quod optimè, & acutè dixit S. Leo Papa ſerm. 9. de Quadrag. *ſicut totius eſt corporis* (ideſt vniuerſæ Eccleſiæ) *piè viuere: ita totius eſt temporis Crucem ferre: quam merito ferre vnuſquiſque ſuadetur: quia proprijs modis, atque menſuris ab vnoquoque toleratur*. Vel ideò *tribulatio* per *calamū* denotatur, quia per ipſam veluti per menſuram dignoſcitur quo, quantoq; ſpiritu refertus ſit, is, qui affligitur, & hac virga percutitur. Simile quid innuitur Iob 1. ℣. 8. *numquid conſideraſti ſeruum ſeruum meum Iob*? videtur quaſi gloriari Deus propter hunc ſeruum omnibus menſuris, & tribulationibus parem; & ideo ad explorandam illius bonitatem, primùm permiſit diabolo, vt illius tolerantiam metiretur in rebus temporalibus. ℣. 12. *ecce vniuerſa, quæ habet in manu tua ſunt, tantum in eum ne extēdas manum tuam*; in quo experimento, quoniam Iob lōganimitatem ſuam, & patientiam optimè oſtendit: permiſit Deus, vt etiam illius corpus affligeret, cap. 2. ℣. 5. *tange os eius, & carnem &c.* ac ſi dicat, metire illum etiam tribulationibus corporalibus, vt intelligas quanta in eo vigeat patientia, fiducia, & longanimitas.

S. Leo.

Tribulatio perfectionis menſura. Iob

12 Sed quemadmodū Iob multum, Deo permittente, vexatus, & tribulatus, poſtea magnificatus eſt; ita omnes, qui ad eius imitationem in tribulationibus longanimitatem, & patientiam præſeferunt, non tantum animæ ſanitatem cōſequuntur; ſed etiam inter anguſtias, à quibus videntur opprimi, exaltantur. In hiſtoria ſerui Centurionis, quam habet Matth. cap. 8. & Luc. cap. 7. ℣. 2. dicit Luc. quod ſeruus ille *malè habens, erat moriturus: qui illi erat pretioſus*. hæc vox *pretioſus* duas recipit expoſitiones; aliqui *pretioſum* deducunt à pretio, quaſi charo pretio illi conſtitiſſet; ita enim veteres vænundabant ſeruos, ſicuti hodie apud nos venduntur Turcæ, qui vulgo appellantur *ſchiaui*. Alij verò exiſtimant, quòd *pretioſus* ſignificet *charum*, dilectum; ita Lyran. quia pretioſus de re dicitur, non de homine, niſi per metaphorā. ſed vtro modo accipiatur hìc *pretioſus*: mirū eſt, cur homo vilis, & vænalis, quales erant apud Romanos ſerui, tantæ fuerit apud Dominum æſtimationis; habebant enim eiuſmodi hominum genus pro mancipijs, in quos ius vitæ, & necis exercebant; nam dicebantur ſerui non à ſeruiendo, ſed à ſeruando, quòd ſcilicet, ij, qui iure belli poſſent occidi, à victoribus conſeruabantur, vt habetur in l. 4. ff. de ſtat. homin. iſtis, Romani, ad viliſſima opera vtebantur, eoſque ad molendum in piſtinis, ad fodiendum in lapidicinis, aliaque laborioſiſſima opera adigebant. ex quo mirum videri poteſt, quòd iſte *ſeruus Centurionis, malè habens*, etiam morti proximus *pretioſus* illi fuiſſe, & charus dicatur: adeo vt filius illius appelletur alibi, vt notat Lyran. in cap. 7. Luc. verbo, *& erat illi pretioſus, ideſt, charus*, inquit, *& dilectus; & propter hoc vocatur eius filius Ioan. 4. ſecundum* Chryſoſt.

Luc.

Pretioſū, ideſt, multo pretio emptum.

Pretioſū, hoc eſt, dilectum.

Serui à ſeruando dicti.

l. 4. ff. de ſtat. hom.

Lyran.

sest. cum præsertim plures alios eiusmodi seruos haberet Centurio, vt colligitur ℣.8. *dico huic vade, & vadit: & alio veni, & venit: & seruo meo fac hoc, & facit.* Quæ maximè causa videbatur illū, humano more loquēdo, vilem facere; eadem reddebat *pretiosum;* vilis scilicet condicio, & status, & ęgritudo; & ideo crediderim propterea pretiosum dici, quia tribulationes talē illum reddiderant: quia erat seruus, *paralyticus, iacebat in lecto, erat moriturus;* in his omnibus angustijs, & infortunijs, qui virilem, & inuictum animum seruat, non meretur dici vilis, & neglectus, sed *pretiosus, & charus,* eiusmodi est tribulationis efficacia, vt homines extollat, & magnificet. Quod explicabimus per ea, quæ habet Isai. cap.13.℣.11.12. *Visitabo,* inquit, *super orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum, & quiescere faciam superbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo.* inde subdens, quodnam emolumentum ex hac pressura, ex eiusmodi tribulationibus sint percepturi, ait: *pretiosior erit vir auro, & homo mundo obrizo;* ita visitatus, & humiliatus per afflictiones seruus, erat domino suo pretiosus: fit enim vt homines eruditi per Dei flagella, virtutibus decorentur, quibus ornati, quasi seruilem statum deponūt, & fiunt Domino chari, & pretiosi.

Tribulatio pretiosam reddit animā.

Isai.

13 Hinc etiam Salom. dicebat Sapient.7.℣.7. *Inuocaui, & venit in me spiritus sapientia, nec comparaui illi lapidem pretiosum &c. infinitus enim thesaurus est hominibus; quo qui vsi sunt, particepes facti sunt amicitia* Dei. Quam pretiosam sapientiæ possessionem, mediantibus tribulationibus cōparari, & sic homines tribulatos pretiosos esse testatur, dum subdit ℣. 14. *propter disciplinæ, dona commendati,* dona disciplinæ sunt munera, & beneficia, quæ consequimur per tribulationes: per *disciplinam* enim Dei, *flagella* denotari, est in sacris litteris vsitatum. *disciplina* enim Hebraicè dicitur *Masar,* à verbo *Iasar,* quod *corripere, & castigare* significat. in hoc significato accipitur *disciplina* Psalm.17 ℣. 36. *disciplina tua correxit me in finem.* Neque solum correxit, sed etiam auxit, extulit: optimè enim P. Agell. ad mentem nostram exponit *eleuauit, magnum fecit;* ἀνωρθώσεν enim, etiam si *corripere* significet, aliquādo tamen idem est quòd *subleuare,* iacentem erigere. disciplina, itaque, & correctio Dei, corripiendo extollit, & subleuat: hic enim est mirabilis tribulationum fructus, quòd quamuis per eas descendere videamur in aquam turbatam: tamen sani, & vegeti inde emergimus. & quamuis nos videātur terrere fluctus, & commotiones; illud tamen debet recreare, & animare, quod ab istis prouenit nostra saluatio; cùm disciplina exaltet, & correctio, ac flagellum subleuet, & propterea in 2. Reg. cap.22. ℣.36 pro eo quod in adducto ex psalmis loco legitur: *disciplina tua correxit me,* habetur: *& mansuetudo mea multiplicauit me:* pro quo L X X. vertunt, *& obedientia tua multiplicauit me.* quasi qui se diuinæ voluntati subijciunt, & correctiones, siue afflictiones tolerant, augeantur, & multiplicentur. fit ergo quis maior, & (vt ad seruum Centurionis reuertamur) pretiosior iacendo in lecto, sustinendo tribulationes, & descendēdo in piscinam. vnde Petr. Apostol, epist.1.cap.1. ℣.6.7. *exultatibitis modicum nunc si oportet contristari: vt probatio vestra fidei, multo pretiosior auro inueniatur.* contristationibus, & afflictionibus temporalibus, probatur pretium auri virtutum in fidelibus, quibus ex vili statu seruitutis, pretiosi reddimur.

Sap.

Pretiosis lapidibus comparatur tribulatus.

Psalm.

P. Agell.

Tribulatio extollit, & subleuat.

2. Reg.

Sept.

1. Petr.

14 Hoc idē melius intelligemus, si expendamus rationem, quamobrem Saluator noster acerbissimam suam passionem, in monte Oliueti, exordiri voluerit, ibi amarissimum calicem potare: capi, ligari; inde ad Iudices duci. poterat certè aliunde tantum opus in-

Tribulatio, gradus ad ascensum, & ad gloriam.

choare; aut domi se cum discipulis continere, ibiq. Iudam cum militibus expectare. Sed quia sciebat locum tribulationis, esse nobis quasi gradum, quo eleuamur, ideo cùm ex Olivueto esset post gloriosam resurrectionem ascensurus ad Cælum, nullum opportuniorem locum inuenit vbi inciperet pati eo, ex quo debebat eleuari, & glorificari, vt etiam nos discamus, quòd tribulationes toleratę in hac vita adiuuãt ascensum nostrum, & quasi facilitant eleuationem ad Cælestem patriam. Hinc S. Tho. in Caten. ex Hieronym. in illud Marc. 14. ℣. 26. *exierunt in montem oliuarum &c. In monte*, inquit, *Oliueti Iesus tenetur, vnde ad cælos ascẽdit.* Quare ẽsubdit causã: *vt nosciamus, quia inde ascẽdimus ad Cælos, vnde vigilamus & oramus, ligamur, & pugnamus in terra.* est ergo tribulatio optimũ mediũ, quo eleuamur, & magnificamur.

S. Thom.

15 Cuius etiam rei figura habetur Apocalyps. 19 ℣. 16. *& habet in vestimento, & in femore suo scriptum Rex Regum & Dominus dominãtium.* Cur *in vestimento* habet eiusmodi inscriptionem, p[...] tim in ea parte vestis, quæ est ad fæmurẽ nam inscriptiones apponuntur, vt omnium oculis pateant, [...] vero in veste qua parte fæmori admouetur, aliquod inscribatur facile latebit. Pro responsione, & intelligentia animaduertenda sunt verba ℣. 13. vbi de eodem dicitur, quod *vestitus erat veste aspersa sanguine*; propterea igitur *in veste habet inscriptum Rex Regum*; quia per tribulationem meruerat hanc appellationem; effuso inter afflictiones sanguine, eiusmodi honorificum sibi titulum comparauerat. Sicut contra ij, qui nimia prosperitate abutuntur, e regia maiestate decidunt; exemplo sit Salomon, qui in rerum omnium felici successu, auersus à Deo per peccatum, magnitudinem illam regio culmini parem imminuit, & vilem reddidit; ex sententia D. Gregor. Pastor. par. 3. 29. *admonendi sunt*, inquit, *qui in hoc mundo prosperantur, vt considerent, quia Salomon, qui post tantam sapientiam, vsq. ad idolatriam cecidisse describitur, nihil in hoc mundo priusquam caderet aduersitatis habuisse memoratur. Sed concessa sapientia, funditus cor deseruit.* non fuerat vestitus veste aspersa sanguine, nunquam in aciem prodierat: non æmulorum, non hostium insidijs petitus; sed regijs delicijs innutritus, & inter prosperitates educatus, nunquam expertus tribulationum flagella, à regia maiestate desciuit. secus contigit Dauid, qui à puero exercitus contra feras gregem vexantes adhuc imberbis, immanem gigantem leuibus armis prostrauit, & ita per omnem vitam aduersis tolerandis par fuerit, vt ex persecutionum, atq. aduersitatum procellis, semper maior, validior, vegetiorq. emerserit.

Apocal.

Tribulatio, honores dat regios.

Prosperitates, regiam adimunt dignitatem.

S. Greg.

16 Peccatum, & infirmitas animæ, de qua dicitur Psalm. 40. ℣. 5. *sana animam meam, quia peccaui tibi.* nihil aliud est, nisi auersio à Deo; ita Augustin. in lib. de Arbitr. peccatum definiuit; quod sit *auersio ab incommutabili bono, & conuersio indebita ad cõmutabile bonum*; quando nimirum homines eligunt cupiditatibus suis obsequendo, magis adhærere creaturis, & rebus temporalibus, quàm Deum, & æterna pura mente sectari. Qui ergo. Deo posthabito, conuertunt se ad creaturas, ij grauissimè, & lethaliter in anima ægrotare dicendi sunt; quam veritatem solo naturæ lumine illucescente agnouit Plutar. qui ægritudinem in auersione, sanitatem in conuersione sitam esse dixit de Sera Numin. vindic. *Conuersio*, inquit, *dicta est, cùm quis à vitijs sese auertit, sanioresq. induit mores*; vnde Dauid, qui tãquam Medicus pulsum iustiusmodi peccatorum explorauerat, fonticè illos decumbere dixit, & fore vt moriantur Psalm. 72. ℣. 27. *qui elongant se à te peribunt*. Hos circa piscinam stantes Deus reperit, vbi *iacebat multitudo magna cæcorum, claudorum, aridorum*,

Psalm.

S. Aug.

Peccator ægrotat.

Plut.

Psalm.

quos

quos vt curet, aquam turbat, vt ad se tandem per flagella ducat. ideo tribulatione vtitur tamquam medicina, ad restituendam peccatoribus mortaliter decumbentibus sanitatem, quod sentiens Sanct. Augustin. lib. de Essent. Diuin. *Deus*, ait, *creaturam suam quam non vult perire, sæpe castigat, corripit, atque flagellat, & flagellando ad se reducit*. Instar amantis patris, qui discolum filium, quem benignis verbis in officio continere non potest, flagris cæsum, ad petendam veniam, & ad humiliandum se, inducit. quod alijs verbis idem Augustin. alibi dixit. *Tribulationes, quas hic patimur, ad Deum ire compellunt*; quia sunt efficax remedium ad recuperandam animæ sanitatem, ideo dicit quod *compellunt*; quam violentiam suauem (liberam tamen) expressit etiam Sanct. Chrysost. in Matth. loquens enim de tribulato, & quam in eo vim habeat ad hanc conuersionem, & sanationem infirmitatis afflictio; *vt necessitate*, inquit, *infirmitatis coactus, semper necesse habeat Dominum nostrum requirere*; in quo actu requirendi Dominum, sita est tota nostra sanitas; quemadmodum enim deserere Deum, & ab eo recedere, est infirmitas; ita eundem requirere, est perfecta sanitas; quam se per vnicum hoc tribulationum medicamentum consecutum fatetur Dauid Psalm. 76. ℣. 3. *In die tribulationis meæ, Deum exquisiui manibus meis &c.* ideo exquirit, quia instabat dies tribulationis; Et quod exquisiuisse se manibus Deum dicit, significat diligentem, & sedulam operam, quam ponebat in exercendis operibus Deo placentibus; cui per actiones studiosas diligenter inseruiebat quæ vera sanitas est. sic Gregor. in vltim. Psalm. Pænitent. *Quid est*, inquit, *manibus Deum exquirere, nisi operibus sanctis Saluatorem inuocare?* Hanc igitur diligentiam, & hoc studium, quo ad ipsum conuertimur elicit à nobis Deus mediantibus tribulationum medicaminibus; vt etiam significauit idem Dauid Psalm. 89 ℣ 3 *dixisti: conuertimini filij hominum*; alloquitur, vt placet nostro Patri Agell. Deus homines inter plagas, & flagella à se vexatos: *hoc tantum non præconis voce edicens, vel infirmis, vel ijs, qui eorum exemplo admonentur inclamans, conuertimini filij hominum.* quasi dicat Deus propterea hoc vobis tribulationum pharmacum exhibui, vt qui prius eratis a me auersi, *conuertimini* (subdit Agell.) *non enim dum flagellas aliud spectas, quàm salutem hominum, & peccatorum conuersionē*; ita n. per contraria auersio eorundem, facillime sanatur. & quemadmodum medecina noxios humores educēs, reddit corpus sanum; ita tribulatio lethiferos prauarum passionum humores euacuans, sanitatem in animam introducit. Idiota vir sanctus lib. 2. de Vera Pæniten. *Tribulatio*, inquit, *elationem deprimit, ceruicem submittit, deponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, iram sedat, linguam frænat, incessum format, & dirigit in viā pacis, & denique omnes illicitos motus mentis, & corporis suffocat, & elidit; dat contra ambitionem sæculi humilitatem &c.* In quibus diligēter aduerte, quod in hoc vno tribulationis pharmaco, tamquam in quodam communi remedio, quale est illud quod medici *Diacatholicon* appellant, vis, & facultas inest, ad superandas, & remouendas omnes animi infirmitates: eo quòd in ea inueniantur vires quædam occultæ contra omnes morbos spirituales.

17 Cæterum, cùm alia plura, & innumera sunt mala, quæ peccatum in animam introducit, tū præsertim ophtalmiam, & lippitudinem, seù hebetationem oculorū, adeo & clarè videre nequeāt peccatores, quæ agenda, quæ prætermittenda, quę sequenda, quæue vitanda sint qua incedendum, vnde recedendum; quo se oculorum animæ morbo laborare pp peccatū sentiebat Dauid dum Psalm. 39. ℣. 13. dicebat. *comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem*; & Psalm. 37.

℣. 11.

S. Aug. | S. Chrys. | Tribulatus Deum requirit. | Psalm. | S. Greg. | Psalm. | P. Agell. | Cōuersio ex flagel- | Idiota. | Tribulatio, vniuersale ad omnia mala remedium. | Peccati cæcitas. | Psalm.

Psalm.

℣.11. *dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum*. Cuius etiam exemplum clarissimum habetur in illo Antistite Laodiceæ, qui in maxima infelicitate degens, adeo cæcutiabat, vt non videret se esse infelicem, & miserijs obsitus, veluti tenebris, beatorum sibi lucem illuxisse putabat; & sibi Lynceus apud Deum talpa cæcior erat. cui dixit Angelus Apocal. 3. ℣.17. *dicis quia diues sum, & locupletatus, & nullius egeo; & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus.* omnipotentiam Dei, summam eius bonitatem, curam, quam de rebus nostris gerit, Angelorum ministrantium, & nobis assistentium custodiam, vel non videt, vel nimio fulgore hallucinati, non perspiciunt peccatores; de quibus verificatur illud Psalm. 134. ℣.16. *oculos habent, & non videbunt.* quibus Dæmon propositis mundanis bonis, mentis aciem densissima veluti caligine obtenebrauit. sic enim Climac. de Vera humil. grad. 26. *omnes Dæmones*, inquit, *primum intellectum nostrum obnubilare contendunt, atque ita demum, ea quæ sibi sūt amica suggerunt: nisi enim mentis nostræ claudantur oculi, thesaurum nostrum furari non poterunt.* ideo in Euangelica piscina *multitudo magna erat cæcorum*. sed hanc ophtalmiam mirificè purgat antidotum tribulationis, idest, *turbata aqua*, qua acies ante caligans, clarescit; hebetata lumina confirmantur, & obtenebrata mens illuminatur. Ignorabat Centurio, vtpotè à vera fide alienus, gentilis, Angelorū, & ipsius Dei naturam; solo fidei, & reuelationis diuinæ lumine visibilem. sed hausto tribulationis poculo, infirmato eius seruo, ita hebetata mentis illius lumina clarificata fuerūt, vt Lynce oculatior, cælos ipsos mentis acie penetraret, & factus cælestium arcanorum conscius, Angelici ministerij expressimam similitudinem aliorum oculis subijceret; cum eorum munus militaris obedientiæ exemplo adumbraret

Apoc.

Psalm.

Climac.

Tributatio cæcitatem purgat.

Hoc namq; ab adducta ab eo Matth. 8. ℣. 9. similitudine: *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus &c.* excipit Gloss. *si ego*, inquit, *homo sub alio possum imperare minoribus: quanto magis tu, qui es super omnia? habens famulantes Angelos, potes per eorum ministeria, sine corporis præsentia, dicere infirmitati vt recedat, & sanitati vt veniat, & veniet:* quasi in hoc similis esset Christi summa potestas suo Centurionatus officio, quia vt ipse etiam absens, per militum obsequia, poterat aliquid agere; ita Christus per sola Angelorum ministeria, absque corporali præsentia, restituere, & reuocare sanitatem; imò eo maior esset Christus, quod nemini subiectus erat; quod etiam sentiens Chrysost. homil. in illud Euangel. *sciebat*, inquit, *quoniam adstabant illi Angeli inuisibiliter ministrantes, qui omne verbum eius vertunt in opus.* imò hoc mysteriū Angelici ministerij Centurioni primo ex gentilibus innotuisse, seù saltem ab eo primum reuelatum fuisse docet Orig. homil. 5. in diuers. *ò prudentia*, inquit, *intellectus animæ, ò munditia cordis: primus omniū manifestæ veritatis confessionem reuelauit, & noui testamenti mysterium declarauit, & Ecclesiæ in sese demonstrauit imaginem. Ego sub potestate Regis, vel Principis, indignus ego, habeo sub potestate mea milites, & seruos, & tu habes sanctos sub potestate tua Angelos, sicuti milites.* idem docet Sanct. Hieronym. *volens*, inquiens, *ostendere, Dominum non per aduentum tantum corporis: sed per Angelorum ministeria posse adimplere quod vellet*. neque nouum videri debet, quod vnanimiter omnes isti SS. Patres, ex ijs, quæ de militibus dixit Centurio, de Angelicis obsequijs illū locutum fuisse contendant, quia sæpissimè in sacris litteris, militum nomine Angeli denotantur, vt Luc. 2. ℣. 13 *& subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis, laudantiū Deum, & dicentium &c.* & quoties Deus in

Matth.

Gloss. Tribulatione ducitur Cēturio ad cognitionem Dei & Angelorum.

S. Chrys.

Orig. Centurio primus omnium Angelos agnouit inter Gentiles.

S. Hier.

Angeli sunt milites.

Luc.

veteri testamento Deus exercituum nominatur, Angelicis turmis imperare significatur. Hos ergo Angelos eorũque ministeria, & naturam, tribulationis antidoto oculos mentis clarificante, agnouit Centurio; & in turbatam afflictionis piscinam descendens, gentilitatis errores, & falsitates deposuit. Quin, quod maius est ipsam quoque diuinitatem, ac diuinarũ personarum Trinitatem ineffabilem, angustiæ illæ, quibus premebatur, edocuerunt; vnde S. Chrysost. *Patris*, inquit, *& filij mysterium Spiritu sancto suggerente depinxit*. ac si diceret; & si ego sim sub potestate alterius, tamen habeo potestatem imperandi eis, qui sub me sunt; sic & tu quamuis (vt homo) sis sub potestate patris, habes tamen potestatem imperandi Angelis: sed hæc longius edisserendi non est hic locus.

Centurio tribulatus agnoscit mysteriũ Trinitatis.

S. Chrys.

18 Illud non omittẽdum nostro huic themati opportunum, in eo etiã tribulationes comparari animæ medicamentis: quoniam sunt amaræ, & vim purgatiuam habent: & ideo fel sicuti propter amaritudinem est symbolum dolorum: ita etiam fuit typus tribulationum, quibus tamquam medicaminibus mentis oculi mundantur: hoc voluit Plutar. lib. de Sera Numin. Vindic. Vti afflictiones à Deo, vel per Principes, & malos superiores, vel alia quauis via inflictas, fellis naturam imitari dixit: *Quemadmodum*, inquit, *Hyænæ fel, quid salubre ægritudinibusque humanis vtile in se continet: ita quibusdam qui fræno, animaduersioneque indigere videntur, Deus amaritudinem quandam Tyranni inexorabilem, vel sæuam Principis cuiusdã asperitatem immittit*. figuram huius habemus expressam, & vulgatam Tob. cap. 6. ℣. 5. dicente Angelo: *exentera hunc piscẽ, & cor eius, & fel, & iecur repone tibi; sunt enim hæc necessaria ad medicamenta vtiliter*. & explicans cui malo singula accomodata essẽt subdit cap. 6. ℣. 9. *fel vales ad vngendos oculos, in quibus fuerit albugo, & sanabuntur*; si per *fel* accipiamus *tribulationes*, per vitia oculorum, mentis cæcitatem: sensus horum verborum ad propositum nostrũ erit: tribulationes esse vnicum remedium, quibus caligantes mentis oculi conualescunt. iuxta dictum D. Augustin. epist. 121. quæ est ad Probam cap. 13. *molestiæ, & tribulationes temporales, plerumque prosunt ad sanãdum tumorem superbiæ*. docuit hoc experientia in Manasse, qui non prius peccatorum albuginem excussit, & visum mentis recuperauit, quam multipliciter fuerit tribulatus, & ad extremum etiam Regno exutus; sed postquam resipuit, & hebetatos oculos his medicamentis purgauit: *tunc*, vt dicitur 2. Paralip. 33. ℣. 13. *cognouit quod Dominus ipse est Deus*: de quo ad Deũ reuerso, & pænitente loquens Ambr. lib. de pænit. cap. 20. *fuit*, inquit, *vindicta illa, mentis perdita medecina, & multum salutis contulit castigatio: quæ ideo verberauit impium, vt Deo faceret acceptum, quem Diabolus fecerat alienum: animæ sanitati profuit, quod inflictum fuerat vanitati*. hoc collyrio deficiens oculorum mẽtis acies acuitur, & clarificatur.

Fel, tribulationis typus.

Plut.

Tribulatio animi medicamentum.

Tob.

S. Aug.

2. Paralip

S. Ambr.

19 Neque vt purgatiua tantum, & curatiua: verum etiam vt præseruatiua medecina, tribulationes humanis malis occurrunt. Scitum est remedia purgantia ægritudinem submouere: præseruantia, venturã prohibere: cum in confesso sit apud medicos sedula cura, & exquisita victus ratione veniẽtibus morbis occurri posse: vnde Galenus ita vitam omnem suam moderabatur, vt centenario maior decedens, nullo vnquam morbo conflictatus fuerit. eiusmodi etiam medecinæ vice funguntur tribulationes: quarum vsu consuescimus cautiores esse in committendis peccatis, & offensa Dei incurrenda. pro quo est luculentus locus Plutar. de Sera Numin. Vindic. ostendentis primo non eodem tempore homines fieri improbos, & tales apparere: sed auctã paulatim malitiam,

Tribulatio medicinis præseruatiua.

Paulatim succrescũt vitia.

captata demum occasione erumpere. *Nos,inquit,tūc maximè homines iniustos fieri existimamus,cùm iniuria afficere inchoant; intemperantes cùm violant: timidos cùm fugiunt: veluti cùm quis tum scorpioni aculeum inferi, cùm pungit: aut echidnis venenum infundi, cùm mordeut fatue arbitretur: nō enim sceleratus pariter fit,& manifestus redditur: sed ab initio insitam retinet prauitatem: tempore verò dataque opportunitate, fur surripit, tyrannusque leges transgreditur.* Hoc tamquam necessario supposito,hinc fieri infert Philosophus, vt Deus etiam eos, qui boni videntur, nec dum aliqua internæ malitiæ,externa signa ediderunt,puniat nihilominus; quod quamuis iniustum videatur, tamē hoc eos tribulationum præseruatiuo pharmaco, à vitiorum morbis incurrendis,liberat;priusquam criminum veneno, & malignis humoribus animus penitus inficiatur: *at Deus* subdit, *vniuscuiusque affectum, aut naturam,baud ignorat; vtpote,qui magis animæ, quam corporis scrutator existit. Quapropter non eo vsque panā differt, quoad violentia manibus, imprudentia voce, intemperantia pudendis perficiatur;sed medicinæ gratia, mæchum,auarum, & flagitiosum aliquando corripit, & malitiam tamquā morbum comitialem priusquam cuncta occupet; tollat ac penitus auferat.* Et propterea nimia prosperitas, & in rebus mundanis admodum fortunati successus, denotant auersum fuisse à nobis medicum, & non esse de nostra sanitate sollicitum, cùm illos potius desere videatur,quos tribulationibus nō exercet, visitat,& præseruat à peccatis. Sanct. Augustin. in Psalm. 7. optime dicebat ad hoc propositum;*nemo gratuletur homini, qui prosperatur in vita sua:cuius peccatis deest vltor, & adest laudator. maior hec ira Domini est: irritauit enim Dominum peccator vt ista patiatur*; idest, vt correctionis, & tribulationis flagella non sentiat. ad hanc etiam mentem accessit Senec. lib. de prouident. vbi eos, qui nimia prosperitate fruuntur, comparat ijs, qui ex nimia tranquillitate maris, ita detinentur, vt nauigare non possint, & inceptum cursū peragere; propter quod & miseros eos appellat; ad quam similitudinem etiam respiciens epist. 70. vbi vitam nostram nauigationi comparauit,varios viuendi status recenset: *alium,inquit, venti segnes ludunt, ac detinent, & tranquillitatis lentissimo tædio lassant &c.* huius autem doctrinæ auctorem producit Demetrium epist. 77. qui istos non in tranquillitate, sed in malatia versari dixit:*nihil*,subdit Senec.*habere ad quod exciteris, ad quod te concites, cuius denunciatione, & incursu firmitatem animi tui tentes; sed in ocio inconcusso iacere: non est tranquillitas, malatia est.* quasi miseros illos esse dicat,qui in piscinam tranquillam ingredi vellent, & peccatorum ægritudinem sine tribulationum iactatione euomere;quod confirmat documento Attali,qui solebat dicere; *malo me fortuna in castris suis, quàm in delicijs habeat:* malo me Deus in turbatam aquam descendere faciens, sanum faciat, quàm inter delicias permittat iacere languentem.

20 Nam quod maius est, commota ista aqua,idest,eiusmodi tribulationes,quibus sanamur,& conualescimus, non solum sanitatis nobis sunt causa,sed etiam vires, & robur impartiuntur, quæ quoniam antea per morbi impotentiam languebant, & quasi occultæ erant, per tribulationes manifestantur. apta fuit sententia illa Anonymi in similibus: *vt aromata,* inquit, *tunc vehementius fragrant:cùm mouentur, aut teruntur franguntur ue: ita virtutis fama latius spargitur, cùm exercetur negotijs, & rebus aduersis:* hanc frangrantiam emittebat Paul.qui varijs modis vexatus 2. Corint. 12. ℣. 10. *in tribulationibus, angustijs &c.* suauius redolebat vt ipsemet dixit. 2. Cor. ℣. 15. *Christi bonus odor sumus.* tunc maximè quando commouetur

Margin notes: Plut. — Afflictiones sunt præseruationes. — Plut. — Nimiæ prosperitates, diuinæ indignationis signū. — S. Aug. — Senec. — Demetr. — Miles delicato melior. — Virtutes per tribulationes innotescūt — Anonym. — S. Cor.

aqua

aqua, & tribulationes ingruunt, virtutum odor diffunditur, & propterea solet Deus tribulationibus illos affligere, quorum virtutes manifestari desiderat; ideo permisit, vt puer Centurionis, de quo supra etiã meminimus, infirmaretur; vt afflicto, & contuso per hanc tribulationem Centurionis animo; mira fides, oratio, deuotio, pietas, & charitas illius innotescerent. Orig. hom. 15. in diuers. explicans illud Matth. 8. ℣. 7. *ego veniam &c. ad hoc*, inquit, *promittit aduentum suum: vt & vos preualeatis, & eius fidei similes sitis. vt cognoscatis quid iste sit, vel qualis in eo fidei thesaurus habeatur occultus.* Præconia seruorum suorum, qui sub humilitatis vili pallio, virtutis ornamenta tegũt, reuelat ipsemet Deus, eaque (adhibitis tribulationibus) profert in lucem. Recole pro hac re, quæ gesta sunt Exod. 3. & 4. cap. vbi Moyses ex pastore constitutus dux populi, Princeps, Redemptor, & Deus Pharaonis; insuper prophetiæ munere cumulatus, & alijs præclarissimis donis auctus; quæ oĩa priuilegia, & eximias prærogatiuas cõsulto voluit occultare ne dum alijs, sed etiam Iethro socero suo, ideo dicitur cap. 4. ℣. 18. *abijt Moyses, & reuersus est ad Iethro socerum suum, dixitque ei, vadam, & reuertar ad fratres meos in Aegyptum, vt videam si adhuc viuant.* dissimulat gratias sibi à Domino concessas, quas tamen eidem Iethro reuelauit Deus, imò toti mundo, & posteritati Exod. 18. ℣. 1. *cumque audisset Iethro sacerdos Madian omnia quæ fecerat Deus Moysi, & Israel populo suo &c.* persuaserat enim, Deo permittente, vniuersum orbem fama Moysis, & quæ ipse modestè dissimulauerat, ea Dominus vulgauerat, plurimis ærumnis à Moyse perpessis.

Orig. — Exod. — Diuulgat Deus suorum merita tribulatorum. — Exod. — Marc.

21 Vnde quæso scire potuit Pilatus de Christo id quod dicitur Marc. 15. ℣. 10. *sciebat enim quod per Inuidiam tradidissent eum*; cùm omnes in illius mortem quasi facta coniuratione conspirassent, & nemo in tam dira calamitate accederet inocentiæ eius defensor? Certè ex summa patientia, & mansuetudine eius in tolerandis tribulationibus, & iniurijs; summam in eo virtutem, & consummatam bonitatem, ad quam vires humanæ pertingere nequaquam possunt, coniecit: adeo vt huius rei magnitudo ingentem in eo admirationem excitauerit: dicente Euangelista Marc. 15. ℣. 5. *ita vt miraretur præses vehementer:* Quo loco Sanct. Thom. ex Theodor. *mirabatur autem Pilatus* ait, *quia cùm legis doctor esset, & eloquens, & potens responsione sua eorum accusationes infringere, non respondebat quicquam, sed magis accusationes viriliter sustinebat.* Hinc cæpit Præses de eo magna opinari, quousque tandem in eam certitudinem venit, vt illum innocentem esse intellexerit, & quod per Inuidiam traditu fuisset. Quod melius etiam, & clarius confirmatur ostendẽdo differentiam argumentorum per quæ de Christi diuinitate hinc Iudæi, inde Diabolus, tentabant fieri certiores, in illo postremo vitæ tempore, quando in Cruce iam iam expiraturus pendebat. Nam Iudæi, dicebant Luc. 23. ℣. 35. *se saluum faciat, si hic est Christus Dei electus &c.* & Matth. 27. ℣. 40. *Si filius Dei est, descendat de Cruce*. hoc illis certissimum Dominicæ diuinitatis signum futurum erat, si de Cruce descendisset. sed Diabolus, qui multo quam illi perspicacius arcana animæ nouit: non ex descensu de Cruce, sed contra, ex tam prompta tolerantia obbrobriosæ mortis diuinitatem illius argumentabatur, & Iudæos instigabat, vt ad descendendum de Cruce Christum stimularent. fuit hæc sententia Theodor. apud D. Thom. Marc. 15. asserentis, quod quamuis diabolo suadente Christum ad descendendum de Cruce hortarentur, ipse tamen diabolus ex descensu, illius diuinitatem minime veram esse deprehendisset. *Diabolus*, inquit, *mouebat illos ad dicendum*,

quod de Cruce descenderet; ingerebat enim se ad tentandum Christum, vt si è Cruce descenderet, certus fieret quod non esset verè filius Dei. diuersa erant Iudæorum, & Diaboli tentamenta, & iudicia: certissimum erat diabolo, non posse tam sæuæ mortis patientiam absque diuinitatis adiumento esse: quasi diuinius opus (etiam Diabolo iudice) sit patienter aduersa tolerare: quam eadem declinando omnipotentiam ostendere. Iudæi mundanā quandam regulam sequebantur, secundum quam, id diuinitatis opinionem conciliat, quod hominibus admirabile apparet: sed diabolo ille admirabilior videtur, & propius ad diuinitatis fastigium accedere, qui sponte ærumnas, & afflictiones nouit tolerare: quæ nedum perfectam sanitatem, & constitutionem animæ, sed etiam diuinæ omnipotentiæ æmulationem ostendunt.

Sanitatis signum suam sentire infirmitatem.

22 Sed etiam ad alios sanitatis effectus, quos tribulatio operatur considerandos, progrediamur. Maximum, & præcipuum recedentis morbi indicium est sentire se esse infirmum, & potissima pars sanitatis est sensū morbi habere; sic intelligetur locus ille Senec. epist. 6. *quibusdā ægris*, inquit, *gratulatio fit, cùm se ipsos ægros esse senserunt*; Est enim argumentum aduenientis sanitatis, cùm eo vsque medicina progressa est, vt infirmus animo valeat, & languorem suum sentiat. Idem Senec. epistol. 90. *Tunc*, inquit, *incipit medicina proficere, vbi in corpore, alienato dolore, tactus expressit.* Quemadmodum enim actum de illis dicimus, qui decumbentes, non sentiunt tamen morbi magnitudinem, cuius vis, præter languorem, stupiditatem etiam induxit; ita illi facile conualescunt; quibus cum morbo, etiam mentis vires conseruātur; quod etiam ad animum transfertur à Plutar. in Moralib. *Vt est*, inquit, *sanitatis sensus morbi; ita correctionis initium cognoscere culpam*. quod vt experimento comprobemus, adeamus Psalm. 40.

Senec. *Idem.* *Plut.* *Initium salutis cognitio culpæ.* *Psalm.*

℣. 3. sontico enim & grauissimo morbo conflictatus Dauid, dicebat de se sub aliena persona: *Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius &c.* sed hic morbus, & ægritudo tribulans corpus, sanitatem operabatur in anima; inducebat enim regium vatem ad cognitionem, & sensum peccatorum, quæ erant origo morbi; quorum vt causam remoueret, ad eorundem detestationem, & confessionem confugiebat; hinc subdit ℣. 4. *Ego dixi Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccaui tibi*; Quibus verbis ex ægritudinis, & languoris sensu, & ex immissis tribulationibus recuperandæ valetudinis spem sibi affulgere indicat Dauid: ita enim exponēs hunc locum ait P. Agell. noster: *Aeger aliquis, in lecto iacet: doloribus vexatus: qui ægrotationis suæ causam agnoscit, & peccata sua sibi aduersam valetudinem attulisse intelligit. vt à Patre moderata flagellorum castigatione castigatus ad mentem redeat, & culpam agnoscat, & fateatur; vt salutem & corporis, & quod plus est animi recipiat.* Quod adhuc clarius intelligemus, si doctrinam Senec. animo repetamus, qui eiusmodi stupidis, aquam, præsentissimum esse remedium affirmat lib. 4. natural. quæstion. cap. 13. *Anima*, inquit, *relictos stupentesque, frigida spargimus, vt in sensum suum redeant*. Ita certe solet Deus animo stupidos, & inter peccatorum miserias derelictos, aqua adspergere tribulationum, & in turbatam piscinæ aquam demergere, vt sensū recipiant, & resipiscant. Idiot. lib. 2. de Vera Pænitent. *per flagellum*, ait, *potentiam virtutis tuæ sentit* (peccator stupidus) *& tuam sapientiam per intellectum capit; quia talis sapientia attingit fortiter per flagellum, & attingit suauiter per intellectum*; & ita paulatim redit ad cognitionem sui ipsius, & miseriæ in qua iacet; & quàm grauiter infirmetur, cognoscit.

Aegritudo corporis, salus animæ. *Agell.* *Senec.* *Idiot.*

23 Idem quamuis sub alia simili-

tudine

Theoph. tudine, & doctrina explicauit Theophylac. Episc. Bulgar. expositione in Euangelium Centurionis, vbi habet quòd morbi corporales, & tribulationes temporales, sunt tamquam *milites, & vltores Dei*. Videtur hæc metaphora prima fronte insueta, & longe petita; nulla enim apparet proportio, & similitudo inter milites, & tribulationes. Sed si SS. Patrum doctrinam attendamus, non erit noua; nam etiam D. Hieronym. in cap. 2. & cap. 10. Ioel & in cap. 13. Isai. Gregor. præterea 25. Moral. cap. 9 & Chrysost. hom. 3. de Patient. Iob; ministros Dei affligentes (quasi dicas Angelos commouentes aquam piscinæ) appellant *quæstionarios, atque tortores*. Vel itaque dicamus appellatas à Theophylac. afflictiones corporales nomine *militum*, quasi sint *satellites* quorum munus est noxios homines diù, noctuque inuestigare, & perquirere, in carcerem sontes deprehensos ducere, torquere, ad supplicia deducere, vt pœnis corporalibus coerciti, desinant in posterum malè, & contra leges agere, & à prauitatibus redeant ad frugalitatem. Eiusmodi munus in spirituali Dei Republica, morbis incumbit, per quos Deus peccatores superbientes, lectulo, tamquam carceri addicit, varie affligit, & torquet, ad eorum vtilitatem: infirmitatibus enim istis illud tantum prætendit Deus, vt sicuti dicebat Seneca, *Ita viuamus sani, quemadmodũ proposuimus nos esse victuros infirmi*. Vel per *milites*, quibus comparantur tribulationes: præsidiarios malumus intelligere, ea similitudine; quia quæ miles pro Rege, cui mores gerit, hæc eadem corporales infirmitates, & quæuis alia tribulatio Deo obsequens operatur. Quòd si *militem* à malo quod arcet, dictum fuisse velimus, vt quibusdam placuit, eo quòd in mœnium præsidio dispositi, hostilia damna submoueant, ac propulsent; morbi itidem ac tribulationes, sensus nostros, atque ipsum corpus Deo rebelles affligentes, animæ quasi tutelam suscipiunt; & tamquam in arcis cuiuspiam præsidio constituti milites, carnis illecebras, & dæmonum infestas machinas propulsant, & eludunt. Morbi, v.g. instar militis, imò instar Legionis, facto agmine, corpus, ac sensus aggredientes, pugnam excitant cõtra nequissima arma in Deum, atque animæ perniciem conuersa; & carnis superbiam cõterentes, & comprimentes insultantis luxuriæ impetus, cuncta sedant, & componunt eneruando vires, demendo robur; diuitias (quæ diabolicæ, & mũdanæ militiæ commeatus sunt) minuẽdo. Peccator, enim liberè, & sensualiter viuendo nihil aliud quàm contra Deum militat, suummet auctorem infestis armis lacessens; sed Dei honorem tuetur, & propugnat afflictio, & calamitas; de quibus propterea benè dicitur Iob 15 ℣. 24 *Terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum, sicut regem, qui præparatur ad prælium*. His militibus obsidet Deus diuinæ eius maiestatis improbe reluctantium corpora; nam ibidem reddens Iob rationem, cur Deus eiusmodi militaribus operibus vtatur aduersus peccatores, statim subdit ℣. 25. *tetendit enim* (scilicet peccator; & nota particulam *enim*, quæ est causalis) *aduersus Deum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est. Cucurrit aduersus Deum erecto collo, & pingui ceruice armatus est.* Corporis milites, qui diabolo contra Deum militant, sunt v.g. pulchritudo, propter quã aliqui stultè elati, quàm fragilia sint eiusmodi arma immemores, ornatu etiã, & extrinseco fuco illã confirmare conati, quasi membra sua armant contra Deum; eidem alius opponit robur; per quod in aliena bona, vitam, & res per iniuriam grassatur; alium sanitas extollit, & arma luxuriæ contra Deum subministrat. Sed his militijs agmina sua opponit Deus, & pulchritudinem fœdat macie, & deformitate, robur imbecillitate frangit; ægritudine sanitatem debilitat, sicque

Margin notes: *Tribulationes Dei sunt milites.* — *Hieron. Greg. Chrys.* — *Quæstionarij, & tortores sunt tribulationes.* — *Senec.* — *Tribulatio præsidiaria.* — *Miles ab arcendo malum dictus.* — *Tribulatio tutela hominis.* — *Tribulatio pugnat pro Deo.* — *Iob.* — *Pulchritudo pugnat contra Deũ: itidem vitia reliqua.* — *Tribulatio acies contra vitia.*

infesta aduersantium sibi Dæmonum castra, armatis militariũ tribulationum turmis, expugnat, & sibi subijcit. Audi Sanct. Zenon. Episc. Veronens. serm. de Spirit. & Corpor. *An*, inquit, *eius* (idest corporis) *virtutem diligis? frangit, & subijcit illam quiuis dolor. an pulchritudinem? leuis, & commutabilis res est; & quæ febri, vel qualibet facillimè deleatur iniuria. ecce procuratores, & gubernatores eius* (corporis) *oculi, aliquo ictu extincti subsidunt; non ne cadauer est vnum? longum est ire per singula; ecce peremptorius aliquis morbus, totam machinam, lecto prosternit, ecce tempestas vndiq; mortis incumbit, non ne statim illa* (caro) *quæ erat domina voluptatum, fit præda morborum?* Hinc intellige, quod morbi, instar militum, deuictis membris corporis Deo rebellantibus, prædam tamquam triumphatores de illis agunt; & propterea benè *milites, & vltores Dei* appellantur; quorum vice in nostra Euangelica historia fungebatur Angelus, commouens aquã, & restituens sanitatem. Et lepidè infirmitatis flagellum (qua languidus hodiernus vexabatur) tempestati comparat dicens: *tempestas vndique mortis incumbit*; mala enim omnia in tempestate nauigantibus, decumbentibus insurgunt; timor, tremor, vitæ discrimen imminens bonorum proiectio; inter quę naturalia corporis ornamenta, dotes, vires, ac pulchritudo ipsa naturalis, & exculta, miserè deseritur.

S. Zeno.

Infirmitas tempestas est.

24 Propterea alibi obseruare licet, tunc maximè Deum affligere, quãdo vult sanare, tunc cõmouere aquã, quando sanatiuam illi impertiri vult virtutem. Psalm. 101. ℣. 23. *Respondit ei in via virtutis suæ.* quæ verba de benigna Domini nostri propensione ad exaudiendum exponens noster P. Agell. *respondit*, inquit, *ei Deus clamãti, & exaudiuit eum clamantem in via virtutis suæ.* quod autem in vulgata habetur: *respondit*, idest, exponente Agell. *exaudiuit*, Hebræi, quos secutus est Symmachus, vertunt *afflixit, eum*; ex qua lectionum varietate colligimus, idem esse apud Deum exaudire supplicantium, & clamantium vota, & preces, atq; affligere; & quòd Deus tunc exaudit cùm affligit. talis enim, ac tanta est connexio inter exauditionem Dei, & tribulationem, vt illud sit argumentum certissimum quòd Deus vult exaudire, quando affligit. Cito enim exaudit Deus quos corripit, nec permittit, vt Angelus moueat aquam, nisi quando vnus est sanandus; & in hoc sensu nomine *virtutis*, in allegatis verbis cùm dicitur: *respondit ei in via virtutis suæ; robur*, seù *constantia* in perferendis afflictionibus intelligi potest. ex mente Lyrani in exposit. huius loci. *Hic*, inquit, *consequenter describitur tribulatio fidelium &c. in via virtutis tuæ; idest patientia, quæ tunc erit maximè necessaria.* Quòd si per *viam virtutis*, ipsum animæ progressum in via mandatorum Dei, & sanctarum actionum intelligas; de qua etiã mentio fit Psalm. 118. ℣. 32. *viam mandatorum tuorum cucurri &c.* vt exposuit Dydimus; dicens: *fortiter, ac strenuè ambulantem per viam virtutis, ac probarum actionum &c.* benè huic Deus *respondet*, idest, hunc *exaudit*; deuotam enim diuino obsequio animam, gratijsque munitam Deus licentissimè consolatur. Placuit Sancto Augustino *viam virtutis*, esse *fidem* cui benè dicitur quòd Deus *respondet*, hoc est, *exaudit*, dicitur enim Iacob 1. ℣. 6. *postulet aũt in fide nihil hæsitans* fideique Cananeæ, Magdalenæ, Centurionis, & aliorum petita concedit. sed ego ad propositum nostrum crediderim, *viam virtutis* esse ipsas tribulationes, adeo vt possit esse sensus; *respondit ei in via virtutis*, idest, *exaudiuit eum in tribulationibus*. neque velim mirari quempiam, quòd *tribulationes* appellauerim *viam virtutis*; oportet enim meminisse, Hesiodum, à quo plures alij hoc desumpserunt, ita distinxisse *viam virtutis* à via volup-

Psalm.

Exaudit Deus cum affligit.

Lyran.

Psalm.

Dydim.

Via virtutis est fides, cui gratiæ conceduntur. Iacob.

Via virtutis est tribulatio q̃ vota impetrat.

Hesiod.

tatum

tatum, & vitiorum, quod ista lata sit, facilis, plana, & voluptuosa; illa arcta, difficilis, aspera, spinis, ac tribulis obsita, & dolorifica. Matth. 7. ℣. 13. 14. *arcta est via quæ ducit ad vitam*; per hanc viam incedit virtus, per hanc semitam Herculem deduxit apud Prodicum veterem Philosophum; per tribulationes enim & angustias euadere oportet ad optatum cacumen fælicitatis; eadem enim est *via virtutis*, & tribulationum; per hanc igitur viam ambulantibus, *Deus respondet*, quia tribulatos exaudit.

Matt.

25 Ex illis tot, tantisque tribulationum emolumentis, quæ enumerauimus, fieri crediderim, vt Angelici spiritus, nostrorum bonorum cupidi; non modo non tristentur, sed etiam summopere gestiant, ac lætentur, quando homines vident tribulatos; quando tamquam Dei ministri commouere debent aquam, & afflictionum vndas excitare, obseruo pro hac re pulcherrimum locum Apocal. 15. ℣. 6. vbi narratur quod septem Angeli egredientes ad flagellandum sunt præcincti: *& exierunt*, inquit, *Angeli septem, habentes septem plagas, de templo; vestiti lino mundo, & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis*. præter alia significata, quæ ipsa præcinctio importat, in scriptura, videtur esse signum lætitiæ, & ideo serui expectantes Dominum suũ reuersurum à nuptijs, iubentur præcing. Luc. 12. ℣. 35. *Sint lumbi vestri præcincti &c. & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando reuertatur à nuptijs*; vt hilares occurrant ex conuiuio redeunti, quod etiam ex vestium colore significatum fuisse sensit Viegas in Apocal. cap. 15. sect. 3. *non est*, inquit, *prætereundum quòd septem Angeli habentes phialas plenas iræ Dei, ad eas effundendas in terram, non lugubres, sed festiuas vestes induti, processerunt, quasi de hominum supplicijs, & calamitatibus lætantes*. Cùm igitur potius discingi in signum mæstitiæ, & pullas vestes induere deberent, vt commiserationem erga homines, quos affligere debebant, ostẽderent, Cur *præcinguntur?* cur *lino mundo, & candido* induuntur? Num gaudent de nostris malis? num lætantur quòd Deus nos affligat, & iræ suæ vasa super nos effundat? Imò lætantur de nostris bonis: norunt enim quòd ex tribulationibus omnia spiritualia bona oriuntur, per quas ad futuram gloriam tamquam lapides malleis, & ictibus expolimur; ideo ob multiplices istas vtilitates nobis quasi gratulabundi; quando egrediuntur ad flagellandum, præcinguntur zonis aureis; propter nimiam igitur charitatem, & amorem erga nos, hoc habitu ornantur dum tribulant, *significatur*, ait Viegas; *Angelos ex charitate ad puniendum procedere, quæ in ipsis zonis aureis circa pectora indicatur; verè enim pectora zonis aureis cingunt, cùm charitatis affectibus præcincti, suppliciorum plagas, ex phialis quoque aureis, ad nostram emendationem fundunt*. Et maiorem etiam præseferunt lætitiam lineis illis candidis vestibus, quas ex Valer. Maxim. lib. 1. cap. 1 lætitiæ signum fuisse alijsq; passim auctoribus constat. ideo Riber. ad hunc locum Apocalyp. *lino candido*, inquit, *& mundo vestiti apparent, vt gaudiũ Sanctorum de pœnis obstinatorum peccatorum indicent; albus enim color lætitiæ index est*. Hinc pende tribulationũ vtilitates, pro quibus Angeli Deo gratias agunt, lætantur, & exultant, id quod etiam vberius comprobant verba Sancti Andreæ Episc. Cæsar. Cappad. Comment. in cap. 15. Apocalyps. cap. 47. Tom. 1. Biblioth. Sanctorum Patr. *ex sacris*, ait, *oraculis intelligimus; intelligentes illas spiritalesq. virtutes, de illorum salute gaudere, festumque diem agere, qui per pœnitentiam conuertuntur; contristari vero & mærere de illorum perditione, qui rectam viam deserunt; ac gratias denique cælesti numini agere, de eorum punitione, qui diuina præcepta præuaricantur*; quo vel

Gaudent Angeli de nostris tribulationibus.

Apoc.

Præcinctio, signũ lætitiæ

Luc.

Vieg.

Festiuis vestibus induũtur Angeli tribulates

Vieg. Ex amore nos Angeli flagellant.

Lineæ vestes lætitiæ signũ. Valer. Max.

Riber.

Gaudent Angeli de pœnis nostris.

S. Andr. Cæs.

partem

partem diuinorum debitorum, per eiusmodi cruciatum, in hac mortali vita, persoluant &c. cuius etiam lætitiæ, illustre exemplum subdit, quod peccatoribus memoriæ assiduò mandandū esset. fertur, inquit, virum quendam, qui multis peccatis erat cōtaminatus, cùm in Ecclesiam ingrederetur, Angelum mæstum, planeque tristem a longè subsequi visum. Cùm autem ad pænitentiam compunctus, illi qui mysticam vult vitæ mutationem, priorisq. nequitiæ missionem ex animo promisisset, eaq. mente è templo denuo exiuisset, Angelum statim prodijsse lætumque, & exultantem ante ipsum ambulasse. videbat enim Angelus iste, quod homo qui prius languebat sanatus fuerat, ideo plaudebat, & gaudebat, & huius lætitiæ indicium erant vestes illæ albæ, quibus vestiti erant Angeli percussuri in Apocal. Vel vestiti lino mundo apparent, quia videntur sibi ad maiores honores ascendere quando homines tribulant: & illorum salutis per tribulationes causa sunt. Nam Romani veteres, honores petituri, candidati prodibant; ita Angeli candidati prodeunt, quando hominibus per tribulationes, honores, & summam fælicitatem sunt conciliaturi: & ideò Angelus iste lætus, festinus, ac festiuus, non cunctabundus, piger, aut segnis: sed *secundum tempus*, hoc est, statutis horis, momentisq; *descendebat in piscinam*, in qua infirmorum hominum sanatio, animorumq; exercenda erat curatio aquæ turbatione, quæ flagellorum præfigurabat missionem, vt exposuimus.


Honorari se putant Angeli cùm nos tribulant.

Postea inuenit eum Iesus in Templo.

Sacer text.

CAP. VIII.

Peccator conuersus, cautè se ipsum custodiat, & fugiat consortia hominum.

1 ICVT homo speciali Dei gratia indiget, vt à languore, & paralysi peccatorum curetur, ita sanitati redditus, debet ipse per se se, omni adhibita diligentia, propriæ salutis cōseruationi studere; nihil enim iuuat peccata dimisisse, nisi ea caueat per quæ iterum potest recidere. sensit hoc diuinæ beneficentiæ illustrante lumina languidus euangelicus, qui propterea post mirabilem suam sanationem, non in delicijs, & voluptatibus occupabatur, non vana, & mundana sectabatur; non Iudæorum, & Scribarum fallacibus se immiscuit conuentibus, vnde vitiorum nouas sordes potuisset contrahere; sed suimet ipsius custodiæ intentus, improborū consuetudinem, & exitiosa colloquia vitans, in templo commorabatur: *postea inuenit eum Iesus in Templo*. & obseruatione dignum est, quòd cùm in turba Iesum ignoraret, vnde interrogatus à popularibus: *quis est, qui dixit tibi, tolle grabatum tuum, & ambula*. dicitur, quòd ipse *ignorabat quis esset*. sed separatus à turba, in se ipsum secedens, fugiens in quinamēta, quæ ex improborum conuictu, facile recenter conuersis ad Deum iterum adhærēt, meruit conueniri à Iesu, & illum cognoscere. Egregiè hoc considerauit Beda hom. in hoc Euangel. *Quòd autem*, ait, *is qui sanatus est, Iesum, non in turba*

Frustra præterita emendantur, quæ non euitātur in porum.

Separatus ab hominibus, illuminatur.

Beda.

adhuc,

adhuc, sed post in templo cognoscit; mysticè nos instruit, vt si verè conditoris nostri gratiam cognoscere, si eius amore confirmari, si ad eius visionem peruenire desideramus; fugiamus sollicitè turbam, non solum turbantium nos cogitationum, affectuumque prauorum: verumetiam hominum nequam, qui nostra sinceritatis possent impedire propositum: vel mala videlicet exemplo suo demonstrando; vel bona nostra opera deridendo, aut etiam prohibendo. non poterat aptius moralis institutio huius Dominici, in Templo, cum languido, cógressus exprimi; ideo eidem expositioni subscripsit Ericus; & similia etiam habentur in Gloss. ordin. & in Caten. D. Thom. ex Alcui.

Malorũ hominum fugienda cõsuetudo

Ericus. Glos. ord. D. Thom.

2 Quod etiam luculenter exponens August. tract. 17. in Ioann. inuestigat rationem, cur in turba Iesum non viderit languidus, quem postea agnouit in Templo? *In turba*, inquit, *eum non vidit, in Templo vidit. Dominus quidem Iesus, & in turba eum videbat, & in templo; ille autem languidus, Iesum in turba non cognouit, in templo cognouit.* Mira vis prauæ conuersationis, ad hebetandam oculorum mentis aciem, & ad retundẽdum acumen, imo ad inducẽdam in animo cæcitatem; cum propter turbam malorum sociorum Deus, & Benefactor nõ cognoscatur; qui cum per suam diuinam prouidentiam vbiq; inueniatur, tamen circunstantium improborum multitudo facit, ne vbique à nobis cognoscatur; quod sensit optimè, & dixit ad hoc propositum Incert. sub nomin. Emiss. hom. in hoc Euangel. *vbique*, inquit, *est Iesus, sed non vbique cognoscitur: cognoscitur autem in templo, fugiamus igitur turbam, & simul cum Iesu declinemus à turba. eamus in templum; ibi nos inueniat; ibique à nobis inueniatur. ideo enim ipse ab hominum turba discessit: vt & nos à vitiorum turba discedere doceat.* duplici igitur exemplo, tum ipsius Saluatoris, qui consulto *declinauit à turba constituta in loco*, tum ipsius languidi in tẽplo commorãtis, satis instruimur, turbam, & conuenticula hominum, tamquam pernitiosa bonis moribus, esse diligenter fugienda; nam præter adductas alibi rationes propterea credibile est Saluatorem declinasse à turba, vt & nos similiter noxiorum conuentus fugientes, tutius in proposito seruiendi Deo perseueremus. quoniam vt ait Iuuenal. satyr. 2.

S. Aug.

In turba Iesum nõ agnouit languidus

Incert.

In templo inuenitur Iesus.

Vbi turba ibi vitia.

— dedit hanc contagio labem
Et dabit in plures: sicut grex totus in agris,
Vnius scabie cadit, & porrigine porci:
Vuaque conspecta liuorem ducit ab vua.

Iuuenal.

quod si vnius tantum gregalis animalis, cuncto gregi exitiale est contagiũ; multo magis improborum hominum, vitia sua consuetudine afficantium consuetudo, bonos inficere potest.

3 Et primum quidem nocet turba, quia in multitudine mutuum exẽplum ita peccata continuat, vt nullus quasi inueniatur peccandi exitus. pro quo adduco subtilẽ ponderationem verborum Psalm. 1. ℣. 1. *& in cathedra pestilentia non sedit:* paraphrastes Chald. legit; *& cum societate derisorũ nõ circuiuit.* sermo est de eo, qui cautè seruauit se sc. & custodiuit à prauo cõuictu; hunc primo tamquam beatum extollit Propheta: *beatus vir, qui non abijt in concilio impiorum*, & volens Dauid fructum ostendere, quem ex hac custodia sui percipit, subdit allegata à nobis verba: *& cum societate derisorum non circuiuit.* sed dubium est, quamobrem in vulg. dicatur: *non sedit*, apud Chald. *non circuiuit*, quæ duo valde sunt diuersa? Primo respõderi posset, quod peccator videtur sibi *sedere*, quietus esse, & stabilis, quia propter habituationem in peccatis, hoc sibi persuadet; quamuis misera illius & agitata vita, non sessio & quies, sed assidua quædam, *circuitio*, & erronea perambulatio verius iudicari de-

Nocet malũ exẽplum, & malorum conuersatio.

Psalm. Chald. Para.

Perpetuus labor, comes est peccati.

beat. Sed magis ad propositum nostrum secundo dicamus, quòd in vulgata lectione est solus, in singulari enim legitur: *in cathedra pestilentiæ non sedit.* ideo *sedere* dicitur, quia aliquando in se redit, & quiescit à peccando, quando verò est in *societate derisorum*, & peccatorum numquam *sedet*, sed assiduo *circuit*; est enim inquietorum, & instar diaboli semper peccantium circuire, vnde de diabolo dicitur 1. Petr. 5. ℣. 18. *circuit quærens quem deuoret.* Circuire est sine fine ire quia circuli nullus potest assignari finis; qui ergo in societate peccatorum circuit, nullum quasi peccandi finem inuenire nouit, & tamen cùm solus erat, *sedebat.* de his itaque merito dicitur Psalm. 11. ℣. 9. *in circuitu impij ambulant*; quasi nullum peccandi exitum inuenientes, adeo vt ab assiduè peccando non desistant, donec tādem se ipsos fatigatos diuturno hoc errore, & circuitione praua fateantur, cùm nullū inuenerint circularis, & improbæ viæ exitū. Sapient. 5. ℣. 7. *lassati sumus in via iniquitatis*, lassantur enim, non satiantur peccando. hanc expositionem probauit Vgo Carens. in verba illa Psalm. 11. *sicut*, inquit, *ille qui ambulat in circuitu; semper est quasi in principio motus sui, & semper habet ad ambulandum; ita impij in hoc peccatorum circulo circumacti, nullam requiem, nullum laborum, aut ambulandi finem inuenire possunt*: quia, scilicet, in societate circumeunt, & mutuis exemplis incitati numquam ab hac circulari ambulatione desistunt. Sic Sanct. Augustin. in Psalm. 139. *qui in girum it, nusquam finit; ipse est labor impiorum*, qui vt paraphrastes Chaldæus indicat, *numquam sedent, nusquam quiescūt, sed in societate derisorum circumeuntes assiduo peccant.*

Peccatorum conuersatio plura inducit scelera. — 1. Petr. — Psalm. — Sapient. — Qui cum impiis cōuersatꝰ numquā peccandi finē facit. Vgo. — S. Aug.

4 Et persistendo in eadem ambulandi metaphora, ad probandū, quod non solùm assiduè, & absq; termino, sed etiam grauius semper ob malas consuetudines peccare contingat, expēdo verba Iob 30. ℣. 12. *pedes meos*, inquit, *oppresserunt, & subuerterunt quasi fluctibus semitis suis.* loquitur is, qui propter consuetudinem cum impijs habitandi, in maxima animæ pericula incidit, is qui semitas peccatorum cum ijs consuescendo calcauit, & triuit. horum enim noxia conuersatio instar marinorum fluctuum, animæ nauiculam oppressit, & subuertit; vnde gloss. ibi: *Vita*, inquit, *prauorum insolenti inquietudine molesta, ad obruendam (vt ita dixerim) nauem cordis, quasi tempestas illabitur.* similitudo inde sumpta est, quia sicuti in tempestate post vnam vndam alia succedit, nec satis est vni resistere, cùm statim aliæ continuata serie superueniant; adeo vt quasi impossibile sit illas superare: ita prorsus, dum aliquis est solus, si vna praua cogitatio cœperit nauem mentis concutere, potest illi remedium aliquod opponere; sed in consuetudine malorū vni suggestioni alia succedit, superata vna tentatione alia ingeritur; adeo vt animæ nauiculam necessarium sit ad extremum subuerti, & opprimi ab eiusmodi assiduè ingruentibus tentationum fluctibus. Vnde Senec. de hac tempestate prauorum exemplorum quæ communicatione euitari penè non potest, sic locutus est epist. 7. vt significet vires eius furori ferendo esse imbecilles *adeo*, ait, *nemo nostrum, qui cum maxime concinnamus ingenium, ferre impetum vitiorum tam magno comitatu venientium potest.* sed melius ad propositum nostrum allegata verba legunt LXX. Interpr. *Viam fecit in me, semita perditionis eorum.* ex qua lectione clarissimè apparet quantos progressus faciat improbitas propter consuetudinem malorum. Pondera pro hoc duas illas voces *viam*, & *semita*; nam dicit, quod aliorum *semita* fecit in eo *viā perditionis*. *semita* est via arcta, & dicitur quasi semis iter, vt obseruant auctores linguæ Latinæ; quæ igitur erat *semita perditionis*, propter con-

Iob. — Impiorū cōsuetudo tempestas seri maris — Gloss. — Senec. — Septuag. — Pessimi exempli vis maxima.

uictum, & propter malum exemplum facta est latissima *via*, per quam effuso cursu ad perditionem properant peccatores. & sic *viam fecit in me semita perditionis eorum*; quasi dicat, semita mali exempli, quam mihi aperuerunt, & in qua mihi præiuerunt, viam latissimam mihi fecit ad eandem perditionem; semitam in me ignorabat peccatum; qua graderetur iniquitas in me non habebat: strauit semitam, viam aperuit prauorum hominum societas, vt malis omnibus in me pateret accessus, locus, & gressus.

5 Ea est vis bonæ institutionis, & educationis, vt hanc pleriq; vel solam satis esse iudicauerint, ad vitam optimè formandam: quod duorum geminorum canuum, varia tamen educatione institutorum exemplo docuit Lycurgus; & Hor. de primis huisce præceptis dicebat.

Horat.

Quo primum imbuta recens, seruabit odorem
Testa diù.

Optimam educationem, malum exemplum ...

& tamen huius etiam optimæ educationis fundamenta euertit, & subruit consuetudo impiorum, & bonæ institutionis salutaria præcepta demolitur. Exemplum eius rei clarissimum habemus in libb. Regum; nam cum Iosaphath Deo gratissimus fuisset, & legalium præceptorum sedulus obseruator, & in eadem etiam disciplina filios suos educasset, vt colligitur ex libris Paral. tamen Ioram filius eius natu maior in Regnum assumptus, neglecta optima illa institutione; prauorum exemplo, & noxia consuetudine deprauatus; non solum impie fratres suos occidit, sed alios etiam probos viros, qui eius iniquitates æquo animo tolerare non poterant, de medio sustulit. gaudebat enim amicitia, & commercio impiorum quorum amicitiam illi persuaserat pessima fæmina, filia Achab, quam in vxorem duxerat; de eo enim dicitur 2. Paralip. cap. 21. ℣. 6. *ambulauitque in vijs Regum Israel* (qui eo tempore erant

2. Paral.

Idolatræ, vt ait Lyran.) *sicut egerat domus Achab*. Quare magis adhæsit exemplis Achab soceri, quã Iosaphath patris sui? redditur immediatè ratio. *Filia quippe Achab erat vxor eius, & fecit malum in conspectu* Domini. in quibus verbis particula *&* stat expositiuè, pro *ideo*. Quia nimirum filia Achab erat vxor eius, quia cum hac pessimi Regis iniquissima sobole consuetudinem habuit, & cum ipso etiam Achab amicitiam, & affinitatem inijt, & cum eo conuersatus est, ideo fecit malum in conspectu Domini. expendit hoc idem Theodor. ibid. *Quanta*, inquit, *mala conciliauerit Achabi conciliatio: docent, quæ deinceps sequuntur, Ioram enim æmulatus est impietatem soceri sui: is & fratres suos omnes occidit, & per omne vitium, ac scelus est ingressus.* ad hoc propositum dixit optimè Menander, impossibile penè esse conuiuẽdo improbis, ab eorum vitijs liberum esse.

Quis, inquit, *moribus bene viuere*
queat in malis?

Quoniam enim, vt dicebat Seneca epist. 7. *facile transitur ad plures*; idest relictis proborum (qui pauci sunt) præclaris monitis, & exemplis, facile nobis est desciscere ad malos, & improbos; ideo Ioram post mortem patris ob assiduam consuetudinem cum improbis, cum quibus amicitiam, & affinitatem contraxerat, optimæ illi educationi renunciauit, & inter prauos mores, factus est pessimus.

6 Hoc idem penè sibi contigisse de se ipso testatur Isaias, qui ex conuictu peccatorum factum se illis persimilem profitetur cap. 6. ℣. 9. *Væ mihi, quia vir pollutus labijs ego sum*; per quæ verba blasphemias, & alia grauissima peccata significari tradit Lyran. & reddens huius rei rationem subiungit Propheta; *&* (pro *quia*) *in medio populi polluta labia habentis ego habito*. factus est blasphemus inter blasphemos; iuxta prouerbiũ: *claudus fit, qui claudo consuescit*, & Psalm. 17

℣.27. *cum peruerso peruerteris.* ita exponit adducta Isaiæ verba Hieronym. in Comm. reddens rationem, cur Prophetæ graue videatur cũ populo peccatore habitare. *Peccauit*, ait Hieronym. *non vitio suo: sed societate populi habentis polluta labia, cum quo loqui sæpissimè cogebatur. ex quo ostenditur noxium esse viuere cum peccatoribus: qui enim tetigerit picem inquinabitur ab ea, Eccle.* 13. Duo docet his verbis Hieronym. primum, quod ex solo improborum colloquio boni inficiũtur, & inquinantur: cum Isaias peccauerit cohabitando populo, *cum quo loqui sæpissimè cogebatur*; si igitur solo colloquio inquinant improbi, quid familiari si consuetudine, & assiduò conuictu? Ideo benè visus est sentire Isocrates, *optabile esse frontibus impiorum notas quasdam impressas esse, vt caueri possent.* Quemadmodum enim bobus cornupetis fænum in cornibus alligari solebat antiquitus, vt eo indicio obuij, & ignari admonerentur instantis periculi, vt ab eo cauerẽt; vnde factus est prouerbio locus: *fænum habet in cornu, longe fuge.* ita si improbi (qui cornibus iustos lacessunt, de quibus dicitur Psal. 74. ℣.11. *cornua peccatorum confringam*) iniquitatis suæ signa præseferrent, facilius, & vtilius euitari possent. Ideo inter cætera signa quibus ab alijs qui mundi erant internoscebantur leprosi, qui typum peccatorum gerebant in veteri lege; vnum illud fuit, quod capite nudato incedere debebant; ita enim præcipitur Leuit. 13. ℣.45. de leproso, *Habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum &c.* Quod ob hãc vnam causam cautũ voluit Theodor. ibid. quæst. 17. vt internosceretur. apparebãt enim in nudato capite morbi contagiosi signa. Alterum, quod in allegatis verbis docet Hieronym. est, noxium esse cum malis viuere.

Hieron.

Nocium esse cũ peccatoribus viuere.

Eccl.

Magna prauæ consuetudinis vis

Isocrat.

Adagium

Psalm.

Leuit.

Theod.

7 Quàm autem multiplicia, & grauia sint damna, quæ ex malorum consuetudine proueniunt, luculenter, & doctè prosequitur D. Cyprian. lib. de singul. Cleric. *Mala*, inquit, *conuersatio corruptionem seminat, cupiditatem concipit; ignominiam parit.* atque vtinam non innumera essent mala, quæ ab eadem proueniunt; subdit enim: *Rabiem concitat, porrigit furiam lasciuiam pascit, petulantiam nutrit, casus exaltat, ruinas ædificat, perditione gaudet, interitum fouet, confusionem mercatur, thesaurizat opprobrium, criminationes exaggerat, accusationes inflammat, & cateruatim in fasces glomerans numerosas indagines captionum per infinita dedecora simplices mentes inuehit in perniciem.* Hæc ille, ex quibus apparet quam latè pateat, & diffundatur perniciosum hoc malum.

D. Cypr.

Quæ mala oriantur ex praua consuetudine.

8 Propterea malorum consuetudinem exprobrauit Deus Iosaphat Regi Iudæ 2. Paralip. cap. 18. eo quod cum Regere Israel impio, & sacrilego ad bellũ progressus fuerat; ex qua societate duplex illi exitium contingit. primum ab hominum fraude, idest ipsius pseudamici fallacibus technis; alterum ob indignationem Dei. Quoniam enim improbi ineunda in cũ sinceris, & rectis hominibus amicitia, non illorum, sed suum tantummodò commodum, & vtilitatem spectant, ideo nequam ille Rex Israel, vt sibi vitæque suæ consuleret, non dubitauit Iosaphath, qui cum auxiliaribus copijs ad eum venerat in maximum vitæ discrimen adducere. Nam cum rescijsset, quod hostes contra se præsertim suãq. personam pessime animati erant, quibus (vt habetur allegati cap. 5. ℣.30.) ita edictum fuerat, *Rex autem Syriæ præceperat ducibus equitatus sui dicens; ne pugnetis contra minimum, & contra maximum; nisi contra solum Regem Israel*; ideo impendentem sibi ab hõrum armis perniciem volens euitare, mutata veste inter gregarios, & viliores milites ipse latuit; adeo vt omnis aduersariorum ira, & conatus contra Regem Iuda conuerterentur. itaque,

2. Paral.

Duplex ex impiorum societate damnum.

Suam impius nõ socij vtilitat quærit.

ait,

ait sac. text. *cum vidissent Principes equitatus Iosaphath; dixerunt Rex Israel est iste, & circumdederunt eum dimicantes*; adeo vt vix ex illo periculo sospes, cognita tandem fraude euaserit. Ex quo apparet quantopere cauere debeant qui simplici sunt corde ab improbis, qui malignè in amicorũ, & auxiliarium capita impendentem sibi ruinam regerunt, vt alieno exitio incolumitatem suam redimant.

9 Aliud damnum quod eidem Iosaphath Regi, hæc improbi viri amicitia, & societas attulit, fuit ab indignatione Dei. Cum enim per Prophetam resciuisset, minimè gratum futurũ Deo si in auxilium Achab iuisset, & cum eo conuersatus fuisset: ob præstitum illi militare auxilium meritã Dei indignationem incurrit; vnde Theodor. quæst. 65. in lib. 3. Reg. expendẽs illa verba 2. Paralip. cap. 18. ℣. 18. *ascenderunt Rex Israel, & Iosaphath Rex Iuda in Ramoth Galaad &c.* Cũ Achab, ait, *simul abijt Iosaphath, sua pietate faciens indigna, nam cum quæsisset Prophetam, & quid agendũ esset didicisset, pietati prætulit amicitiam, ex quo indignatus Dominus, ipsum puniuisset, nisi propter alias virtutes carus Deo fuisset.* Hoc eidem per Prophetam significauit Deus 2. Paral. cap. 19. ℣. 2. *Impio præbes auxilium, & qui oderunt Dominum amicitia iungeris; & idcirco iram quidem Domini merebaris, sed bona opera inuenta sunt in te &c.* propterea facile illi reconciliatus est Deus, & prolixa indulgentia ante acta pietatis opera compensauit; quamquam perpetratum peccatum obijcere non omisit, & quam graue in conspectu Diuinæ Maiestatis fuerit aperire: quod voluit Clemen. Roman. lib. 6. Cõstit. cap. 17. *Pœnitentes inquit, recipite Cathecumenos baptizatẽ, hæreticos ex fidelibus eijcite, præcipiteque fidelibus, vt ab eorum consuetudine modis omnibus abstineant; nam Iosaphath Deus exprobrat amicitiam cum Achab, & Ozia.* & propterea fortasse

Malorum amicitia Dei iram prouocat.

2. Paral.

Theod.

Bona opera Dei irã auertunt.

Clemen. Roman.

Aegyptij, vt refert Alexand. ab Alex. Dier. Genenial. lib. 6. cap. 14. & Diodor. Sicul. lib. 2. cap. 5. Cadauer illius, qui praue vixerat, in solitudine sepeliebant, vt etiam illius memoria aboleretur, nec vitiorum fœtor alios inficeret. & benè ita cautum voluerunt, nam cum extincto serpente eius etiam venenum extinguatur; contra noxia, & mortifera improborum exempla, etiam auctoribus extinctis nocent, & instar contagiosæ lues inficiunt; ideo etiam mortui à consuetudine aliorum submouendi sunt. Imò Deus ipse ineffabili sua prouidentia hominum saluti consulens, eiusmodi impuros homines de medio tollit, ne suo contagio cæteros noceant. Ita enim Plutar. de Sera Numin. Vindic. *Deus, inquit, quod immedicabile esse cognoscit confestim rescindit, ex vitaque delet: tamquam alijs assiduè cum malitia versari sit nociuum, ipsi verò deterrimum*: præstat enim vnius membri iactura totius corporis incolumitati consulere, vt hoc pacto diabolicis artibus occurratur, qui improbos diutius vellet probis conuersari.

10 Vtitur enim diabolus malis hominibus in conuictu proborũ tamquam instrumentis ad peragenda ea, quæ alioquin in illorum perniciem non potest perficere. adinuenta sunt artium instrumenta, vt per ea multa compleantur, quæ sine ipsis vel non possent, vel saltem non ita promptè perfici. ita ergo diabolus, quoniam plerumq. iustorum ruinam omnibus alijs artibus nequicquam molitur, adhibitis consuetudinibus quacumque libuerit peruadit, & quicquid destinauit, assequitur. Ita Euam quam per se ipsam seducere non poterat, per serpentem tentauit, & vicit, & primũ parentem mediante Eua præuaricari curauit. cur enim non ipsemet Euam est aggressus? nimirum diffidebat viribus, & facilius hoc adhibito instrumẽto, humani generis exitium successurũ sperabat: ideo D. August. c. 28.

28. in Genes. *Notandum*, ait, *quod non diabolus est permissus fœminam tentare; nec virum nisi per fœminam; serpente enim velut organo vius est, mouens naturam eius ad exprimendos sonos verborum, & signa quibus suam mostraret voluntatem*. non potest diabolus, seù non audet pessimam suam voluntatem quandoque hominibus reuelare per se se; ideo prauis hominibus tamquam instrumentis ad hoc vtitur, quos in societatem iustorum curat adsciscì, vt sic istis tutius ruinam machinetur.

11 Expertus hoc fuit Petrus Apostolus, qui etiam si fidei constantiam seruaturum se se professus fuisset in Cæna Matth. 26. ℣. 35. *etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo*; cuius erga præceptorem beneuolæ propensionis specimen ediderat percutiens seruum Principis sacerdotum: tamen hunc alioquin insuperabilem adhibitis improbæ conuersationis machinis deiecit diabolus; tunc scilicet cũ Petrus ingressus in atriũ Principis sacerdotum, vt hybernæ noctis incommoda, quia frigus erat, perfidis Iudęis immixtus, inter improbos versaretur: eorum opera ad negandum Christum inductus, perfidiæ Iudaicæ maculam contraxit. Huc respexit Gloss. Luc. 22. exponens illud ℣. 15. *accenso autem igne in medio atrij &c.* ait: *hoc frigore ad horam torpens Petrus, quasi prunis ministrorum calefieri cupiebat: quia temporalis commodi solatium perfidorum societate quærebat*. hac igitur perfidorum societate tamquam istrumento vsus diabolus Petrum perfidum ad tempus reddidit; & ideo benè isti, *socij* appellantur à gloss. & Matth. 26. ℣. 58. dicuntur *ministri: sedebat cum ministris, vt videret finem*; quia scilicet ijs vtitur diabolus in bonorum perniciem; ij adiuuant, & vrgent damna eorum, qui illis miscentur. & ideo Petrus, quousque inter eiusmodi ministros est versatus, non potuit contractam ab eorum commercio maculam abluere; quam ab ijs digressus, illico expurgauit; ideo dicitur Matth. 26. ℣. 35. *& egressus foras fleuit amare*. vbi considerat Gloss. quod *ab impiorum cõcilio seiunctus, culpam lauit, quod non intus*. quasi enim prohibebatur, nec inter improbos poterat esse probus, iuxta illud Menandri.

Consortium improbi te reddet improbum.

cum istis enim versari sine peccati reatu, ad modũ difficile est; eo quod exemplo suo quasi moueant ad peccandum.

12 Certi sunt, in his inferioribus effectus, qui ex varijs Lunæ mutationibus proueniunt, & tamen etiam compertum est alia astra esse in influxu, Luna ipsa potiora; cur tamen euidentius mutationes à Luna prouenientes appareant docuit Plinius lib. 18. cap. 5. *Luna*, ait, *præcipuè mouet inferiora, non quod efficacior, sed quia propior*. pariter quamuis formosæ mulieris, (quæ instar Veneris est) adspectus efficax sit ad persuadendum homini inhonesta, & trucis Martis iracundia ad vindictam alliciat, tamen si hæc sidera absint, si eiusmodi hominum congressus vitentur inefficaciter mouent. Sed Luna, idest minora etiã incentiua vitiorum propius admota, propter vicinitatem, plurimum habẽt momenti ad seducenda hominũ corda; improbi enim sunt similes Lunæ de quibus dicitur Eccli 27. ℣. 12. *stultus in Luna mutatur*; horum consuetudo non solum propter vicinitatem, sed etiam propter efficaciam ob deprauatam nostram naturam multum valet ad alios deprauandos, & ad imitandã eorum exempla, ideo Prouerb. 1. ℣. 10. monet Sapiens *Fili mi si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis*; & propterea etiam Senec. vitandam conuersationem multorum suadet epist. 7. *Nemo enim nõ*, ait, *aliquod nobis vitium, aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit*; & propter prauam nostram propensionem

Matth.
Improborum societas Petrũ ad negandum induxit
Gloss.
Matth.
Matth.
Gloss. Petrus se paratus à Iudæis fleuit amare.
Menand.
Luna efficacius mouet quia propior; Ita impiorum conuersatio.
Plin.
Eccl.
Prouerb.
Senec.

pensionem allinendo inficit.

13 Et quod isti persuasores ad malum, qui probos perdere curant, sint ministri diaboli, demostratur præterea ex ijs, quæ narrantur Matth. 12. cum Iesus prædicationi intentus esset; diabolus, qui aliter non poterat bonū illud opus impedire, eiusmodi ministrum adhibuit; qui dixit illi ℣. 47. *ecce mater tua, & fratres tui foris stant.* quæ verba exponens Auct. Imperfect. hunc importunè loquentem, appellat aduocatum diaboli. *Venit*, inquit, *aliquis diaboli aduocatus, qui humano ore diabolica verba loqueretur, dicens: ecce mater tua &c.* Quemadmodum, qui causam propriam per se tueri nesciūt, ac ad Iudices aditum habere nequeūt, aduocatos adhibent, qui illis patrocinentur. ita diabolus hoc maligno homine tamquam aduocato vsus, bonum opus quod ipse impedire non poterat, perturbare contendit.

Matth. Impij diaboli sunt ministri.

Imperf.

Peccator diaboli aduocatus

14 Singulare exemplum huius fugæ, & segregationis, qua ab impijs vltro recedunt iusti, habemus in veteri testamento Tob. cap. 1. ℣. 5. vbi inter cæteras laudes, quas Spiritus sanctus iusto illi, & probo viro tribuit, potissima illa est; quod multitudinem peccatorum, & eorum commercium, diligentissimè declinabat; ex quo fiebat, vt alijs ad peccandum, quasi facto agmine confluentibus, ipse solus bonis operibus vacaret, *denique*, ait tex. *cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat, hic solus fugiebat consortia omnium.* merito in hac recensēda laudabili actione vtitur particula *denique*; quasi in iuuenili illa ætate, quam tunc agebat Tobias, hoc sit fastigium laudis, & cumulus studiosarum omnium actionum, vtimur enim particula, *denique* cum alijs pluribus rebus enumeratis, id quod omnium instar est, recēsemus; ideo summa fuit Tobiæ laus, quod improborum consortia tam cautè vitaret. pondera etiā, quod *fugibat consortia omnium*, & *solus* esse mal ebat; necubi posset propter consuetudinem improborum impingere.

Tob.

Laudatur Tobias ex fuga malorum hominum

15 Nec est quod mireris, quia omnes fugeret, quia si vnus tantum improbus sufficit ad deprauandam animam, certè vnus contra omnes stare nullo modo poterit: *si vnum exemplum, aut Luxuriæ*, (ait Senec. epist. 7.) *aut auaritiæ multum mali fecit; si vicinus diues cupiditatem irritat; si malignus comes candido, & simplici rubiginem suam affricuit: quid tu accidere his putas, in quos publicè factus est impetus?* ergo omnes merito fugiebat Tobias, quasi imparem se ad resistendum omnibus fateretur, & securius ab omnium contagio ageret. & quoniam hostium omnium congressum declinare solemus; ita, cum (auctore eodem Seneca) *inimica sit multorum conuersatio*, hos tamquam hostes auersabatur. Imo quia vt subdit idem Senec. *Quo maior est populus cui commiscemur, hoc periculi plus* est, ideo maius periculum magis vitans omnimoda fuga, ab omnium se contagio vindicabat.

Senec. Multorum exēplum magis nocet.

Senec.

16 Quam etiam fugam ab omnibus vtilem sibi, & maximè salutarem fuisse ostendit Dauid Psal. 140. ℣. 10. vbi postquam mostrauit diligentiam, & custodiam, qua se ipsum conseruauerat ab improborum consuetudine dicens ℣. 19. *custodiui me à laqueo, quem statuerunt mihi, & à scandalis operantium iniquitatem.* volens iam ostendere modum, & cautelam qua sospes euaserat tot peccatoribus in errores deuiantibus; hoc secessui, & segregationi ab omni turba impiorū, & à mala consuetudine illorū tribuit. *in retiaculo cadent peccatores; singulariter sum ego donec transeam.* fugiebat alios, solus, & singularis, sibi & rebus diuinis vacabat. de hac .n. separatione ab impijs, & eorū conuictu hæc verba exponēda esse ex Hilario, Arnobio, & Chrysost. refert Lorin. ad hūc locum. *singulariter* transiuit Dauid, & Tobias *solus*, bene dicebat Senec. epist. 49.

Psalm.

Dauid quia separatur à peccatoribus, diuinis rebus vacabat

Hilar. Arnob. Chrys. Lorin. Senec.

quod

quod ideo in singulis vitia populorum sunt, quia illa populus dedit, ideo fugiebant omnes, & singulariter viuere malebant, ne à singulis pollueretur. Neq. tamen hæc improborum fuga solitudo dici potest, etiam si quis propterea omnes fugere cogatur, nam pro humanis Angelica succedunt consortia. S.Chrysost.hom.1.in Marc. extat.t.2. de Ioanne, qui perinde ac Tobias solus fugerat omnium consortia, & Ciuium turmas. *Fuit*, inquit, *Ioannes in deserto; felix ista conuersatio, despicere homines, Angelos quærere, vrbes deserere, & in solitudine inuenire Christum.* quemadmodum etiam illum agnouit languidus noster Euangelicus in templo; *quamuis enim sit vbique non tamen vbique inuenitur*, vt dicebat Augustin.

Solitarijs pro humanis Angelica succedunt consortia. S.Chrys.

Aug.

17 Et quemadmodum cum Ethnicis, & alienigenis consuetudinem habere vetitum fuit Iudæis, ita omnibus iustè viuere volentibus impiorum, & multitudinis consortia esse fugienda monuit Salom. Prouerb.21.℣.8. *peruersa via viri*, inquit, *aliena est.* legit Chaldæus ad rem nostram: *qui peruertit viam alterius, extraneus.* obseruat Salazar. ad hũc locum, quod *extraneus*, in Hebraico Idiomate, accipitur pro *ethnico* peccatore, & seductore; ita Psalm.68. ℣ 9 *extraneus factus sum fratribus meis &c.* idest pro *extraneo*, & peccatore reputatus; & eorundem Prouerb.cap.7.℣.5. *custodi te à muliere extranea*. Hoc supposito significauit sapiens allegatis verbis, quod *via*, idest societas, communio, commercium, peruersorum *aliena* est, seu *extranea*; ita scilicet vitanda, sicuti lex, & instituta Iudæorum præcipiunt abstinendum esse à consuetudine extraneorum. *docet*, inquit Salaz. *Salomon improborum societatem tanta religione homini vitandam esse, quam ipsi Hebræi tunc temporis ab ethnicis, & immundis hominibus abstinebant, ne ex illorum consortio sordescerent.* Quo etiam sensu interpretatur idem Salaz. verba illa Prouerb.14.℣.7. *Vade contra virum stultum*, quasi dicat, discede, recede, seiungere à viro stulto, & improbo. *stulti hominis*, inquit, *consortium, & colloquium vitandum esse docet*. Quod sedulo obseruauit Paulus Actor.19.℣.9. cum enim plerique improbi, fidelibus immiscerentur; prouide *discedens*, ait tex. *ab eis segregauit discipulos.* & scribens ad Timoth.epist.2.cap.4.℣.14. inter cætera vnius etiam improbi consortium illi interdicit. *Alexander Aerarius, multa mala mihi ostendit, reddat illi Dominus opera eius; quem & tu deuita.* Latent enim vitia quorundam, nec nisi consuetudine emergunt; tunc apparent, tunc nocent; & qui prius innoxij esse videbantur, conuictu virus suum communicant; vt pyrites gemma non aperit vim igneam nisi atteras, tunc enim digitos adurit: ita quorundam malitiam non senties, nisi cum illis cõsuetudinem, aut commercium habueris. Hi autem diligentius cauẽdi sunt, ne quemadmodum occultus ignis ita serpit, vt deinde auctus nullatenus extingui possit: ita vitia istorum paulatim adeo in nobis flammam peccatorum augeant, vt nulla deinde tempestiua adhiberi possint remedia. Sicut enim vicini domo ardente, curamus incendium extingui, ne nostris ædibus noceat: non secus vicinorum, & eorum cum quibus viuimus vitiorum incendia nisi restincta fuerint nobis nocebunt.

Prouerb. Chald. Salaz. Extraneus idẽ est, ac ethnicus. Psalm. Prouerb. Vt Ethnicorum, ita impiorũ vitanda societas. Salaz. Prouerb. Act. Ad Timoth. Pulchra similitudo

18 Expressit vicinorum, & conuictorum imparium dãna Alciat. alia adhibita similitudine, emblemate elegantissimo, cui titulum præfixit ex Plauti Mercatore *Aliquid mali propter vicinum malum.* Apologum finxisse creditur Aesopus, duarũ ollarum inter æstuantis torrentis vndas fluitantium, quarum vna fictilis, altera erat ænea. & cum hæc ab illa petijsset, vt simul iunctæ irent, quo facilius rapidi torrentis impetum sustinerent; sibi cauens fictilis, fragilitatem suam noluit

Impiorũ consuetudo semper mala.

duri-

Alciat.

duritiei æneæ credere, nec ausa est impari comiti confidere. Embl. 166.

Raptabat torrēs ollas, quarum vna metallo;
Altera, erat figuli, terrea, facta manu.
Hanc igitur rogat illa, velit sibi proxima ferri
Iuncta, vt præcipites vtraque sistat aquas.
Cui lutea, haud nobis tua sunt commercia curæ
Ne mihi proximitas hæc mala multa ferat.
Nam seu te nobis, seu nos tibi iunxerit vnda.
Ipsa ego, te fragilis sospite, sola terar:

Quam fabellam, quamuis Alciati cōmentatores ad dispares amicitias, & conuictum eorum, qui fortunis sunt inæquales, referant: tamen ad propositū ita apposité accomodari potest. Nemo enim nescit, quod homines in hac vita veluti quodam aquarum torrenti abripimur: cuius vndæ nunc fortunæ lætis successibus intumescunt, nunc fortuna deserente deficiunt: iactantur in his vitæ æstuantis alternantibus vndis boni pariter & mali, illi norunt se fragiles, & quod in vasis fictilibus pretiosa continent; improbi verò ænei, & ex duriori metallo compacti, quia diuinorum mandatorum, & inspirationum ictibus semper resistunt. sed isti, quo facilius, & securius rebus suis cōsulāt, solēt bonorū cōsuetudinē expetere (vt supra de Ioram Rege diximus) à quibus si probi caueant, multa ea mala vitabunt, quæ ab eorum commercio sibi imminent. sicut enim brassicam, aiunt, propè vitem satam, eius vim prolificam extinguere, & enecare; ita ex consuetudine, & vicinitate improborum extinguitur in bonis desideriū, & ardor seruiendi Deo, exercendi bona opera, & fructus pænitentiæ faciendi.

Extinguit virtutes malorum conuersatio.

19 Adeo itaq; placet Deo quod iusti fugiant improbos, vt nisi sedulo hoc faciant, iisdem pænis vtrosque puniat. ita colligitur ex Numer. cap. 26. ℣. 25. vbi dicitur, quod *surrexit Moyses, & abijt ad Dathan, & Abiron, & sequentibus eum senioribus Israel dixit ad turbam; recedite à tabernaculo hominum impiorum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent; ne inuoluamini peccatis eorum*: Hoc de separatione ab improbis intelligitur, quorū sicuti vitæ, ita etiam pænæ consortes fiunt ij, qui illis conuersantur, vnde clarius postrema verba legit D. Cyprian. epist. 72. *ne simul pereatis in peccatis eorum*. quod sæpius in veteri testamento Deus minatus fuit. Ierem. 50. ℣. 8. *Fugite de medio Babylonis, & de terra Chaldæorum egredimini*; & in Apocal. cap. 18. ℣. 4. hoc expressè præcipitur. cū enim Angelus multa mala contra Babylonem, idest, congregationes, & conuentus impiorum prædixisset, subdidit: *exite de illa populus meus, ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipietis*. qui itaq; de Babylone, & consuetudine peccantium non egreditur, nō effugiet instantes reprobis plagas. ad ꝙ etiam Corinthios hortabatur Apostol. epist. 2. cap. 6. ℣. 14. *nolite*, inquit, *iugum ducere cū infidelibus; quæ enim participatio iustitiæ, cum iniquitate; aut quæ societas luci ad tenebras?* ducta est similitudo ab animalibus, quæ eidem iugo subijciuntur, vnde hæc Hieronym. de coniugio matrimoniali interpretatur. sed Chrysost. Ambros. Theophyl. placet hæc intelligi de cætibus, & commercijs cum infidelibus. Quemadmodum igitur qui eidem oneri ferendo subiugantur, si impares sint, tunc imbecillior succumbit, vt si idem iugum subeant bos, & equus; ita etiam mores iustorum præ imbecillitate nostræ naturæ, ab improbis conuictoribus deprimuntur. Ita Aegyptij Israelitis cohabitatoribus suis, plurimum malo exemplo nocuerunt, & peccatis pluribus eos implicarunt,

Num.

Ni prauorum fugias societatem, eadem pæna plecteris.

Cyprian.

Ierem.

Apoc.

Chor.

Hieron. Chryso st. Ambr. Theoph.

Maior vis malorum, quàm bonorum ad suadēdum

Diodor. *Exod.* quod acutè obseruauit Diodor. in Caten. græc. expendens illa verba Exod. 20. ℣. 5. *Ego sum Deus tuus fortis zelotes, vindicans iniquitatem patrum in filios*; affirmat enim peccata patrum (quos aliena regio, & conuictus peccatorum criminibus maculauerat) punienda à Deo in filijs ex Aegypto egressis. *quasi dicat*, ait Diodor. *idololatræ fuistis in Aegypto contagione eius gentis; nunc vero longe ab eorum superstitione seiuncti; si cultum Dei rursus transferatis ad creata, vestrorum parentũ reatus superinducam vobis*. adeo vt populi in Aegypto peccantis crimina, contagio tantum, & conuictui impiorum visus sit Deus tribuere.

20 Et ideo non solum omnium improborum, sed etiam eorum qui affinitate nobis coniuncti sunt (si sint eius modi) vitandam esse familiaritatem vult Deus; neque enim materialem manum, aut pedem iussit nos abscindere Dominus dum dixit Marc. 9. ℣. 42. *si scandalizauerit te manus tua abscinde illam*. & ℣. 43. *& si pes tuus scandalizauerit te, amputa illum*, alioquin enim, quoniã necesse est, vt eueniant scandala, maxima fidelium pars mutili esse deberent; sed per membra corporis, vel affines intelligũtur, quibus sanguinis, & carnis vinculo iungimur, vel proximi; quorum omnium, (si improbi sint) commercia vitanda esse, illo manuum, & pedum exemplo docuit. ad exaggerandum autem rei necessitatem, ex præcipuis membris exemplum desumpsit. ita hunc locum explicat egregie ad hoc propositum Victor Antioch. tom. 1. Biblioth. SS. Patr. *non de corporis membris hoc tradit*, inquit, *sed de amicis: si quidem hos necessariorum loco habemus. nihil enim æque exitiale: nihil æque noxium est, atque prauorum hominum consuetudo. nam quicquid vis aut necessitas potest, hoc ipsum quoque amicitia, & familiaritas: idcirco Dominus magna cũ seueritate illos omnes abscindere amissosq; facere iubet, qui animos nostros lædere, pestemque aliquam spiritalem illis affricare nati sunt*. sæpius contingit, vt propter incolumitatem totius corporis, aliquod membrum tabificum recidendum sit; cur ergo ad sanitatem, & saluationem animæ, quæ longè corpori præstat; nõ sustinebimus separari ab ijs, qui vitia (pestes animorum) cõmunicare possunt? *Porro* (subdit idem Victor) *vt grauia illis interminatur, qui scandalum offerunt; ita eos, qui ex aliorum consortio facile offendi, aut lædi poterant, grauiter admonet, vt studiose eos omnes deuitent, diligenterque obseruent, qui scandala seminare soliti sunt, etiam si sint familiarissimi, summaque necessitudine coniuncti*, nã & si talium abscisio membrorum trũcationem æmulatur, tamen satius est hanc pœnam tolerare, quam ex eorum commercio periculum æternæ damnationis adire.

Improbi, etiam si affinitate nobis coniuncti, sunt fugiendi. *Marc.* *Victor Antioch.* *Idem.* *Scandalosi vitandi.*

21 Quare Abacuc Propheta, cũ speciali Dei fauore, & priuilegio inopinato seruatus fuisset, vnde dicebat cap. 3. ℣. 1. *audiui auditum tuum, & timui*: per quæ verba vt dicit S. Petr. Chrysol. *adoptatum se tunc stupuit in filium, quando perdiderat ipsius fiduciã seruitutis*; ne postmodum in ante acta crimina imprudenter relaberetur omnem in sui custodia, in fugiendis prauorum consortijs, diligentiam, & sedulitatem posuit. ita enim exponit illa. eiusdem cap. ℣. 16. verba ibidem Chrysol. *audiui, & cõturbatus est venter meus*, quæ LXX. Interpr. sic reddũt *custodiui, & expauit venter meus. postquam*, inquit, *diuini muneris senserat largitatem custodiuit se: fit vigilantior, fit solicitior sui custos, qui & post tantæ rei iacturam cælestem thesaurum in vasis fictilibus custodiuit*. Cuius exemplum imitatus etiam languidus, cælestis benignitate medici restitutus sanitati, sollicitus, & cautus sui custos; vitiosorum conuersationem auersatus, animæ saluti consulẽs, in templum secesserat.

Abac. *S. Chrys.* *Abacuc diligentissimè proximorum consortia deuitat.* *S. Chry.* *Sept.*

22 Damna, quæ ex improborum

societate proueniunt, significata etiã fuerunt Ezech. 1. ℣. 10. vbi in descriptione admirabilis illius currus dicitur: *similitudo autem vultus eorum facies Hominis, & facies Leonis, à dextris ipsorum quatuor, facies autem Bouis à sinistris ipsorũ quatuor, & facies Aquilæ desuper ipsorum quatuor.* de his animalibus præ cæteris narratur, quòd *ibant, & reuertebãtur in similitudinem fulguris coruscantis.* duo ex his animalibus erant corporea mole tarda, nimirũ *Homo* & multo magis *Bos*, qui ex Hesichio super Leuit. propter suã tarditatem, est signum lentæ pigritiæ. mirum igitur est, quomodo hæc animalia, non obstante insita tarditate, velocitatem fulguris imitarentur; adeo vt dicat Propheta, quod ibant, & reuertebantur in similitudinem fulguris? Ratio est: quia Aquilæ velocissimæ præpetis, & ignis, in quo versabantur, volubili leuitate incitata citissimè ferebantur: *visio discurrens in medio animaliũ, ignis, & de igne fulgur egrediens, & animalia ibant in similitudinem fulguris corruscantis.* igitur animalia hæc versabantur in igne, cuius est summa in motu celeritas; consuetudinem habebant cum fulgure; ideo à naturali sua tarditate non retardata, fulguris velocitatem æmulabantur. Ita etiã si ignis, & fulgur, in quo quis versatur sit diuinæ charitatis ardore feruidus, ad optima incitat, & ad alta trahit: contra si sit inhonestus, & cupidineus (ab improborum hominum consortio accensus) etiam ad peccandum facit velocissimos; ad quod alludunt verba Scholastis (quẽ citat Villalpan) exponentis illud: *ibant, & reuertebantur*; *huc illuc*, ait, *agebantur, quia cum concordia cuncta perficiunt*; vbi plures coeunt concordes ad mala peragenda, etiam si ad bonum quis conuersus, proposuerit non reuerti ad malum, tamen quasi coactus viam rectitudinis deserit.

Ezec. — *Illustratur Ezech.* — *Inferiora, superiora æmulãtur, & imitantur.* — *Exempli quanta sit efficacitas.* — *Scholiast.* — *Reuertitur ad malum quod omiserat, qui prauis consuescit.*

23 Est præsertim aduertendum, quod hæc eadem animalia sunt, de quibus ibidem ℣. 12. dicit Propheta: *vnumquodque coram facie sua ambulabat*, quo loco Interlin. ait: *semper sibi præsens semper dijudicans, quid boni, quid mali, in quo crescat, in quo decrescat.* cautè enim *incedebant coram facie sua*, idest, cùm non auocabantur à sociorum exemplo; tũc spiritus Dei erat in illis, illi famulabantur, eius iussa implebant: *vbi erat spiritus*, subdit Propheta: *illuc ferebantur.* à bono exemplo admonita, *non reuertebantur ad mala* (vt vult Interlin.) *cùm ambularent*; hoc enim de profectu virtutum intelligendum. sed cum alijs admiscebantur, alterno exemplo didicerunt reuerti, & à virtutibus quasi deficere; ideo subditur ℣. 14. *& animalia ibant, & reuertebantur.* quæ prius non reuertebantur, postmodum reuertuntur, quia prauorum exemplis, pigra tarditas, fit velocissima, & præsertim ad peccandum.

24 Pro quo etiã adnoto locum Matth. 25. ℣. 32. In quo conuocatis ad extremum iudicium cunctis hominibus, dicitur, quod magnus ille Iudex probos à reprobis segregabit: *& separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hædis, & statuet oues quidem à dextris, hædos autẽ à sinistris.* Certum est quod paulo post per decretoriam, & irreuocabilem supremi Iudicis sententiam sunt in æternum separandi, his quidem electis cælum, reprobis verò inferos petituris; quid igitur opus erat illos in iudicio segregare? existimarunt plerique hanc separationem non futuram esse realem; sed per operationem intellectus, cùm scilicet vtrique vel gloriæ, vel gehennæ adiudicatos se se intelligent. sed Abulens. in cap. 25. Matth. quæst. 303. sustinet hanc segregationem futuram esse realem; ideo D. Thom. ibidem in Caten. dicit quod illos *segregabit etiam situ*; quod clarius dicitur eiusdem Matth. 13. ℣. 49. *exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum.* Nouit Deus quàm infesta

Interlin. — *Qui solitarij benè viuunt, cum improbis peruertuntur.* — *Interlin.* — *Matth.* — *Realis erit separatio iustorum à reprobis.* — *Abulens. D. Thom.* — *Matth.*

Sanctos ne minimo quidem tempore permittit improbis misceri Deus

sit bonis malorum conuersatio; quam obnoxia horum malitiæ illorum pura simplicitas, ideo etiam in actu iudicij, etiam instante vltima separatione, vtrosque segregat, nec simul esse patitur, ne vel minimo temporis momẽto, improborum consortium (si possibile foret) iustorum puritatem inficere queat, etiam si in cospectu tremendi illius Iudicij electi, & reprobi ponendi sint, & in comspectu irati Iudicis sedentis in Maiestate, in conspectu Angelorum omnium sistendi.

Sacer text.

Erat dies festus &c.

CAP. IX.

Colliguntur fragmenta ex Euangelio.

Cyrill.

1 Ene dixit S. Cyrill. in exposit. huius Euangelij, quod Iesus, summa patris cælestis sapientia, in omnibus suis factis, & dictis *temporis, & loci* opportunitatem captauit; ideo sanaturus languidum, & mirabile benignitatis, ac clementiæ suæ specimen editurus, tempus celebre diei festi elegit. Sit hoc nobis documento, quod quamuis semper erga Deum deuoti; beneficia ab eo quotidie implorare possimus, hoc tamen diebus festiuis & solẽnib. fructuosius facere possumus, in quibus Deus, quasi laxata manu, munera sua munificentius dispensat. Hos n. dies videtur Deus reseruare, in quibus hominũ opem implorantium, & vota nuncupantium, supplices libellos subsignet. Obseruemus hoc etiam in festis veteris synagogæ, quæ erant typus nostrarum celebritatum. Sabbato enim largiora in populum collata beneficia legimus Exod. 16. ℣. 29.

Diebus festis fructuosius Deus exoratur.

Exod.

Videte quod Dominus dederit vobis Sabbatum (idest diem festum, ad vacandum rebus diuinis, & preces maiestati suæ prolixius offerendas) *& propter hoc, die sexta tribuit vobis cibos duplices*. quibus verbis; visum est aliquibus significari, quod, quamuis Iudæi die sexta tantundem mannæ colligerent, sicut alijs diebus, illam tamen Deus miraculosè duplicabat: quod nobis indicio esse potest, multiplicandas, & augendas fore gratias, pro quibus diebus festis rogauerimus. Quam autem vberes sint fructus, qui promittuntur, & redduntur ijs, qui dies festos sanctificant, & in ijs onera peccatorum, ne dum non portant, sed etiam penitus deponunt, habetur Ierem. cap. 17 ℣. 21. Si *audieritis me, dicit Dominus, & non inferatis onera per portas Ciuitatis huius in die Sabbati, & si sanctificaueritis diem Sabbati, ne faciatis in eo omne opus* (seruile, & flagitiosum) *ingredientur per portas Ciuitatis huius Reges, & Principes sedentes super solium Dauid & ascendentes in curribus* &c. quasi velit nullam non gratiam, & fauorem ijs communicandum, qui leues, & expediti ab onere peccatorum, in solennibus celebritatibus Deo se sistunt, beneficia petituri.

Duplicata mãnæ portio fructus festiuæ orationis.

Ierem.

2 Ex his etiam Euangelistæ verbis discimus, consueuisse Dominum Iesũ interesse celebritatibus Iudaicis, & ad eos celebrandas in Ierusalem ascendisse, vt fideles suos instrueret, diebus festis, reliqua omnia negocia diuino cultui esse postponenda; huic tantum, animarum saluti, & ignorantium eruditioni vacandum. Sanct. Chrysost. homil. 35. in Ioan. *frequenter in solemnitatibus Ciuitatem petit, tum vt videretur ipse præ reliquis festos dies celebrare; tum vt simplicium ad se multitudinem alliceret, melius enim eiusmodi diebus disposita esse consueuerat.* erubescant Christiani, aduentantibus festis diebus, ad diuina recipienda dona, segnius instructi; cum audiant Iudæo

Diebus festis omnibus præponẽdus Dei cultus.

S. Chrys.

rum

rum multitudinem, ad suam salutem melius fuisse dispositam.

Sacer tex.

Est autem Ierosolymis probatica piscina.

Euangelica piscina typus gratiæ Baptismalis. Chrys.

3 HAec piscina ex sẽtẽtia multorũ fuit typus appropinquantis gratiæ baptismalis: cuius varias figuras, quæ præcesserant, enumerat Sanct. Chrysost. homil. 5. in epist. ad Coloss. *oportebat*, ait, *& baptismum multa præcedere: qualia sunt ea, quæ in veteri testamento in piscina fiebant.* vnde etiam Theophylat. in exposit. huius Euang. *probaticam piscinam*, ait, *intellige baptismum* & Incertus sub nomin. Emiss. *Hac piscina baptismatis aquas signi ficabat*; iuxta quem sensum S. Chrysost. homil. 35. in Ioann. clarius de hac piscina probatica sic differit. *Quis hic curationis modus? quid per hoc nobis mysterium significatur? non temere, nec ab re; sed futura nobis, tamquam imagine, & figura quadam describuntur; ne res nimium incredibilis, & inexpectata, accedente fidei virtute, multitudinis animos offenderet.* Voluit enim Deus, & mirabiliter disposuit, vt paulatim ex hac virtute ad sanandũ, quam aquis piscinæ impertitus fuerat, rudes adhuc incredulorũ animi, hoc experimento dispositi redderẽtur ad assẽtiẽdũ mysterio, & mirabili efficaciæ, qua per aquã baptismalẽ, maculæ, & morbi peccatorum abluendæ, & sanãdi erãt; audi Theophyl. *dat*, inquit, *piscina huius miraculum, quod duceret eos ad susceptionem baptismi*. cui concordat Chrysost. subdens; *futurum erat baptisma plenum maxima potestatis, & gratia, purgaturum peccata, pro mortuo viuum effecturum quemadmodum hac in figura & piscina huic, & alijs pluribus adscribuntur. primum igitur pollutiones corporum inde varia morborum genera per aquam sanantur: si quidem, cum vellet Deus ad appropinquantis baptismatis fidem nos erudire; non solum peccata, sed morbos per aquam m... expulit.* descendens Angelus, est gratia superuenientis Spiritus sancti, quæ intima cordis replens, aquæ baptismali vim sanatiuam tribuit: quod S. P. Anastas. lib. 1. Anagogic. contempl. sic expressit: *sicut tamquam super piscinã aliquam constituit Deus spiritum super aquam.* Iacebat humana natura multiplici peccatorum ægritudine languida, quæ ab originali labe, tamquam ab infecta radice prodibant, & quæ cæcos, claudos, & aridos reddiderant homines; ad hos sanandos descendit Saluator, magni consilij Angelus, originalis peccati labem per baptismum deleturus; & conturbata in paschate suæ sacratissimæ Passionis aqua, salutem operatus est. ideo S. Pacian. epist. 3. ad Symporian. baptismum appellat, *Sacramentum Dominicæ Passionis*, quod in hac, figura veteris piscinæ completa fuerit, &, per huius Sacramenti virtutem, sanatum humanum genus.

Dei suauis rerum dispositio.

Theoph.

Chrysost.

S. Anast.

Conturbata fuit aquis in fõtibus Saluatoris, tẽpore passionis. S. Panc.

4 Atque hinc etiam factum crediderim, vt nostrates Latini Doctores, lustralem baptismi aquam *Fontem* appellauerint, per allusionem ad hanc probaticam piscinam, per quam in veteri lege designata fuit. Aponius lib. 3. Commẽt. in Cantic. *Habent*, inquit, *in medio fontem hoedi, qui est Sacrosancti baptismatis fons: vbi hoedi descendunt, qui erant deputandi à ministris, ante tribunal Iudicis, æterno igne tradendi: & ascendunt agni immaculati, qui à dextris Iudicis congregantur, æterno regno donandi: tincti sanctificantur, vt ex hoedis agni efficiantur.* & Philo Carphat. in illud Cantic. cap. 5. v. 12. *oculi eius velut columba, & resident iuxta fluenta plenissima*, inquit, *ipsi Ecclesiæ ministri, sacro fonte baptismi, omni lacte candidiore.* neque solum fons per allusionem, sed ẽt ipso piscinæ nomine, lauacrum baptismale dicitur; vt in epist. Adriani Papæ, ad Constantin. & Iræneм Augg. in qua, de baptismo Magni Constantini sic loquitur: *ipse* (Siluester Papa) *tibi piscinam ostendet; in quam dum tertio*

Cur baptismalis aqua fons appelletur Apon.

philo. Cant.

Adrian.

Theophil.

Emiss. Chrys.

mer-

merseris, omnis te valetudo deseret lepra. Hinc plerumque sub similitudine fluuij, eandem aquam designatam inuenimus, nam dicitur Apocal. 22. ℣. 1. *ostendit mihi fluuium aquæ viuæ splendidum tamquam crystallum*; ad quæ verba, Sanct. Victor Pictauien. Episc. *per fluuium, qui in mortali hac vita ex Ecclesia procedit, regenerationis*, ait, *lauacrum adumbratur*. hoc enim a Spiritu sancto sãctificatum, quotquot in eo abluuntur, niue, ac crystallo puriores, nitidioresque reddit. & expressè eandem doctrinam habes apud Sanct. Gregor. Nazianz. Orat. in Sanct. Baptisma; cum cathecumenum, nuper sacro baptismate initiatum, sic alloquitur. *Heri in lecto volutabaris languens; nec hominem præsto habebas, qui cum turbaretur aqua, te in piscinam iniiceret; hodie nactus es, hominem eũque Deum.* quibus verbis confirmatur, quod de baptismo per aquam piscinæ indicato dicebamus. Patres etiã Græci hoc idem melius denotant, qui passim eodem nomine baptisterium nominant, quo in hac Euangelica historia piscinam Ioannes nominauit; scilicet κολυμβήθραν; ita quod Socrates lib. 7. Histor. Ecclesiast. cap. 13. dixit κολυμβήθραν τοῦ βαπτιστηρίου Epiphan. lib. 3. Tom. parte. vertit *fontem baptismatis*. & Sanct. Chrysost. homil. 7. in cap. 2. ad Colos. cum loquitur de eodem baptismo, δείξω, ait, σοὶ κολυμβήθραν; *ostendam tibi lauacrum*, seu *baptisterium*, qua etiam loquendi formula vsus est Sanct. Cyrill. Ierosolym. Cathec. 2. Mystag. ad baptiz. & alij passim.

Apocal. | S. Vict. | S. Gregor. Naz. | Socrat. | Epiphan. | S. Chrys. | S. Cyrill. Ierof.

5 Adde ad confirmationem dictorum, quod sicuti miraculum sanationis in piscina, ex sententia plurium Patrum, quos retulimus in sensu litterali, fiebat tantummodo in Festo Pentecostes, aut Paschatis: ita ijs tantum solemnibus diebus cathecumenos sacro fonte abluere, mos veteris Ecclesiæ fuit. Colligo hoc ex epist. decretali Milchiad. Pap. quæ habetur d. 8. de Cõsecr. & apertè ex verbis epist. 50. ad Episcopos Campaniæ. *summam hãc*, inquit, *potentissimamque Dei gratiam, non nisi in Paschali, & Pentecostes die, desiderantibus, & credentibus conferratis*. quòd præseferunt etiam verba Tertull. lib. de Baptismo cap. 19. *Diem baptismi solemniorem Pascha præstat; exinde Pentecoste ordinandis lauacris latissimum spatium est.* à qua doctrina non recedens Sanct. Chrysost. Tract. de S. Pentec. ea solemni die baptizari solitos catecumenos, illis verbis significauit. *Illi maximè, qui hodierna die per gratiam lauacri, veterem peccatorum amictum abiecerunt*. quem morem seruatum fuisse opinor, vt, qua die in veteri fugura corporaliter infirmi sanabantur in piscina; eadem prorsus originalis peccati labes, per sacrũ baptisma verè ablueretur in anima, in nostra lege Euangelica. quod celebre apostolis fuisse, innuit Sãct. Leo epist. 4. *sequentes*, ait, *Beatum Petrum, qui in ipso die, quo omnium credentium numerum, promissus Spiritus sancti repleuit aduentus, trium millium populum sua prædicatione conuersum, lauacro baptismatis consecrauit*. Idem in festo Paschatis obseruatum testatur Sanct. Chrysost. de Resurrectione loquens. *In hac etiam*, inquit, & *nos olim resurrectione resurreximus, quando baptizati fuimus.* & S. Basil. Cæsariens. hom. 13. in princ. *Quod enim tempus*, ait, *baptismo magis cognatum est, quam Paschalis dies? quandoquidem, ea dies monumẽtum quoddam est resurrectionis.* ita, in eadem die, effectus sanaturi baptismatis apparuit in veteri; & innotuit in noua lege.

Veteris Ecclesiæ mos | Melch. | S. Leo. | Tertull. | S. Chrysost. | S. Leo | S. Chrys. | S. Basil. Cæs.

In his iacebat multitudo languentium.

Sacer text.

6 IAcere actus est peccatorum. ideo passim, in Euangelica historia hoc illis, aut ijs peccatores denotant tribuitur. Matth. 8. ℣. 6. *puer meus iacet in domo paralyticus.* & ℣. 14. *vidit socrum eius iacentem,*

Matth.

itidem

Marc. Act.

itidem Marc. 7. ℣. 30. & Actor. 9. ℣. 33 & alibi sæpius, atque vtinam iacerent, neque inquieti iactarentur. Sed illis applicari potest doctrina Hyppocratis de Vict. Rat. in morb. Acut. *Qui*, inquit, *iacentes ægri, se se continere non possunt, absolutissima, tum diligentia, tum custodia indigent.* ideo magnus de cœlo venit medicus, quia magnus in terra iacebat infirmus; omnis videlicet multitudo hominum, ob peccata claudicantium, cæcutientium &c. qui igitur à prauis passionum humoribus agitati, inter iacendum iactãtur, læthaliter decumbunt. sunt etiam quidam, quorum (quãuis iaceant) non est deplorata salutis spes, de quibus loquitur idem Hyppocr. lib. de prognost. docens, quod, *cum æger ita cubat, quemadmodum sani solent, puta si lateri dextero, aut sinistro innitatur, optimum signum est.* Ita sunt quidam, qui, etiam morbo peccatorum premente, ea non omittunt, quæ sani, & iusti facere solent, & tam dexteram intellectiuæ, quam sinistram, appetitiuæ partis exercent, istorum non est desperata salus. colligitur enim ex his signis fore, vt, quoniam in illis animalis vigor non penitus elanguit, facile conualescant.

Hyppocr.

Quale sit malum in peccatis iacere.

Hyppocr.

7 Addo, quod *iacere* denotat habituationem, & diuturnam perseuerantiam in peccato. quod deduco, quia hic languidus ideo iacebat, quia triginta octo annos in infirmitate sua habebat; quando enim morbus est in principio, infirmi vix ad iacendum induci possunt, & ideo iacere signum est debilitationis viriũ, à diuturnitate morbi prouenientis. præterea, qui iacent habituati in peccato, & , vt diceremus italice, *hanno fatto il letto*, in eo quasi quiescunt, sicuti in lecto ægri; quod dixit Sanct. Petr. Chrysol. serm. 54. ponderans illud Luc. 8. ℣. 19. *Stans Zachæus* &c. *iacemus*, ait, *in vitijs, & iacemus oppressi*; qui sic in vitijs iacent, vt quiescant, horum infirmitas ad triginta, & octo annos extenditur; & propterea ex consuetudine peccandi difficile curantur; quia, vt dicebat Isid. Pelusiot. in Soliloq. *difficile est consuetudinem vincere; prauus vsus vix abletur; assidua consuetudo vitium in naturam conuertit; animus sceleribus adstrictus, vix ab eis diuelli potest.* Nec difficile solum est, sed humana ope vix factibile videtur, vt qui tam diù in peccatis iacuerunt, emergant è vitiorum strato. *nam desinit esse remedio locus* (dicebat Senec. epist. 28.) *vbi, quæ fuerant vitia mores sunt.* Hinc peccator in hoc miserabili statu, sicut & iste languidus, opus sustentante, & subleuante habet, à quo adiuuetur ad ingrediendum in veram pænitentiæ piscinam. Sanct. Gregor. homil. 31. super Euangel. *Vsitata*, inquit, *culpa obligat mentem, vt nequaquam surgere possit ad rectitudinem; conatur, & labitur; quia vbi diù sponte perstitit & ibi cum noluit coacta cadit.* & clarius 11. moral. *Sæpè nonnulli exire à prauis actibus cupiunt; sed quia eorundem actu pondere premuntur* (in malæ consuetudinis carcere tamquam in grabato iacentes) *inclusi à semetipsis exire non possunt.* hinc quærebatur languidus, se hominem non habere, quia propter habituationẽ, ipse solus inhabilis euaserat ad recuperandam sanitatem hoc idem dixit Senec. epist. 58. *quia enim*, inquit, *diu in istis vitijs iacuimus*, ideo ex hoc consuetudinis grabato, *euellere difficile est.* Alicubi etiam hæc perseuerantia in peccatis non absimili metaphora per sessionem significatur in scriptura, vt cum Matth. 9 ℣. 9. dicitur; *Vidit hominem sedentem* &c. de quo Chrysol. serm. 28. *Matthæum Publicanum diuitiæ sic alligabant vinculis cautionum; sacculorum ponderibus sic præcipitabant; vt leuari ad innocentiam, ad iustitiam surgere, ad virtutem progredi non valeret; vnde & sedere eius erat iam subsidere.* sic etiam non tam iacent, quam sonticè decumbũt, quot quot peccatorum habituatione infirmantur.

Iacere, signum habitualis peccati.

S. Chrysol.

Iacere, et quiescere in peccatis lethale

Sacer text.

Domine hominem non habeo.

8 MErito triginta octo annos in infirmitate perstiterat; an non præstitisset, in tam diuturna, & insuperabili infirmitate, ad securum, & indeficiens Dei auxilium habere recursum, quam tam diù anxię in humana incerta ope sperare? & hunc quidem, vanam fiduciam in humano auxilio collocasse, docet frustrata toties spes; vt nos erudiamur, in necessitatibus, magis in diuino auxilio spem esse collocandam, & ab eo consolationes expectandas, quam ab hominibus, in quibus, qui magis quam in Deo cōfidunt, audiant quid contra illos dicatur Ierem. 17. ℣. 5. *maledictus homo, qui confidit in homine*, eiusmodi, ob cōtemptum veri auxiliatoris, deserit; sicuti eos, qui in infirmitatibus, medicorum remedia diuino subsidio inconsultè præponunt, cuius exemplum habemus 2. Paralip. 16. ℣. 12. *Aegrotauit etiam*, ait sacr. tex. *Asa anno trigesimo octauo Regni sui dolore pedum vehementissimo, & nec in infirmitate sua, quæsiuit Dominum. sed magis in medicorum arte confisus est*, vnde factum, vt merito illum Deus pro derelicto habuerit: *dormiuitque cum patribus suis, & mortuus est, anno quadragesimo primo regni sui.* & nota, quod à trigesimo octauo, vsque ad quadragesimum primum annum, idest, toto triennio infirmatus, neglexit ad Deū preces pro sanitate effundere, quia in arte medicorum omnem suam fiduciam reposuerat, ideo permittente Deo non conualuit, sed *mortuus est.* Contra illis fauorabilior est Deus, qui, præ diuinis, humana negligunt præsidia: Psalm. 11. ℣. 1. *Saluum me fac Deus, quoniam defecit sanctus:* reddunt plerique *pius*; vel *misericors*, idest ait Lorin. *gratis, ac liberaliter benefaciens*: quibus eiusmodi auxiliares viri deficiunt, quia ad Deum recurrunt, & in eo sperant; his respondet Deus eiusdem Psalm. ℣. 6. *propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam. ponam in salutari: fiducialiter agam cum eo.* iacet Deus, quādo illi affliguntur, qui in humana ope confidunt, sed *exurgit* ad subleuandos iacentes, destitutos ab hominibus, & sperantes in diuina miseratione. Vel iacet, quia alios mittit, idest, homines in quibus confidunt, vt eorum inane auxilium experti, spe sua frustrentur: sed exurgit cum ipsemet venit. ita D. Gregor. in Psal. 4. pænit. ad hunc sensum alludens; *exurgere*, inquit, *dicitur Deus pater, cum filiū mittit: qui, quasi iacere visus est, cum seruos misit.* illi enim neminem saluare potuerunt: sed filius hominis, venit quærere, & saluum facere quod perierat. pondera etiam particulam *nunc*, idest, statim, non procrastinando, sicuti cum aliquid breui nos facturos significare volumus, *nunc* faciā, *nunc* veniam dicere consueuimus, vt notat etiam Lorin. hic vero languidus, qui in homine sperabat, triginta, & octo annos in infirmitate merito habebat.

Omnis spes in Deo collocanda est.

Ierem.

Paralip.

Notabile diffidentiæ exemplum

Psalm.

Lorin.

Psalm.

Cur Deus iacere dicatur, & exurgere.

S. Greg.

9 In eadem etiam languidi responsione, illud animaduersione dignum occurrit; quod, quamuis prima fronte non videatur apposite respondere; quia rogatus num vellet sanus fieri, non respondit *volo*, sed *hominem non habeo*; tamen, si eius mentem intueamur, optimè satisfecit dominicæ petitioni: non dixit explicite *volo*, sed, quia Deus voluntatem nostram, non nudam, sed operibus ornatam amat, & desiderat experiri; ideo, promptitudinem volūtatis prodidit, dispositionem ad opera exhibens. *hominem nō habeo*; quasi dixerit. opere ipso ostendam, quantopere Deo inseruiendi, & à peccato resurgendi sim cupidus. ob quam promptam ad opera virtutum voluntatem, quæ per ea verba fuit Deo perspecta, meruit sanari.

Deus non nudam, & inefficacē, sed efficacē, ac operibus ornatam amat volūtatē.

Tolle

Sacer text.

Tolle grabatum tuum.

9 MAgnum, sub hoc præcepto de auferendo grabato, nec obuium mysterium latere videtur; erat *grabatus* stratum, in quo (dũ infirmus fuerat) iacuerat paralyticus; ex quo videtur repræsentare occasionem peccandi, in qua peccatores volutantur: dum ergo Dominus iubet tollere grabatum, præcipit remoueri occasionem peccati. nam nisi lectum abstulisset, fortasse, eo reuersus fuisset, & occasionẽ iterũ peccandi habuisset: neq; enim integrã quis dicitur animæ sanitatem recuperasse; nisi, postquã surrexerit, hunc etiam commoditatis lectum omninò sustulerit. extat prouerbium in eos, qui periculum, in quo adhuc versantur, euasisse se existimãt. *Velle circumferre ignẽ*: nihil iuuat ignẽ, à quo exterius vrebaris reliquisse, si aliquam eius scintillam, quæ in nouam flammam potest erumpere, tecum asportes. ita inanis est illorum opera, qui apparenter peccata delent: quorum incentiua, & occasiones à se penitus non tollunt. Infirma est hæc nostra caro, & illecebris vitiorum facile trahitur, & succumbit. ideo omnes vitiorum, vel tenuissimæ radices præcidendæ sunt. Docuit hoc egregiè apud Max.Tyri. serm.7. Anacharsis, à quo cum quæsitum fuisset, essent ne in Scythia eius patria tibiæ respondit: *ne vites quidem*. non videtur ista responsio satisfacere quæsito; nihilominus sapientissima fuit. voluptates enim, & illecebræ se se consequuntur, vna alteri cohæret, & ad eas cum fluere cæpit mens humana, inhiberi non potest; neque aliud tutius superest salutis remedium, quam fontem ipsum præcludere, & passionum occasiones remouere. tibiæ ad voluptates, & choreas incitant? sed vt plurimum à vinolentis exercentur, ideo non solum tibias, sed ipsum etiam vinum, quod incitat ad tibias, apud sobrios Scythas vetitum fuisse, & vites vini feraces excisas, significauit prudentissimè Philosophus; vt, radicitus præcedendas peccatorum, remotissimas etiam, occasiones, intelligeremus.

Grabatus occasionis peccandi typus.

Maxime vitanda peccandi occasio.

Max. m. Tyr.

Fulcbra Anacharsis respon sio.

10 Figuram euidentem eius rei obseruo 4.Reg.23.vbi narratur, quod Iosias templum Dei prophanatum, & corruptos populi contumacis mores purgaturus, nõ solum vasa, impio cultui dicata, è templo remouit: ℣.4. *Et præcepit Rex Helciæ Pontifici, & Sacerdotibus secundi ordinis, & ianitoribus, vt projicerent de templo Domini omnia vasa &c.* sed, vt omnis in posterum occasio tolleretur, eadem vasa iterum ad improbum vsum conflandi, præterquam quod ea combussit, puluerem etiam asportari iussit. ℣.8. *combussit &c. & tulit puluerem eorum in Bethel.* Hæc pulueris asportatio est symbolum totalis renuntiationis, & remotionis ab occasione peccãdi, quæ procul remouenda est: ideo, dirutis altaribus, etiam eorum cinerem dissipauit, vt dicitur ℣. 8. vt omnis peccatorum, etiam remotissima, occasio tolleretur, adeo vt, ne memoria quidem prophanæ illius superstitionis superesset; ita enim Lyran. ibi obseruat, hoc factum, *vt scilicet non remaneret illius idolatriæ memoria.* quod multo pridẽ obseruauerat etiam Moyses Exod.32. ℣.20. neq; enim satis illi fuit vitulum aureum combussisse, sed eundem, in puluerem redactũ, populo potui dedit. quod factum expendens Caietan. in Catena Lippom. *Suapte autem natura*, ait, *iste potus fuit annihilatiuus idoli; ita vt nullæ manerent eius reliquiæ.* ita procurauit Moyses, omnem de cætero istiusmodi peccatorum occasionẽ præcidere. huius igitur exemplum secutus Iosias, vt loco allegato narratur ℣.6. omnem commoditatem, & occasionem peccandi submouere volens, *efferri fecit lucum de domo Domini foras Hierusalem, in conualle Cedron.* notat enim Lyran. quod illud

Reg.

Occasio peccandi, vel remotissima, profliganda.

Lyran.

Exod.

Caiet.

Lyran.

efferri significat *eradicare, ne quid remaneret*. Lucus iste idolis dicatus fuerat: propterea eius arbores non solum præcidi, sed etiam extirpari; & eradicari præcepit Rex, alioquin enim, recisis tantum arboribus, repullulantes è superstitibus radicibus frutices, in nouas arbores adoleuissent, qua occasione, iterum populus prouocari ad cultum idolorum potuisset; quia considerauit, quod frustra succiduntur arbores peccatorum, nisi etiã radices occasionum extirpentur; & nequicquam surgit quis à languore, nisi tollat grabatum. quod apposite dixit Sanct. Bernard. serm. 2. de Assumpt. Virgin. *non aliud est*, inquit, *quam fictio execranda, si peccata superficie tenus radas, non intrinsecus eradices*, per omnimodam abdicationem à quacumq; occasione, quæ tamquam radix vberius pullulat. ideo Ieremiæ, cui munus delēdi peccata datum fuit, non solum præcipitur, vt demoliatur, sed etiam, vt dissipet peccata, & euellat: quia inane est delere peccata, & eorum primordia, atq; occasiones non euellere.

Extirpanda radix peccatorū

S. Bern.

11 Quod melius etiam ex eodē loco, diligentius ponderato, apparebit. peccator enim sceleribus suis, quasi domū diabolo ædificat ad habitãdum, de qua dicitur Matth. 12. ℣. 43. 44. *cū autem immundus spiritus &c. reuertar in domum meam vnde exiui*. & Ezech. 2. ℣. 5. eodem *domus* nomine significantur peccatores; *filij dura facie, & indomabili corde, &c. quoniam domus exasperans est*. ad hãc domum diruendam, & destituēdum peccatum, legauit Dominus Ieremiam, cui dicitur loco allegato. ℣. 10. *constitui te super gentes, vt destruas, & disperdas &c.* nonne satis erat dixisse, *vt destruas?* hoc enim importat diabolicæ domus ruinam, cur igitur additur, *& disperdas?* Ratio est, quia, post demolitam, & dirutam aliquam domum, nisi amoueantur lapides, ligna, & cæmenta, signum est domum reædificandam: quod facile propter vicinitatem, & cōmoditatem materiæ factu est. Quare, qui peccati domum diruit, & ligna, ac cæmenta occasionum non disperdit, animum habet reædificandi. Quid enim iuuat per aliquot dies libidinibus renunciare, & mulierem fornicariam, quæ ad peccandum alliciat retinere? Quid vtiliter faciunt, qui cum religiosam vitam professi fuerint, & ambitionem abdicauerint, assiduo tamen animo versant honores, & dignitates, ad quas adspirant? quantum profecit, qui se diuitiarum cupiditati valedixisse gloriatur, & interim numos, omnis mali materiam, seruat in arca, nec profert ad optimos vsus? de his dicit diabolus *reuertar in domum meam*, quia adhuc *domus* ipsa integra superesse videtur, nec amotum peccatum, nisi dispersis ijs, ex quibus domus struitur. bene igitur Ieremiæ dicitur, *vt disperdas*, hoc est, ita dissipes, ne quæ mali reliquiæ supersint; & merito etiam, propter eundem finem, languidus iubetur tollere grabatum.

Matth.

Ezech.

Ierem.

12 Aliud eiusdem rei argumentum habetur 2. Reg. 18. Cum enim Absalom Dauidem patrem iniustis armis prouocasset, rebellis filij iuuenilē, & inconsultam temeritatem inhibere coactus Dauid, conscriptis militibus dixit ℣. 2. *egrediar & ego vobiscum &c.* id ad se pertinere ratus, vel, quia amati Regis, & strenui ducis pręsentia alacriores reddit militum animos; vel, ne ipse vnus, qui ad necem petebatur à seditiosis, videretur esse expers periculi, militibus in pręlio periclitantibus. sed hanc eius deliberationem duces exercitus impediuerunt; imo hoc idem ab eo petijt vniuersa multitudo. ℣. 3. *Et respondit populus, non exibis &c.* Quærit hic Theodor. cur tam solliciti fuerint de Rege, vt non permiserint illum egredi: nam Dauid tot prælijs exercitus, tot victorijs gloriosus, periculis bellicis; è quibus sæpius euaserat, assueuerat. Respondet subtiliter, hoc non solum factum fuisse, ne aliquid mali ipsi accideret, contra quem præ-

Reg.

Theodor.

Pulchra dubitandi ratio.

sertim

sertim hostes sæuiebãt:sed etiam, quia victis hostibus, misertus filij, illum seruauisset, & sic, noui belli seges incolumi Absalom repullulasset; vt ergo, penitus rebelles debellarentur, & quæcumque redintegrandi belli occasio tolleretur, maluerunt Regem domi esse, vt hostili duce extincto, de cætero arma sumendi spes tolleretur inimicis. *Regem*, ait Theodor. quæst. 34. *volentem esse belli sociũ prohibuit dux exercitus, & veritus, ne ei aliquid accideret; & anxius, ne, si vicisset, misereretur tyranni*. Ita quamuis induciæ inter Græcos, & Troianos sæpius firmatæ fuerint, numquam tamen integra, & sincera pax fuit, quia supererat Helena belli funesti causa. Ad quod propositũ occurrit etiam locus ex Senec. tragic. in Agamemn. Cũ enim Agamemnon sospes in patriam post diuturnum, & difficile bellum, post exactam periculosam nauigationem appulisset: ibi periculis omnibus defunctus, securius ageret; Cassandra vates, ea futurorum præscia, nequicquam illum securitatẽ sibi polliceri dixit, neq; enim se tunc minus periclitari, quam cum ad Troiam dubio bello implicabatur. *Hic*, (ait Agamemnõ, in tuto sibi esse falso existimans) *Troia non est*. quasi dicat, iam vitæ, & bonorum securus ago, cũ ad meos ciues incolumis redux sum. respondet Cassandra. *Vbi Helena est, Troiam puto*. Reuexerat secum Agamemnon Helenam; huius (quæ belli occasio fuerat) contubernium, suspectum illi, & ipso bello periculosius esse indicauit vates; non sospitem fore Regem innuens, nisi ablegata sanguinolenti, & funesti belli origine. Ita etiam, nequicquã sapit, qui graui, quo cum nostris hostibus assiduo confligimus bello, se defunctum putat; nisi Helenam, idest occasionem belli, remoueat: nisi grabatum tollat.

Theod. — Senec. — Pulchrũ exemplũ.

13 Et Numer. cap. 31. ℣. 17. 18. Præcipit Moyses tolli, & occidi oẽs masculos, et imbelles, & infantes, qui inter inimicos inuenti fuerint. *ergo*, ait tex. *cunctos interficite quicquid est generis masculini*. Non hæc sæuitia est, sed cautela; iubente enim Domino, hoc factum fuit, quia pueri, postmodum adulti, bellum pro vltione parentum reparassent, *ne vindicarent parentum interfectionẽ*, ait Apollinar. in Caten. græc. citat. à Lorin. Quemadmodum etiam fæminas iubentur tollere, ne cũ illis peccandi Israelitæ aliquam occasionem haberent. *& mulieres*, addit tex *quæ nouerũt viros iugulate &c.* *veluti edoctas* (ait idem Apollin.) *impietatis, & corrumpere valentes eos, quibus obnuptæ fuerunt*, quod etiam confirmat ibi Theodor. quæst. 49. Ex quibus omnibus admonemur diligentissimè vitanda, & è medio tollenda ea omnia, quæ nos quoquomodo allicere possunt ad peccata. Quod etiam docuit Innocent. Papa in Psalm. 37. ℣ 6. *fuge*, inquit, *personam suspectam, locum idoneum, & tempus aptum, & quicquid est opportunum, ad faciendum peccatum; quia sicuti est difficile in igne esse, & non ardere; ita difficile est habere opportunitatem peccandi, & non peccare*. Comparatur occasio igni, de quo dictum videtur illud Poetæ. *Tua res agitur, paries cum proximus ardet*. non solum enim propriæ domus incẽdium, sed etiam vicinæ extinguendum est: vt non solum peccatum, sed etiam proximam eius occasionem, ad instar ignis, extinguendam esse sciamus; cum verum sit; quod neglecta solent incendia sumere vires.

Num.

14 Si verò eorum Patrum sententiam sequamur, qui, per hunc *grabatũ*, proximum intelligunt, varia possumus philosophari. quamuis enim hoc parũ accomodatè dici videatur; eo quod, *grabatus* sit res insẽsibilis, & vilis, cum proximus sit creatura rationalis, & nobilissima, tamen, quemadmodum hoc verificari possit ostendunt D. August. Beda, Ericus, & alij. Verba D. August. tract. 17. in Ioan. sunt. *Tolle grabatum tuum, mihi videtur dixisse, dilige proximum tuum. sed clausum est adhuc, &*

expositione indiget quantum arbitror, quare, in tollendo grabato, dilectio proximi commendetur, nisi forte hoc nos ostendit quia per grabatum, rem quandam stolidam, & insensatam, proximus commendetur. non irascatur proximus, si commendatur nobis per rem, quæ sine sensu, & sine anima est, ipse Dominus, & Saluator noster Iesus Christus lapis angularis dictus est, &c. Quare iubemur proximum iuuare, dum præcipitur, *tolle grabatum*. Quemadmodum itaque languidus, dum infirmabatur, in grabato suo portabatur sed, post recuperatam sanitatem, ipsemet sustulit grabatũ; ita peccator, dum languet, inhabilis est ad portandum proximum, nec illũ spiritualiter iuuare potest; sed postquam sanus factus est, tunc illi dicitur, tolle grabatum: vnde idem August. paulo infra loco alleg. subdit. *Quid ergo in grabato obsecro te? quid, nisi quod ille languidus grabato portabatur, sanatus autem grabatum portat. quod dictum est ab Apostolo, inuicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi. Lex ergo Christi charitas est, nec charitas impletur, nisi inuicem onera portemur.* Hinc languidus recuperata sanitate sustulit grabatum; *& statim sanus factus est ille & sustulit grabatum suum.* prius fit sanus, quam tollat grabatũ, vt quantum ad perfectionem charitatis, animę sanitas necessaria sit, intelligamus; Hic nos hortatur August. illis verbis. *Cum esses languidus portabat te proximus tuus; sanus factus es, porta proximum tuum.* portare autem proximũ, est charitatis præceptum erga illum seruare; si quid, vel imprudenter, vel iniuriose contra nos egit, ei remittere; hoc dixit Beda *Tolle grabatum: porta, idest, dilige proximum tuum, patienter eius infirma tolerando, qui te adhuc tentationum fasce depressum, diù patienterque sustinuit.* ita enim portando proximũ, ostendimus, nos integrã, & perfectam animæ sanitatẽ recuperasse. sicut enim Iesus, ad veritatem huius à se patrati miraculi confirmandã, iussit tolli grabatũ illum materialẽ (*ne putaretur esse phantasma quoddam*, vt aiunt Theopyl. & Euthym.) ita fidelis, ad probanbam veram sanitatẽ, debet proximum ferre, & eius calamitates tolerare: *Nisi enim membra*, subdit Theophyl. *firmè fuissent solidata, lectum ferre nõ potuisset:* ita, qui virtutum, & charitatis robore destituuntur, nequeunt proximum portando, meritum acquirere charitatis. seruandum itaque illud Augustin. *porta eum, cũ quo ambulas, vt ad eum peruenias, cum quo manere desideras;* opera enim charitatis ad ipsum Deũ, qui charitas est, perducunt.

Homo peccator inhabilis ad proximum proferendum

S. Aug.

S. Aug.

Beda.

Theophyl. Euthym.

S. Aug.

15 Neq; prætereunda est hoc loco particula illa, *tuum* nonne dicere potuisset Saluator, *tolle grabatũ istũ?* cur dixit *tuum?* Profecto crediderim, hinc colligi posse, quod consuetudo, & mala in peccatis habituatio eiusmodi sit, vt peccatum actuale, quod reuera non est nostrum, efficiat nostrum. Peccatũ reuera est opus diaboli, eius arte, & malitia primo fabrefactum, & introductũ; sed, si peccator in flagitijs diutius perseueret, si in eo triginta, & octo annis iaceat, facit hoc peccatum suum. dum ergo obstinatè quis in peccato perseuerat, facit suũ id, quod ad diabolum pertinet: nam *humanum est peccare, Angelicum emendare, diabolicum perseuerare.* Ad eos verò, qui alienum hunc peccati habitum induunt, pertinet illa Dei comminatio Sophon. 1. ℣. 8. *Visitabo super omnes, qui induti sunt veste peregrina.* Induuntur veste peregrina, qui habitum peccatorũ assumunt; nam, vt dicebat Senec. epist. 50. *Virtus secundum naturam est; vitia infesta &c.* peregrina ergo veste diaboli induimur, cum pro mãsuetudine, sæuitiem; pro charitate, odium, pro puritate, luxum assumimus; & virtutes, quæ naturæ nostræ conformes sunt, vitijs, quæ sunt aliena cõmutamus, &, vt dicit D. Hieron. ad hunc Sophonię locum, *pro virtutibus induimur vitijs, pro Christo, Antichristo;* vnde dicitur

Effectus praue cõsuetudinis

Sophon.

Senec.

Hieron.

de huiusmodi homine, & indutus est maledictione, sicut indumēto. Hæ vestes nostræ non sunt, neque hic grabatus ad nos pertinet, nisi inquantum nos praua voluntate, & habitu peccandi, illum facimus nostrum.

16 Tollat igitur peccator sua crimina, & vt veram sanitatem se consecutum probet humeris ea portet; idest onus peccatorū sibi imponat; eorum recordationem, & memoriam animo retineat, sic enim ea dicetur circumferre, etiam post conuersionē. non enim ex eo, quod sanus factus es, debes deserere onus, & remorsum peccatorū, imo tunc magis eū portare; vt, cum assidua præteritorum delictorū memoria te aggrauat, sanum te esse ostendat; quia, quo magis hoc onus peccatorū post cōuersionē senties, eo de condonatione potes esse securior. *Pænitentem* (ait Chrysost. homil. 41. ad pop.) *numquam oportet obliuioni peccatum tradere; sed Deum rogare, ne eius meminerit: ipsum verò, numquam ipsius obliuisci*, hoc est portare secum grabatum. sicut è contra, pessimū est signū, post conuersionem onus ante actorū criminum, tamquam leue, non sentire; quod sonant verba Augustin. in serm. 4. Dom. de Aduent. *omne peccatū consuetudinis vilescit, & fit homini, quasi nullum sit. obdormit, iam dolorem perdidit & valde putre est: nec dolet, quod non dolet, quando ergo pungit, & dolet* (quando sentis onus grabati, quem portas) *aut sanum est; aut est illi spes aliqua sanitatis.* Hinc, sanctis solemne esse peccatorum memoriam conseruando, hunc grabatum circumferre, docuit S. Chrysost. hom. vlt. in epist. 2. ad Corinth. *Ea*, ait, *Sanctis consuetudo; quod perperam fecerūt, rependunt quotidie, deplorant, omnibusq; ob oculos ponunt.* Eos verò, qui secus faciunt, neq; huius oneris grauitate præmūtur, inemendabiles iudicat D. Ambr. in Apolog. Dauid. cap. 9. *Bona mentis est vulnus sentire peccati; nam, qui expertes doloris sunt, non sentiunt vulneris acerbitatem, quod est immedicabilis ægritudinis. vbi enim doloris sensus est, ibi sensus est vita.* Sed nota, quod sicut onera, quæ humeris portamus, non ad ornatum, & delicias (quemadmodum ea, quæ manibus, vel pectore gestamus) sed, vt dimittamus, solemus circumferre: ita etiam, hoc peccatorum onus, ita animo portare debemus, nō vt nobis hæc recordatio sit ad alia peccata incitamētum, sed animo ea relinquendi, & posthabendi; ita enim, & pōdere suo nos prement, nec illicio, ad nouas offensas reuocabunt.

Fugit peccatorū memoria animæ sanitatē arguit.

S. Chrys.

S. Aug.

Grabatus memoria præteritorum delictorum.

S. Chrys.

S. Ambr.

Dicebant ergo Iudæi illi, qui sanatus fuerat.

17 Hinc discimus, inuidiā, & diabolicas impugnātiū calūniarū machinas, cōtra illos vehemētius instrui, qui à peccatis cōualuerūt, & diuinis præceptis prōptè obtemperant. Nam, statim atq; paralyticus sanatus, iussum domini impleuit, illico Iudaicæ inuidiæ aculeos, contra se sæuientes, expertus est. permittit autem hoc Deus, ad suorum exercitiū, & maiorem gloriam; vt ita vexati, solidius in virtutibus roborentur, tamquam montanæ arbores, quæ crebrius à vētis agitatæ, altius radices agunt: ita iusti, post conuersionē, nouis semper impugnantur tentationum flatibus. Vel vt cautius in Dei mandatis ambulent, ne de remissione securi, negligentius animæ conseruationi studeant. S. Gregor. 24. Moral. cap. 7. *Ne conuersus quisq; iam sanctum se esse credat, & quem mæroris pugna superare non valuit, ne ipsa postmodum securitas sternat; dispēsante Deo permittitur, vt post conuersionem suam, tentationum stimulis fatigetur.* & paulo post. *ne erga securitas negligentiam generet, scriptum est, fili accedens ad seruitutē Dei, sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationē &c.* Quare in sanatione huius lāguidi, tres illos status cōsiderare possumus, quos ibidem in conuersione peccatorū animaduertit, & distinguit idem S. Greg.

Primo enim expertus est sanationis dulcedinem, tum persecutionis, & calumniæ Iudaicæ amaritudinem, per quam ad perfectam probationem postremo peruenit, dum alijs etiam, sanantis virtutem publicauit. *in ipso conuersionis initio*, ait Gregor. *quisque magna excipitur dulcedine consolationis, sed durum laborem postmodū experitur probationis; tres quippe sunt modi* (idest status conuersorū) *inchoatio, medietas, atque perfectio: in inchoatione autem inueniuntur blandimenta dulcedinis: in medio tempore, certamina tentationis, ad extremum perfectio plenitudinis*, ideo non mirum, si iste lāguidus, cum in conuersione, & sanatione sua, dulcedinē receptæ salutis percepisset; illico amarorem inuidæ persecutionis patitur, vt per eam perficiatur.

Tres pænitentium status.

18 Iudæi autem, frustra huic, iam diuina gratia munito, legis transgressionem in asportatione oneris obijciunt: nā lex, quæ vetabat portare pondus in die sabbati, magis respiciebat ad abstinentiam à peccatis; vnde cum Ierem. 17. ℣. 21. hoc præceptum, de obseruādo sabbato, repetitur, puritas à peccatis in primis inculcatur. *Custodite*, ait, *animas vestras, & nolite portare pondera in die sabbati*; prius præcipitur animæ custodia, tum prohibetur portare onus; vt ille verè intelligatur seruare sabbatum, nec onus portare, qui animā suam custodit. Sic exposuit hūc Ierem. locum S. Thom. in opusc. *Cauete inquit, custodite animas vestras &c. pondus autem animæ peccatū est, vnde* Psalm. 37. ℣. 5. *& sicut onus graue grauatum est super me.* ad eandem interpretationē accessit etiā Isidor. Hispalen. lib. de doct. Gent. cap. 18. *pondera*, inquit, *portat in die sabbati, quem dies iudicij inuenit cum suo delicto; pondera portat in sabbato, qui credens in Christo, non desinit à peccato.* Sabbati itaq; idest, quietis ferias Deo agimus, quando ab operibus peccati abstinemus, in quo magis Deo spiritu feriati placemus, quā Iudæi, qui corpore quiescebant. *Spiritale sabbatum*, ait hic Beda, *est in luce gratiæ spiritualis* (*quæ septiformis accipitur*) *non vna, sed omni die ab inquietudine vitiorum nos maneré feriatos. Si enim iuxta vocem Dominicam, qui facit peccatum seruus est peccati; liquido patet, quia peccata, recte opera seruilia intelligūtur, à quibus, quasi in die septimo, in perceptione gratiæ spiritualis immunes incedere iubemur.* hoc enim est sabbatum Domino celebrare, & spirituale festum abstinendo ab oneribus agere.

Ierem.

Pondera peccatorū die sabbati portare ratione prohibemur.

S. Thom.

Psalm.

Isid. Hisp.

Beda.

Iesus autem declinauit à turba constituta in loco.

Sacer text.

19 PRæuiderat Saluator ob huius miraculi magnitudinem, & claritatem, magnam cōtra se malignorū Hebræorum inuidentiam excitatum iri, ideo consulto *declinauit.* Nulla alia ratione facilius domatur Inuidia, quā primos illius impetus declinando; virtus enim, quæ præsens vrit, & excæcat inuidos; ijs subductis, in quibus fulgētissime micat, occultata: quasi restinguit rabiem illam furentis persecutionis, ideo Saluator latere aliquantum voluit, donec sæua illa Iudaici liuoris tempestas aliquantum denotuit, est enim doctrina etiam Tacit. lib. 1. *relinquendum esse rumoribus tēpus, quo senescant*, ita enim fit, vt quoniam *plerumq; innocentes recenti Inuidia impares* sunt, inueteratæ, & euanidæ sufficiant. Caligula Cæsar, referente Sueton. pulchros, & comatos, si quos obuios haberet, occipitio raso eos præ inuidia deturpabat: sic inuidi quique, pulchrorum, & virtutibus ornatorum, quorum æmulari nequeunt decorem, detrahunt famæ. sed, quemadmodum, qui occursum Cæsaris declinabat, hanc inuidæ mentis iniustam pœnam euitabat: ita, qui inuidiæ insurgentis impetus, ad tempus præterit, vt fecit Iesus; permittit interim illam euanescere, & sedari. Ratio verò cur Inuidorum conspectus tantopere sit de-

Primi inuidorum impetus declinādi.

Tacit.

Sueton.

Inuidi fascinantib. similes.

clinan-

S. Basil.

clinandus est, quia eorum non secus, ac fascinantium oculi, inficere obuios soleant, vt est doctrina D. Basil. homil. est de Inuid. *Inuidos*, inquit, *existimarunt nonnulli, non solum rebus alijs, sed etiam oculis officere, vnde corpora vegeta pubescentium, aliorumue ætate, formaq; florentium prosperam habitudinem inficiunt, atq; debilitant: statim vt ex eorum luminibus, pernicie quadam desfluente, ac contaminãte, videas contacta membra in siccitatem, ac valetudinem venire*. propterea aduenienti huic ab inuidia fascino, remedium optimum adhibuit Senec. epist. 104. *sic*, inquit Lucilio, *inuidiam effugies, si te nõ ingesseris oculis, si bona tua nõ iactaueris, si scieris in sinu gaudere*. addamus nos Dñico exẽplo instructi: si turbam inuidentium declinaueris.

Senec.

Sacer text.

Inuenit eum Iesus in templo.

20 MIrum est, cur iste benefactorem suum non quæsiuerit, sed potius illum Iesus inuenerit, quam ille Iesum. Cæterum, ea est benignissimi, & mitissimi Saluatoris erga fideles suos propensa beneficentia, vt non solum in angustijs, & necessitatibus constitutos adeat, quod fecit, dum apud piscinam, hunc paralyticum conuenit, sed etiam postquã subuenit, benignitatem suã auget, & producit, neq; expectat, vt nos illũ adeamus, sed nobis ipse occurrit. Vel dicas, quod proprium est benefactorũ, magis eos affectu prosequi, in quos beneficia contulerunt, quam è contra; ita docuit Arist. 4. Ethic. cap. de liberal. & hinc est, quod Iesus, non solum lãguidum, reddita sanitate, maximo sibi beneficio obligauit; sed eundem, & eos etiam, quos assiduè munificè iuuat, tuetur, & charitatiuè affectatur. *Iesus enim*, ait Vgo Cardin. moraliter hunc locum exponẽs: *sollicitior est in requirendo nos, & reuocando; vnde Ezech. 34. ecce ego requirebam oues meas*. Vel quia hoc collati beneficij debitũ exige

Occurrit Deus nobis in beneficijs.

Aristot.

Deus solicitus in requirendo peccatores. Vgo. Ezech.

bat, q; debitores, nisi compellati, rarò in animum inducunt soluere. Aut postremo testari voluit hoc facto, quanti diuinę suę maiestati acceptus sit deuotus affect' corũ, qui animi gratitudinẽ erga Dei beneficia præseferunt; quos, nouis gratijs collatis cumulat. Quoniam enim languidus ad agendas pro accepto beneficio gratias in templum secesserat, ideo iterato beneficio meruit cumulari, & diuina iterum præsentia recreari; & monitis saluberrimis erudiri.

Inuenit eum Iesus in Templo, dixit: ecce sanus factus es.

21 DVm illum vidit extra templum, in grabato iacentem, morbo obsitum, & peccatis: misericordia erga illum motus est: nũc verò, cum illum inuenit in templo grauiter admonet, & à peccatis absterret. Magnum hoc est documentum reuerentiæ, & cultus, quem Deus Ecclesiæ, & locis sacris optat exhiberi; qui, quãuis peccatores misericorditer alibi toleret, atque ijs subueniat, in tẽplo nihilominus edicit, vt peccata omittãt, in quo cõmissa delicta sęuius reprẹhẽdit. Vbiq. certè peccãdo Deus offenditur, cuius tamen lenem clementiã grauius illi irritant, qui Ecclesias peccatis prophanant, eo quod, magis directè cõtra Dei maiestatẽ pugnare videantur, eãq; probrosius lædere; quare ad Deũ magis specialiter pertinet vltio, quam intentat, dicens: *ne deterius tibi aliquid contingat*. Axioma fuit Corn. Tacit. lib. 1. quod *Deorum iniuriæ, Dijs curæ sunt*; quare, quamuis diuinam legem omnis peccator transgrediatur, nihilominus illæ præsertim iniuriæ Deũ magis irritant, & illi curæ sunt, pro vltione; quæ magis ad illum pertinent, eo quod sub ipso Dei conspectu, fuerint perpetratæ. Vnde Dauid Psal. 121. ℣. 2. reuerentiam, quæ Ecclesijs debetur significaturus, dixit: *stantes erãt pedes nostri in atrijs tuis Hierusalem*; pedes

sunt

sunt symbolum affectuum, qui ita nos ducunt, sicuti pedes corpus sustentāt; & quoniam affectus sæpius solent nos abducere à rectitudine, ideo *in atrijs Domini*, idest, in sacris locis debent stare, non vagari, non fluctuare; sed ad Deum tantum intendi: *stantes erant pedes*, ait Vgo Cardin. in Psal. 5. *quia continere, & cohibere decet affectus, & passiones in ecclesijs, ne vagentur, & nos vagari faciant*. Per *atria*, enim celebriora illa templi Salomonici vestibula intelligenda sunt, non autē portæ ipsius Ciuitatis, vt ex Hebræo quidam existimant: *quoniam hic potius agitur de Dei cultu*, Genebrard; *& religionis vsu*, in quo tunc *stamus*, cū per fidem & deuotionem, diuina tantum speculamur.

Vgo.

Pedibus stare est affectibus vacare.

Genebrar.

22 Eadem pedis allusione, idem significatur Psal. 25. ℣. 13. *Pes meus stetit in directo: in ecclesijs benedicam tibi*. S. Augustin. pro *in recto*, legit *in rectitudine*. Triplicē pedē obseruat ad hæc verba Vgo Cardin. *rationis, affectionis & operationis*. omnes isti pedes debent in rectitudine, & æquabilitate diuinæ legis stare, vt in Ecclesijs, Deo digne benedicere possimus, & vt eius maiestati grata sit laus, in ecclesijs reddita; ideo subdit: *in ecclesijs benedicam tibi*. ita explicauit hunc locum P. Agellius noster *Morum*, ait, *simplicitatem, & aceptabilitatem, & iter viuendi nō tortuosis anfractibus peruersū; directum seu planum vocat, ita vt alijs verbis repetat, quod proxime dixerat: ego autē in inocentia mea ingressus sū; quamobrem tuas laudes in maximo ecclesiæ cœtu, vt omnes audiāt decantabo*, non iudicat se dignū ad canendas laudes Deo, & ad intrandum in Ecclesiā, nisi prius innocentia se exornauerit.

Psalm.

August.

Vgo. Mysticus pes triplex

P. Agel-

23 Idem obseruauit hic Languidus, qui, deposito domi lectulo, relictis sordibus, pietatem tantum, & deuotionem in templum attulerat, in quod gratias Deo acturus, secesserat; vt eius exēplo doceremur, nō nisi curato peccati morbo, & relicta eiusdem occasione, ad Ecclesias eundum; ibiq. frequentanda sacramenta, & alia pia opera facienda, vt mereamur ibi à Deo inueneri. Adiuuat hanc considerationem factum Diogenis, qui, vt refert Laert. lib. 6. cum in phano cænaret (id .n. religio Græcorum, permittebat) eiq. panes sordidi essent allati, abiecit eos è phano, dicens, *in templum nihil oportet ingredi sordidum*. quid ergo dicendū de immundissimis animæ sordibus, cū quibus impudenter peccatores præsumūt, & audēt Deo, eiusq. ac Sāctorū imaginibus occurrere? Bene itaq. fideles hortabatur S. Nilus Abbas in libel. cui titul. diuer. capit. &c. dicens; *Ecclesiam velut Cælum adi, & nihil in ea, aut loquere, aut age; quod terrā sapiat*. contra peccatores, non solum terrena, & vana in Ecclesijs tractāt, sed in honestis, & sordidis cogitationibus, & verbis, sacri loci puritatem fædant.

Pulcrum Diogenis factum.

Laert.

S. Nilus.

Ne tibi deterius aliquid cōtingat.

24 Non solū lente ad flagellandū incedit Deus, (de quo legimus apud Valer. Maxim. lib. 1. cap. 1. quod lento gradu, ad vindictam sui, diuina procedit ira) sed, quo peccatoribus maius spatium ad agendam pænitentiam concedat, paulatim a minimis ad maiora progreditur. Ideo, quamuis hunc languidum diuturna infirmitate mortificauisset, nihilominus, vt colligitur ex his verbis, atrociora adhuc supererant diuinæ vltioni supplicia, quæ contra eos reseruat, qui leuioribus castigationibus non emendantur. Chrysost. homil. 37. in Ioann. de hoc languido loquens; *qui supplicio*, ait, *non fit melior, tamquā stupidus, & contemptor, grauiorem sibi pænam præparat*. Quemadmodum .n. Deus, iustis viris seruis suis, paulatim sua priuilegia communicat, & impartitur; (vt alibi in hoc eodem Euangelio explicando ostendimus) ita, non vnico flagellorum verbere, iram suam exhaurit; sed, vt in eadem homil. dicit Chrysost. *cum neq. supplicium sontem*

Valer. Max.

Lento pede graditur diuina iustitia.

S. Chrys.

S. Chrys.

corri-

Deus, ut in gratijs conferendis ita in verberibus infligendis, gradatim ascendit.

corripit, non iniuria, flagello utitur vehementiore. Primo admonitionibus, & leuibus correctionibus agit: quibus nisi proficiat, seuerioribus manus admouet, vt non tam securi de præteritis esse præsumant peccatores, quam trepidi sint de futuris. S. Ambr. serm. 88. de bellic. tumul. *Est quoddam commonitionis Dei indicium, videre quod metuis; vt possis intelligere, plus superesse quod metuas.* Quem Dei in puniendo ordinem, ad nostram eruditionẽ; visus est significare Dauid Psalm. 59. ℣. 6. *dedisti metuentibus te significationem; vt fugiant à facie arcus.* arcum habet in manu, sed præmittit *significationẽ,* seu *signum* (vt vertunt alij) idest leuiores, & preuias correctiones, vt propriç salutis solliciti peccatores, fugiãt iram vltricem, & supplicia per arcum significata. Et ne ij, qui fugiunt, peccata secum circumferant, putantes, se per fugam euadere posse, etiam cum peccatorum pondere; ideo arcu illos persequitur Deus, quo ea etiam, quæ eminus sita sũt, prosterni possunt. Vel dicit *à facie arcus,* qui eo grauius sauciat, quo magis intẽditur; quæ fuit optima D. August. expositio *Arcus,* inquit, *sumitur pro supplicio quia sicut, quanto in arcu longius corda trahitur, tanto fortius sagitta emittitur; ita supplicium, quanto magis à Deo differtur, tanto postea infertur funestius.* Intendit primo, & præparat arcũ. Psal. 7. ℣. 13. *arcum suum tetendit, & parauit illum;* præmittit minas, ne sæuiora cogatur adhibere remedia & sagittas eiaculari. *tetendit,* ait Chrysost. homil. 22. ad pop. *non immittit sagittam, vt te formã terreat;* etiam post triginta octo annorum languorẽ, peiora paralytico minatur: *ideo,* ait Augustin. in Psalm. 44. *adhuc ille parcit, differt, tenet manum, arcum intendit, hoc est minas.* hoc idẽ significauit pridem lentus motus Dei, deambulantis in Paradiso, dum ad infligendam primis parentibus pœnam procederet.

S. Amb.

Psalm.

S. Aug.

Psalm.

S. Chrys.

S. Aug.

25 Sic etiam leuioribus flagellis, Pharaonem, & Aegyptios ante admonuit: quos obstinatè ceruicosos, morte primogenitorum puniuit. quod dixit Dauid Psal. 77. ℣. 50. & sequent. *viam fecit semitæ iræ suæ.* quem locum ad hoc propositum sic optimè exponit N. P. Agell. *de morte,* ait, *primogenitorum sermo est; quod malum, quia cæterisque præcesserant, grauius erat, per illa leuiora, semita huic grauissimo aperta est, ante clementiæ diuinæ repagulis obstructa.* Neque minus apta ad confirmationẽ propositi nostri, & ad ostendendum, quod Deus, leuiora grauioribus supplicijs præmittit est, subtilis expositio S. Gregor. Naziãz. ab eodem P. Agell. adducta ex oration. in plagam grandin. *Viam fecit semitæ iræ suæ; propter excellentem suam bonitatem, à leuioribus incipiens, ne vehementioribus opus esset. Vt viã facere,* subdit Agell. *ex eius viri sententia, sit ordinem quendam in puniendo tenere; vt leuiora supplicia præcedant, grauioribus, ad extremum reseruatis.* ita Tamerlanes, dux sua tẽpestate strenuus, & formidabilis; in obsidẽdis vrbibus, primo die, tabernaculum suum albo colore tegebat, vt deditijs impunè fore significaret; altera die purpureo, vt in refractarios sæuiendum moueret; postremo atro, quo, nullam iam euadendi spem relictam, pertinaces intelligerent, sed omnes ad internicionem delendos; hoc est, *facere semitam iræ.* Quo tamen loco obiter adnotãdum, quod tunc Deus ministros iræ suæ adhibuit Angelos, qui propter malum, quod intulerunt, mali appellantur, ibidem ℣. 49. vnde Cassiod. viam facere semitæ iræ, asseruit, non differre ab eo, quod est, potestatem Angelis facere, vt desæuiant. & quia ea est cælestium spirituum erga humanum genus pietas, vt flagella Dei inhibere, & retardare contendant, ideo Angelicis precibus commotus Deus, non statim misit in eos iram suam; sed prius viam fecit semitæ iræ suæ; quod παρέργως dictum sit, ad confirmandam Ange-

lorum

lorum, erga nos amoris veritatem.

26 Id verò, quod de ordine, & progressu Dei in puniẽdo dicebamus, suadetur ab illo adagio, quod refert Plutar. *mali bibũt improbitatis fecem*; quo significatur, improbos, qui prius vino diuinarum admonitionum, quasi stupidi, neglexerunt salubria monita, ad extremum, fæcem vltionis, vel inuitos exhaurire; de qua etiam dicebat Dauid Psalm. 74. ℣. 9. *fex eius non est exinanita; bibẽt omnes peccatores terræ*. Obseruauit hoc, idem Deus Genes. 11. ℣. 5. vbi post longam tolerantiam, qua peccatorum emendationem expectauerat, *descendit, vt videret Ciuitatẽ* quã contra Deum minax, sed stulta hominum audacia moliebatur; ad quem locum Perer. nu. 65. *signatè*, inquit, *dictum est descẽdisse eum, vt videret: quo significaretur longanimitas Dei, non festinantis ad supplicium de peccatoribus sumendũ: sed quamuis optimè sciat peccata hominum; subinde tamen differentis, & quasi tempus ad ea cognoscenda, & perpendẽda sumentis*. imo prius quam vltionem adhibeat, totius Sanctissimæ Trinitatis cõsensus requiritur: vel, vt alij ibidẽ volunt, assensũ Angelorũ De⁹ ipse prius explorat, ideo eiusdẽ cap. ℣. 7. dicitur: *Venite descendamus, & confundamus ibi linguam eorum*; quem locum exponens R. Moyses Aegyptius per descensum Dei intelligit diuinam vltionem. *Cum pœna, & ira Dei*, inquit, *venit super gentes mundi, quam pœnam prædixerũt ante Prophetæ ipsius; dicitur Deus descendere ad illas gentes, id est visitare, & punire earum opera* (nota quod Deus non descendit, nec visitat, nisi prius pænas insligendas prædixerit, & annunciauerit per Prophetas, & ministros suos) *ergo quando dicitur; venite descendamus, & confundamus linguam eorum. hoc significat: non amplius dissimulemus eorum scelera: sed quam primum ea puniamus, confundendo linguam eorum* dissimulauerat ad tempus, vt tandem toties, & tantopere iniustè prouocatus, iustius puniret. Hinc sicuti diluuiũ ante centũ annos prædixit Noe iusto viro: ita futurũ iudiciũ multa præcedẽt indicia, quæ indicauit Saluator Matth. 24. cap. ℣. 7. *erunt fames, & pestilentiæ, & terremotus &c.* quæ sunt signa accedentis iræ Dei. Hinc Origen. hæc verba exponens Tract. 28. in Matth. optimè ad propositum nostrum scripsit. *Non semel Deus vult perdere humanum genus, sed iudicans per partes, paulatim in eo dum fiunt fames, & pestilentiæ, & terræmotus per loca, dat pænitentiæ locum his, qui ex modicis castigationibus emendantur, & conuertuntur ad Deum*. sunt itaq. fames, pestilẽtiæ, terræmotus, præludia quædam diuinæ venturæ, & sæuius punituræ iræ: quibus nisi homines admoniti fuerint, maiora mox succedent, & deteriora, quæ languido comminatur Iesus; *nam* (subdit idem Origen.) *fames, & pestilentiæ, & terræmotus per loca exurgentes, initia esse dicuntur peiorum calamitatum, quas Dominus appellauit dolores*. Discant igitur fideles, & verbis Saluatoris ad languidum dictis admoniti: caueant à pertinacia, & perseuerantia in peccatis: abstineãt à recidiuatione: alioquin deteriora expectent.

COMMODVM hactenus scripseram, & huic primo volumini, quod in iustam magnitudinem creuit, ad vmbilicum perducto, finẽ impositurus erã: cùm Deus his, quæ de diuina vltione, per gradus affligente, mox dicta fuerunt, volens admirabiliter fidem adstruere, eaque productis indignationis suæ argumentis, comprobare, horribiles terræmotus è Vesuuio monte, sex plus minus milliaribus à Neapoli dissito, exciuit. Quibus cum pleraque oppida grauiter concussa fuerũt, cum ipsa Ciuitas perinde consternata, ac si iam iam ruitura esset. nã, & culta adiacentium iugo Vesuuino agrorum vastator ignis depopulatus est, & sumptuosa ædificia rustica, ac vicinos pagos obruit cinis. Pridem ab isto mon-

Plutar. | Psalm. | Genes. | Perer. | Quam lente ad flagella Deus conuertatur. | Genes. | Rab Moys | Deus non flagellat nisi flagella prædicat. | Matth. | Origen. | Terræmotus, & pestilentiæ, signa grauioris vindictæ. | Origen | Conflagratio Vesuuij A. D. 1631.

te feralibus cladibus memorabili, & intestinis ignium, quos alit, fontibus torrido nullam iniuriam senserat Neapolis, sub Deiparæ Virginis, & Martyris Ianuarij patrocinio, quiescens; Cum Deus à scelestorũ facinorosis criminibus iuste irritatus, in ea nocte, quæ diẽ xv. Decembris huius. A. M.DCXXXI. cõsecuta est, Vrbem hanc, vitijs indormientem, mirabiliter excitauit. Intempesta enim nocte, ingentes primo mugitus extitere; quos interceptæ, agitatæq; in confragosis montis specubus igneæ exalationes inuicem collisæ ediderunt. Inde immanis emicans ignis, torridorum lapidum ingentem vim eiaculatus, intermixtusq; crebris fulguribus teter fumus, illucescente iam die, primo in admirationem sui Ciues attraxit; mox gliscente periculo, ingenti timore perculsit. Ferebatur hic, non tam fumus, quam cinereus puluis, magno impetu, globos turbinatim inuoluẽs, superatisq, nubibus, arduis astris minax, cælum petebat. Aspectus adsurgentis æstus, planè idem sub aurora apparuit, atq; is, quem Plinius Iunior in epist. ad Corn. Tacitum descripsit; cum Titi Imper. Anno primo, in consimili conflagratione, Plinium Historicum visendi, & proprius noscẽdi hoc miraculum, auidum, flamma, interclusis faucibus, necauit. *Quippe cuius similitudinem, & formam non alia magis arbor, quam Pinus expresserit: nam longissima, velut trunco, efflata in altum, quibusdam ramis diffundebatur, quia, recenti spiritu euecta, deinde senescente eo, destituta; aut etiam suo pondere victa, in latitudinem vanescebat; candida interdum, interdum sordida, & maculosa, prout cinerẽ, puluerem ue sustulerat.* Sudum erat cælum, præstiteratq; Aquilo spirans, quatriduo ante, lætam serenitatem; cum subito ponente vento, circumfusus, libratusque cinis in subiecta deciduus, nitidissimum solis iubar obduxit, & tætra nocte terram operuit. Perstringebat oculorum aciem densus fumus, nunquam non intermissis, imò assiduo ex imo repetitis voluminibus, astra lacessens: terrebantque aures stupentium, mugitus, & fragores, quos collisi lapides, & æstuãtis ignis, instar torrentis per iugi decliuia fluentis, sonitus, edebant. Omnia tenebris obsita: nusquam amata lux obijciebatur, nisi qua fulgura dirùm coruscantia, augendo tantum terrori emicabant per densissimam caliginem. Nullibi tutam sedem timori præstabat periculum, nutãtibus per assiduos terræmotus tectis, & terra fluctuante. Sed & vicinum mare, attonitos iam, & suprema expectantes, suis prodigijs confudit; nam à littore recedens, relictis in sicco nauibus, mox horribili fragore refluxit, quasi terram absorpturũ. Per hos motus exacta tristissima nox, in qua vnicum perfugiũ animis præsenti ruina obstupescentibus fuit, ad sacras ædes; ad quas frequentes viri, & mulieres omnis ordinis confluxerunt; vel diuinam iram placare laborantes precibus; vel commissa crimina deuotè confessarijs exponentes: & quia mortem (desperatis penè iam rebus) inter sacra opperiri præstabat. Nobiliũ quidam maluerunt in patentioribus locis, in quibus videbantur sibi expertes fore periculi, quod imminens ædificiorum ruina minabatur, sub dio, in curribus pernoctare; alijs, quibus terra vbiq; nutante, mare securior statio visa est, intra triremes receptis. Adueniens dubius dies, exacti periculi terrorem non imminuit; sed minutissimo puluere constratum solum reuelauit, & graue videbatur ac noxium, faucibus hærentem puluerem, fumo commixtum, inter respirandum attrahere. Hausit eructans incendium obuia arbusta, quæ vitifer Vesuuius, generosis vinis celebris, alebat ad delicias; in quæ perniciosus ignis in præceps ruens immaniter debachatus est. Quicquid verò igni superfuit, altè aggestus cinis tumulauit: necauitq. non pecudes modo, sed multos ex oppidanis, quos rei intentos, negligentes sui, improuiso op-

Die lunæ 15. Decẽbris N. S. capta.

Imago ascendentis fumi. Plin. Iun.

Tenebræ.

Fulgura.

Maris ostentum.

Ad sacras ædes itum.

Cinere pluit.

Oppida vastata incendio.

presfit

presit. Iacent Summa, Octauianum, Resina, Pomilianum, Turris Annunciatæ, & iterum hanc cladem experti Pompei. In Nolanum verò agrum ex terræmotu nouæ fontium scaturigines ex Vesuuio fluxerunt, eo impetu, & copia effusis aquis, vt decliuia ab extemporanea alluuione periclitata fuerint. delatus est cinis eadem die, qua primum erupit ad alias Prouincias; maximè quæ ad Austrum, & hybernum ortum spectat Italiæ, in Apuliam, & Calabriam effusus. Romam verò perlatum desueti miraculi nuncium perculsam *terruit vrbem*.

Cinis ad longinqua delatus.

His minacibus flagellis præluſit Deus deterioribus, quæ peruicacibus instant. Hæc præmisit, vt de cætero delinquentibus, sæuiora denunciet. His signis monuit peccatores, vt fugiant a facie arcus. Faxit autem, ne hi terræmotus, & incendia, (vt dicebat Origen.) initia sint maiorum calamitatum. Quas si auertere a ceruicibus cupimus, odia maximè, quæ vlaicia Deo arma ministrant, deponenda ex animis: auscultandum Saluatori, *Iam noli amplius peccare: ne tibi deterius aliquid contingat*. Quod enim per hæc incendia velit Deus odia intestina hominum aboleri ex eo docemur, quod Alexandriæ contigit, vbi cum magnū excitatum incendium, maiorem templi Serapidis partem inuasisset, tamen solus gladius, quo Antoninus Getam fratrem interfecerat, ... ceteris omnibus illæsis. Is hominum iniā, (qui veri Dei templum est) maximè excitat incendia, de quibus Claudian. de IV. Hon. Consul.

Vesuuini incendiũ deteriora præuunciat pec catoribus Origen.

Incendia & terræmotus sũt Dei monita odia detestãtis

Claudian.

Iram sãguineis regio sub pectore cordis
Protegit imbutam flammis: auidãque nocendi.

Hæ flammæ è Vesuuio incendium accersũt. Terreat Neapolim hoc factum vrbis Alexandrinæ, & Ethnicorum exemplo admonita discat, odiorum, & iniuriarum acinaces, quas odium parat, instrumenta amolivi: denique sciat extinctis odijs, Vesuuinum incendium extinctum iri. alioquin audiat Senec. tragic.

Charitas extinguit incendia.

Si æternũ semper odia mortales agant,
Nec cœptus vnquam cedat ex animis furor;
Sed arma fœlix teneat, infelix paret;
Nihil relinquent bella; tum vastus ager
Squallebit aruis: subdita tectis face
altus sepultas obruet gentes cinis.

Auertat Deus omen: prælterq; vt faustam huic Vrbi, & vniuerso Christiano Orbi illucescant Saluatoris proxima Natalitia, in quibus Deũ nobis propitiatum iri confidimus. Ita vouebam, cum hæc absolui inter maximos terrores; hac die 22. Decẽbris A.M.DC.XXXI.

F I N I S.

NEAPOLI,
Ex Typographia Octauij Beltrani M.DC.XXXII.
SVPERIORVM PERMISSV.

INDEX LOCORVM
SACRAE SCRIPTVRAE,
Quæ in hoc opere explicantur

Littera P. paginam, littera N. numerum in pagina positum denotat.

VETVS TESTAMENTVM.

Ex libro Genesis.

Ex lib. Exod.

7. Qui

Ex libro Psalmorum.

turba-

Ex libro Prouerbiorum.

Cap 22.

Ex Ecclesiaste.

Ex lib. Canticorum.

quenda

Ex libro Sapientiæ.

Ex libro Ecclesiastici.

Ex Prophetia Isaiæ.

Ex

Ex Threnis Ieremiæ.

Ex Prophetia Baruch.

Ex Prophetia Ezechielis.

Ex Prophetia Danielis.

Ex Prophetia Malachiæ.

Ex 1.lib.Machabæorum.

Ex 2.lib. Machabæor.

NOVVM TESTAMENTVM:

Ex Euangelio Matthæi.

Ex Euangelio Ioannis.

Ex epistola 1. ad Corinth.

Ex 2. epist. ad Corinth.

Ex epist. ad Galatas

Ex epist. Ad Ephesios.

aut

FINIS LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE.



INDEX
RERVM NOTABILIVM,
QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.

Littera P, paginam, littera N, numerum in pagina positum denotat.

A

Ado-

Amoi-

Ambulare.

Amicitia, Amicus.

Amo. Amor.

Amor Christi.

Amor Dei.

Amor Hominis in Deum.

Arca.

Arcanum.

Arma, Armatus.

Ars, Artifex.

Asa.

Asaph.

Aspis.

Auaritia, Auarus, Auidus.

Auctoritas.

Audio, Auditor.

Auis.

Aulæa, Aulicus.

Aurora.

Aurum.

B

Christi Natiuitas.

Christi miracula.

Cornu.

Corpus.

Corona.

Correctio.

Crapula.

Creator, Creatura.

Crudelis, Crudelitas.

Dextera.

Diabolus.

Elias

F

G

H

Habitaculum.

Humi-

I

Iacere.

Iactura xxi

Imago

Infide-

Mundus, Mundi gloria, bona. &c.

Mundanus, Mundana.

N

Natura.

O

Obedientia.

Operatio

Opprobrium.

Orans, Orare, Oratio.

P

partu-

Peccatum.

Præ-

Quadra-

Signum

V

Vm-

Vti-

Errata, sic corrigito.

Pag.8.col. 1.*lin* 39.*confregit* lege *confregerit*. 9 1.47 *calidior callidior*. 14 2.36 τας οδους σ, τὰς ὁδὺς σ 19.1.43.*equis* *quis* 25.1.4 *Zenophons Xenophon*. 28 2.18.*lagucula,laguncula*. 28.2.21. *Ennon, Ennom* 30.1.19 *lapidem, lapidé*. 36.2.25.*cornua, cornu*. 40.1.7.*qua, qua*. 44.1.32.*derelinquet. derelinquit*. 44.1.33. *in terram, in terra*. 62.2.2.*conflectati, cõflictati*. 74.1.1.*apò tu pulis apò tus palis*. 74.1.19. *rumæ, ærumnæ*. 86.1.1.*arãea aranea* 95 1.10.*pane, pani* 96 1.41.*secũdam secũdũ*. 115.2.46 *ethica, hectica*, 116.1.8.*ethica, hectica*. 120.1 36.*parit n illa, perit n ille*. 128.1.39.*auclius, aulicus*. 133.1.21.*in cõfirmatione, in cõfirmationem* 136.1.17.*vallat, vallet* 136 1.18.*cingit, cingat*. 138.1.40.*antrijs, atrijs*. 151.2.1. *quia ficut suo opere ab vtero prius non fuit*, *quia sicut suo opere cõditus nõ fuit in vtero, ita nec sua virtute ab vtero prius fuit*. 151 2.14.*& cũ illo, vt cũ illo*. 155 1.29.*Pelusiates, Pelusiotes*. 174 2.8 *thesaurum th saurus*. 178.2.37.*additur, addit*. 179.2.19.*tuo tu*. 180.1.12.*cordicum cordium*. 181.1.12.*expectant, expetant*. 183 1.20. *dilectatio, dilectio*. 184.2.19.*affectum, affectus*. 19 .1.10.*cesserum, cessurum*. 2 1.2.50.*respondas, res pronas*. 2 7.1.1.*homicdio homicidio*. 226.2.10.*at, atque*. 2 1.2.26.*prudiximus, produximus*. 265.2.1.*illiua, illius*. 267 2.48 *exb re, ex ebore*. 268.1.22.*cenenta cruenta*. 299.1.50 *autem, autẽ* 304.1.3.*potitur, ponitur*. 318.1 28.*Cæsaribus, Cæsaribus* 332 2.45.*in ijs, in ijs*. 344.2.22 *pollulant pullulant*. 361.1.44 διαβολη διάβολος. 367.1.4.*id, is*. 377.1.30.*voluerit volauerit* 378.1.43.*ambulabat, ambulat*. 378.1.47 *habitabant, habitãt* 385 2.12 *illi, ille*. 390.1.29.*quam, qua*. 395.1.20.*sue, sua*. 404.2.21 *sicm, suũ*. 438.2.48.*neputulos, nepotulos*. 442.1.5.*vanus, manus*. 443.1.14.*domui, domus* 444 2.27.*chiragraphũ, chirographũ*. 449.2.46.*indicaui, indicaui*. 456.2.27.*à quis, quis*. 461.1.50 *nde inde*. 462.2.33.*simultatos, simultates*. 463.2.32.*odijt, odit*. 464 2.32 *scribi, scriba*. 481 1.45 *tuum, suum*. 510.2.18. ἰσηκὸς, ἴσηκὸς. 512.1.20 *differeur, differunt* 513.2 10.*pædagogus pædagogos* 514.2.9 *cultus vultus*. 519.1.20. *Sophonius, Sophronius*. 523.2.21.*apue, apud*. 529 1.7.*præpopera, præpropera* 532.2.43.*quemcunq; quodcunq;* 535.2.22. *præcoquos, præcoquas*. 541.1.26 *persuapere, persuadere*. 542.2.46.*comparemur. cõparemus*. 549.2.46. *Baptista, Baptistã*. 551.1.1. *Post verbum, iam addendũ, repentè*. 551.1.1.*pautim paulatim*. 552.1.19 *suam, sua* 552 1.20.*post verbũ*, violenter *detenali*, ad 555 1.46.*ante verbũ*, conuertantur, *delendũ*, non. 557.1.50.*quid, quod*. 558.1.43.*eratur, eruatur* 561.1.29.*extorquetur, extorquent*. 585.2.36 *in concilio, in consilio*. 598.1.35.δαιζωσι, δαίζωσι. 612.1.32.*contingit, contigit*.

Cætera si quæ sunt minutiora, Lectori beneuolo excusanda, & emendanda relinquimus.

Registrum.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sf Tt Vu Xx Yy Zz

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sff Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiii Kkkk Llll Mmmm Nnnn Oooo Pppp Qqqq Rrrr Sfff Tttt Vuuu Xxxx Yyyy Zzzz

Aaaaa Bbbbb Ccccc Ddddd Eeeee Fffff Ggggg

a b c d e f g h i k l m n o

Omnes sunt Duerniones, præter Ggggg qui est Ternio, & c qui est fol. simplex.

4-2-1

7-2-1

